Ex Libris Ill.mi [illegible]

Ex Libris Ill.mi Card.lis Pirutti

M·TVLLII

CICERONIS

OPERVM

TOMVS . SECVNDVS

Continens

De Rhetorica Volumen Secundum,

&

In ipſum Aldi Mannuccij Commentarium.

AD . ILL.MVM

D . IOANNEM . ZAMOSCIVM

R. P. CANCELLARIVM . ET . EXERCITVVM . IMP . ET . C.



SACERD. + COLLEG. ECCLESIAST. VAL. ET VD.

CVM . PRIVILEGIIS

VENETIIS . CIↃIↃXXCIII

Apud Aldum.

A. C. D.

ILL.^{MO}

D·IOANNI·ZAMOSCIO
R. P. CANCELLARIO
ET·EXERCITVVM·IMP.
ET. C.

VIRTVTI locum non eſſe, queri iam deſinamus, ILLVSTRISSIME . ZAMOSCI. Tua Te uirtus euexit, & effecit, ut, illuſtriori loco cum ſis, illuſtriorem etiam gratiam ei referre poſſis. Equidem ego, Patri meo cum multum debeam, nullam fortaſſe ob cauſſam tantum me debere ſentio, quantum quod hereditariam mihi Tui obſeruantiam reliquerit. Laetorq. mirum in modum eius manibus, comprobatum eſſe iudicium de Te ſuum. Fore Te dicebat celeberrimi Regni tamquam ſpeculum; in quem homines intuerentur, & quem ſibi ad imitandum proponerent. Optimeq. tunc actum iri cum Regno, cum Tua uirtus ſe oſtendiſſet. Patris iudicium STEPHANI Regis ſapientia comprobauit. Quo fit, ut tanto Regi mirum in modum gratuler, qui Te eum uoluerit eſſe, cuius conſilio, & uirtute totum Regnum nitatur. Multoq. magis gaudeo, quod omnium de Te opiniones quammaxime Tuis uirtutibus ſuperas. Quas ego dum aſſidue contemplor, fateor profecto nullo me orationis uel uberrimo genere res Tuas praeclare domi belliq. geſtas complecti umquam poſſe. Quis enim uel clariſſimus orator recenſere umquam poſſet, quae Tu pro ſalute, pro dignitate Regis, pro uniuerſae Poloniae Regni maieſtate geſſiſti? Vt recte admodum Rex ille prudentiſſimus, ſapientiſsimusq. Te ſibi in primis amandum propoſuerit, deinde diuino quodam iudicio omnibus honoribus, ac dignitatibus afficiendum cenſuerit, Teq. conſanguinitate ſibi maxime eſſe coniunctiſsimum uolue-

rit. qui iamdiu antiquiſsimae , nobiliſsimaeq. Familiae Tuae ſplendorem, perpetuamq. gloriam Tuis uirtutibus auges. Tu toga , Tu armis ingenij magnitudinem oſtendens , Poloniae exercituum imperator , innumerabilibus Moſcouiae Ducis exercitibus , non exiguo etiam Othomanorum terrore , ingentem ſtragem , inferiore interdum militum copia , eximia Tua uirtute , ſaepius attuliſti. potentiſsimorum hoſtium furorem fortiter ſaepe repreſsiſti. terminos inuictiſsimi Regis Tui quam longiſsime protuliſti. Haec qui audiunt , multo etiam magis qui intuentur , carere omnino inuidia Tua praeclara facinora aſſerunt. quae omnium iudicio nullo modo gloria , aut uirtute ſuperari poſſunt, neque uel longiſsima hiſtoria ſatis pro meritis complecti. Vt difficillimum illud , Gloria Inuidiam ſuperare , facillimum Tibi fuiſſe oſtenderis. Iam per uniuerſum Terrarum orbem adeo nominis Tui ſumma gloria increbuit, ut cum Romanis clariſsimis oratoribus , uel cum exercituum maximis imperatoribus , iure comparari poſsis. Haec ſi ego rationibus comprobare uellem , uiderer profecto omnibus in meridie lumen accendere. Hoc tantum dicam , quod etiam uix pro maximo meo deſiderio explicare poſſum , me nihil umquam magis libenter aut audire , aut loqui , quam cum de Tuis ſummis honoribus , & dignitatibus, audio, aut cum de diuinis animi Tui dotibus loquor , ac palam praedico . Quo fit , ut Stanislaum Nyegoſſeuuski , illuſtrem adoleſcentem , adoleſcentem dico , multo tamen uirtute illuſtriorem , magis carum habeam , qui Te ſemper in ore habeat , qui Te admiretur , qui denique Tuas decantet uirtutes . in quo neuter noſtrum alteri cedit. Eſt hoc Poloni caeli proprium , ut ingeniorum feraciſsimum ſolum ſit. Quis non Stanislai Orichouij memoria delectatur ? Quis Iacobi Gorſcij ſcripta non admiratur ? Quis Stanislaum Socolouium , Andream Patricium , Martinum Slachczinium, diuinos plane uiros, ad ſidera non extollit ? Vt meum Nyegoſſeuuski, tantum adoleſcentem , non dubitem augurari magnum fore aliquando hominem. Hac enim aetate ea praeſtat, quae ἀδύνατα prorſus iudicari debent , & quae uix , qui non uidit, eſſe potuiſſe , uel poſſe umquam credat. Diuinum numen eſt Poeſis. &, qui Poetae titulum meruerunt, Diuini fere habiti ſunt, & dicti. Sed, qui inter Poetas maiorem ἐξοχὴν repererit , huic profecto Poeſin debere , non ipſum Poeſi , auſerim affirmare. Dicere ex tempore , magnum putatur. Sed uerſibus dicere , ſed argumentis reſpondere , hoc ex iis eſt , quae ego diuinum quid ſapere exiſtimo. Edidit ſcriptum , in quo pollicebatur ſe in unaquaque materia propoſita ex tempore carmine reſponſurum. Promiſsis ſtetit,& egregie id praeſtitit ; ſumma omnium admiratione , nominis ſui immortalitate , & Polonae gloriae fama. Neque tantum quid uerſibus , ſed & quid ſoluta oratione ualeat , (ualet autem plurimum) oſtendit. Exſtare autem illud uolui hiſce litteris Incluſum : ut exſtet tantae uirtutis teſtimonium. Eſtq. hoc , miro artificio elaboratum . ut in omnibus ingenium eluceſcat.

SERENISSIMO



V*T eſſet perpetuum* STANISLAI. NYEGOSSEVVII, POLONI, *in nomen* VENETVM *Pietatis argumentum; tum uero cum Aldo Mannuccio dignum mutuae caritatis pignus, & tamquam hoſpitalitatis quaedam teſſera: uel hoc aetatis nec ab litteris abhorrens, nec amicorum ſententia immaturus, in alto feſtae pacis otio, & ſenſus Theologorum, & res Ariſtotelis omnes, ſibi tuendas ſuſcepit.*

I. De Theologia Poſitiua, & Scholaſtica.

II. De uniuerſa Ariſtotelis Philoſophia, Naturali, Morali, Diuina.

III. De rebus Mathematicis.

Ad obiecta reſponſurus Carmine Hexametro, uel Pentametro.

V*T uero, quantum liberalis doctrinae, & politioris humanitatis ſtudio ipſe profecerit, quiſque intelligat, Oratione, uel ſoluta, uel numeris Poetice uincta, propoſitam habens ad dicendum materiam, ex tempore dicet. Deinde Platonicos numeros, Cabaliſtarumq. ſomnia, ex proponentium arbitrio refutabit.*

In DD. Ioannis, & Paulli aede Sacra, in ipſo Sancto Purificationis die, poſt meridiem, exordium ſumet.

∞ D X X C I V

Epiſtolae clauſula ſit, Polonae immortalitatis me ſtudioſiſſimum eſſe; neque umquam paſſurum , quantum uires meae ferent, ut ſcripta mea Polona gloria non illuſtrentur . in eoq. maximam mihi iudicij laudem ab omnibus deberi certo polliceor. A Te uero, ILL.ME ZAMOSCI, Litterarum , Armorumq. decus eximium , ſuppliciter peto , ut me , iam Tuum , in Tuis non ſolum eſſe uelis , quod iam Te uelle non dubito , ſed etiam aliis id perſuadeas : nam ego in amore, & beneuolentia Tua gloriam mihi ſummam conſtitutam puto . Deus opt. max. Te felicem eſſe uelit : ut iſta felicitate boni omnes utantur : cum Tu bonis faueas : eoq. Te gratum eſſe praeclare oſtendas .

Venetiis . Kal. Mart. CIↃ IↃ X X C I V

Ill.mae D. T.

addictiſſimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.

ILL.MO
ZAMOSCIO

QVIS *hic locus? quae regio reducta? inuia?*
Vbi ſum? Sub ortu Solis? aut ſub cardine
Glacialis Vrſae? numquid Sarmatici ſoli
Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quis me reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? Regi quis commendabit meo?
ZAMOSCI, certa aeterni progenies patris,
Viuamus. heu me, ſit locus fidus meo
Iſte timori. numen inuoco, ac teſtor tuum.
Tibi trophaea, & aras, Tibi tot barbarae
Dedere gentes ſpolia: Tibi felix diu
Potentis Moſci terra ſummiſit manus.
Ad Tua uenit arma & qui frigidum
Septenna Tanain ora pandentem bibit,
Et qui renatum prorſus excipiens diem
Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto.
Omnia iam manſueta. perge, dum caelum uocat.
Recipe nos citius. quae uerba ſufficiunt mihi?
Per Te parentis memoriam obteſtor mei,
Cape hoc decorum ludicri certaminis,
Et iſta demum palma Piſaei Iouis,
Velamen eadem praeſtet, atque omen Tibi.

INDEX. LIBRORVM
Qui hoc Volumine continentur.

De Oratore,
Cum Commentario Audomari Talaei,
Lib. I. 1
Lib. II. 53
Lib. III. 119
Brutus, ſiue de claris oratoribus, 169
Orator, 295
Cum Commentario Victoris Piſani.
De optimo genere oratorum, 357
Cum Commentario Io. Antonij Viperani.

IN
M. TVLLII. CICERONIS
DE. ORATORE
LIBRVM. I
Commentarius Audomari Talaei.

IN
M · TVLLII · CICERONIS
DE · ORATORE
LIBROS · TRES
Argumentum Aldi Mannuccij.

DISSENTIENTIBVS *inter ſe de ratione dicendi M. Cicerone, & eius fratre Quincto, quod hic eloquentiam non in arte, & doctrina, ſed in quodam ingenij, atque exercitationis genere ponendam opinaretur; ille autem contineri eadem eruditiſſimorum hominum artibus diceret: rogatus eſt a fratre Marcus, ut de ea re, quaſi dirimendae inter eos controuerſiae cauſſa, aliquid ſcriberet accuratius. quod ille ita ſuſcepit, ut arrogantiae tamen uitare culpam uoluerit. nam ſermonem de ratione dicendi a ſe remouit, ad eosq. retulit, qui ſumma facultatis oratoriae laude floruerant, L. Licinium Craſſum, & M. Antonium, ita partibus utrique diſtributis, ut in libro primo Craſſus M. Tullij ſententiam probare, Antonius autem ad opinionem Quincti propenſior eſſe uideretur; & inſtrumentum quidem oratoris, id eſt materiam, & rem, Antonius libro ſecundo, Craſſus autem eius inſtrumenti diſtinctionem, atque ornatum libro tertio demonſtraret. Affuiſſe illi ſermoni trium aetatum homines, Q. Mucium Scaeuolam, augurem, iuris prudentia clarum, Craſſi ſocerum, admodum ſenem; minores natu aliquanto, Craſſum, Antonium, Q. Lutatium Catulum, C. Iulium Caeſarem; adoleſcentes, C. Aurelium Cottam, & P. Sulpicium; & haec inter eos diſputata, fortaſſe uix credat, qui morem dialogorum, in quibus fingi multa ſolent, animaduerterit. ego totum hunc de oratore dialogum magna ex parte uerum puto. nam, etſi dialogorum hic eſt fere mos, ut cum ueris fictae res admiſceantur: tamen hunc ſermonem inter Craſſum & Antonium eſſe habitum, eiusq. poſtea locos, ac ſententias diſputationis C. Cottam, qui tum interfuit, Ciceroni tradidiſſe, in prooemio libri tertij ipſe Cicero demonſtrat. Tantum porro abeſt, ut inductum a Cicerone quemquam eſſe, qui non affuerit, exiſtimem, ut deductum potius ab eo putem Q. Scaeuolam peracta diſputationis primae parte; non quod re uera ille diſceſſerit; ſed quod indecorum Cicero arbitraretur, id aetatis hominem, infirma ualetudine, ſummis honoribus uſum, diutius eſſe in Craſſi Tuſculano, & diſputationi de arte dicendi, quae ab eius aliena ſtudiis uideretur, intereſſe. Eius rei cauſſam in quadam ad Atticum epiſtola exponit ipſe his uerbis: Quod in ijs libris, quos laudas, perſonam deſideras Scaeuolae; non eam temere dimoui; ſed feci*

idem, quod in πολιτείᾳ deus ille noſter Plato, cum in Piraeeum Socrates ueniſſet ad Cephalum, locupletem, & feſtiuum ſenem, quoad primus ille ſermo haberetur, adeſt in diſputando ſenex: deinde cum ipſe quoque commodiſſime locutus eſſet, ad rem diuinam dicit ſe uelle diſcedere; neque poſtea reuertitur. credo, Platonem uix putaſſe ſatis conſonum fore, ſi hominem id aetatis in tam longo ſermone diutius retinuiſſet. multo ego ſatius hoc mihi cauendum in Scaeuola, qui & aetate, & ualetudine erat ea, qua meminiſti; & ijs honoribus, ut uix ſatis decorum uideretur, eum plures dies eſſe in Craſſi Tuſculano, & erat primi libri ſermo non alienus a Scaeuolae ſtudijs: reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut ſcis. huic ioculatoriae diſputationi ſenem illum, ut noras, intereſſe ſane nolui. In prooemio autem id agit Cicero, ut eloquentiam oſtendat maius quiddam eſſe, quam homines opinentur. probat hoc oratorum paucitate; cum in ceteris artibus permulti, in oratoria facultate ſane quam pauci, uixq. ſingulis aetatibus ſinguli tolerabiles oratores exſtitiſſent. nec mirum: conſtat enim ex illis rebus uniuerſis eloquentia, quibus in ſingulis elaborare, & excellere difficillimum eſt. Hos libros poſt exſulium ſcripſit: ab exſulio autem reſtitutus eſt non circa initia belli Gallici, ut quidam opinantur, ſed menſibus ſexdecim poſtquam Caeſar ad bellum Gallicum profectus eſt. eodem enim tempore & Cicero in exſulium, & Caeſar iuit in Galliam: quod hiſtoria declarat.

CAROLO . LOTHARINGO
CARDINALI · AMPLISSIMO
Audomarus Talaeus S . P . D.

TRES Ciceronis de Oratore Dialogos (Carole Lotharinge Cardinalis) praelectionibus noſtris expoſitos, cur in tuo potiſſimum nomine publicatos eſſe uolui, ſiquis requirat, is nec obſeruantiae erga te meae, nec oblati muneris rationem ullam habere uidebitur. Etenim, qui cum Petro Ramo fratre cariſſimo, meiq. amantiſſimo annos prope iam uiginti communione uoluntatum, ſtudiorum, fortunarumq. omnium artiſſima coniunctus uixerim, poſſum ne tua in illum ſingularia beneficia, non in me quoque collata iudicare. Habuit Academia Pariſienſis centũ abhinc annis tres magnas de conſtituendis philoſophiae ſtudijs contentiones: omneſq. pro legibus & inſtitutis academiae ſuſceptas: nullam tamen Petri Rami contentione, neque legibus conuenientiorẽ, neque auctori ſuo moleſtiorem, & grauiorem. Prima fuit anno 1473, Ioanne Fanutio rectore academiae, & contentionis eius auctore, ut Ariſtotelis libri, non barbarorum ſophiſtarum commentarij in ſcholijs praelegerentur: iuſtiſſima etiam temporibus illis poſtulatio pleriſq. uidebatur, ad eamq. regis auctoritas acceſſerat: attamen barbaries peruicit, & academia Pariſienſis Ariſtotele quemuis uel barbarum, & ſordidum ſophiſtam commodiorem eſſe iuuentuti, & utiliorem iudicauit. Secunda contentione auctore Iacobo Fabro Picardo Stapulenſi ueterem querimoniam renouauit, nec auctoritate principum, ſed magno diuturnae profeſſionis labore pulſis ſophiſtis Ariſtotelem in ſcholas reduxit, ut legibus imperati & deſcripti libri iuuentuti praelegerentur. Tertiam Petri Rami diligentia, induſtriaq. excitauit, qui magnam quidem laudem Fabro populari ſuo tribuere, quod Ariſtotelem legendum propoſuiſſet, ſed multo maiorem laudem putaret Ariſtotelis philoſophiam non ſolum legi, ſed cum iudicio legi, & commodo exerceri, phyſicam, rerum phyſicarum ortus, progreſſus, interitus tractando: ethicam, bene uiuendo: logicam, bene diſſerendo, & excellentium hominum conſilia, & iudicia cognoſcendo, & imitando, cum praeſertim ad eam rem ex inſtitutis Academiae dies annis ſingulis ducenti & uigintiſeptem omni praelectione philoſophiae liberi, & uacui concedantur. Attamen, quamuis haec contentio tam legitima eſſet, tamq. uotis omnibus optanda, horribile tamen eſt, inuidiae tempeſtatem, & molem ab uno homine concitatam meminiſſe: immo uero eius librum contra Petri Rami contentionẽ hanc diuulgatum legere. Ita res ueriſſima, & utiliſſima tetris calumniarum tenebris offunditur. Ergo cum tam laudabile Petri Rami ſtudium non ſolum pro tua ſapientia ab oppreſſionis fraude defenderis, ſed etiam regia profeſſione ornaueris, poſſum ne ullis officiorum muneribus debitam tibi obſeruantiam ſatis teſtari, cum te, etiam licet ſummis Francici Regni gubernaculis occupatiſſimum, tamen honeſtarum, & laudatarum litterarum ſtudijs tam libenter occupari uideam? Laudant te huius ampliſſimi Regni regiones, atque prouinciae, cum tuae bonitatis & aequitatis auxilio leuantur: at in perpetuum etiam exterae gentes laudabunt, quae per te non caducum fortunae, aut corporis aliquem fructum, ſed animi tantum, tamq. omnibus mortalibus commune, & optabile bonum fuerint aſſecutae. Ergo, ut philoſophiae ſaltem in aliqua parte non ſolum ueram cognitionem, ſed etiam exercitationem, uſum, utilitatem, pro uiribus nonnihil adiuuarem, & (ut logicis artibus conſilia praeſtantium hominum iudiciaq. cognoſcenda, ac perſpicienda eſſent) re ipſa, & exemplo docerem, propoſui mihi tres oratorios Ciceronis dialogos, in quibus cum uiderem ſeorſum inuentionis, diſpoſitionis, memoriae nomine non longe alias artes (ſi genera ſpectes) quam quae Ariſtotelis topicis, & analyticis continentur, inſtitui: elocutionis item ſeparatim, & actionis nomine ueram rhetoricam definiri, Petri Rami quaeſtiones Brutinas, & Rhetoricas diſtinctiones imitatus, omnibus partibus praecipue id unum elaboraui, ut duarum artium diſtinctionem perpetuo retinerem, praecepta tantum neceſſaria, cognata, propria probarem, contraria notarem, ordinem, & methodum locis omnibus exquirerem: ut rhetorica, & logica praeceptis, & regulis diſtinctae, a pueris & facilius ediſcerentur, & utilius exercerentur, qui duo ſummi ſunt in diſciplinis fructus ſingulariter, & unice ſpectandi. In ceteris etiam intelligentiae neceſſariis partibus, rerum hiſtoria, uerborum interpretatione, quamuis a ſuperioribus interpretib. ſtudioſe tractatae ſint, nullam tamen negligentiam noſtram accuſari uolui. Quare haec erit in oratoriis hiſce tribus libris & logica luce clarioribus effectis, utilitas: ſed enim, etſi commoditas in diſtinctis artibus tanta non eſſet, tamen eſſet in ipſarum tractatione artium diſſerendi, dicendiq. exemplum tam illuſtre propoſitum, ut uel ob eam cauſſam unicã totum uolumen ad uerbum pueris ediſcendum eſſe iudicem. Iouem philoſophi dicebant, ſi Graece loqui uellet, non alio ſermone, quam Platonis uſurum: at uero tanto iuſtius dicam Iouem, ſi de re ulla cum alio deo diſſerere, & colloqui uellet, non aliis, quam Ciceronis dialogis, & colloquijs uſurũ, quanto Romana ciuitas Athenienſi ciuitate maior, Scaeuolaque, & Craſſus, & Antonius maiores Gorgia, Protagora, & reliquis Platonicis perſonis fuere. Tantus eſt in perſonis ipſis decor, tanta in ſermone cuiuſque dignitas, tanta in omni tractatione rerum, & uerborum moderatio, & conformatio, ut mirum ſit, quod ait Guarinus, repertis primum Ciceronis de Oratore libris, eloquentiam, quae tot annos ſepulta iacuerat, reuixiſſe: horum ſiquidem librorum, uel exemplis ſolis magnus orator poſſit effici. Quamobrem uigilias noſtras, quibus tanti operis & τεχνολογίαν diſtinguere, & tractationem illuſtrare conati ſumus, cui potius offeram, quam Petri Rami, quam etiam meo Maecenati, immo quam Academiae Rhemenſis fundatori, quam Pariſienſis Regio tutori, quam omnium liberalium artium unico patrono, ac ſingulari.

IN
M. TVLLII. CICERONIS
LIBROS·DE·ORATORE
AVDOMARI. TALAEI
EXPLICATIONES

CICERO tribus oratoriis dialog is ſcholas, & diſputationes duorum dierum inſtituit, ut ex initio 1. & 3. libri conſtat. Primus liber continet Academicum ſermonem unius diei conſumptum in contentione de uaria, & multiplici definitione Oratoris, ubi Licinius Craſſus M. Tullij Ciceronis ſententiam explicat de perfecto oratore, cui non ſolum rhetoricum, ſed omnium artium eruditionem,& doctrinam tribuit,ut de rebus omnibus ſcienter, & ornate poſsit dicere: Antonius defendit ſententiam Q. Ciceronis de uulgari, & mediocri oratore,cui detracta tot artium ſcientia, & cognitione,mediocrem tantum prudentiam, & exercitationem in cauſsis forenſibus relinquit: Q. Mucius Scaeuola ſenex adeſt quaſi ſermonis auctor, & moderator. P. Sulpicius, & Caius Cotta adoleſcentes auditores,& tamquam diſcipuli, tribus illis magiſtris adhibentur. Secundus liber habet alterius diei matutinum ſermonem,in quo Antonius tres artes prudentiae a Graecis acceptas,inuentionem,diſpoſitionem,& memoriam,multo magnificentius & aptius ad uſum forenſem tractat, quam fuerant a Graecis hominibus expoſitae. Tertius pomeridianam Craſsi diſputationem explicat de elocutione,& pronunciatione. Qui quidem ſermo quamuis ab illis Romanis hominibus, quos Cicero in Laelio inducit,numquam habitus fuerit,tamen apte fingitur ad gratiam,& dignitatem huius oratoriae diſputationis: Genus.n.ſermonum poſitum in hominũ ueterũ auctoritate plus neſcio quo modo uidetur habere grauitatis: & quidem datur ea dialogis uenia, (ut de ſuis Academicis teſtatur Cicero lib.9.epiſt.Fam.) Puto,inquit,fore, mireris,cum legeris id nos locutos eſſe inter nos,quod numquam locuti ſumus: ſed noſti morem dialogorũ. Atque,ut primi libri contentio de Oratore e libris Graecorum hominum ſumpta eſſe uidetur, ut Carneadis, Clitomachi,Critolai,Diodori,Mneſarchi,Apollonij,Menedemi,qui ibi obiter citantur, ex Phaedro etiam & Gorgia Platonis,ita ſecundi & tertij τεχνολογία Ariſtotelica,& Iſocratita eſt. Hos dialogos Cicero diu multumq. in manibus habuit,ut ſcribit in epiſtola ad Atticum lib.4.tandemq. elimatos & expolitos edidit L.Domitio Ahenobarbo,& Appio Claudio Pulchro ocs. quo anno M. Craſſus diues profectus eſt ad bellum Parthicum, ſicut nos ex eadem epiſtola poſſumus augurari, qui annus fuit ab urbe condita ſeptingenteſimus, a conſulatu autem Ciceronis nonus.

M · TVLLII · CICERONIS DE · ORATORE AD · Q · FRATREM LIBER · I

CICERO

COGITANTI mihi ſapenumero, & memoria uetera repenti, perbeati fuiſſe, Quincte frater, illi uideri ſolent, qui in optima rep. cum & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum uitae curſum tenere potuerunt, ut uel in negotio ſine periculo, uel in otio cum dignitate eſſe poſſent. Ac fuit quidem tempus illud, cum, mihi quoque initium requieſcendi, atque animum ad utrinſque noſtrum praelara ſtudia referendi, fore iuſtum, & prope ab omnibus conceſſum eſſe arbitrarer, ſi infinitus forenſium rerum labor, & ambitionis occupatio decurſu bonorum, etiam aetatis flexu conſtitiſſet. quam ſpem cogitationum, & conſiliorum meorum cum graues communium temporum, tum uarij noſtri caſus fefellerunt. nam, qui locus quietis, & tranquillitatis pleniſſimum fore uidebatur; in eo maximae moleſtiarum, & turbulentiſſimae tempeſtates exſtiterunt. neque uero nobis cupientibus, atque optantibus fructus otij datus eſt ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas, inter nosq. recolendas. num & prima aetate incidimus in ipſam perturbationem diſcipiinae ueteris: & conſulatu deuenimus in medium rerum omnium certamen, atque diſcrimen: & hoc tempus omne poſt conſulatum obiecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peſte depulſi, in noſmet ipſos redundarunt. Sed tamen in his uel aſperitatibus rerum, uel anguſtiis temporis obſequar ſtudiis noſtris: &, quantum mihi uel fraus inimicorum, uel cauſſae amicorum, uel ipſa reſp. tribuet otij, ad ſcribendum potiſſimum conferam. Tibi uero, frater, neque hortanti deero, neque roganti. nam neque auctoritate quiſquam apud me plus ualere te poteſt, neque uoluntate. Ac mihi repetenda eſt ueteris cuiuſdam memoriae non ſane ſatis explicata recordatio, ſed, ut arbitror, ad id, quod requiris: ut cognoſcas, quae uiri omnium eloquentiſſimi, clariſſimiq. ſenſerint de omni ratione dicendi. uis enim, ut mihi ſaepe dixiſti, quoniam, quae pueris, aut adoleſcentulis nobis ex commentariolis noſtris inchoata, atque rudia exciderunt, uix hac aetate digna, & hoc uſu, quem ex cauſſis, quas diximus, tot, tantisq. conſecuti ſumus, aliquid iiſdem de rebus politius a nobis, perfectiusq. proferri: ſolesq. nonnumquam de hac de re a me in diſputationibus noſtris diſſentire; quod ego eruditiſſimorum hominum artibus eloquentiam contineri ſtatuam, tu autem illam ab elegantia doctrinae ſegregandam putes, & in quodam ingenij, atque exercitationis genere ponendam. Ac mihi quidem ſaepenumero in ſummos homines, ac ſummis ingenijs praeditos intuenti, quaerendum eſſe uiſum eſt, quid eſſet, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo, admirabiles exſtitiſſent. nam, quocumque te animo, & cogitatione conuerteris, permultos excellentes in quocumque genere uidebis, non mediocrium artium, ſed prope maximarum. quis enim eſt, qui, ſi clarorum hominum ſcientiam geſtarum uel utilitate, uel magnitudine metiri uelit, non anteponat oratori imperatorem? quis autem dubitet, quin belli duces ex hac una ciuitate praeſtantiſſimos paene innumerabiles, in dicendo autem excellentes uix paucos proferre poſſimus? Iam uero conſilio, ac ſapientia qui regere, ac gubernare remp. poſſent, multi noſtra, plures patrum memoria atque etiam maiorum exſtiterunt: cum boni perquamdiu nulli, uix autem ſingulis aetatibus ſinguli tolerabiles ora-

tores

tores inuenirentur. Ac, ne quis forte cum aliis ſtudiis,
quae reconditis artibus, atque in quadam uarietate lit-
terarum uerſentur, magis hanc dicendi rationem, quam
cum imperatoris laude, aut cum boni ſenatoris pru-
dentia, comparandam putet: conuertat animum, & ea
ipſa artium genera circumſpiciat, quiq. in iis floruerint,
quamq. multi: ſic facillime, quanta oratorum ſit, ſem-
perq. fuerit paucitas, iudicabit. neque enim te fugit, lau-
dandarum artium omnium procreatricem quandam, &
quaſi parentem, eam, quam φιλοσοφίαν Graeci uocant, ab
hominibus doctiſſimis iudicari: in qua, difficile eſt enu-
merare, quo uiri, quanta ſcientia, quantaq. in ſtudiis ua-
rietate, & copia fuerint; qui non aliqua in re una ſe-
paratim elaborarint, ſed omnia, quaecumque eſſent,
uel ſcientiae perueſtigatione, uel diſſerendi ratione com-
prehenderit. Quis ignorat, ij, qui mathematici uocan-
tur, quanta in obſcuritate rerum, & quam recondita in
arte, & multiplici, ſubtiliq. uerſentur quo tamen in gene-
re ita multi perfecti homines exſtiterunt, ut nemo fere
ſtuduiße ei ſcientiae uehementius uideatur, quin, quod
uoluerit, conſecutus ſit. Quis muſicis, quis huic ſtudio
litterarum, quod profiterentur ij, qui grammatici uocan-
tur, penitus ſe dedit, quin omnem illarum artium paene
infinitam uim, & materiam ſcientia, & cogitatione cō-
prehenderit? Vere mihi hoc uideor eſſe dicturus, ex om-
nibus iis, qui in harum artium ſtudiis liberaliſſimis ſint;
doctrinisq. uerſati, minimam copiam poetarum egregio
rum exſtitiße: atque in hoc ipſo numero, in quo perraro
exoritur aliquis excellens, ſi diligenter & ex noſtrorum,
& Graecorum copia comparare uoles, multo tamen pau-
ciores oratores, quam poetae boni reperientur. quod hoc
etiam mirabilius debet uideri, quia ceterarum artium
ſtudia fere reconditis, atque abditis e fontibus hau-
riuntur; dicendi autem omnis ratio in medio poſita, com-
muni quodam in uſu, atque in hominum more, & ſermo-
ne uerſatur: ut in ceteris id maxime excellat, quod longiſ-
ſime ſit ab imperitorum intelligentia, ſenſuq. diſiunctum;
in dicendo autem, uel maximum ſit a uulgari genere
orationis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhor-
rere. Ac ne illud quidem uere dici poteſt, aut plures ce-
teris artibus inſeruire, aut maiore delectatione, aut ſpe
uberiore, aut praemiis ad perdiſcendum amplioribus
commoueri. Atque, ut omittam Graeciam, quae ſemper
eloquentiae princeps eſſe uoluit, atque illas omnium do-
ctrinarum inuentrices Athenas, in quibus ſumma dicen-
di uis & inuenta eſt, & perfecta: in hac ipſa ciuitate pro-
fecto nulla umquam uehementius, quam eloquentiae ſtu-
dia uigerunt. nam, poſtea quam, imperio omnium gentium
conſtituto, diuturnitas pacis otium confirmauit; nemo
fere laudis cupidus adoleſcens non ſibi ad dicendum ſtudio
omni enitendum putauit. Ac primo quidem totius ratio
nis ignari, qui neque exercitationis ullam uiam, neque ali
quod praeceptum artis eſſe arbitrentur, tantum, quan-
tum ingenio, & cogitatione poterant, conſequebantur.
poſt autem, auditis oratoribus Graecis, cognitisq. eo-
rum litteris, adhibitisq. doctoribus, incredibili quodam
noſtri homines dicendi ſtudio flagrauerunt. excitabat
eos magnitudo, & uarietas, multitudoq. in omni genere
cauſsarum; ut ad eam doctrinam, quam ſuo quiſque ſtudio
conſecutus eſſet, adiungeretur uſus frequens, qui omnium
magiſtrorum praecepta ſuperaret. Erant autem huic ſtu
dio maxima, quae nunc quoque ſunt, propoſita prae-
mia, uel ad gratiam, uel ad opes, uel ad dignitatem. inge-
nia uero, ut multis rebus poſſumus iudicare, noſtrorum
hominum multum ceteris hominibns omnium gentium
praeſtiterunt. Quibus de cauſſis, quis non iure mire-
tur, ex omni memoria aetatum, temporum, ciuitatum,
exiguum oratorum numerum inueniri? Sed nimirum ma
ius eſt hoc quiddam, quam homines opinantur, & plu-
ribus ex artibus, ſtudiisq. collectum. Quis enim aliud in
maxima diſcentium multitudine, ſumma magiſtrorum co
pia, praeſtantiſſimis hominum ingeniis, infinita cauſſa-
rum uarietate, ampliſſimis eloquentiae propoſitis prae-
miis, eſſe cauſſae putet, niſi rei quandam incredibilem ma
gnitudinem, ac difficultatem? Eſt enim & ſcientia com-
prehendenda rerum plurimarum, ſine qua uerborum uo-
lubilitas inanis, atque irridenda eſt: & ipſa oratio confor
manda non ſolum electione, ſed etiam conſtructione uer-
borum: & omnes animorum motus, quos hominum gene-
ri rerum natura tribuit, penitus pernoſcendi; quod omnis
uis, ratioq. dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus, aut ſe
dandis, aut excitandis exprimenda eſt. Accedat eodem
oportet lepos quidam, facetiaeque, & eruditio libero di-
gna, celeritasque, & breuitas & reſpondendi, & la-
ceſſendi, ſubtili uenuſtate, atque urbanitate coniun-
cta. Tenenda praeterea eſt omnis antiquitas, exemplo-
rumq. uis. Neque legum, aut iuris ciuilis ſcientia negligen
da. Nam, quid ego de actione ipſa plura dicam? quae mo-
tu corporis, quae geſtu, quae uultu, quae uocis conforma
tione, ac uarietate moderāda eſt. quae ſola per ſe ipſa quā-
ta ſit, hiſtrionū leuis ars, & ſcena declarat: in qua cū om
nes in oris, & uocis, & motus moderatione laborarent;
quis ignorat, quam pauci ſint, fuerintque, quos animo ae-
quo ſpectare poſsimus? Quid dicam de theſauro rerum
omnium memoria? que niſi cuſtos inuentis, cogitatisq. re
bus, & uerbis adhibeatur; intelligimus omnia, etiam ſi
praeclariſsima fuerint, in oratore peritura, Quamobrem
mirari deſinamus, quae cauſſa ſit eloquentium paucita-
tis; cum ex illis rebus uniuerſis eloquentia conſtet, qui-
bus in ſingulis elaborare permagnum eſt: hortemurq. po
tius liberos noſtros, ceterosque, quorum gloria nobis, &
dignitas cara eſt, ut animo rei magnitudinem complectan
tur; neque iis aut praeceptis, aut magiſtris, aut exercita-
tionibus, quibus utuntur omnes, ſed aliis quibuſdam ſe id,
quod expetunt, conſequi poſſe confidant. Ac mea quidem
ſententia nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator,
niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiā
conſecutus. etenim ex rerum cognitione efflorescat, & re
dundet oportet oratio: quae, niſi ſubeſt res ab oratore per-
cepta, & cognita, inanem quandam habet elocutionem,
& paene puerilem. neque uero ego hoc tantum oneris
imponam, noſtris praeſertim oratoribus in hac tanta oc
cupatione urbi, ac uitae, uihil ut iis putem licere ne-
ſcire. quamquam uis oratoris, profeſſioq. ipſa bene dicen-
di hoc ſuſcipere, ac polliceri uidetur; ut omni de re,
quaecumque ſit propoſita, ab eo ornate, copioſeq. dica-
tur. ſed, quia non dubito, quin hoc pleriſque immenſum,
infinitumq. uideatur; & quod Graecos homines, non ſo-
lum ingenio, & doctrina, ſed etiam otio, ſtudioq. abun-
dantes, partitionem quādam artium feciße uideo, neque in
uniuerſo genere ſingulos elaboraſſe, ſed ſepoſuiſſe a ceteris
dictionibus eam partem dicendi, quae in forenſibus diſce-
ptationibus iudiciorum, aut deliberationum uerſaretur,
& id unum genus oratori reliquiſſe: non complectar in his

libris

libris amplius, quam quod huic generi, re quaeſita, & multum diſputata, ſummorum hominum prope conſenſu eſt tributum: repetamq., non ab incunabulis noſtrae ueteris, puerilisq. doctrinae quendam ordinem praeceptorum, ſed ea, quae quondam accepi in noſtrorum hominum eloquentiſſimorum, & omni dignitate principum, diſputatione eſſe uerſata: non quo illa comtemnam, quae Graeci dicendi artifices, & doctores reliquerunt: ſed, cum illā pateant, in promptuq. ſint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi poſſint; dabis hanc ueniam, mi frater, ut opinor, ut eorum, quibus ſumma dicendi laus a noſtris hominibus conceſſa eſt, auctoritatem Graecis anteponam.

EXPLANATIO

COGITANTI *mihi*] Exordium hoc caſus Ciceronis praefatur, & cauſſas huius inſtitutae ſcriptionis, & eloquentiae magnitudinem & difficultatem: tandemq. innuit doctiſsimis hominibus Romanis locū fore in proximo dialogo: Cicero igitur commemorat primum ſuam in repub. aduerſam fortunam, ſyllogiſmus eſt ſimplex ſecundi generis.

Ciues in republica beati poſt adeptam rerum geſtarum gloriam aut in negotio tuto, aut in otio honeſto uiuunt:

Cicero perfunctus magna cum gloria honoribus publicis nec in negotio tuto, nec in otio honeſto uiuere potuit:

Cicero igitur perfunctus honoribus reipublicae, ciuis beatus non fuit.

Propoſitio praecedit, in qua duae ſpecies beatitudinis comprehenduntur, una in negotio & actione, altera in otio & contemplatione rerum: ſed Cicero neutram probat, ſi uel actioni periculum, uel otio & contemplationi ignobilitas & obſcuritas uitae adiuncta fuerit: quae ſententia eſt Ariſtotelis, qui in Ethicis uirum bonum, licet omni uirtute praeditum, ſi inciderit in calamitates Priami, aut dignitate uitae careat, beatum eſſe nō putat. AC *fuit tempus*] Prima pars aſſumptionis declaratur a repugnantibus.

Cicero communibus & priuatis temporum ſuorum moleſtiis & tempeſtatibus iactatus fuit:

In negotijs igitur publicis ſine periculo uerſatus non eſt.

DECVRSV *honorum*] Allegoria ducitur a ludis Circenſibus, in quibus aurigae currum ad metam flectūt, ne illic offendant: & decurſo ſpatio conſiſtunt. Redditio ſimilitudinis duplex intelligitur, una de honoris decurſu, altera de aetatis flexu: quaſi Cicero per omnes honorum gradus ad ingraueſcentis, & ad ſenectutem ſeſe inflectentis aetatis otium cum dignitate coniunctum peruenire contenderit: quo tamen beatitudinis fructu ipſe priuatus fuit. NEQVE *uero*] Secunda pars aſſumptionis de tranquillo otio, & ſtudio litterarum, quo Cicero caruit, illuſtratur enumeratione partium uitae, in quibus tranquillum nihil habuit: Cicero enim circa annum aetatis ſuae uiceſimum quinctum ſub Sulla ſtipendia meruit, quo tempore tanta fuit perturbatio ueteris diſciplinae, ut ſalus & dignitas reipub. in perpetuum ſublata uideretur: & incidit in maximos motus, quos repreſsit orationibus de lege agraria, de liberis proſcriptorum, & aduerſus Catilinam: & poſt conſulatum, cum inimicitias cum Caeſare, Vatinio, Clodio gereret, Clodiana factione uictus, & in exſuliū pulſus eſt. SED *tamen*] Omiſſa ſyllogiſmi concluſione, captatur occaſio commentationis oratoriae, cum ab otio, quod Cicero ſuffuratur, tum ab auctoritate Quincti fratris, a quo imitatur ad ſcribendum. AC *mihi*] Generalis eſt propoſitio totius diſputationis, & dialogi de oratore: Repetenda eſt (inquit) recordatio rei quondam perceptae & auditae, non ſatis explicata & approbata, ſed inter doctiſsimos homines Craſſum & Antonium controuerſa, & addubitata de ratione dicendi. VIS *enim*] Argumentum Q. fratris ſumitur ex diſsimili factorum collatione, Cicero olim adoleſcentulus rudes cōmentarios de ratione dicēdi edidit, uix iam Ciceronis fama & celebritate ſatis dignos: Nunc igitur operaepretium eſt, ut ipſe aetate & doctrina & rernm uſu iudicioq. prouectus, politos magis, & eruditos proferat. Rudes illi & pueriles commentarij ſunt duo libri de Rhetorica inuentione, quibus uelut magiſtrorum ſuorum dictata complexus eſt, ideoq. culpari, tāquam falſa praecipiat, non poteſt, ut ait Fabius libro 3. His autem libros de oratore ſubſtituit, omnium ſane (ſi dictionis elegantiam ſpectes) magnificentiſsimos & ornatiſsimos, in quibus, ut Phidias in Ioue Olympio ſumme elaborauit, ſic orator ipſe quidquid habuit eloquentiae & humanitatis, exprimere uoluit: de quibus quid ipſe ſentiat, in epiſtolis ita ſcribit libro 13. ad Atticum. Sunt etiam de oratore noſtri tres mihi uehementer probati: in eis quoque hae perſonae ſunt, ut mihi tacendum fuerit: Craſſus enim loquitur, Antonius, Catulus ſenex, C. Iulius frater Catuli, Cotta, Sulpicius: puero me hic ſermo inducitur, ut nullae eſſe poſsint partes meae. Item libro 4. ad Atticum: De libris oratoriis factum eſt a me diligenter: diu multumq. in manibus fuerunt: deſcribas licet. Et ad Lētulum libro epiſtolarum familiarum primo: Scripſi etiam Academico more, quemadmodum quidem uolui tres libros in diſputatione & dialogo de oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim a communibus praeceptis, & omnem antiquorum & Ariſtotelicam & Iſocraticam rationem oratoriam complectuntur. SOLESQVE *nonnumquam*] Primus dialogus de oratore diuiditur in duas quaeſtiones de duplici oratoris definitione: Craſſus enim perſonam M. Ciceronis ſuſtinebit, & oratorem perfectum omnibus magnis artibus definiet. Scaeuola & Antonius, qui defendent partes Q. Ciceronis, non tantam artiū perfectionem tribuent oratori, ſed communem quandam prudentiam, & exercitationem in ciuilibus cauſsis: ſed tamen neque illo, neque hoc modo recte definietur orator, ut opportune in ſingulis capitibus oſtēdemus. AC *mihi quidem*] Cicero reliqua parte prooemij explicat ſuam ſententiam de oratore, & eloquentia per-

fecta,ſicut fecit in oratore perfecto,& in perſona Craſsi facturus eſt in his dialogis: utiturq. gradatione quaeſtionum & argumentorum:Pauciores homines eloquentia,quam reliquis artibus floruerunt,quia eloquentia difficilis eſt:eloquentia autem difficilis eſt,quia multis rebus & artibus conſtat. Nos uero cauſſam paucitatis huius ad homines referre debemus,qui olim magis alijs ſtudijs,quam forenſibus litibus dediti eſſent, non ad eloquentiae forenſis difficultatem,quia ſi in ceteris artibus talem perfectionem fingere uolumus,qualem Cicero in eloquentia comminiſcitur,tam difficile eſt inuenire poetam perfectum,aut philoſophum perfectum,aut imperatorem perfectum,quam oratorem:praeſertim cum ſinguli hac commenticia definiendi ratione ἐγκυκλοπαιδείαν omnium artium ad perfectionem ſuae laudis requirant. Cum igitur Cicero perfectos imperatores, perfectos poetas,perfectos philoſophos multos,oratores autem perfectos paucos admodum fuiſſe dicat,ego profecto,ſiquis me cauſſam rogaret ita reſponderem, priſcis temporibus plures homines alijs artibus, quam eloquentiae forēſi,ſtuduiſſe:& iccirco plures poetica,aut philoſophica,aut imperatoria laude praeſtitiſſe, quā forenſi & oratoria. QVID *eſſe*] Prima quaeſtio (quod pauci quidem oratores,multi uero in ceteris artibus excellentes fuerunt) diſputatur ex loco diſtributionis,per genera quaedam artium,ut militaris,philoſophicae, ciuilis,mathematicae,muſicae,grammaticae,poeticae. QVIS *enim eſt*] Primus diuiſionis locus eſt de militari ſcientia, ubi multitudo imperatorum Romanorum confertur cum excellentium oratorum paucitate. IAM *uero*] Secundus locus eſt de ciuili ſcientia,quae uerſatur in adminiſtratione reip.ubi ſimiliter numerus bonorum oratorum uincitur a numero excellentium rectorum & principum. CVM *boni*] In Bruto licet multos oratores Cicero laudauerit,partim ut hortaretur ſuos ad eloquentiae ſtudium, partim etiā quod ſuos amaret,tamen ad extremum illius dialogi concludit uix ſingulis aetatibus binos oratores laudabiles exſtitiſſe. AC *ne quid*] Tranſit a duabus reipu. diſciplinis ad reconditiores,quae uocantur liberales & ingenuae,quarum praecepta continent abſtruſam ſcientiam,& a communi ſenſu uulgi remotam:Tertio igitur loco philoſophi excellentes comparantur cum oratoribus, ut multi cum paucis. NEQVE *enim*] Philoſophiam uocat laudandarum artium procreatricem, quia philoſophi artes & diſciplinas ingenuas inuenerunt, & in lucem protulerunt,ut de academicis ait,libro de finibus.5.Ex eorum ſcriptis & inſtitutis cum omnis doctrina liberalis,omnis hiſtoria,omnis ſermo elegans ſumi poteſt,tum uarietas artium tanta eſt, ut nemo ſine eo inſtrumēto ad ullam rem illuſtriorem ſatis ornatus poſsit accedere:ab his oratores,ab his imperatores,ac rerumpublicarum rectores exſtiterunt:&,ut ad maiora ueniam,mathematici,poetae,muſici,medici denique ex hac tamquā omnium artium officina profecti ſunt. QVIS *ignorat*,] Quartus locus eſt de mathematicis artibus, Arithmetica,Geometria,Aſtrologia, quae primae perdiu & ſolae artes fuerunt ab Hebraeis primum inuētae & celebratae,deinde ab Aegyptijs & Graecis,his praeſertim, qui Pythagorei & phyſici dicebantur, uſque ad tempora Socratis. QVIS *muſicis*,] Quinctus locus de muſica & grammatica ſequitur, quarum artium Cicero infinitam uim & materiam eſſe dicit,quia in muſicis infinita genera ſonorum gignuntur, & in grammaticis infinita genera animaduerſionum ſunt circa ἀναλογίαν,& Phraſim uerborum,quae infinite uariantur. VERE *mihi*] Sextus locus de poetis illuſtratur collatione minorum:pauci fuerunt excellentes poetae,at pauciores longe fuerunt oratores. QVOD *hoc*] Auget admirationem paucitatis a diſsimilibus, quod multae artes obſcurae ſint,eloquentia uero tota popularis:uerum talis diſtinctio ad eloquentiam forenſem accōmodanda eſt,quae uerbis & ſententijs popularibus diſputat ciuiles controuerſias,non ad generalem, quae nō ſolum ciuilibus cauſsis,ſed omnibus artibus & diſputationibus elegantiam communiter impertit, qua uera & germana ſignificatione hiſtorici,poetae,philoſophi,qui ornate ſcribūt,oratores appellantur, & Academici ueteres,qui philoſophiam de moribus & rebus occultis ornate & copioſe tractarunt,tam uere nomen & laudem oratoris ſuſtinent, quam causſidici & actores litium forenſium.Itaque,ſi propriam & legitimam eloquentiae notionem ſequamur, haec diſsimilitudo minime quadrabit, quia Plato,cum in Timaeo de rebus obſcuris, & ab intelligentia communi remotis eleganter & ornate ſcribit, non minus orator & eloquens appellandus eſt, quam Demoſthenes,cum agit cauſſam Cteſiphontis. AC *ne illud*] Prolepſis eſt de tribus cauſsis, quibus oratorū paucitas excuſari poſsit,quod aut ſtudium,aut delectatio,aut praemia eloquētiae defuerint,& propterea hanc artem pauci homines ſecuti fuerint,tamquam iniucundam & infructuoſam:ſed harum cauſſarum prima & ſecūda confutantur exemplis Athenienſium & Romanorum. Quod autem ait Athenas fuiſſe omnium doctrinarum inuentrices,ex omnium:ſuorum opinione loquitur, qui propter ignorationem uetuſtatis exiſtimabant Athenis omnes artes & diſciplinas natas fuiſſe, quia illic docerentur: cum tamen ueteres annales loquantur,Chaldaeos,Hebraeos,Aegyptios primos artium inuentores fuiſſe, a quibus Graeci omnem ſuam ſapientiam acceperunt. AC *primo quidem*] Illuſtrat ſtudij rationem tribus eloquentiae cauſſis, natura, doctrina, & exercitatione:quarū nulla Romanis adoleſcētibus defuit,qui conſtituto Romano imperio aciē ingeniorum ſuorum ab externis armis ad domeſticas lites conuerterunt,& adhibitis Graecis doctoribus,artem litigandi,id eſt,eloquentiam forenſem ſtudioſe didicerunt:& qui in ſole & puluere contra hoſtem gladiis & telis pugnabāt,parto otio nouum genus certaminis in foro & ſenatu lingua & uerbis inſtituerunt. QVI *neque*] Suetonius Rhetoricā non ſolum Romae ſero receptam eſſe,ſed aliquando prohibitam exerceri ſcribit,ut Strabone & Meſſala conſulibus,& Licinio Craſſo cenſore,qui edicto ſuo Rhetoras expulit:poſtea uero & ipſa utilis honeſtaq. apparuit,& pleriq. eam praeſidij & gloriae cauſſa appetiuerunt. ERANT *autem*] Partitur mercedem ſtudijs eloquentiae propoſitam in tria quaſi genera,gratiam,opes,dignitatem, de quibus lege Ciceronem libro ſecundo de Officijs. QVIBVS *de cauſſis*] Epiphonema eſt ad augendam admirationē tantae paucitatis,& ſolutio primae quaeſtionis, Cur tam pauci fuerūt oratores? quia eloquentia res eſt difficilis: quod approbatur epilogo ſuperiorum argumentorum. EST *enim*] Eloquentiae difficultas item intelligi poteſt

ex his

ex his partibus,ex quibus Cicero eam conſtare putat.Verum ut ſententia Ciceronis qualis ſit,diligentius animaduertatnr orationem de natura & perfectione eloquentiae paullo altius repetamus:Omnes artes ſuis & propriis praeceptis tradi debent,ſic,ut uitioſiſsimum ſit quidquam ulla in arte ex aliis artibus confundere & permiſcere:atque ut grammaticae nil praeter etymologiam,orthographiam,ſyntaxin,proſodiam tribuitur, quia hae ſolae eius artis partes & uirtutes ſunt: ſic eloquentia nihil ſibi praeter elocutionem & actionem uindicare debet,quia in his ſolis omnibus ornatus & dignitas orationis uerſatur: eloquentiae autem nomine rhetores duas ſignificationes conturbant,alias prudentiam quandam in ciuilibus cauſsis ornate & copioſe tractandis intelligunt,quae quidem una,& ſpecialis ars & a ceteris diſtincta non eſt, ſed ex multis artibus conflata,Grammaticis,Rhetoricis,Phyſicis,Dialecticis,Ethicis,& reliquis,quae ſi partes eſſent eloquentiae illius ciuilis, aequum erat,ut in Rhetorum praeceptis omnes traderentur:quod tamen non faciunt:& iccirco ciuilis huius eloquentiae perfectam artem non tradunt:alias eloquentiam definiunt,quaſi ſingularem artem,& a ceteris diſtinctam, cui partes quinque ſubiiciunt,Inuentionem, Diſpoſitionem,Elocutionem,Memoriam, & Actionē:ubi dialecticam,cuius propriae partes ſunt Inuentio,Diſpoſitio,& Memoria,non ſolum alieno loco cum Rhetorica cōfundunt,ſed praeceptis etiam non ſatis idoneis inſtituunt,ut in partibus ipſis diſputabitur. Eloquentiae igitur uera propriaq. doctrina cum in elocutione & actione tota ſit, eius quoque perfectio in his partibus tota erit: perfectio enim & finis artium ex ipſarum artium uirtute eſt,non ex rebus alienis extrinſecus dependet:itaque perfectus erit orator,qui ſuae artis,id eſt,elocutionis & actionis uim conſecutus erit, qui etiam ſi reliquas artes teneat, homo quidem multis uirtutibus inſtructior erit, perfectior orator non erit. Qvamobrem *mirari*] Generalis eſt concluſio propoſitae quaeſtionis,ubi denuo difficultas eloquentiae augetur a diſsimilibus: quod non puerilibus Rhetorum praeceptis & exercitationibus, ſed multis arduis rebus comparatur: ut doctrina plurimarum artium,elocutione in uerbis ſingulis & coniunctis,ratione mouendorum affectuum,facetiis,hiſtoria,iuris ciuilis ſcientia,actione,memoria:quae omnia quin homini politico,& ei quidem homini, qui ſit in reip.conſilio linguaq. princeps,neceſſaria eſſe dicantur, non impedio:ſinautem eloquentiae partes fecerimus,ſicuti Cicero facit,uidendum eſt,ne plus eloquentiae tribuamus, quam artis eius & diſciplinae natura ferre poſsit,& oratorem ridiculum informemus non modo ſuis & propriis, ſed multo magis alienis pennis (inſtar Horatianae cornicis) indutum & coloratum:nam de tam multis plumis duae tantum ſunt oratoris propriae,Elocutio,& Actio:reliquas orator ementitur ſuas:denique tam abſurdum eſſe iudico,hiſtoriam,philoſophiam,iuris ciuilis ſcientiam,membra Rhetoricae artis appellare,quam Grammaticae. Ac *mea quidem*] Haec ſententia Ciceronis plenius in hoc libro explicatur in dialogo & oratione L. Craſsi. Statuit igitur ad perfectionem oratoris neceſſariam eſſe rerum ſcientiam,quod ſine hac elocutio ridicula ſit.Quo tamen argumēto non cōcludit rerum ſcientiam magis eloquentiae propriam eſſe,quam eloquentā ſcientiae rerum: ut enim elocutio ſine rerum ſcientia irridetur,ſic rerum ſcientia ſine elocutione. Neqve *uero*] Prolepſis eſt contra proximam oratoris informationem, Infinitum eſt omnia uelle ſcire,& Graeci Rhetores eloquentiam tantum in ciuili materia poſuerunt:cui ita reſpondet,ut proponat rationem futuri ſermonis, quem fingit olim a doctiſsimis hominibus habitum de oratore,atque ita ſub alienis perſonis de opere ſuo promittit,illud uidelicet fore praeſtantiſsimum,& Graecorum ſcriptis & praeceptis multo excellentius. quaſi Cicero tacite quidē, ſed ita tamen,ut facile intelligas,glorietur ſe ut dicendi, ita ſcribendi & diſputandi palmam ſcriptoribus Graecis auferre. Sed *ſepoſuiſſe*] Pulſis e Sicilia tyrannis,ut ait Cicero in Bruto, cum ſinguli iudicio res ſuas repeterent, Tyſias & Corax artem litigandi uerius quam bene dicendi docere coeperunt,quam Rhetoricam nomine quidem parum apto & idoneo uocarunt, eamq. totam poſuerunt in tractandis ciuilibus cauſsis: cum tamen generalior ſit Rhetorica uere, & legitime tradita: quam primam uiam quamuis diſtortam, & plenam erroris Ariſtoteles & poſteri in Rhetoricis libris ſecuti ſunt,unde uitioſa eloquentiae deſcriptio nata eſt,& artium in hac una arte uaria confuſio.

PAVLLVS. MANVTIVS. Qvis *muſicis &c.*] pro,Arti muſicae. ſic enim ueteres liberius loquebantur,quod multorum obſeruatione locorum intelligere potuerim. infra. Omnia fere, quae ſunt concluſa nunc artibus,diſperſa,& diſsipata quondam fuerunt:ut in muſicis,numeri,& uoces,& modi;in geometria lineamenta,formae,interualla.Et ad Atticum ep.17.lib.4.Ex quibus nullos puto te litteris,aut muſicis eruditos exſpectare.Tuſc.5.Muſicorum perſtudioſum accepimus Dionyſium,tragicum etiam poetā. Terentius in Eun.Fac periculū in muſicis.ſic,in grāmaticis,pro in arte grammatica infra. Ervditio *libero digna*] ne quis hic putet eruditionis nomine,ut alibi,doctrinam ſignificari:nā eam inter illa,quae ſunt oratori neceſſaria,primo loco poſuit,ſic inquiens:Scientia comprehendenda rerū plurimarū,ſine qua uerborum uolubilitas inanis,atquue irridenda eſt. Eruditio igitur ualet, hoc quidem in loco, prōpta quaedam, & expedita minime hebetis ingenii uis;qua qui carent,rudes appellantur,nec ita uidentur inſtituti,ut liberos decet: propterea dixit Cicero, Eruditio libero digna.nam,qui liberaliter inſtituti non ſunt,uel facetias ignorant prorſus,uel ijs ita abutuntur,ut in ſcurrilitatem prolabantur.poteſt igitur eſſe eruditio ſine doctrina, ſine eruditione uero doctrina non poteſt.&,ut diſsimilitudo intelligatur,coniunguntur interdum,ut Tuſc.2.de offi.lib. 1.& in hoc libro infra,Doctus,atque eruditus. Percepta, *& cognita,*] haec Cicero ſolet coniungere, ordine mutato: quaſi poſſet aliquid percipi,non cognoſci; aut cognoſci,non percipi. infra. Quo facilius,inquit,percipi,cognoſciq. ius ciuile poſsit. contra uero. Ad ſtudium cognoſcendae, percipiendaeq. uirtutis. & lib. 2. Nihil mihi uidetur in Craſsi,& Antonii ſermone eſſe praeteritum,quod quiſquam a ſummis ingenijs, acerrimis ſtudiis,optima doctrina,maximo uſu cognoſci,ac percipi potuiſſe arbitraretur.Et lib.1.Acad.Cognitioni & perceptioni praecurrere aſſertionem,approbationemq. turpe eſt.

CICERO

Cvm igitur uehementius inueheretur in cauſſam principum conſul Philippus; Druſiq. tribunatus, pro ſenatus auctoritate ſuſceptus, infringi iam, ac debilitari uideretur: dici memini, ludorum Romanorum diebus L. Craſſum, quaſi colligendi ſui cauſſa, ſe in Tuſculanum contuliſſe. ueniſſe eodem, ſocer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur, & M. Antonius, homo & conſiliorum in reip. ſocius, & ſumma cum Braßo familiaritate coniunctus. exierant autem cum ipſo Craßo adoleſcentes, & Druſi maxime familiares, & in quibus magnam tum ſpem maiores natu dignitatis ſuae collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum pl. petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur. hi primo die de temporibus illis, deq. uniuerſa rep. quam ob cauſſam uenerant, multum inter ſe uſque ad extremum tempus diei collocuti ſunt. quo quidem in ſermone multa diuinitus a tribus illis conſularibus Cotta & commemorata, & deplorata narrabat: ut nihil incidiſſet poſtea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto ante uidiſſent. eo autem omni ſermone confecto, tantam in Craſſo humanitatem fuiße, ut, cum lauti accubuiſſent, tolleretur omnis illa ſuperioris triſtitia ſermonis, eaq. eſſet in homine iucunditas, & tantus in iocãdo lepos, ut dies inter eos curiae fuiſſe uideretur, conuiuium Tuſculani. Poſtero autem die, cum illi maiores natu ſatis quieſſent, in ambulationem uentum eſſe dicebat: tum Scaeuola, duobus ſpatiis, tribus ue factis, dixiße, Cur non imitamur, Craſſe, Socratem illum, qui eſt in Phaedro Platonis? nam me haec tua platanus admonuit; quae non minus ad opacandum hunc locum patulis eſt diffuſa ramis, quam illa, cuius umbram ſecutus eſt Socrates: quae mihi uidetur non tã ipſa aquula, quae deſcribitur, quam Platonis oratione creuiſſe. &, quod ille duriſſimis pedibus fecit, ut ſe abiiceret in herba, atque ita illa, quae philoſophi diuinitus ferunt eſſe dicta, loqueretur; id meis pedibus certe concedi eſt aequius.

Tum Craſſum: Immo uero commodius etiam: puluinosq. popoſciſſe, & omnes in iis ſedibus, quae erant ſub platano, conſediſſe dicebat. Ibi, ut ex priſtino ſermone relaxarentur animi omnium, ſolebat Cotta narrare, Craſſum ſermonẽ quendam de ſtudio dicendi intuliſſe. qui cum ita eßet exorſus: non ſibi cohortandum Sulpicium, & Cottam, ſed magis utrumque collaudandum uideri, quod tantã iam eßent facultatem adepti, ut non aequalibus ſuis ſolum anteponerentur, ſed cum maioribus natu compararentur: Neque uero mihi quidquã, inquit, praeſtabilibus uidetur, quam poſſe dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, uoluntates impellere, quo uelis; unde autem uelis, deducere. haec una res in omni libero populo, maximeq. in pacatis, tranquillisq. ciuitatibus praecipue ſemper floruit, ſemperq. dominata eſt. quid enim eſt aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominũ exſiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, uel ſolus, uel cum paucis facere poſſit; aut tam iucundum cognitu, atque auditu, quam ſapientiſſimis ſententiis, grauiſſimisq. uerbis ornata oratio, & perpolita; aut tam potens, tamq. magnificum, quam populi motus, iudicum religionem, ſenatus grauitatem unius oratione conuerti? quid tam porro regium, tam liberale, tam magnificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? quid autem tam neceſſarium, quam tenere ſemper arma, quibus uel tectus ipſe eſſe poſſis, uel prouocare improbos, uel te ulciſci laceſſitus? Age uero, ne ſemper forum, ſubſellia, Roſtram, curiamq. mediteris; quid eſſe poteſt in otio aut iucundius, aut magis proprium hamanitatis, quam ſermo facetus, ac nulla in re rudis? hoc enim uno praeſtamus uel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus. Quamobrẽ quis hoc non iure miretur, ſummeq. in eo laborandum eſſe arbitretur, ut, quo uno homines maxime beſtiis praeſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat? Vt uero iam ad illa ſumma ueniamus; quae uis alia potuit aut diſperſos homines unum in locum congregare; aut a fera, agreſtiq. uita ad hunc humanum cultum, ciuilemq. deducere; aut iam conſtitutis ciuitatibus leges, iudicia, iura deſcribere? Ac, ne plura, quae ſunt paene innumerabilia, conſectecter, comprehendam breui. ſic enim ſtatuo, perfecti oratoris moderatione, & ſapientia non ſolum ipſius dignitatem, ſed & priuatorum plurimorum, & uniuerſae reip. ſalutem maxime contineri. Qumaobrem pergite, ut facitis, adoleſcentes, atque in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite: ut & nobis honori, & amicis utilitati, & reip. emolumento eße poſſitis. Tum Scaeuola comiter, ut ſolebat, Cetera, inquit, aſſentior Craſſo, ne aut de C. Laelii ſoceri mei, aut de huius generi, aut arte, aut gloria detraham: ſed illa duo, Craſſe, uereor ut tibi poſſim concedere, unum, quod ab oratoribus ciuitates, & ab initio conſtitutas, & ſaepe conſeruatas eße dixiſti: alterum, quod, remoto foro, concione, iudiciis, ſenatu, ſtatuiſti oratorem in omni genere ſermonis, & humanitatis eſſe perfectum. Quis enim tibi hoc conceſſerit, aut initio genus hominum, in montibus, ac ſiluis diſſipatum, non prudentium conſiliis compulſum potius, quam diſertorum oratione delenitum, ſe opidis, moenibusq. ſaepſiſſe? aut uero reliquas utilitates aut inſtituendis, aut conſeruandis ciuitatibus, non a ſapientibus, & fortibus uiris, ſed a diſertis, & ornate dicentibus eſſe conſtitutas? An uero tibi Romulus ille aut paſtores. & conuenas congregaſſe, aut Sabinorum connubia coniunxiſſe, aut finitimorum uim repreſſiſſe eloquentia uidetur, non conſilio, & ſapientia ſingulari? Quid in Numa Pompilio? quid in Ser. Tullo? quid in ceteris regibus? quorum multa ſunt eximia ad conſtituendam rempub. num quod eloquentiae ueſtigium apparet? Quid exactis regibus? tametſi ipſam exactionem mente, non lingua perfectam L. Bruti eſſe cernimus. ſed deinceps omnia non ne plena conſiliorum, inania uerborum uidemus? Ego uero, ſi uelim & noſtrae ciuitatis exemplis uti, & aliarum, plura proferre poſſim detrimenta publicis rebus, quam adiumenta per homines eloquentiſſimos importata. ſed, ut reliqua praetermittam, omnium mihi uideor, exceptis, Craße, uobis duobus, eloquentiſſimos audiße, Ti. & C. Sempronios: quorum pater, homo prudens, & grauis, haudquaquam eloquens, & ſaepe alias, & maxime cenſor ſaluti reip. fuit. atq. is non accurata quadam orationis copia, ſed nutu, atque uerbo libertinos in urbanas tribus trãſtulit: quod niſi feciſſet, remp. quam nunc uix tenemus, iãdiu nullam haberemus. at uero eius filii, diſerti, & omnibus uel naturae, uel doctrinae praeſidiis ad dicendum parati, cum ciuitatem uel paterno conſilio, uel auitis armis florentiſſimam accepißent, iſta praeclara gubernatrice, ut ais, ciuitatum eloquentia remp. diſſipauerunt. Quid leges ueteres, mosq. maiorum? quid auſpicia, quibus & ego, &

tu,

tu, Craſſe, cum magna reip. ſalute praeſumus? quid religiones, & caerimoniae? quid haec iura ciuilia, quae iampridem in noſtra familia ſine ulla eloquentiae laude uerſantur? nam aut inuenta ſunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? Equidem & Ser. Galbam memoria teneo, diuinum hominem in dicendo, & M. Aemilium Porcinam, & C. ipſum Carbonem, quem tu adoleſcentulus perculiſti, ignarum legum, haeſitantem in maiorum inſtitutis, rudem in iure ciuili. & haec etas noſtra, praeter te, Craſſe, qui tuo magis ſtudio, quam proprio munere aliquo diſertorum, ius a nobis ciuile didiciſti, quod interdum pudeat, iuris ignara eſt. Quod uero in extrema oratione quaſi tuo iure ſumpſiſti, oratorem in omni ſermonis diſputatione copioſiſſime poſſe uerſari: id, niſi hic in tuo regno eſſemus, nõ tuliſſem; multisq. praeeſſem; qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu conſer tum uocarent, quod in alienas poſſeſſiones tam temere irruiſſes. Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes, atque Democritici, ceteriq. in ſuo genere phyſici, uindicarentq. ornati homines in dicendo, & graues; quibuſcum tibi iuſto ſacramento contendere non liceret. Vrgerent praeterea philoſophorum greges, iam ab illo fonte, & capite Socrate: nihil te de bonis rebus in uita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione uitae didiciſſe; nihil omnino quaeſiſſe, nihil ſcire conuincerent: & cum uniuerſi in te impetum feciſſent, tum ſingulae familiae litem tibi intenderent. Inſtaret Academia, quae, quidquid dixiſſes, id te ipſum negare cogeret. Stoici uero noſtri diſputationum ſuarum, atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam haec ipſa, quae propria oratorum putas eſſe adiumenta, atque ornamenta dicendi, ab ſe peti uincerent oportere: ac non ſolum meliora, ſed etiam multo plura Ariſtotelem, Theophraſtumq. de his rebus, quam omnes dicendi magiſtros, ſcripſiſſe oſtenderent. Miſſos facio mathematicos, grammaticos, muſicos, quorum artibus ueſtra iſta dicendi uis ne minima quidem ſocietate con iungitur. Quamobrem iſta tanta, tamq. multa profitenda, Craſſe, non cenſeo. ſatis id eſt magnum, quod potes praeſtare, ut in iudicijs ea cauſa, quamcumque tu dicis, melior, & probabilior eſſe uideatur: ut in concionibus, ut in ſententijs dicendis ad perſuadendum tua plurimum ualeat oratio: denique, ut prudentibus diſerte, ſtultis etiam uere dicere uidearis. hoc amplius ſi quid poteris, non id mihi uidebitur orator, ſed Craſſus ſua quadam propria non communi oratorum facultate poſſe.

EXPLANATIO

CVM *igitur*] Hactenus generale totius operis exordium fuit: deinceps ſequitur apparatus proximi dialogi ex occaſione perſonarum temporis, & loci: Craſſus enim cum familiaribus ſuis exit ex urbe recreandi animi gratia: & tempus fingitur uacuum a publicis negotiis: & Tuſculanum eligitur, locus quietus, & pacatus. PHILIPPVS] Lucius Marcius Philippus conſul fuit cum Iulio Caeſare anno urbis conditae 663, qui cum legem a Liuio Druſo trib. pl. pernicioſa largitione latam, ut iudicia penes ſenatum, & equeſtrem ordinem, ex qua parte eſſent, improbaret, inuectus eſt in concione populi Romani in cauſſam principum, dixitq. ſibi eſſe uidendum aliud conſilium, illo ſenatu remp. regere non poſſe, ut ait Cicero in prooemio libri tertij. LVDORVM *Romanorum*] Ludi Romani etiam Megalenſes dicti ſunt, id eſt, magnis diis conſecrati, & Scenici, & Circenſes, quos tum M. Marcellus faciebat, ut paullo poſt ait Craſſus. Cogebat me M. Marcellus hic noſter, qui nunc aedilis curulis eſt: & profecto niſi ludos nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet. HI *primo die*] Sermo primi diei fuit de rep. in quo laudatur prudentia trium perſonarum in proſpiciendis caſibus futuris: & eo perfecto ſermone laudatur etiam intercenandum urbanitas Craſsi. COTTA *deplorata*] quamuis C Cotta per equitum inuidiam depulſus tribunatu, & eiectus ciuitate fuerit, poſtea tamen rediit Romam, & geſsit conſulatum. Potuit igitur Cicero a Cotta de his ſermonibus inaudiſſe: uel certe (quod ueriſimilius eſt) Cicero id ipſum ad diſputationis huius dignitatem, & grauitatem confingit. POSTERO *autem die*,] Scaeuola ſecundo die ad imitationem Platonici Socratis locum oratorio ſermoni congruum deligit ſub platano, quae erat in hortis Craſsi: Socrates enim diſputaturus cum Phaedro exiit Athenis, ut trans Iliſſum fluuiũ aeſtiuam platani umbram ſequeretur: νὴ τὴν ἥραν γε καλὴ ἡ καταγωγὴ, ἥ τε γὰρ πλάτανος αὕτη μάλα ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλὴ, τοῦ τε ἄγνου τὸ ὕψος καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον, καὶ ὡς ἀκμὴν ἔχει τῆς ἄνθης, ὡς ἂν εὐωδέστατον παρέχοι τὸν τόπον, ἥ γε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ, μάλα ψυχροῦ ὕδατος, ὥσγε τῷ ποδὶ τεκμήρασθαι, νυμφῶν τεινῶν καὶ Ἀχελώου ἱερὸν, ἀπὸ τῶν κορῶν τε καὶ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἰδὲ, εἰδ᾽ αὖ βέλει τὸ εὔπνουν τοῦ τόπου ὡς ἀγαπητόν τε, καὶ σφόδρα ἡδὺ, θερινόν τε, καὶ λιγυρὸν ὑπηχεῖ τῷ τῶν τεττίγων χορῷ, πάντων δὲ κομψότατον τὸ τῆς πόας ὅτι ἐν ἠρέμα προσάντει ἱκανὴ πέφυκε κατακλινέντι τὴν κεφαλὴν παγκάλως ἔχειν, ὥστε ἄριστά σοι ἐξενάγης, ὦ φίλε Φαῖδρε. Per Iunonem quidem pulcherrimum diuerticulum: haec enim platanus eſt admodum patulis diffuſa ramis & procera, & altitudo uiticis, opacitaſq. perpulchra, & tamquam uigorem floris habet, adeo ut florentiſsimum locum efficiat: fons quoque gratiſsimus ſub platano fluit aquae ualde frigidae, ut ex tactu pedis licet coniicere, nymphiſq. nonnullis, & Acheloo ſacrum eſſe apparet ex puppis, & imaginibus. quod ſi uoluptate duceris, perflatus eſt locus, itaque & amabilis, & ualde ſuauis, aeſtiuuſq & canorus reſonat cicadarum choro, ſed omnium pulcherrimum eſt ipſa herba, quod ſenſim in accliui prato caput hominis molliter accumbentis parata ſit excipere, itaque abs te exceptus ſum, o amice Phaedre. Haec Socrates. Platanus autem ἀπὸ τοῦ πλάτεος, id eſt latitudine dicitur, quia late ſuos ſpargit ramos, cuius non eſt alia commendatio, quam quod aeſtate ſolem arceat, & hieme admittat, ut ait Plinius libri 12. cap. 1. SED *quod ille*] Scaeuola utitur collatione minorum, Socrates (ait) duriſsimus pedibus quaeſiuit herbam, ubi cum Phaedro quieſceret: quanto igitur aequius eſt nobis mollioribus, & delicatioribus herbam ſub pedibus concedi? Socrates (ut ait Gellius lib. 2.) ſtare ſolitus dicitur pertinaci ſtatu perdius, & pernox, a ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem inconniuens, immobilis, iiſdem in ueſtigiis, ore & oculis in eundem locum directis, cogitabundus

bundus tamquam quodam ſeceſſu mentis, atque animi facto a corpore. Non *ſibi cohortandum*] Primus L. Craſsi ſermo cohortationem continet ad eloquentiae ſtudium ex uariis eloquentiae laudibus, ubi eloquentiae nomine ciuilem quandam facultatem in cauſsis agendis intelligit, eloquentiam propriam, & ueram ex elocutione, & actione non diſtinguit, cuius laudes iſtae propriae non eſſent, ſed multarum artium, & uirtutum communes. nam, etſi excellens actor cauſſarum forenſium haec omnia efficit, quae L. Craſſus longa oratione proſequitur, non tamen ſola, & propria facultate eloquẽtiae efficit haec omnia, ſed multarum aliarum artium, & uirtutum muneribus, & officiis, quibus eſt ornatus: etenim uir ille politicus, quem Craſſus tam magnifice laudat, non ſolum eloquens eſt, ſed uir multarum praeterea artium peritus, multiſq. excellentibus animi uirtutibus inſtructus. Itaque quod dicendo tenet hominum coetus, quod populi, iudicum, ſenatus mentes oratione conuertit, quod dat ſalutem afflictis, quod diſperſos homines unum in locum congregat, & ad humanitatem inſtituit, id aſſequitur non ſola uerborum elegantia, & actionis dignitate, quae ſolae ſunt oratoris, & eloquentiae uirtutes propriae, ſed iuſtitia, prudentia, fortitudine, humanitate, auctoritate, & ſententiarũ, quae ex diuerſis artibus promuntur, grauitate, & pondere: praeterea etiam dialectica in inueniendis, & diſponendis rationibus ad cofirmandum, uel refellendum facultate, & ſcientia, quas tot artes, & uirtutes homini politico, qui uerſatur in magnis cauſsis, & negotiis, apprime utiles eſſe fateor, ſed tamen eos inſcienter facere contendo, qui laudes aliarum artium, & uirtutum in unam ſolam eloquentiam deriuant, & quod diſertus cauſsidicus multarum artium uiribus adiutus, in dicendo praeſtat, eum ſola eloquentiae ui, & facultate praeſtare, temere, & inconſiderate confirmant, nec ſatis animaduertunt, quid cuique arti proprie tribuendum ſit. quod perinde eſt, ac ſi quis uolens grammaticum laudare, dixerit hunc ferre opem multis, & connubia inſtituere: quorum tamen alterum humanitati, alterum beneuolentiae, caritatiq. tribuendum eſt, non arti & ſcientiae grammaticae. qua quidem ignoratione, & inſcitia diſtinguendi rerum genera, & proprietates, pleriq. homines ſaepe falſas, & alienas laudes tum perſonis, tum rebus ipſis affingunt. Neqve *uero*] Primus locus laudis ſumitur ex tribus officiis oratoris, id eſt hominis politici, & actoris cauſſarum ciuilium, quae ſunt docere, delectare, mouere in foro, & cauſſis ciuilibus. Haec *una res*] Secundus locus illuſtratur facultate excellentis oratoris, & orationis dignitate, in rebus & uerbis, & triplici genere auditorum, populi in roſtris, iudicum in foro, ſenatus in curia: quorum mentes, & animos eloquentia regit, & gubernat: exemplum potes ex Cicerone ſumere, qui nullam fere cauſſam, uel ad populum, uel ad iudices, uel in ſenatu egit, quin, quod uoluerit, dicendo & perſuadendo conſecutus fuerit. Qvid *tam porro*] Tertius locus ex officiis oratoris, per quaſdam ſpecies iuſtitiae diuiſis, & diſtinctis. Qvam *tenere*] Allegoria eſt a gladiis & armis militum, quibus eloquentia ciuilis comparatur: quia, quantum ualet in bello ferrum, ut ait Demetrius in Plutar. apoph. tantum ualet in rep. oratio: illic enim res uiribus geritur, hic perſuaſione: unde Pyrrhus dicebat Cyneam legatum plures urbes oratione ſubegiſſe, quam rex ipſe cepiſſet armis. Age *uero*] Deducit eloquentiae laudes a ciuilibus cauſsis, ad priuatum otium, ubi dicendi uirtus etiam elucet: quartus igitur locus amplificatur a circumſtantiis: Syllogiſmus eſt ſimplex primi generis:

Virtus, qua homines praeſtant beſtiis, diſcenda a nobis eſt, ut etiam reliquis hominibus antecellamus:
Eloquentia eſt uirtus, qua homines praeſtant beſtiis:
Eloquentia igitur eſt diſcenda a nobis, ut etiam reliquis hominibus antecellamus.

Vt *uero*] Quinctus locus ex aliis eloquentiae factis ducitur, quae ſunt, urbem condidiſſe, homines ad humanitatem inſtituiſſe, rempub. legibus ornaſſe, quae quidem eloquentiae propria non ſunt, ſed cum prudentia, & aliis artibus communia: & Cicero 5. Tuſc. laudes iſtas tribuit philoſophiae, ſicut Horatius poetis in arte poetica. Sic *enim ſtatuo*] Poſtremum argumentum ex adiunctis auctis collatione minorum. Tvm *Scaeuola*] Scaeuola ſenior primo loco inducitur aduerſus orationẽ Licinij Craſsi, qui magnifice eloquentiae uim laudauit: nec tamen omnibus laudationis argumentis reſiſtit, ſed tantum quarto & quincto, quod non orator debeat eſſe in omni genere eruditionis perfectus, nec ab oratore ciuitates conditae, & conſeruatae fuerint. ubi praepoſterus ordo ſeruatur, priusq. refellitur quinctum argumentum, & quartum poſterius. C. Laelii] C. Laelius, qui & ſapiens, & eloquens dictus, & habitus eſt, Laeliam filiam maiorem natu Q. Mucio Scaeuolae in matrimonium dedit,, isq. dicendi gloria floruit, ſicut Africanus bellica laude: uide Ciceronem in Bruto. Licinius autem Craſſus Liciniam filiam Scaeuolae uxorem duxit. Itaque Scaeuola gener C. Laelij, & ſocer Licinij Craſsi fuit. Qvis *enim tibi*] Quinctum argumentum L. Craſsi in tria quaſi membra diuiditur, quorum unum fuit de conditis, alterum de cõſeruatis per oratores ciuitatibus, tertium de legibus deſcriptis: quorum primum Scaeuola refellit a diſsimili cauſſa, quaſi prudentia, non eloquentia, ſummorum hominum conditae, & conſeruatae ciuitates fuerint: utraque tamen cauſſa huius effectus eſſe potuit, prudentiam dico, & eloquentiam. An *uero tibi*] Exempla ſunt de Romanis regibus, & L. Bruto primo conſule, illuſtrata diſsimilibus.

Veteres illi prudentia remp. conſtituerunt, & conſeruarunt:
Non igitur eloquentia.

huic iam argumento reſpondimus: exempla diſcutiamus. Romulus, interfecto Amulio auunculo ſuo, collectis paſtoribus, Romam condidit, & Aſylum conuenis patefecit: &, cum a finitimis coniugia negarentur, ſimulatis ludis conſualibus, uirgines, & mulieres, quae cõuenerant, rapi iuſsit, unde bella a finitimis illata ſunt, quae partim repreſsit, partim icto foedere pacauit. Numa Pompilius ſacra & caerimonias, quae ad religionem pertinerent, Romae primus inſtituit. Tullus Hoſtilius domuit Albanos, Ancus Martius amplificauit urbem, Tarquinius Priſcus ludos inſtituit, & ornamenta militiae reperit. Seruius Tullius populum diſtribuit in claſſes. Tarquinius Superbus fundamenta Capitolij iecit. Brutus primus conſul Tarquinios, ob illatum Lucretiae ſtu

prum,

prum, urbe, & regno expulit. de quibus omnibus lege Liuium Dec. primae lib. 1. & 2. Ego *uero*] Scaeuola item refellit ſeparatim ſecundum membrum quincti argumenti, de conſeruatione ciuitatis, ex factis oratorũ: quod ab his plura detrimenta publicis rebus importata ſint: quod probatur exemplis duorum Gracchorum, quib. diſsimile T. Gracchi patris exemplum praeponitur. T Gracchus ſine eloquentia reip. ſalutaris fuit: Tiberius & Caius Gracchi ſumma eloquentia praediti ſuadendis legibus agrariis, auctores ciuilis ſeditionis exſtiterunt: quod tamen eloquentiae uitium nõ magis eſt, quam eſſet gladij, ſi quis armatus gladio hominem interfeciſſe argueretur: Eloquentia enim eſt inſtrumentũ quoddã, quo bene & male quis uti poſsit. de Gracchorũ eloquentia, & ſeditionibus uide Plutarchum. Qvid *leges ueteres,*] Tertium argumentum quincti mẽbri de legũ deſcriptione refellitur itẽ a diſsimili, quod leges a prudentibus, non ab eloquentib. inuentae, & cognitae, & explicatae ſunt: idq Scaeuola declarat exẽplis oratorũ, Galbae, Aemilij, Carbonis, & aliorũ multorũ, qui ſummi oratores fuerunt ſine legum ſcientia: Sergius Galba grandis, & paene tragicus orator, fuit ingenio acri, & incitato, cuius tamen illa mẽs, quae uiua uoce ſpirabat, in ſcriptis elanguit: M. Aemilius Lepidus, qui eſt dictus Porcina, iiſdem temporib. fuit, quibus Galba, ſed paullo minor natu, & ſummus orator habitus eſt, & fuit (ut apparet ex eius orationibus) ſcriptor ſane bonus. Cn. Papirius Carbo aptus turbulentis concionibus, quem Craſſus admodũ adoleſcẽs accuſauit, unde ſummã ingenij nõ modo laudẽ, ſed etiã admirationẽ eſt cõſecutus. Qvod *uero*] Scaeuola confutat quartum argumentum Craſsi, quo ſtudebat oratorem in omni genere orationis eſſe perfectum, probatq. artes oratori ſubiectas non eſſe inductione facta per ſpecies. Philoſophia naturalis non eſt oratoris, neque Ethica, neque Mathematica, neque Muſica, neque Grammatica, eademq. eſt ratio de ceteris artibus: non igitur oratori reliquarum artium ſcientia ſubiecta eſt. qua in oratione Scaeuola iuris peritus allegoriam perpetuam, quae ſumitur ex formulis & uerbis iuris ciuilis, retinet: alluditq. ad improbos homines, qui temere in alienas poſſeſsiones irruunt, & his oratorem Craſsi comparat uelut illegitimum poſſeſſorem ſuperiorum artium. Avt *te ex iure*] In lite uindiciarum ex duobus litigantibus, alter alterum ad conſerendum manu in rem, de qua lis eſſet, uocabat, atque ſimul in agrum profecti, aliquid ex eo in ius ad paetorem deferebant, ut in duabus glebis tamquam in toto agro uindicarent. Cicero pro Murena ueterem formam manu conſerendi his uerbis expreſsit, Fundus, qui eſt in agro, qui Sabinus uocatur, meus eſt, eum meum eſſe aio, ibi te ego ex iure manu conſertum uoco: tum defenſor ait, Vnde tu me ex iure manu conſertum uocaſti, ibi te reuoco. Agerent *enim,*] Primus locus inductionis eſt de phyſicis antiquiſsimis, & primis philoſophis, qui in rerum naturalium inquiſitione & contemplatione uerſabantur, quorum duo genera fuerunt, unum Italicum, quod a Pythagora; alterum Ionicum, quod a Thalete duxit originem. de quibus uide Diogenem Laertium. Vrgerent *praeterea*] Secundus locus inductionis eſt de Ethicis philoſophis, quorum fons & caput eſſe dicitur Socrates, idq. metaphoricῶs, quia ex eo tamquam ex fonte aliquo Philoſophi plurimi defluxerunt, & ex eius philoſophia doctrinam ſuam hauſerunt: Socrates enim primum philoſophari coepit de uirtutibus & uitiis, cum ante eum Philoſophi cogitationes & uigilias in inquirendis cauſsis rerum naturalium ponerent. Stoici *uero*] Terius locus de Dialecticis, Academicis, & Stoicis, quorum utrique in ea parte philoſophiae, quae dialectica appellatur, maxime elaborarunt, & ſtudioſiſsime ſe ipſos exercuerunt. Mos autem academiae fuit aduerſari ſemper in diſputando, qui profectus a Socrate, repetitus ab Archeſila, confirmatus a Carneade, ad Cicerouis uſque uiguit aetatem. Stoici uero in diſputando ſubtiliſsimi, ad illaqueandum ſimplices & incautos homines, captioſiſsimũ genus argumentationis ſecuti ſunt, quem Soritem uocant, additis etiam ad uehementius & acrius urgendum interrogatiunculis minutis, quibus homines capiuntur, non ſecus atque ferae plagis & retibus implicatae. Peripatici *autem*] Quartus locus de Rhetorica arte falſo aſſumitur: non enim ſequitur ſi Philoſophi de Rhetorica arte praeceperint, ut ea praecepta philoſophiae propria ſint: Ariſtoteles, aemulus Iſocratis, pomeridianis horis artem oratoriam docuit, eamq. pluribus libris complexus eſt. Theophraſtus quoque Ariſtotelis diſcipulus de Rhetorica ſcripſit, atque hinc ſtudioſius philoſophi quam Rhetores, praecipueq. Stoicorum & Peripateticorum principes. Missos *facio*] Quinctus locus tres artes inducit, Mathematicam, Grammaticam, & Muſicam, quae ſunt ab oratoris artibus & exercitationibus remotiſsimae. Qvamobrem *iſta*] Scaeuola tandem concludit ſublatis de oratoris profeſsione tot artibus & diſciplinis, nullam eſſe oratoris propriam, niſi mediocrem quandam facultatem in tractandis cauſsis ciuilibus: quae quidem Scaeuolae ſententia eſt de homine politico, qui nunc nomine non proprio, ſed alieno orator appellatur, cui quidem multae aliae artes utiles ſunt: nulla tamen eſt eius propria, praeter hanc forenſem & ciuilem.

Epilogus diſputationis Scaeuolae.

Duo ſunt capita in refutatione Scaeuolae aduerſus Craſſum, unum de origine & inſtitutis ciuitatum, alterum de artibus oratoris: illud leuiter & Academice refutatum uidetur magis ad eliciendam ex Craſſo reſponſionem, quam ad aſſeuerationem certae alicuius ſententiae ad congregandum agreſtes homines unum in locum, & ſanciendas in ciuitate leges tam neceſſaria fuit eloquentia, quae uiua uoce alliceret, quam prudentia, quae, quod eſſet rectum & honeſtum, tacita mente cogitaret. Itaque potuit eadem uirtus eiuſdem rei cauſſa eſſe: hoc autem alterum recte & uere ceteras humanitatis artes ab eloquẽtia diſtinguit, ut Phyſicam, Ethicam, Mathematicam, Grammaticam, Muſicam: nam ſingulae ſuis propriis & finibus & praeceptis definiendae ſunt: ſed tamen ad extremum nimis anguſtam eloquentiae & oratoris circumſcriptionem Scaeuola facit in materiam ciuilium cauſſarum: ut enim Grammatica uitioſe definiretur ars recte & emendate in foro & in cauſsis ciuilibus loquendi, & Grammaticus uir peritus emendata oratione res ciuiles tractandi, quia facultas & uſus grammaticae multo latius paret, & in Mathematicis, Phyſicis, Ethicis, cunctisq. rebus, quae

puro,

puro & proprio ſermone explicantur, etiam cernitur: ita, qui oratorem ad ſolas controuerſias ciuiles adſtringit, multo anguſtioribus terminis, quam par ſit, concludit eloquentiam, quae debet eſſe tam generalis, quam grammatica.

PAVLLVS . MANVTIVS. LVDORVM *Romanorum diebus*] quos dabat aedilis curulis M. Marcellus: de quo ſic infra: Haec ego cum ipſis philoſophis tum Athenis diſſerebam. cogebat enim me M. Marcellus hic noſter, qui nunc aedilis cur. eſt: & profecto, niſi ludos nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet. Dabantur autem & Romani ludi, & Megalenſes ab aedilibus cur. ſcenici utrique, Romani in foro, menſe Septembri per dies nouem, a pridie non. ad pridie idus: quod ex uetere marmoreo lapide, in quo dierum ordo deſcriptus eſt, cognoſcitur. & Craſſus extremo ludorum Romanorum die Romam reuerſus, mane idibus Sept. in ſenatum uenit: quod infra, in prooemio lib. 3. ſcriptum eſt. ex quo liquet, ultimum ludorũ Romanorum diem fuiſſe pridie idus Sept. Megalenſes autem in Palatio dabantur Aprili menſe, per unũ diem, pridie idus, de quo ſic Liuius lib. 29. In aedem Victoriae, quae eſt in Palatio, pertulere deam pridie idus Apr. isq. dies feſtus fuit. populus frequens dona deae in Palatio tulit: lectiſterniumq. & ludi fuere, Megaleſia appellata. & Cicero in oratione de haruſp. reſp. cum ait, hos ludos ante templum in Palatio datos, de templo loquitur non ipſius Matris magnae, ſed Victoriae, cuius eſt in aede locatum ſimulacrum Matris magnae, e Phrygia aduectum. unum etiam Megalenſium diem ſignificat Cicero epiſtol. 11. ad Coelium, lib. 2. cum ait: Ipſa dies me admonebat: ſcripſi enim haec ipſis Megalenſibus. Quamquam fortaſſe licere non pridie idus, quo die ludos illos dari coeptos ex Liuio demonſtraui, ſed primum ludorum diem, id eſt pridie nonas, Cicero ſignificauit: ut Megalenſes per octo dies, itidem ut Romani, poſtremo dati ſint, a pridie nonas ad pridie idus Aprili menſe, ut dabantur Romani a pridie nonas ad prid. idus Septembri menſe. quod utrumque ex lapide uetere iam nominato cognoſcitur. QVASI *colligendi ſui cauſſa*,] Quaſi, dixit: ne tales uiri in Tuſculanum ueniſſe animi cauſſa putarentur. uenerant enim, ut de rep. colloquerentur: itaque ſubiunxit paullo poſt: Hi primo die de temporibus illis, deq. uniuerſa rep. quam ob cauſſam uenerãt, multum inter ſe uſque ad extremum tempus diei collocuti ſunt. Videbantur igitur ueniſſe in Tuſculanum tres illi conſulares, Scaeuola, Antonius, Craſſus, colligendi ſui cauſſa: ſed re uera uenerant, ut de reip. ſtatu colloquerentur. VENISSE *eodem, ſocer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur,*] ſi locus mendo uacat, placet haec diſtinctio: ut, Mucij filiam, Craſsi uxorem, iam periiſſe oſtendatur, alij ſic interpungunt: Veniſſem eodem ſocer eius, qui fuerat Q. Mucius, dicebatur. quibus non aſſentior: nam illud, Qui fuerat Q. Mucius, ineptum, inſulſumq. uideri non dubito. omnino mallem ita legi: Veniſſe eodem ſocer eius Q. Mucius dicebatur. non enim, cum in Tuſculanum conuenere, uidetur, iam e uita exceſsiſſe Mucij filia: ut oportuerit a Cicerone ſcribi, Socer eius qui fuerat: & ipſe Mucius infra, generum ſuum nominat Craſſum, tamquam uiua filia. Aſſentior, inquit, Craſſo, ne aut de C. Laelij, ſoceri mei, aut deterius generi aut arte, aut gloriam detraham. Augent ſuſpicionem antiqui libri: plerique enim habent, Socer eius qui fuiſſe: in nullo autem, Socer eius qui fuerat. Hic eſt autem Q. Mucius, Q. F. Scaeuola, augur, gener C. Laelij, ſocer L. Craſsi oratoris, iuris peritiſsimus, collega in cõſulatu L. Metelli Dalmatici: de quo in Bruto ſic: Mucius augur, quod pro ſe opus erat, ipſe dicebat, ut de pecuniis repetũdis cõtra T. Albuciũ. is oratorũ in numero nõ fuit: iuris ciu. intelligẽtia, atq. omni prudentiae genere praeſtitit. Et infra ibidẽ: Q. Scaeuola augur peritiſsimus iuris, idẽq. patronus eſt habitus. De eodẽ in Laelio. Altero Q. Mucius Scaeuola, P. F. põtifex max. iuris peritorũ eloquẽtiſsimus, collega L. Craſsi oratoris in cõſulatu, is eſt, de quo infra in hoc libro, his uerbis: Potes igitur, inquit Craſſus, oratores putare eos, quos multas horas exſpectauit, cum in campum properaret, & ridens, & ſtomachans Scaeuola? Et paullo poſt: P. Craſſum, illum diuitem, & multis aliis in rebus elegantem hominem, & ornatum, & praecipue in hoc efferendum, & laudandum puto, quod cum P. Scaeuolae frater eſſet, ſolitus eſt ei perſaepe dicere: neque illum in iure ciuili ſatis illi arti facere poſſe, niſi dicendi copiam aſſumpſiſſet: quod quidem hic, qui mecum cõſul fuit, filius eius eſt conſecutus: neque ſe ante cauſſas amicorum tractare, atque agere coepiſſe, quam ius ciuile didiciſſet. Et infra ſic idem Craſſus: Q. Scaeuola, aequalis, & collega meus, homo omnium & diſciplina iuris ciuilis eruditiſsimus, & ingenio, prudentiaq. acutiſsimus, & oratione maxime limatus, atque ſubtilis, atque, ut ego ſoleo dicere, iuris peritorum eloquentiſsimus, eloquentium iuris peritiſsimus. Et in prooemio lib. 3. Collegae ſui, pontificis max. ſanguine ſimulacrum Veſtae reſperſum eſſe non uidit. Et lib. 3. de nat. deo. Temperantiae, prudentiaeq. ſpecimen, ante ſimulacrum Veſtae pontifex max. eſt Q. Scaeuola trucidatus. Idem in epitome Liuiana lib. 86.

C I C E R O

TVM ille, Non ſum, inquit, neſcius, Scaeuola, iſta inter Graecos dici, & diſceptari ſolere. audiui enim ſummos homines, cum quaeſtor ex Macedonia ueniſſem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur; quod eam Carneades, & Clitomachus, & Aeſchines obtinebant. erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipſum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum, & copioſiſſimum. uigebat auditor Panaetij illius tui Mneſarchus; & Peripatetici Critolaus, & Diodorus; multi etiã praeterea praeclari in philoſophia, & nobiles: a quibus omnibus una paene repelli uoce oratorem a gubernaculis ciuitatum, excludi ab omni doctrina, rerumq. maiorum ſcientia, ac tantum in iudicia, & conciunculas, tamquam in aliquod priſtinum, detrudi, & compingi uidebam. Sed ego neque illis aſſentiebar, neque harum diſputationum inuentori, & principi, longe omnium in dicendo grauiſſimo, & eloquentiſſimo, Platoni: cuius tum Athenis diligentius

gentius legi cum Carneade Gorgiam. quo in libro in hoc maxime admirabar Platonẽ, quod mihi in oratoribus irridendis ipſe orator ſummus uidebatur. uerbi enim controuerſia iamdiu torquet Graeculos homines, contentionis cupidiores, quam ueritatis. Nam, ſi quis hunc ſtatuet eſſe oratorem, qui tantũmodo in iure, aut in iudicijs poſſit, aut apud populum, aut in ſenatu copioſe loqui, tamen huic ipſi multa tribuat, & cõcedat, neceſſe eſt. neque enim ſine multa pertractatione omnium rerum publicarum, neque ſine legum, moris, iuris ſciẽtia, neque natura hominum incognita, ac moribus, in his ipſis rebus ſatis callide uerſari, & perite poteſt. qui autẽ haec cognouerit, ſine quibus ne illa quidem minima in cauſſis quiſquã recte tueri poteſt; quid huic abeſſe poterit de maximarum rerum ſciẽtia? Sin oratoris nihil uis eſſe, niſi compoſite, ornate, copioſe eloqui: quaero, id ipſum qui poſſit aſſequi ſine ea ſcientia, quã ei non conceditis? dicendi enim uirtus, niſi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta ſint, exſtare nõ poteſt. Quamobrem, ſi ornate locutus eſt, ſicut fertur, & mihi uidetur, pqyſicus ille Democritus: materies illa fuit phyſici, de qua dixit: ornatus uero ipſe uerborũ oratoris putandus eſt. & ſi Plato de rebus a ciuilibus cõtrouerſijs remotiſſimis diuinitus eſt locutus, quod ego concedo; ſi item Ariſtoteles, ſi Theophraſtus, ſi Carneades in rebus ijs, de quibus diſputauerunt, eloquentes, & in dicendo ſuaues, atque ornati fuerunt: ſint eae res, de quibus diſputant, in alijs quibuſdã ſtudijs; oratio quidem ipſa propria eſt huius unius rationis, de qua loquimur, & quaerimus. etenim uidemus ijſdẽ de rebus ieiune quoſdam, & exſiliter, ut eũ, quem acutiſſimum ferunt, Chryſippum, diſputauiſſe; neque ob eam rem philoſophiae non ſatisfeciſſe, quod non habuerit hanc dicendi ex arte alienã facultatem. Quid ergo intereſt? aut qui diſcernes eorum, quos nominaui, ubertatem in dicendo, & copiam, ab eorum exſilitate, qui hac dicendi uarietate, & elegantia non utuntur? unũ erit profecto, quod ij, qui bene dicunt, afferunt proprium, compoſitam orationem, & ornatam, & artificio quodam, & expolitione diſtinctam. haec autem oratio, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta, & cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omniũ irriſione laudatur. quid eſt enim tam furioſum, quam uerborum, uel optimorum, atq. ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia? Quidquid erit igitur, quacũque ex arte, quocũque de genere; id orator ſi, tamquam clientis cauſſam, didicerit, dicet melius, & ornatius, quam ille ipſe eius rei inuentor, atque artifex. Nam, ſi quis erit, qui hoc dicat, eſſe quaſdã oratorum proprias ſententias, atque cauſſas, & quaſi certarum rerum forenſibus cancellis circumſcriptam ſcientiam: fatebor equidem in his magis aſſidue uerſari hanc noſtram dictionẽ: ſed tamẽ in his ipſis rebus permulta ſunt, quae iſti magiſtri, qui rhetorici uocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim neſcit maximam uim exſiſtere oratoris in hominum mentibus uel ad iram, aut odium, aut dolorem incitandis, uel ab hiſce ijſdem permotionibus ad lenitatẽ, miſericordiamq. reuocandis? quae, niſi qui naturas hominũ, uimq. omnẽ humanitatis, cauſſasq. eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perſpexerit, dicendo, quod uolet, perficere non poterit. Atqui totus hic locus philoſophorum putatur proprius: neque orator me auctore umquam repugnabit: ſed, cum illis cognitionem rerum conceſſerit, quod in ea ſolum illi uoluerint elaborare; tractationem orationis, quae ſine illa ſcientia nulla eſt, ſibi aſſumet. hoc enim eſt proprium oratoris, quod ſaepe iam dixi, oratio grauis, & ornata, & hominum ſenſibus, ac mentibus accõmodata. quibus de rebus Ariſtotelem, & Theophraſtũ ſcripſiſſe fateor: ſed uide, ne hoc, Scaeuola, totum ſit a me. nam ego, quae ſunt oratoris cum illis communia, nõ mutuor ab illis: iſti, quae de his rebus diſputant, oratorum eſſe concedunt. itaque ceteros libros artis ſuae nomine, hos rhetoricos & inſcribunt, & appellant. Etenim, cum illi in dicendo inciderint loci, quod perſaepe euenit, ut de dijs immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi ciuium, de hominum, de gẽtium iure, de aequitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni uirtutis genere ſit dicendum: clamabunt, credo, omnia gymnaſia, atque omnes philoſophorum ſcholae, ſua haec eſſe omnia propria, nihil omnino ad oratorem pertinere. quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis conſumendi otij cauſſa diſſerant, cum conceſſero; illud tamen oratori tribuam, & dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam, & exiguo ſermone diſputant, hic omni tum grauitate, tum etiam iucunditate explicet. Haec ego cum ipſis philoſophis tum Athenis diſſerebã. cogebat enim me M. Marcellus hic noſter, qui nunc aedilis cur. eſt: & profecto, niſi ludos nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet: ac iã tum erat adoleſcentulus his ſtudijs mirifice deditus. Iã uero de legibus inſtituendis, de bello, de pace, de ſocijs, de uectigalibus, de iure ciuium generatim in ordines, aetatesq. deſcripto, dicant uel Graeci, ſi uolunt, Lycurgum, aut Solonem (quamquam illos quidem cenſemus in numero eloquentiũ reponendos) ſciſſe melius, quam Hyperidem, aut Demoſthenem, perfectos iam homines in dicẽdo, & perpolitos: uel noſtros decem uiros, qui XII. tabulas perſcripſerunt, quos neceſſe eſt fuiſſe prudentes, anteponãt in hoc genere & Ser. Galbae, & ſocero tuo C. Laelio, quos conſtat dicendi gloria praeſtitiſſe. numquã enim negabo eſſe quaſdã artes proprias eorum, qui in his cognoſcendis, atque tractandis ſtudium ſuũ omne poſuerunt: ſed oratorem plenum, atque perfectum eſſe eum dicam, qui de omnibus rebus poſſit uarie, copioſeq. dicere. etenim ſaepe in ijs cauſſis, quas omnes proprias eſſe oratorum confitentur, eſt aliquid, quod nõ ex uſu forenſi, quem ſolum oratoribus conceditis, ſed ex obſcuriore aliqua ſcientia ſit promendum, & aſſumendũ. quaero enim, nũ poſſit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici ſine rei militaris uſu, aut ſaepe etiam ſine regionum terreſtrium, aut maritimarũ ſcientia? num apud populũ de legibus iubendis, aut uetãdis, num in ſenatu de omni reip. genere dici ſine ſumma rerũ ciuilium cognitione, & prudentia? nũ admoueri poſſit oratio ad ſenſus animorũ, atq. motus uel inflammandos, uel etiã exſtinguendos, quod unum in oratore dominatur, ſine diligentiſſima perueſtigatione earum omniũ rationũ, quae de naturis humani generis, ac moribus a philoſophis explicãtur? Atque haud ſcio, an minus hoc uobis ſim probaturus: equidẽ nõ dubitabo, quod ſentio, dicere. Phyſica iſta ipſa, & mathematica, & ceterarũ artium propria, quae paullo ante poſuiſti, ſciẽtiae ſunt eorũ, qui illa profitentur: illuſtrare aũt oratione ſi quis iſtas ipſas artes uelit, ad oratoris ei cõfugiendũ eſt facultatem.

cultatem.neque enim,ſi Philonem illum architectum, qui Athenienſibus armamentarium fecit,conſtat perdiſerte populo rationem operis ſui reddidiſſe; exiſtimandum eſt, architecti potius artificio diſertum,quã oratoris fuiße. nec, ſi huic M.Antonio pro Hermodoro fuiſſet de naualium opere dicendum,non,cum ab illo cauſſam didicißet,ipſe ornate de alieno artificio, copioſeq. dixißet. neque uero Aſclepiades, is, quo nos medico,amicoq.uſi ſumus,tum,cum eloquentia uincebat ceteros medicos, in eo ipſo,quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae. Atque illud eſt probabilius,neque tamen uerum,quod Socrates dicere ſolebat: omnes in eo,quod ſcirent,ſatis eße eloquentes:illud uerius:neque quemquam in eo diſertum eſſe poſſe,quod neſciat; neque, ſi optime ſciat, ignaruſq. ſit faciundae,ac poliendae orationis,diſerte id ipſum,de quo ſciat,poſſe dicere. Quamobrẽ,ſi quis uniuerſam,& propriam oratoris uim definire, cõplectiq. uult:is orator erit mea ſententia hoc tam graui dignus nomine;qui, quaecumque res inciderit,quae ſit dictione explicanda,prudenter,& compoſite,& ornate, & memoriter dicat,cum quadã etiam actionis dignitate.ſin cuipiam nimis infinitum uidetur, quod ita propoſui quacumque de re: licet hinc, quantum cuiq. uidebitur, circumcidat, atque amputet:tamẽ illud tenebo;ſi,quae ceteris in artibus,aut ſtudijs ſita ſunt,orator ignoret; tantũq. ea teneat, quae ſint in diſceptationibus,aut in uſu forenſi;tamen, his de rebus ipſis ſi ſit ei dicendũ;cum cognouerit ab ijs,qui tenent,quae ſint in quaque re:multo oratorem melius,quam ipſos illos, quorum eae ſunt artes,eſſe dicturum.Ita ſi de re militari dicendum huic erit Sulpicio:quaeret a C.Mario,affini noſtro,&, cum acceperit,ita pronunciabit,ut ipſi C.Mario paene hic melius, quã ipſe ille,ſcire uideatur. ſin de iure ciuili;tecũ communicabit;teq.hominem prudentiſſimũ,& peritiſſimum,in ijs ipſis rebus, quas abs te didicerit,dicendi arte ſuperabit. Sin quae res inciderit,in qua de natura,de uitijs hominum,de cupiditatibus, de modo,de continentia,de dolore,de morte dicendũ ſit:forſitan,ſi ei ſit uiſum, (etſi haec quidem noſſe debet orator) cum Sex.Pompeio, erudito homine in philoſophia,cõmunicabit: hoc profecto efficiet,ut,quãcumque rem a quoque cognouerit,de ea re multo dicat ornatius,quam ille ipſe,unde cognorit.Sed,ſi me audierit, quoniam philoſophia in tres partes eſt diſtributa, in naturae obſcuritatem,in diſſerendi ſubtilitatem,in uitam,atque mores:duo illa relinquamus; idq. largiamur inertiae noſtrae:teriũ uero, quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus;nihil oratori, in quo magnus eſſe poſſit,relinquemus. quare hic locus de uita, & moribus totus eſt oratori perdiſcendus;cetera,ſi nõ didicerit,tamen poterit,ſi quando uolet, ornare dicendo, cũ erũt ad eum delata,& tradita. etenim,ſi conſtat inter doctos,hominem ignarũ aſtrologiae ornatiſſimis,atque optimis uerſibus Aratum de caelo, ſtelliſq. dixiſſe; ſi de rebus ruſticis hominem ab agro remotiſſimũ Nicandrum Colophonium poetica quadam facultate,non ruſtica ſcripſiſſe praeclare: quid eſt, cur non orator de rebus ijs eloquentiſſime dicat, quas ad certam cauſſam,tempuſq.cognorit?eſt enim finitimus oratori poeta,numeris adſtrictior paullo, uerborum autem licẽtia liberior,multls uero ornãdi generibus ſocius,ac paene par,in hoc quidem certe prope idem,nullis ut terminis circumſcribat,aut definiat ius ſuum, quo minus ei liceat eadem illa facultate, & copia uagari, qua uelit. Namque illud, quare Scaeuola negaſti te fuiſſe laturum,niſi in meo regno eſſes; quod in omni genere ſermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum eße debere?numquam mehercule hoc dicerem,ſi eũ,quẽ fingo,me ipſum eſſe arbitrarer: ſed,ut ſolebat C.Lucilius ſaepe dicere, homo tibi ſubiratus,mihi propter eam ipſam cauſſam minus, quam uolebat, familiaris,ſed tamen et doctus,et perurbanus,ſic ſentio,neminem eſſe in oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus ijs artibus, quae ſunt libero homine dignae,perpolitus: quibus ipſis ſi in dicendo non utimur,tamen apparet,atque exſtat,utrum ſimus earum rerũ rudes,an didicerimus. ut qui pila ludunt,non utũtur in ipſa luſione artificio proprio palaeſtrae, ſed indicat ipſe motus,didicerint ne palaeſtram,an neſciãt; & qui aliquid fingunt, etſi tum pictura nihil utuntur, tamen,utrum ſciant pingere,an neſciant, non obſcurũ eſt:ſic in orationibus hiſce ipſis iudiciorum, concionũ, ſenatus, etiam ſi propriae ceterae non adhibentur artes,tamen facile declaratur,utrum is,qui dicat, tantũmodo in hoc declamatorio ſit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit. Tum ridens Scaeuola, Non luctabor,inquit,tecum,Craſſe,amplius.id enim ipſum,quod contra me locutus es,artificio quodam es conſecutus, ut & mihi, quae ego uellem, non eſſe oratoris concederes;& ea ipſa neſcio quo modo rurſus detorqueres, atque oratori propria traderes. Haec, cum ego praetor Rhodum ueniſſem,et cum ſummo illo doctore iſtius diſciplinae Apollonio ea, quae a Panaetio acceperam. contuliſſem:irriſit ille quidem,ut ſolebat,philoſophiam,atque contempſit; multaq. non tam grauiter dixit, quam facete: tua autem fuit oratio eiuſmodi, non ut ullam artem,doctrinam ue cõtemneres, ſed ut omnes comites, ac miniſtras oratoris eſſe diceres, quas, ego, ſi quis ſit unus complexus omnes, idemq. ſi ad eas facultatem iſtam ornatiſſimae orationis adiunxerit; non poſſuta dicere, eum non egregium quendam hominem, atque admirandum fore: ſed is, ſi quis eſſet, aut ſi etiam umquam fuiſſet, aut uero ſi eſſe poſſet; tu eſſes unus profecto; qui & meo iudicio,& omnium uix ullam ceteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquiſti. uerum,ſi tibi ipſi nihil deeſt, quod in forenſibus rebus, ciuilibuſq. uerſetur, quin ſcias;neque eam tamen ſcientiam, quam adiungis oratori, complexus es:uideamus,ne plus ei tribuas,quam res, & ueritas ipſa concedat. Hic Craſſus, Memento, inquit, me non de mea, ſed de oratoris facultate dixiſſe. quid enim nos aut didicimus, aut ſcire potuimus? qui ante ad agendum, quam ad cognoſcendum, uenimus: quos in foro, quos in ambitione, quos in rep. quos in amicorum negotijs res ipſa ante confecit, quam poſſemus aliquid de rebus tantis ſuſpicari. quod ſi tibi tantum in nobis uidetur eſſe; quibus etiam ſi ingenium, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe, & otium, & hercule etiam ſtudium illud dicendi acerrimum defuit: quid cenſes, ſi ad alicuius ingenium uel maius illa, quae ego non attigi, acceßerint, qualem illum,& quantum oratorem futurum?

EXPLANATIO

T*VM ille*] Scaeuola primus eſt oppoſitus Craſſo ad reprehendendum duas laudes oratoris, quas Craſſus in oratione ſua poſuerat. Craſſus igitur deinde reſpondet ad reprehenſionem Scaeuolae, ac primum indicat philoſophos Graecos, a quibus iſta Scaeuolae diſputatio contra oratorem ſumpta ſit, Carneadem, Clitomachum, Aeſchinem, Metrodorum, Mneſarchum, Critolaum, Diodorum, qui oratori detrahebant, non ſolùm laudem urbium conditarum & conſeruatarum, ſed etiam cognitionem doctrinae ingenuae, & liberalis. De quibus philoſophis uide Diogenem Laertium. TAMQVAM *in aliquod*] Compatat Carneadeium oratorem miſeris ſeruis, qui propter aliquam noxam contractam detruduntur in piſtrinum, ad uerſandas molas, quibus frumentum tunditur & comminuitur, ſicut ait Terentius in Andria.

S. Verberibus caeſum te in piſtrinum, Daue, dedam uſque ad necem.

his igitur confertur cauſidicus, qui in tribus generibus cauſſarum aſsiduiſsime, & laborioſiſsime uerſatur.

SED *ego*] Craſſus incipit refellere contraria Philoſophorum teſtimonia, & in primis Platonis, a repugnantibus: Plato in irridendis ſummis oratoribus ipſe eſt ſummus orator: non igitur eos ſerio irridet. Socrates in Gorgia contra Polum & Calliclem diſputans, cum ciuilis ſcientiae duas ſpecies ad corpus retuliſſet, Gymnaſticam & medicinam, duas item ad animum legalem & iuſtitiam, ſingulis artibus & uirtutibus uitioſas, & fallaces eorum imitationes oppoſuit, Gymnaſticae, artem mangonum: Medicinae, artem coquorum: Legali, ſophiſticam: Iuſtitiae, rhetoricam: ibique contendit rhetoricam non eſſe artem, ſed peritiam quandam inartificialem aucupandae gratiae, & uoluptatis in foro, & cauſsis ciuilibus: Socratis uerba ſunt, τέχνην δὲ αὐτὴν οὔ φημι εἶναι, ἀλλ' ἐμπειρίαν, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα, ᾧ προσφέρει ἃ προσφέρει ὁποῖα ἄττα τὴν φύσιν ἐστὶν, ὥστε τὴν αἰτίαν ἑκάστου μὴ ἔχειν εἰπεῖν. ἐγὼ δὲ τέχνην οὐ καλῶ, ὃ ἂν ᾖ ἄλογον πρᾶγμα. τούτων δὲ πέρι εἰ ἀμφισβητεῖς, ἐθέλω ὑποσχεῖν λόγον. τῇ μετὰ οὖν ἰατρικῇ, ὥσπερ λέγω, ἡ ὀψοποιητικὴ κολακεία ὑπόκειται· τῇ δὲ γυμναστικῇ, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἡ κομμωτικὴ, κακοῦργός τε καὶ ἀπατηλὴ, καὶ ἀγεννὴς, καὶ ἀνελεύθερος, σχήμασί τε καὶ χρώμασι καὶ λειότησι, καὶ αἰσθήσει, ἀπατῶσα ὥστε ποιεῖν ἀλλότριον κάλλος ἐφελκομένοις, τοῦ οἰκείου τοῦ διὰ τῆς γυμναστικῆς ἀμελεῖν. ἵν' οὖν μὴ μακρολογῶ, ἐθέλω σοι εἰπεῖν, ὥσπερ οἱ γεωμέτραι, ἤδη γὰρ ἂν ἴσως ἀκολουθήσειας, ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικὴν, τοῦτο ὀψοποιητικὴ πρὸς ἰατρικὴν μᾶλλον δὲ ὧδε, ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικὴν, τοῦτο σοφιστικὴ πρὸς νομοθετικὴν, καὶ, ὅτι ὃ ὀψοποιητικὴ πρὸς ἰατρικὴν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην: hanc uero artem eſſe non dico, ſed peritiam: quoniam nullam eorum, quae affert, qualia ſint natura, rationem habet, nec poteſt uniuſcuiuſque rei cauſſam dicere: ego uero artem non appello quae ratione careat. de his autem ſi dubitas, uolo rationem reddere. Medicinae quidem (ut dico) ſubiicitur blanda ars parandorum obſoniorum: Gymnaſticae autem eodem modo ars fucandi, improba, fallax, minimè generoſa, & liberalis, figuris, coloribus, lineamentis & ſenſu ſic imponens, ut faciat nos aliena forma captos propriam, quae per gymnaſticen inducitur, negligere. ac, ne ſim longior, uolo tibi dicere quemadmodum ſolent geometrae: iam enim fortaſſe aſſequaris: quod fucandi ars eſt ad gymnaſticen, hoc ipſum eſt ars coquorum ad medicinam, immo uero ſic, quod ars fucandi ad gymnaſticen, hoc eſt ſophiſtica ad legales: & quod ars coquorum ad medicinam, hoc rhetorice ad iuſtitiam. Verum Socrates eam Rhetoricam, quæ ſuis temporibus exercebatur, exagitat, & uituperat, non autem ueram & honeſtam, ut ait Fabius cap. 10. libri 2. VERBI *enim.*] Craſſus indicat de oratore cōtrouerſiam in nomine ipſo conſiſtere, quod alio atque alio modo definiatur: oratoris ſiquidem nomine triplex orator diſtingui uidetur, primus perfectus & omni ſcientia cumulatus, qui de omnibus rebus ornate & copioſe poſſit dicere, quem Craſſus antea laudauit, & Antonius poſtea eloquentem appellabit: ſecundus mediocris, qui de tribus generibus cauſſarum poſſit apte dicere, quem Scaeuola aduerſus Craſſum defendit, & Antonius poſtea diſertum appellabit. Sed neutra definitio recta eſt: quia neque perfectus orator ex artium ſcientia, ſed ex elocutionis & actionis perfectione: neque mediocris ex actione ciuilium cauſſarum, ſed ex mediocri facultate eloquendi & pronunciandi definiri debet, ut poſtea plenius oſtendemus. Tertius autem communis a Craſſo interdum uelut per tranſennam demonſtratur, cum is oratori ſolum ornatum orationis, hoc eſt elocutionis & actionis, attribuit. De primo & perfecto Craſſus ita reſpondet, ut quamuis ſecundum uel tertium conſtituas, tamen perfectum illis nominibus neceſſe ſit inſtitui: quae Craſsi diſputatio quamuis perſaepe in ueram & generalem & ſimplicem eloquentiae informationem incidat, non tamen in ea permanet, ſed eo relabitur, ut eloquentiae nomine politicam & forenſem quādam facultatem multarum artium diſciplinis inſtructam confundat. non unius artis propriam uirtutem definiat. NAM *ſiquis.*] Diſputat de definitione ſecundi & mediocris oratoris, ſuum oratorem contineri: Argumentum eſt ex cauſſa, quae dicitur ſine qua, ita concluſum:

Qui res magnas cognouerit, ſine quibus cauſſas forenſes tractare non poteſt, is magnarum rerum eſt ſcientiam conſecutus:

Orator autem Scaeuolae res magnas percipere debet, ſine quibus non poſſit agere cauſſas:

Orator igitur Scaeuolae magnarum rerum ſcientiam ſit conſecutus, neceſſe eſt.

Aſſumptio praecedit, quae illuſtratur enumeratione rerum oratori & cauſſidico tenendarum. Verum Scaeuola negaret Craſſo aſſumptionis huius rationem, ſicut etiam poſtea Antonius negabit. SIN *oratoris*] Craſſus item diſputat definitione tertij oratoris ſummum & perfectum oratorem ſuum contineri: quia ſine magnarum rerum ſcientia non poſſit orator copioſe & ornate eloqui: qui locus eſt diligenter animaduertendus: nam Craſſus argumento, & argumentatione peccat: argumento quidem, quia puer in propoſitis poetis & oratoribus poſſit a magiſtro omnia ornamenta eloquentiae doceri, & in his exerceri:

Argumentatione uero, quia non ſequitur, ſi ornatus rhetorici uſus ſine magnarum rerum ſcientia conſiſtere non poteſt, iccirco magnarum rerum ſcientiā oratoris propriam eſſe: Aliud enim eſt quippiam oratori eſſe neceſſarium, aliud eſſe proprium. QVAMOBREM *ſi*] Hic Craſſus uere de oratoris facultate philoſophatur, & eloquentiam uere a ceteris artibus diſtinguit: ſic ſi Democritus, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, Carneades pure & emendate locuti ſunt, puritas ſermonis ſit grammatici propria, materies uero aliarum artium, quas ipſis docuerunt: & ſi iidem philoſophi ſubtiliter & prudenter argumentati & ratiocinati ſunt, haec rationis ſubtilitas dialecticae propria ſit, materies uero aliarum artium: ſed Craſſus in hac tam uera diſtinctione artium non conſiſtit, ſed ad ſuum politicum hominem, & ad artium concluſionem ſtatim reuertitur: Democritus res phyſicas in primis docuit, de cuius libris ita ſcribit Suidas: γνήσια δὲ βίβλια εἰσὶ δύο, ὅ, τε μέγας διάκοσμος, καὶ περὶ φύσεως κόσμου. ideſt, germani autem eius ſunt duo libri, magnus diacoſmus & de ornatu naturae. Plato Athenienſis omnium politiſsime, & elegantiſsime ſcripſit de mundo, & partibus eius, de homine, & pleriſque rebus minime uulgatis & popularibus, Ariſtoteles eius diſcipulus nō ſolum philoſophus, ſed etiam eloquens habitus eſt. Theophraſtus, Ariſtotelis auditor, a dignitate orationis hoc nomen inuenit. Carneades, patronus nouae Academiae, tantum in dicendo ualuit, ut ad eum audiendum etiam rhetores accederent, de quo uide Diogenem Laertium. ETENIM *uidemus*.] Exemplum Chryſippi ſuperioribus diſsimile eſt, quo eloquentia recte & uere a philoſophia ſeparatur: quia Chryſippus ſine eloquentia ſummus exſtitit philoſophus: A philoſopho autem, ſi afferat eloquentiam, non aſperner; ſi non habeat, non admodum flagitem, ut ait Cicero lib. 2. de finib. bon. & mal. Chryſippus itaque Stoicus cum inuentionis acumine & rerum copia abundaret, uſque tamen adeo dictione clarus fuit, ut auctor eſt Laertius: is compoſuit uolumina & philoſophica & hiſtorica, & grammatica, ut ait Suidas. HAEC *autem oratio*,] Oratio hominis politici elegans uerbis, ſed inanis ſententiarum, merito quidem iure irridenda eſt, quia nullam habeat ad docendum auctoritatem: & furorem non ſani hominis indicat, qui audeat multis audientibus multa uerba temere & inaniter effutire. Compoſite & apte ſine ſententijs dicere, ait Cicero in orat. ad Brutum, inſania eſt: ſententioſe autem, ſine uerborum ore & modo, infantia. Duae ſunt igitur magnae laudes orationis, una in apparatu rerum, altera in ornatu uerborum: & ambae quidem homini politico ſic utiles, non ut uni eloquentiae proprie conueniant, uerum ut laus rerum artibus his, unde res nobis ſuppetunt, laus ornatae dictionis, rhetoricae uirtuti debeatur. QVIDQVID *erit igitur*,] Concludit, oratorem de omni re, quam didicerit, melius eſſe dicturum, quam hominem artis peritum, ſed eloquentia expertem: quae concluſio uerisſima eſt: nam, qui arithmeticus erit & orator, melius de numeris dicet, quam qui arithmeticus tantum fuerit, & non orator. NAM, *ſi quis*] Προδιόρθωσις eſt; Orator tantum in tribus generibus cauſſarum uerſatur: non igitur ad eum pertinet rerum omnium ſcientia oratorem in ciuilibus cauſsis uerſari poſſe: idq probat a phyſica, quae ſpecies eſt ſcientiae, quae (ut ipſe putat) maxime neceſſaria eſt oratori, ad mouendos, uel ſedandos affectus. TRACTATIONEM] Craſſus hic redit ad ueram & germanam diſtinctionem oratoris, a philoſophis, cum oratori ſolum ornatum tribuit. QVIBVS *de rebus*] Argumentum Scaeuolae de Theopraſto, & Ariſtotele, Rhetoricae ſcriptoribus Craſſus concedit, ſed ex eo contrarium concludit per diſtinctionem: Orator communem habet philoſophiam cum philoſopho, non communē eloquentiam: ſed propoſitio huius diſtinctionis falſa eſt, qua Philoſophiia tam propria eſt philoſophorum, quam Rhetorica rhetorum: nec uero Philoſophia, rhetorum, aut philoſophorum Rhetorica eſt, non magis quam Philoſophia grammaticorū, aut Grammatica philoſophorum, ſed ſingularum artium certi ſunt homines, qui ab his denominantur. ETENIM *cum*] Occurritur huic obiectioni (Philoſophia moralis eſt philoſophorum: non igitur oratorum) quae refellitur a diſsimilibus, quod philoſophi ieiune & exſiliter, oratores copioſe & grauiter diſputent: magis decore & conuenienter perſonae Craſsi dictum eſt, quam uere: philoſophi enim quidem copioſe & ornate loquuntur, ut Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, atque haec diſsimilitudo de artibus intelligenda non eſt, quae uſu coniungi & diſiungi poſſunt, ut oratio aliquando ſit philoſophica & ornata, alias ornata, ſed nō philoſophica, uel philoſophica, ſed non ornata: de antiquis igitur hominum ſtudiis hic locus intelligatur, quorum nonulli exſtiterunt philoſohi, qui, contempta eloquentia, philoſophiam praecipue in ſcholis meditarentur, ut Stoici: alii etiam dicti oratores, qui ornate & copioſe cauſſas ciuium agerent, & hac dictione forenſi interdum locos graues ex philoſophia tractarent, qui uel politici, uel cauſſidici proprie dicerentur: ſed neſcio quomodo nomen oratoris, quod erat cōmune omnium bene & ornate dicentiū, proprium & ſuum effecerunt. neque tamē tā de nomine ipſo contendo, quā de congerie artiū, uno eloquentiae nomine confuſarū, ut Dialecticae, philoſophiae, ſcientiae iuris, hiſtoriae; quae confuſio contra naturā ipſam eſt, & hominū ingeniis magnas tenebras offundit. HAEC *ego*] Concluditur locis de philoſophia oratori neceſſaria cum honorifica interfatione de Marco Marcello: qui locus etiam ſignificat ex Graecis ſumptam eſſe hanc diſputationem; & tranſitum facit ad ea, quae ſequuntur. IAM *uero*] Scaeuola negauerat res policitas inuentas & tractatas fuiſſe ab oratoribus: cui loco Craſſus reſpondit, collocatione parium: Lycurgus & Solon non melius leges ſcierunt, quam Demoſthenes & Hyperides: nec melius decemuiri, quam Galba & Laelius: quod argumētum Craſsi parum probabile eſt, nec ſatis conſequens; quia oratores illi res politicas perceperunt, non eloquentiae, ſed prudentiae quadam facultate. LYCVRGVM] Lycurgus Lacedaemoniis leges ſuas auctoritate Apollinis Delphici, Solon Athenienſibus auctoritate Palladis confirmauit, quarum capita Plutarchus refert, ſummamq. uiri utriuſque ſapientiam in colendis legibus commendat: uterque etiam eloquens ut temporibus illis habitus eſt. HYPERIDEM] Demoſthenes orator Athenienſis fuit, quem (ut ait Cicero in Bruto) plane quidem perfectum, & cui nil admodum deſit, facile dixeris, nihil acute inueniri potuit in eis cauſsis, quas ſcripſit, nihil (ut

ita

ita dicam) ſubdole, nihil uerſute, quod ille non uiderit, nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſsit aliquid limatius, nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, uel uerborum grauitate, uel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius. huic proximus fuit Hyperides. DECEMVIROS,] Decemuiri creati ſunt centuriatis comitiis, Appius Claudius, & T. Genucius, qui deſignati cos. fuerant, cumq. his P. Sextius eius anni conſul, & tres legati, qui a Graecis leges attulerant, P. Poſtumus, Ser. Sulpicius, A. Manlius; & unus ex ſuperioris anni cos. T. Romulius, qui accuſante Siccio damnatus, poſt auctor popularis ſententiae fuerat: ex reliquo deinde ſenatu C. Iulius, T. Veturius, P. Horatius, conſulares omnes; hi leges tum ex Graecorum iure, tum ex inſtitutis patriis propoſuerunt in decem tabulis, ut a quouis ciue cognoſci poſſent: deinde centuriatis comitiis ſancitas, & in aes inciſas conſtituerunt in maxime conſpicuo loco fori, & quia aliquid legum deeſſe uidebatur, in proximum annum rurſus decemuiri creati ſunt. Auctor Dionyſ. Halicarn. lib. 10. Ser. *Galbae,*] Cicero Bruto Laelium & Galbam in numero oratorum adſcribit, & elegantiam in Laelio, uim in Galba fuiſſe ſcribit: ſed Laelij mentem ſpirare etiam in ſcriptis, Galbae autem occidiſſe. NVMQVAM *enim*] Craſſus ita concludit diſtinctionem artium ab oratore, ut tamen neget illum uel in ciuilibus cauſsis uerſari poſſe ſine multarum & magnarum artium ſcientia: idq. probatur inductione artium, Militaris, Geographicae, Politicae, Phyſicae, quae ad diſputandas cauſſas ciuiles oratori conferunt; ſed Craſſus oratoris perfectionem non aduenticiis illis, & extrinſecus aſſumptis artibus, uerum Rhetoricae artis poteſtate, & fine (ſicut alias diximus) metiri definireq. debuit. ATQVE *haud ſcio*] Praemunitio eſt ad proximam diſtinctionem eloquentiae a ceteris artibus, quae quidem uerisſima eſt: ſed in ea Craſſus non permanet, quia eo tandem relabitur, ut oratori nō ſolum facultatem ornandae & polienda orationis, ſed etiam artium cognitionem & ſcientiam ſubiiciat: utitur enim exemplis ualde idoneis Philonis, Antonij, & Aſclepiade, in quibus ſingulis oſtendit quid eloquentia differat ab alienis artibus: ſed neſcio quo modo Craſſus quaſi oblitus ſui, nec ſatis acute conſiderans quid in hac cauſſa dicendum ſit oratorem legitimum poſſeſſorem omnium artium paullo poſt ſtatuit: & in oratoris definitione ſummaq. comprehenſione ceteras artes & diſciplinas confundit. PHILONEM *illum*] Laudatus eſt, ait Plinius, lib. 7. cap. 37. Cteſiphon Gnoſius aede Epheſiae Dianae, admirabiliter fabricata, Philon Athenis armamentario mille nauium. ASCLEPIADES *is*] Aſclepiades ex Rhetore factus medicus, condita noua ſecta, reperit rationem, qua uinum aegris mederetur, ut ait Plinius ibidem, & relato e funere homine, & conſeruato, ſponſionem fecit cū fortuna ne medicus crederetur, ſi umquam inualidus ullo mod. fuiſſet ipſe: & uictor ſuprema ſenecta lapſu ſcalarum exanimatus eſt. ATQVE *illud*] Dictum Socratis refellitur accommodate ad ſententiam Craſſi, quia eloquentia & ſcientia rerum ita ſeparantur, ut tamen ad perfectam oratoris, id eſt politici hominis laudem coniunctae eſſe debeant. QVAMOBREM *ſi*] Craſſus concludit oratoris ſui perfecti definitionem ex artium ſcientia, & Rhetoricis quinque uirtutibus cumulata, Inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria & actione: quae ſententia Craſsi de uiro politico ſummo & excellenti uera quidem eſt, qui multis & uarijs artibus inſtructus, ad tractandas ciuiles cauſſas debet accedere: de oratore uero, unius artis homine, & a ceteris artibus diſtincto, falſa plane eſt: cuius perfectio (ſicut ante diximus) non conſtat ex alijs artibus, ſed ex artis ſuae perfecta conſecutione: ut, qui optime eloqui & pronunciare poteſt, is ſummus & perfectiſsimus orator ſit: ſiquam praeterea artem didicit, non orator quidem perfectior, ſed homo doctior, & pluribus artibus excellentior aeſtimandus ſit. SIN *cuiquam*] Πρόληψις eſt de particula definitionis (quacumque de re) quaſi oratori propoſitum non ſit omnem rem ſcire, ſed cum ſcierit, eius proprium ſit ornate explicare: quod quidem uerisſimum eſt: quia ornatus orationis dumtaxat ad oratorem pertinet: ſcientia rerum, quae ornate explicantur, ex aliis artibus & ſtudijs ſumenda eſt; uerum Craſſus ridicule pronunciat oratorem, cum ex alijs rem quampiam cognouerit, melius dicturum, quam hos ipſos, quorum hae ſunt artes: non enim tum orator ſolum fuerit, ſed arithmeticus, ſi de numeris: medicus, ſi de morbis: imperator, ſi de bellis dicat: nec uideo, cur melius de re quapiam dicat forenſis orator, quam proprius eius rei artifex, qui etiam diſertus & eloquens fuerit: ut exempli gratia, non melius Demoſthenes, nec ornatius de uirtute & moribus dicet, quam Plato, aut Theophraſtus. Itaque inductio illa per ſpecies quarundam artium, ut militiae, iuris, philoſophiae, ineptā comparationem oratoris cum alijs proſequitur. C. MARIO] C. Marius bellicam uitam magis quam urbanam ſecutus, in Numidia Iugurtham uicit: ad aquas Sextias Teutones & Ambrones, in Italia etiam Cymbros debellauit: bello ſociali Marſos fudit: ex Africa reuerſus, in Italia magnam ciuium & municipum ſtragē fecit Lege Florum. *Sex.* CVM *Pompeio*] Cicero (ut ipſe ait In officiis.) Sex. Pompeium in aſtrologia ſtudioſe uerſatum cognouit: Idemq. ait, In Bruto, Pompeius Sexti filius aliquem numerum obtinebat: nam Sextus frater eius praeſtantiſsimum ingenium contulerat ad ſummam iuris ciuilis, & ad perfectam Geometriae, & rerum Stoicarum ſcientiam. SED *ſime*] De tribus philoſophiae partibus Craſſus ait 3. de Oratore, moralem eſſe oratori politico apprime neceſſariam: ſicut ipſe quoque alibi teſtatur. Ariſtoteles quoque Rhetoricam philoſophiae partem moralis facit, propter morum & affectuum ſcientiam. ETENIM] Argumentum eſt a paribus, Aratus & Nicander de alienis ſtudiis ornate locuti ſunt. Igitur & orator poteſt, cum aliunde cognouerit. ARATVM] Aratus Solenſis Athenodori filius, natus eſt (ſi Suidae credimus) Olympiade 124 Συνέταξε δὲ (ut ait ille) βίβλια ταῦτα, τὰ φαινόμενα, ὧν θαυμάσιος ἡ εἰσβολή, καὶ ὁ ζῆλος ὁμηρικός· ὕμνοις εἰς πᾶνα, σποδοφόρους, παίγνια, ἀστρολογίαν, ἀστροθεσίαν, σύνθεσιν φαρμάκων θηριακῶν ἐπιτήδειαν, ἀνθρωπογονίαν. id eſt, Compoſuit autem hos libros, phaenomena, quorum admirabilis ingreſſus, & imitatio Homerica: hymnos in Pana, ſpōdophoros, ludicra, aſtrologiam, aſtrotheſiam, hoc eſt, aſtrorum ſitum, theriacorum pharmacorum idoneam compoſitionem de ortu hominum. Potuit autem fieri, ut Aratus, ignarus aſtrologiae, nu-

mero poetico uerſuq. aſtrologiam tractarit,ſicut orator in agricultura non uerſatus optime de agricultura dicet,cum in cōmentariis legerit,uel a litigatore acceperit:Sic Aratus potuit de commentariis aſtrologorum in poema transferre,non quod huius artis cauſſas & rationes penitus intelligeret:quod idem de Nicandro exiſtimandum eſt. S I *de rebus*] Nicander filius Xenophanis, Colophonius, grammaticus, medicus, & poeta fuit temporibus noui Attali,ſeu poſtremi Galatonicae,quem Romani interemerunt, ut ait Suidas:ſcripſit autem θηριακά, ἀλεξιφάρμακα, γεωργικά, εταιρευμένων βίβλια πέντε, ἰάσεων συναγωγήν, προγνώστικα δι᾽ ἐπῶν, μεταπέφρασαι δὲ ἐκ τῶν τοῦ Ἱπποκράτους προγνωστικῶν.id eſt Theriaca, Alexipharmaca, Georgica, ſodaliciorum libros quinque, remediorum collectionem, prognoſtica carminibus.tranſlata autem ſunt ex Hippocratis prognoſticis. E S T *enim*] Proxima comparatio declaratur per aliam collationem rerum, quibus poeta cum oratore conuenit, aut non conuenit: ſed haec diſtinctio oratoris & poetae ex uulgari opinione,non ex ueritate ſumitur: poeſis enim pars eſt oratoriae elocutionis:quia elocutio alias dicitur ſoluta,alias magis adſtricta numeris,nec alia troporum & figurarum doctrina eſt in oratione ſoluta & in carmine,ſed uſus nonnihil diuerſus. N V L L I S *ut terminis*] Facultas oratoris & poetae circa res omnes communiter uerſatur,quia eloquentia communis eſt omnium rerum ornate explicandarum: res autem ornate explicantur uel oratione libera,uel deuincta adſtrictoribus numeris: & in utroque genere perpoliendae & ornandae orationis una & communis doctrina eloquentiae in tropis & figuris ualet. N A M *quod illud*] Craſſus modeſtiae gratia remouet a ſe laudem perfecti oratoris, quem defendit: & tamen diſputat eum omnibus artibus ingenuis cumulatum eſſe debere:primum teſtimonio Lucilij,deinde duplici ſimilitudine eorum,qui pila ludunt,& aliquid fingunt. C.Lucilius ſatyricum ſtylum acuit in nobiles ciues ſui temporis,ut in Vetuium & Scaeuolam, in quo (ut ait Fabius lib.x.) eruditio mira fuit & libertas, atque inde acerbitas & abundantia ſalis: obijt Neapoli anno aetatis ſuae 46. V T *qui pila*] Artificium palaeſtrae non tantum in ipſa luctatione ſitum erat,ſed in conformatione geſtus corporis ut ſtatus & flexus: atque omnino habitus ipſe uenuſtatem & dignitatem quandam praeſeferret: ut brachia recta eſſent,ne indoctae ruſticaeue manus,ne ſtatus indecorus, ne qua in proferendis pedibus inſcitia,ne caput,oculi ue ab alia corporis inclinatione diſsiderent. T V M *ridens*] Scaeuola deducitur e ſermone,quia ſenem non decet longa & prolixa his de rebus oratio:diſcedens tamen epilogum quendam ſuperioris diſputationis colligit,& ad extremum leuiter Craſſo repugnat, quod Craſſus aliarum artium ſcientiam diſtinguit ab eloquentia, ſed earum tamen uſum oratori neceſſarium ſubiicit: quae de politico homine dicta ſunt, non de oratore & facultate communis oratoris. H A E C *cum ego*] Scaeuolae reprehenſio conſtat exemplis diſsimilibus.

Apollonius rhetor philoſophiam contempſit:

Craſſus eloquentiae miniſtram facit.

Apollonius Molo Rhodius orator unus in cauſsis,ſcriptorq. praeſtantiſsimis fuit, cui Cicero dedit operam: Dictatore enim Sulla legatis ad ſenatum de Rhodiorum praemiis uenerat,ut ait Cicero,in Bruto.
Q V A S *ego*] Altera reprehenſio magis eſt contra perſonam Craſsi, quam contra rem ipſam.Syllogiſmus eſt connexus ſecundi modi:

Siquis eſſet omni laude perfectus orator,Craſſus is eſſet:

At Craſſus talis non eſt:

Nemo igitur omni laude perfectus orator.

Animaduertendum autem eſt (quod ait Scaeuola) uirum illum omnibus artibus cumulatum, egregium & admirandum eſſe, quod quidem uerum eſt: ſed hic uir admirandus non potius orator, quam philophoſus, quam ciuitatis rector,quam hiſtoricus,quam denique iuris peritus appellandus eſt: praeſertim cum non minus philoſophiam, & politiam, & hiſtoriam, & ius ciuile teneat, quam eloquentiam:ut non minus perfectus philoſophus,aut politicus,aut hiſtoricus,aut iuris conſultus,quam perfectus orator dici poſſe uideatur.
H I C *Craſſus*] Craſſus reiicit a ſe laudem oratoris ex cauſſis perfectae eloquentiae, quod neque doctrinam, neque ſtudium bonarum artium ad cauſſas forenſes adhibuerit. & inde argumentatur a minore ad maius: Si Craſſus ſine doctrina & ſtudio magnarum artium tamen orator uidetur,ſiquis profecto artem & ſtudium ad dicendum adhibuerit,is perfectus erit.Aſſumptionis ſententia praeceſsit in oratione Scaeuolae:

Quid inter Scaeuolam & Craſſum de oratote conueniat, & quid interſit.

Scaeuola & Craſſus in hoc primum de oratore conſentiunt,ut ſit is inueniendi, diſponendi, recordandi, eloquendi,pronunciandi peritus:quod ſi de unius artis artifice a Grammatico dialectico & ceteris artificibus diſtincto ſentiunt,confuſe faciunt:cum inuentio,diſpoſitio,& memoria dialecticorum propriae partes ſint, elocutio & pronunciatio ſolae rhetorum ſint:ſi de oratore tamquam politio principe praecipiunt,indiſerte facultatem eius exprimunt,quae non ſolum rhetorica & dialectica, ſed ceteris artibus contineatur, quae tamen in rhetoricis libris non explicantur.Deinde etiam inter ſe conueniunt,ut oratoris propria materies ſit in diſceptatione cauſſarum ciuilium,in quo uterque labitur: quia eloquentia communis eſt omnium quaeſtionum ciuilium & non ciuilium ornate dicendarum.diſſentiunt autem inter ſe, quod Scaeuola materiem rerum forenſiū ſine doctrina & cognitione magnarum artium agi & tractari poſſe defendit:ſi modo uir politicus prudētiam, & uſum,& facultatem mediocrem in agendis cauſsis nactus fuerit: & iccirco negat oratorem in omni genere humanitatis uerſatum eſſe oportere.Craſſus in hoc gradu Scaeuolae reſiſtit, quod perſaepe cauſſae eiuſmodi incidunt,in quibus de uirtutibus & uitiis,de natura & rebus occultis, de reip. de iure ciuili, de exemplis antiquitatum,deq. cunctis rebus,quae in artibus tractantur,oratori dicendum ſit:Itaque concludit oratorem nullius eruditionis expertem atque ignarum eſſe debere: in qua contentione uterque nomine oratoris abutitur

ad

ad ſignificandum hominem politicum actorem ciuilium cauſſarum. Illud etiam conſideremus, Craſſum, dum Scaeuolae reſpondet, parum ſibi conſtare, & inſtar Proteos uarium, & mutabilem eſſe: alias enim uera & germana notione oratorem informat, cum ei ſolum ornatum orationis attribuit; alias hominem politicum hoc nomine definit omnibus artibus inſtructum, qui de omni re ſcienter & ornate poſſit dicere; alias ut homo ille politicus aliquid ignoret, concedit, ſed hoc addit, cum rem quampiam ab homine docto cognouerit, eum melius, & ornatius eſſe dicturum, quam eum, a quo didicerit. quae collatio qualis eſſet, ſuo loco diximus.

PAVLLVS. MANVTIVS. AVDIVI *ſummos homines, cum quaeſtor ex Macedonia ueniſſem Athenas florente Academia: quod eam Carneades, & Clitomachus, & Aeſchines obtinebant.* ʒ uidetur his uerbis uidiſſe Carneadem Craſſus; idq. paullo poſt apertius oſtenditur, in eo: Athenis diligentius legi cum Carneade Platonis Gorgiam. uerum ego, cum tempora ad rationem reuoco, antiquiorem inuenio Carneadem, quam ut eum uel L. Craſſus, uel M. Antonius, qui & ipſe, auditum a ſe Carneadem, infra dicit, cognoſcere potuerint. diſtat enim longiſſime Carneadis aetas ab eo anno, quo uel quaeſtor Craſſus, uel proconſul Antonius Athenas uenit. perijt enim Carneades, ut ait Laertius, olympiadis CLXII anno quarto, id eſt circiter annum urbis conditae DCXXIV. Craſſus autem, cum conſul fuerit DCLIIX, quaeſtor eſſe potuit, legitimo magiſtratuum interuallo, anno urbis DCL, id eſt annis XXVI poſt obitum Carneadis. de Antonio idem dico: nam is proconſul in Ciliciam iuit, ut ſcripſit Obſequens, C. Mario IV, & Q. Catulo cos. anno urbis DCLI. nam, etſi praetor in eam prouinciam profectus eſt Antonius; proconſul tamen a Cicerone infra nominatur; quod nouum non eſt. Quod ſi Carneades non annis XXCIII, ut Laertius dixit, ſed XC uixit, ut ſcripſit Cicero Academicorum priorum lib. 2. tamen ne ſic quidem prope ad Craſſi quaeſturam acceſſerit, quippe qui Romam uenerit legatus Athenienſium uiuo Catone cenſorio, ut Plutarchus docet. praeterea, cum ipſe Craſſus lib. 3. dicat, affectum aetate Carneadem a Q. Metello Numidico adoleſcente auditum eſſe; Metellus autem aliquot annis ante Craſſi quaeſturam conſul fuerit; hoc etiam argumento conijcitur, aetatem Carneadis ad Craſſi quaeſturam non eſſe perductam. ſed placet ipſa Craſſi uerba recitare; quibus indicat, non a ſe auditum eſſe Carneadem, cum eius auditorum teſtimonio utatur. Multos, inquit, Carneadis auditores cognoui Athenis, auctores tamen certiſſimos laudare poſſum, & ſocerum meum Scaeuolam, qui eum Romae audiuit adoleſcens, & Q. Metellum L. F. clariſſimum uirum, qui illum a ſe adoleſcente Athenis, iam affectum ſenectute, multos dies auditum eſſe dicebat. Fortaſſe igitur memoriae uitio lapſus eſt Cicero noſter; aut nos temporum rationem recte non tenemus. VIMQ. *omnem humanitatis* ʒ Humanitatis nomen pro ipſo uſurpauit humano genere. infra enim idem iterauit hoc modo; Num admoueri poſſit oratio ad ſenſus animorum, atque motus uel inflammandos, uel etiam exſtinguendos, quod unum in oratore dominatur, ſine diligentiſſima perueſtigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis, ac moribus a philoſophis explicantur? VEL *noſtros decemuiros,* ʒ cum dixerit, Vel Graeci Lycurgum, aut Solonem: apte reſponderet, Vel noſtri decemuiros. ſed ueteres aduerſantur libri: itaque nihil muto: uerbum quidem, Anteponant, quod ſequitur, non reſpicit ad illud ſuperius, Graeci: ſed omnino ſubaudiendum eſt, noſtri, uel ſimile aliquid. CVM *ego praetor Rhodum ueniſſem,* ʒ opinor Q. Mucium augurem ex praetura in Achaiam iuiſſe. nam alter Q. Mucius pontifex max. non Achaiam, ſed Aſiam rexit, ut legitur ep. 17. lib. 5. ad Att. hoc ut putem, adducor Ciceronis teſtimonio, qui lib. 1. de Fin. Albutium a Scaeuola praetore Graece ſalutatum Athenis dicit. Athenas autem ad Achaicam adminiſtrationem pertinuiſſe, cognoſcitur ex epiſtolis duabus, quarta, & duodecima lib. 4. fam. & duabus item libri 6. prima & quarta. Occurrit illud. extra Achaiam Rhodus eſt: quid igitur Mucius praetor Rhodum; cum neque occurrat illa inſula nauigantibus Athenas; neque, ut eo ex prouincia proficiſcatur, ei leges permitterent. excedere enim prouinciae finibus nemini per leges licebat. Opinor Mucium, abſoluto Achaiae annuo imperio, Rhodum iuiſſe ante quam Roma rediret: quod leges non uetabant. iam enim definitum legibus annum prouinciae praefuerat. ſic Cicero, cum Ciliciae annum praefuiſſet, Rhodum, inquit, uolo puerorum cauſſa, ep. 7. lib. 6. ad Att.

C I C E R O

TVM *Antonius, Probas mihi, inquit, iſta, Craſſe, quae dicis: nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus ſis, ſi quid omnium rerum, atque artium rationem, naturamq. comprehenderit. ſed primum id difficile factu eſt, praeſertim in hac noſtra uita, noſtriſq. occupationibus: deinde illud etiam uerendum eſt, ne abſtrahamur ab hac exercitatione, & conſuetudine dicendi populari, & forenſi. aliud enim mihi quoddam genus orationis eſſe uidetur eorum hominum, de quibus paullo ante dixiſti: quamuis illi ornate, & grauiter aut de natura rerum, aut humanis de rebus loquantur. nitidum quoddam genus eſt uerborũ, & laetum, ſed palaeſtrae magis, & olei, quam huius ciuilis turbae, ac fori. namque egomet, qui ſero, ac leuiter Graecas litteras attigiſſem, tamen, cum proconſul in Ciliciam proficiſcẽs Athenas ueniſſem, cõplures tum ibi dies ſum propter nauigandi difficultatem commoratus. ſed, cum quotidie mecũ haberem homines doctiſſimos, eos fere ipſos, qui abs te modo ſunt nominati; cumq. hoc neſcio quo modo apud eos increbuiſſet, me in cauſſis maioribus, ſicuti te, ſolere uerſari; pro ſe quiſque eorum, quantum quiſque poterat, de officio, & ratione oratoris diſputabat. Horum alij, ſicut iſte ipſe Mneſarchus, hos, quos nos oratores uocaremus, nihil eſſe dicebat, & niſi quoſdam operarios lingua celeri, et exercitata: oratorem autem, niſi qui ſapiens eſſet, eſſe neminem: atque ipſam eloquentiam, quod ex bene dicendi ſcientia conſtaret, unam quandam eſſe uirtutem; &, qui unam uirtutem haberet, omnes habere: eaſq. ipſas eſſe inter ſe aequales,*

les,

les, & pares: ita, qui eßet eloquens, eum uirtutes omnes habere, atque eſſe ſapientem. Sed haec erat ſpinoſa quaedam, & exſilis oratio, longeq. a noſtris ſenſibus abhorrebat. Carneades uero multo uberius iÿſdem de rebus loquebatur: non quo aperiret ſententiam ſuam: (hic enim mos erat patrius Academiae, aduerſari ſemper omnibus in diſputando) ſed tum maxime tamen hoc ſignificabat; eos, qui rhetores nominarentur, & qui dicendi praecepta traderent, nihil plane tenere; neque poſſe quemquam facultatem aſſequi dicendi, niſi qui philoſophorum inuenta didiciſſet. Diſputabant contra diſerti homines Athenienſes, in rep. cauſſiſq. uerſati: in quibus erat etiam is, qui nuper Romae fuit, Menedemus, hoſpes meus. qui cum diceret eße quandam prudentiam, quae uerſaretur in perſpiciendis rationibus conſtituendarum, & regendarum rerum publicarum; excitabatur homo promptus ab homine abundanti doctrina, & quadam incredibili uarietate rerum, & copia. omnes enim partes illius ipſius prudentiae petendas eße a philoſophia docebat; neque ea, quae ſtatuerentur in rep. de dijs immortalibus, de diſciplina iuuentutis, de iuſtitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraque, ſine quibus ciuitates aut eße, aut bene moratae eße non poſſent, uſquam in eorum libris inueniri. Quod ſi tantam uim rerum maximarum arte ſua rhetorici illi doctores complecterentur: quaerebat, cur de prooemijs, et de epilogis, & de huiuſmodi nugis (ſic enim appellabat) referti eßent eorum libri; de ciuitatibus inſtituendis, de ſcribendis legibus, de aequitate, de iuſtitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, confirmandiſq. hominum moribus littera in eorum libris nulla inueniretur. Ipſa uero praecepta ſic illudere ſolebat, ut oſtenderet non modo eos illius expertes eſſe prudentiae, quam ſibi adſciſcerent, ſed ne hanc quidem ipſam dicendi rationem, ac uiam noſſe. caput enim eſſe arbitrabatur oratoris, ut & ipſis, apud quos ageret, talis, qualem ſe ipſe optaret, uideretur; id fieri uitae dignitate; de qua nihil rhetorici iſti doctores in praeceptis ſuis reliquiſſent: & uti qui audirent, ſic afficerẽtur animis, ut eos affici uellet orator: quod item fieri nullo modo poſſe, niſi cognoſceret is, qui diceret, quot modis hominum mentes, & quibus rebus, & quo genere orationis in quamque partem mouerentur: haec autem eſſe penitus in media philoſophia retruſa, atque abdita: quae iſti rhetores ne primoribus quidem labris attigiſſent.

Ea Menedemus exemplis magis, quam argumentis, conabatur refellere. memoriter enim multa ex orationibus Demoſthenis, praeclare ſcripta pronuncians, docebat illum in animis uel iudicum, uel populi in omnem partem dicendo permouendis non fuiße ignarum, quibus ea rebus conſequerẽtur, quae negaret ille ſine philoſophia quemquam ſcire poſſe. Hic reſpondebat, non ſe negare Demoſthenem ſummã prudentiam, ſummamq. uim habuiße dicẽdi: ſed ſiue ille hoc ingenio potuißet; ſiue, id quod conſtaret, Platonis ſtudioſus audiendi fuißet; nõ quid ille potuißet, ſed quid iſti docerent, eſſe quaerendum. Saepe etiam in eã partẽ ferebatur oratione, ut omnino diſputaret, nullam artem eße dicendi. idq. cum argumentis docuerat, quod ita nati eſſemus, ut & blandiri, & ſuppliciter inſinuare iÿs, a quibus eſſet petendum, & aduerſarios minaciter terrere poßemus; & rem geſtam exponere; & id, quod intenderemus, confirmare; & id, quod contra diceretur, refellere; & ad extremum deprecari aliquid, et conqueri: quibus in rebus omnis oratorum uerſaretur facultas: & quod conſuetudo, exercitatioq. & intelligendi prudentiam acueret, & eloquendi celeritatem incitaret: tum etiam exemplorum copia nitebatur. nam primum quaſi dedita opera neminem ſcriptorem artis ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe dicebat: cum repeteret uſque a Corace neſcio quo, & Tiſia; quos artis illius inuentores, et principes fuiße conſtaret. eloquentiſſimos autem homines, qui iſta nec didiciſſent, nec omnino ſciße curaſſent, innumerabiles quoſdam nominabat: in quibus etiam ſiue ille irridens, ſiue quod ita putaret, atque ita audiſſet, me in illo numero, qui illa nõ didicißem, & tamen, ut ipſe dicebat, poſſem aliquid in dicendo, proferebat. quorũ ego illi alterum facile aſſentiebar, nihil me didiciſſe: in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipſum errare arbitrabar. Artem uero negabat eſſe ullam, niſi quae cognitis, penituſq. perſpectis, & in unum exitum ſpectantibus, & numquàm fallentibus rebus contineretur: haec autem omnia, quae tractarentur ab oratoribus, dubia eſſe, et incerta; cũ & dicerentur ab iÿs, qui ea omnia non plane tenerent; & audirentur ab iÿs, quibus non ſcientia eſſet tradenda, ſed exigui temporis aut falſa, aut certe obſcura opinio. Quid multa? ſic mihi tum perſuadere uidebatur; neque artificium ullum eſſe dicendi; neque quemquam poſſe. niſi qui illa, quae a doctiſſimis hominibus in philoſophia dicerentur, cognoſſet, aut callide, aut copioſe dicere. Quibus dicere Carneades ſolebat, ingenium tuum, Craſſe, uehementer admirans, me ſibi perfacilem in dicendo, te perpugnacem in diſputando eſſe uiſum. Tumq. ego hac eadem opinione adductus, ſcripſi etiam illud quódam in libello, qui me imprudente, & inuito excidit, & peruenit in manus hominum; diſertos me cognoſſe non nullos, eloquentem adhuc neminem: quod eum ſtatuebam diſertum, qui poſſet ſatis acute, atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere; eloquentem uero, qui mirabilius, & magnificentius augere poßet, atque ornare, quae uellet, omneſq. omnium rerũ, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo, ac memoria contineret. id ſi eſt difficile nobis, qui ante, quam ad diſcendum ingreſſi ſumus, obruimur ambitione, & foro; ſit tamen in re poſitum, atque natura. Ego enim, quantum auguror coniectura, quantaq. ingenia in noſtris hominibus eſſe uideo; non deſpero fore aliquem aliquando, qui & ſtudio acriore, quam nos ſumus, atque fuimus; & otio, ac facultate diſcendi maiore, ac maturiore, & labore, atque induſtria ſuperiore, cum ſe ad audiendum, legendum, ſcribendumq. maiore opera dediderit, exſiſtat talis orator, qualem quaerimus; qui iure non ſolum diſertus, ſed etiam eloquens dici poſſit: qui tamen mea ſententia aut hic eſt iam Craſſus, aut, ſi quis pari fuerit ingenio, pluraque, quam hic, & audierit, & lectitarit, & ſcripſerit, paullum huic aliquid poterit addere.

EXPLA-

EXPLANATIO

PROBAS *mihi,*] Antonius inducitur uelut honorarius arbiter contentionis oratoriae inter Craſſum & Scaeuolam, quorum ſententias neque prorſus condemnat, neque prorſus approbat, ſed ea moderatione diſceptat, ut Scaeuolam de oratore forenſi, Craſſum de perfecto recte dixiſſe & ſenſiſſe doceat: & oratorem quidem Scaeuolae diſertum, Craſsi uero eloquentem nominet. Principio duae rationes afferuntur, quae dici & proferri ſolent contra oratorem Craſsi: quod uix quisquam talis eſſe poſsit, qualem fingit Craſſus: & quod eloquentiae cum philoſophia coniunctione forenſis dicto amittatur. NITIDVM] Allegoria ducitur ab athletis, qui quemadmodum ad uoluptatem ſpectantium nitidius & elegantius certabant, quam acrius & uehementius: ſic philoſophorum oratio magis ad delectandos animos, quam ad permouendos compoſita ſit. SED *cum*] Cicero indicat hanc contentionem & diſputationem de oratoris genere, & natura ex Graecorum philoſophorum libris ſumptam eſſe, nec aliud a ſe mandare his dialogis oratoriis, quã quod a Graecis philoſophis diſputatum & perſcriptum cognouit: ut urbanitas huius orationis tota ſit Ciceronis, ſententiae uero & capita diſputationis Graecorum philoſophorum. HORVM *alij,*] Antonius incipir referre contrarias Graecorum opiniones de oratore, quales prius inter Craſſum & Scaeuolam exſtiterunt: prima eſt Stoici Mneſarchi, qui fuit Panaetij auditor, oratorem non uſu forenſi quodam, ſed perfecto ſapientiae & uirtutum omnium cumulo definientis: cuius ſorites duobus ſyllogiſmis comprehenditur.

Primus ſic eſt,

Qui unam uirtutem habet, omnes adeptus eſt:
Qui eloquentiam habet, unam uirtutem habet:
Ergo qui eloquentiam habet, omnes uirtutes adeptus eſt.

Secundus ſic,

Qui adeptus eſt omnes uirtutes, ſapiens eſt:
Orator eſt adeptus omnes uirtutes:
Orator igitur eſt ſapiens.

Quam ſententiam parum probabilem eſſe ait Antonius: & reuera propoſitio prioris ſyllogiſmi Stoica magis eſt, quam uera: quia uirtutes morum & intelligentiae ſeparari poſſunt: nec enim, qui temperantiam habet, protinus omnes uirtutes habet morales: nec qui geometriam didicit, omnes artes didicit. CARNEADES *uero*] Carneades, patronus Academiae nouae, uehemeus fuit in diſputationibus, cuius argumenta contra rhetoras ſummatim referuntur: ac primum facilioris intelligentiae gratia Carneadis diſputatio duas in partes diſtribuenda eſt: quod philoſophia, quae eſt oratori neceſſaria, non explicetur a rhetoribus: quod nulla ſit ars rhetorum: prioris contentionis explicandae gratia interponitur ſententia Menedemi detrahentis oratori philoſophiam, oratorem ex mediocri prudentia definientis: cui Carneades protinus reſiſtit, probatq. eiuſmodi ciuilem prudentiam a Rhetoribus non recte informari: quia nihil de philoſophia praecipiunt, ſine qua orator in ciuilibus cauſſis uerſari non poſsit: ſumma eius ratio ſic concluditur.

Si rhetores philoſophiam tenerent, eam libris ſuis complecterentur & explicarent:
Sed philoſophiam libris ſuis non explicant:
Non igitur philoſophiam rhetores tenent.

IPSA *uero*] Alterum Carneadis argumentum (quod artem ſuam oratores neſciant) ſumitur ex praecipuis cauſſis benedicendi. Syllogiſmus ſic eſt,

Morum dignitas, & affectuum ratio explicantur a philoſophis, non a rhetoribus:
Dignitas morum & affectuum ratio, duo ſunt oratoris capita:
Duo igitur oratoris capita explicantur a philoſophis, non a rhetoribus.

Propoſitio fallax eſt, quia de moribus & affectibus ſatis multa praecipiuntur in rhetorum libris, ut Ariſtotelis, 1. & 2. lib rhet. ad Theod. Aſſumptio de ciuili & politico homine dicitur, non de uero & proprie dicto oratore, qui ſi informandus eſſet, eius certe facultati neque mores, neque affectus ſubiiceremus, ſed ſolam uim ornandae & cum diguitate uocis & geſtus exprimendae orationis. EA *Menedemus*] Menedemus contra proximum Carneadis argumentum de naturali philoſophia opponitur, utens exemplo Demoſthenis, qui ſummus orator fuerit, neque tamen artes phyſicas didicerit. DEMOSTHENIS] Carneades refellit Menedemum dupliciter, & quod Demoſthenis philoſophiam tenuerit, & quod, ſi non tenuiſſet, non ſequitur tamen artes rhetorum probari oportere, quae philoſophiam non docent. de Demoſthene quemadmodum Platonis auditor fuit, lege Ciceronem in Bruto, & perfecto orat. & Gellium lib. 3. cap. 13. HIC *reſpondebat,*] Secunda pars Carneadaeae contentionis (quod nulla ſit ars dicendi) confirmatur ad hunc modum.

Eloquentia natura & uſu conſtat:
Non igitur doctrina.

Sed argumentum fallax & captioſum eſt, quia quod natura fit, & uſu, etiam arte fieri poteſt: immo uero ex tribus rebus conſtat omnium uirtutum perfectio, natura, doctrina, & exercitatione. Illud praeterea conſiderandum eſt, ordiri, narrare, confirmare, refutare, perorate, nihil eſſe rhetoricae facultatis, ſed dialecticae inuentionis & diſpoſitionis. Quod uero Carneades citat aliquos rhetoras, qui minime eloquentes fuerint, & aliquos oratores, qui rhetoricae nullam artem didicerint, non inde concluditur nullam artem eſſe dicendi, quia neque ars ſola facit eloquentem hominem, neque natura & exercitatio ſolae oratorem perfectum efficiunt, ſed ad oratoris perfectionem arte praeterea opus eſt. Itaque neque mirum eſt rhetoras illos ſine natura caruiſſe laude dicendi, neque hos oratores ſine doctrina perfectos non fuiſſe.

Corace] Artium ſcriptores antiquisſimi, ait Fabius cap. 1 lib. 3. Corax & Tiſias Siculi, quos inſecutus eſt uir eiuſdem inſulae Gorgias Leontinus. Suidas Coracem appellat τῆς ῥητορικῆς εὑρετὴν, περὶ οὗ, καὶ τὸ, κακῆς κόρακος κακὸν εἰρημένον ᾠόν. id eſt, Rhetoricae inuentorem, de quo & illud eſt, Mali corui malum dictum ouum: neque tamen hic elocutionis & pronunciationis leges inuenit aut docuit, ſed de generibus cauſſarum & ſtatuũ, deq. partibus orationis aliquid primus ſcribere coepit: forenſem igitur & litigioſam quandam artem Corax inuenit, non ueram & proprie dictam Rhetoricam. Ariſtoteles ait, cum, ſublatis in Sicilia tyrannis, res priuatae longo interuallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod eſſet acuta illa gens & controuerſa natura, artem & praecepta Siculos Coracem & Tiſiam conſcripſiſſe: nam antea neminem ſolitum uia nec arte, ſed accurate tamen & de ſcripto pleroſq. dicere. Artem *uero*] Vltimum Carneadis argumentum a definitione artis. Syllogiſmus ſimplex ſecundi generis.

Ars conſtat ex rebus certis.
Rhetorica non conſtat ex rebus certis:
Rhetorica igitur non eſt ars.

Quod recte concluſum eſt de Rhetorica ciuili, in qua res inconſtantes & uariae tractantur. Qvid *multa?*] Carneadis diſputatio per epilogum concluditur, ubi duae principes totius orationis partes repetitae ſunt: oratorem ſine philoſophia neminem eſſe poſſe: & nullam eſſe rhetoricam artem.

Sententia Antonij de oratore.

Tvmqve *ego*] Antonius hic tamquam arbiter Graecorum philoſophorum & diſceptator eſt: oratoremq. Menedemi uocat diſertum, Carneadis uero & Mneſarchi eloquentem: quem utrumque definitione explicat, ut intelligatur in hac tamquam peroratione ſuperioris contentionis qualem oratorem Craſſus, & qualem Scaeuola inſtituat: & quid inter utrumque interſit Non uero ſatis (ut opinor) ſuperq. docuimus neque illum Craſsi, neque hunc Scaeuolae oratorem uere & proprie dici & informari: quia ut Grammaticus ex pure & emendate loquendi uirtute, ſic orator ex elocutionis & actionis facultate proprie & uere definitur: ſed recepto & uſitato errore & abuſu nominis ab utroque oratorem dici pro actore forenſium & ciuilium cauſſarum, qui ſi omnibus artibus ingenuis inſtructus ad agendum uenerit, is eſt orator, quem Craſſus quaerit & definit: ſin tantum ſit mediocri prudentia & facultate praeditus, is eſt orator & diſertus, quem Scaeuola definit. Itaque tota contentio, quae fuit in dialogo Craſsi & Scaeuolae, ad unius uerbi controuerſiam referri debet, quod nomen oratoris alio atque alio modo ſumitur: ob eamq. cauſſam adductus eſt Antonius arbiter, & quaſi diſceptator totius controuerſiae de definitione oratoris. Id *ſi eſt*] Πρόληψις eſt ad proximam definitionem eloquentis, id eſt, oratoris perfecti: quod is definiatur, qui nuſquam ſit, aut uix eſſe poſsit: cui reſpondetur abſolutam oratoris uirtutem definiri, non huius aut illius hominis eloquentiam. Antonij autem augurium de eiuſmodi oratore uidetur ad Ciceronem referri, in quo & ingenium ſummum, & doctrina multiplex, & ſtudium acerrimum, & cetera omnia, quibus eloquentia conſtat, longe maiora fuerunt, quam in ſuperioribus, qui illum aetate praeceſſerunt: ut ipſe eſt de ſe ipſo teſtis in Bruto, qui etiam nonnumquam in dialogis ſuis, aliena tamen perſona, de eloquentia ſua dicit, ut auctor eſt Quinctilianus lib. 10.

PAVLLVS. MANVTIVS. Cvm *proconſul Ciliciam proficiſcens Athenas ueniſſem,*] Proconſul, id eſt propraetor, dixit. nam in Ciliciam iuit ex praetura, quo anno & piratas deleuit, ut in epitome lib. 68. & apud Obſequentem ſcriptum eſt. nec mirum appellari proconſulem, qui conſulatum non geſſerit. ſic Q Metellus Celer in epiſt. 1. lib. 5. fam. ſic & Gellius lib. 1. de legibus, & C. Coſconius in interrogatione in Vatinium, & C. Conſidius in oratione pro Ligario, & L Aemilius Paullus in Liuio lib. 37. praeterea C. Caninius Rebilus, & C. Salluſtius Criſpus, Allienus apud Hirtium in libro de bello Africano; & Caeſar, & Auguſtus a Suetonio Proconſules dicuntur, conſulatu tamen non geſto. Qvibvs *dicere Carneades ſolebat,*] Hoc ad ea, quae proxime dicta ſunt, non poteſt referri: ad illud, opinor, ſpectat, ſatis longe remotum: Diſputabaut contra diſerti homines. iis enim hoc dicere Carneades ſolebat.

CICERO

Hoc loco Sulpicius, Inſperanti mihi, inquit, & Cottae, ſed ualde optanti utrique noſtrum cecidit, ut in iſtum ſermonem, Craſſe, delaberemini. nobis enim huc uenientibus iucundum ſatis fore uidebatur, ſi, cum uos de rebus aliis loqueremini, tamen nos aliquid ex ſermone ueſtro memoria dignum excipere poſſemus: ut uero penitus in eam ipſam totius huius uel ſtudij, uel artificij, uel facultatis diſputationem paene intimam perueniretis, uix optandum nobis uidebatur. ego enim, qui ab ineunte aetate incenſus eſſem ſtudio utriuſque ueſtrum, Craſſi uero etiam amore; cum ab eo nuſquam diſcederem, uerbum ex eo numquam elicere potui de uia, ac de ratione dicendi; cum & per me ipſum egiſſem, & per Druſum ſaepe tentaſſem. quo in genere tu, Antoni, (uere loquar) numquam mihi percunctanti, aut quaerenti aliquid defuiſti; & perſaepe me, quae ſoleres in dicendo obſeruare, docuiſti. nunc, quoniam uterque ueſtrum patefecit earum rerum ipſarum aditum, quas quaerimus, & quoniam princeps Craſſus eius ſermonis ordiendi fuit: date nobis hanc ueniam, ut ea, quae ſentitis de omni genere dicendi, ſubtiliter perſequamini. quod quidem ſi erit a uobis impetratum: magnam habebo, Craſſe, huic palaeſtrae, & Tuſculano tuo gratiam; & longe Academiae illi, ac Lycio tuum hoc ſuburbanum gymnaſium anteponam. Tum ille, Immo uero, inquit, Sulpici, rogemus Antonium; qui & poteſt facere id, quod requiris, & conſueuit, ut te audio dicere. nam me quidem fateor ſemper a genere hoc toto ſermonis refugiſſe, & tibi cupienti, atque inſtanti ſaepiſſime negaſſe, ut tute paullo ante dixiſti. quod ego non ſuperbia, neque inhumanitate faciebam; neque quo ſtudio rectiſſimo, atque

optimo

optimo non obſequi uellem; praeſertim cum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum, aptumq. cognoſſem; ſed mehercule iſtius diſputationis inſolētia, atque earum rerum, quae quaſi traduntur in arte, inſcitia. Tum Cotta. Quoniam id, quod difficillimum nobis uidebatur, ut omnino de his rebus, Craſſe, loquerere, aſſecuti ſumus: de reliquo iam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia, quae percunctati erimus, explicaris, dimiſerimus. De ijs, credo, rebus, inquit Craſſus, ut in critionibus ſcribi ſolet, quibus ſciam, poteroque. Tum ille: Nāque, quod tu non poteris, aut neſcies, quis noſtrum tam impudens eſt, qui ſe ſcire, aut poſſe poſtulet? Iam uero iſta condicione, dum mihi liceat negare poſſe, quod non potero; & fateri neſcire, quod neſciam; licet, inquit Craſſus, ueſtro arbitratu percunctemini. Atque, inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius expoſuit, quid ſentias quaerimus; exiſtimes ne artem aliquam eſſe dicendi. Quid mihi nunc uos, inquit Craſſus, tamquam alicui Graeculo otioſo, & loquaci, & fortaſſe docto, atque erudito, quaeſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, imponitis? quando enim me iſta curaſſe, aut cogitaſſe arbitramini? non ſemper irriſiſſe potius eorum hominum impudentiam, qui, cum in ſchola aſſediſſent, ex magna hominū frequentia dicere iuberent, ſi quis quid quaereret. quod primum ferunt Leontinum feciſſe Georgiam: qui permagnum quiddam ſuſcipere, ac profiteri uidebatur, cum ſe ad omnia, de quibus quiſque audire uellet, eſſe paratum denunciaret. poſtea uero uulgo hoc facere coeperunt, hodieq. faciunt; ut nulla ſit res neque tanta, neque tam improuiſa, neque tam noua, de qua ſe non omnia, quae dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos. Quod ſi te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, de his rebus audire uelle; adduxiſſem huc Graecum aliquem, qui nos iſtiuſmodi diſputationibus delectaret. quod ne nunc quidem difficile factu eſt. eſt enim apud M. Piſonem, adoleſcentem iam huic ſtudio deditum, ſummo hominem ingenio, noſtriq. cupidiſſimum, Peripateticus Staſeas, homo nobis ſane familiaris, &, ut inter homines peritos conſtare uideo, in illo ſuo genere omnium princeps. Quem tu mihi, inquit Mucius, Staſeam, quem Peripateticum narras? gerendus eſt tibi mos adoleſcentibus, Craſſe, qui non Graeci alicuius quotidianam loquacitatem ſine uſu, neque ex ſcholis cantilenā requirunt. ſed ex homine omnium ſapientiſſimo, atque ex eo, qui non in libellis, ſed in maximis cauſſis, & in hoc domicilio imperij, & gloriae ſit conſilio, linguaq. princeps: cuius ueſtigia perſequi capiunt, eius ſententiam ſciſcitantur. Equidem te cum in dicendo ſemper putaui deum: tū uero tibi numquam eloquentiae maiorem tribui laudem, quam humanitatis: qua nunc te uti uel maxime decet, neque defugere eam diſputationem, ad quam te duo excellentis ingenij adoleſcentes cupiunt accedere. Ego uero, inquit, iſtis obſequi ſtudeo: neque grauabor breuiter meo more, quid quaque de re ſentiam, dicere. Ac primum illud (quoniam, auctoritatem tuam negligere, Scaeuola, fas mihi eſſe non puto) reſpondeo: mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem uideri, ſed omnem eſſe contentionem inter homines doctos in uerbi cōtrouerſia poſitam. Nam, ſi ars ita definitur, ut paullo ante expoſuit Antonius, ex rebus penitus perſpectis, planeq. cognitis, atque ab opinionis arbitrio ſeiunctis, ſcientiaq. comprehenſis: non mihi uidetur ars oratoris eſſe ulla. ſunt enim uaria, & ad uulgarem, popularemq. ſenſum accommodata omnia genera huius forenſis noſtrae dictionis. Sin autem ea, quae obſeruata ſunt in uſu, ac tractatione dicendi, haec ab hominibus callidis, ac peritis animaduerſa, ac notata, uerbis deſignata, generibus illuſtrata, partibus diſtributa ſunt; id quod fieri potuiſſe uideo: non intelligo, quamobrem non, ſi minus illa ſubtili definitione, at hic uulgari opinione ars eſſe uideatur. Sed, ſiue eſt ars, ſiue artis quaedam ſimilitudo: non eſt quidem ea negligenda; uerum intelligendum eſt, alia quaedam ad conſequendam eloquentiam eſſe maiora. Tum Antonius uehementer ſe aſſentiri Craſſo dixit; quod neque ita amplecteretur artem, ut ij ſolerent, qui omnem uim dicendi in arte ponerent; neque rurſum eam totam, ſicut plerique philoſophi, facerent, repudiaret. Sed exiſtimo, inquit, gratum te his eſſe, Craſſe, facturum, ſi iſta expoſueris, quae putas ad dicendum plus, quam ipſam artem, poſſe prodeſſe.

EXLANATIO

HOc *loco*] Hactenus per Craſſum & Scaeuolam oratoris definitio uarias in partes diducta & diſputata fuit: & per M. Antonium uelut arbitrum quendam diſceptata & diiudicata: deinceps diſputabitur, de cauſsis & partibus eloquentiae perfectae, quibus orator Craſsi perfectus & abſolutus efficitur: quae ſunt natura, doctrina, & exercitatio: ad quas praeparatur aditus, interlocutione Sulpicii laudantis ſuperiorem ſermonem de definitione oratoris: & Craſſum ipſum ad ſequentem exhortantis. In quo interim ex decoro perſonarum Craſſus fingitur grauis & refragarius, Antonius uero facilis & humanus: ſeruatur etiam decorum in adoleſcentibus, Sulpicio & Cotta: qui dicendi cauſſa, ſenes interrogant, & ad reliquum ſermonem de cauſsis perfectae eloquentiae ſubtiliter explicandis inſtigant: tranſitus itaque a generali definitione oratoris ad generalem partitionem eloquentiae perfectae ex tribus cauſsis, natura, doctrina, & exercitatione: quas Craſſus in adoleſcentium gratiam demonſtrabit. TVSCVLANO *tuo*] Μετωνυμία eſt, qua per Ariſtotelis Lycium, & Academiam Plato ſignificatur: & per Tuſculanum, Ciceronis oratorius dialogus: qui Lycio & Academiae, id eſt Graecorum diſputationibus & libris longe anteponitur. TVM *ille*] Craſſus (quae eius eſt modeſtia) reiicit in Antonium propoſitam diſputationem: & ſeipſum excuſat a cauſsis diſsimilibus, quod non inhumanitate, ſed inſcitia hanc diſſerendi prouinciam fugerit, & fugiat: ſed Cotta iuuenis aliter additur ad urgendum Craſſum, ut inchoatum de oratore ſermonem continuet. Argumentum Cottae eſt a maiori ad minus:

Quod erat difficillimum, a Craſſo iam impetrauimus:
Quod igitur minus difficile eſt, non negabit.

DE *his credo rebus*,] Craſſus quaſi adoleſcentum precibus uictus, aſſentitur: decorum igitur in hoc dialogiſmo mirifice ſeruatum eſt, in quo & adoleſcentes praeſeferunt ingenuum quendam amorem diſcendi, & Craſſus homo grauis, & in rebus magnis occupatus, non tam ſua, quam adoleſcentium uoluntate, ad leuem

& ſcholaſticum de Rhetoricis rebus ſermonem deſcendit: hoc autem Craſsi aſſenſio concluſa eſt ad hunc modum:

Craſſus dicturus eſt de quibus ſcierit, aut poterit:

De oratoris autem facultate poterit:

De oratoris igitur facultate dicturus eſt.

Sulpicius admonitus ſuperiore oratione Carneadis, primam quaeſtionem ponit: ſit ne ulla ars
ATQVI *inquit*] quam Craſſus pro decoro perſonae ſuae contemnit, quod ſcholaſtica & ſophiſtica eiuſmodi diſputa-
dicendi? quam Craſſus pro decoro perſonae ſuae contemnit, quod ſcholaſtica & ſophiſtica eiuſmodi diſputatio a uiro graui, & in negotiis reipub. uerſato procul abhorreat: Itaque commemorat Sophiſtarum Graecorũ uetus exemplum, qui impudenter ſe de omni re dicturos eſſe profitebantur. Chaerepho apud Platonem: εἰπέ μοι, ὦ γοργία, ἀληθῆ λέγει καλλικλῆς ὅδε: ὅτι ἐπαγγέλλῃ ἀποκρίνεσθαι ὅ, τι ἄρ τίς σε ἐρωτᾷ; Γοργ. ἀληθῆ, ὦ χαιρεφῶν. καὶ γὰρ δὴ νῦν αὐτὰ ταῦτα ἐπηγγελλόμην, καὶ λέγω ὅτι οὐδείς μέ πω ἠρώτηκε καινὸν οὐδὲν πολλῶν ἐτῶν. Χαιρεφ. ἦ που ἄρα ῥᾳδίως ἀποκρίνῃ, ὦ γοργία. Γοργ. πάρεστι τούτου πεῖραν λαμβάνειν ὦ χαιρεφῶν. Id eſt, Dic mihi, o Gorgia, an uere Callicles hoc dicit, te profiteri ad id, de quo quis te interroget, reſpondere? Gorg. Vere ait, Chaerepho: id enim ipſum profi tebar, atque nihil noui multis iam annis me ab ullo homine interrogatum eſſe dico. Chaere. Facile igitur reſpõ des, Gorgia. Gorg. Licet tibi, o Chaerepho, periculum eiuſce rei facias. QVOD *ſi te*] Alterum exemplum uim habet diſsimilitudinis, quod haec quaeſtio a Staſea Graeco philoſopho petenda fuerit, non a Craſſo.

Staſeas Neapolitanus multos annos fuit apud M. Piſonem, nobilis ſane Peripateticus, ut ait Cicero lib. 5. de finib. hic autem Piſo, de quo mentio fit, maxime ex omnibus, qui ante fuerunt, Graecis doctrinis eruditus fuit: qui cum in cauſsis floruiſſet adoleſcens, minor haberi eſt coeptus poſtea: deinde ex uirginum iudicio magnam laudem eſt adeptus, & ex eo tempore quaſi reuocatus in curſum, tenuit locum tamdiu, quam ferre potuit laborem. Lege plura in Cicerone in Bruto. QVEM *tu*,] Auctoritas Scaeuolae interponitur, ad impellendum Craſſum, inuerſa proxima diſsimilitudine: Adoleſcentes non requirunt Staſeam hominem loquacem & inexpertum, ſed Craſſum potius doctiſsimum hominem, & uſu rerum ciuilium peritiſsimum, ubi Cicero indicat (quod etiam in prooemio fecit) hanc oratoriam diſputationem non tam ex rhetorum ſcholis, quam ex uſu ciuili & forenſi ſumptam eſſe: neque ſe tractare Graecas & Latinas rhetorum ſcholas, ſed eam potius eloquentiam, quam in agendis ciuilibus cauſsis expertus eſt, & cognouit. EQVIDEM *te*] Alterum Scaeuolae argumentum per ὑπερβολικῶν commendationem humanitatis: a minori ad maius.

In Craſſo ſumma ineſt eloquentia:

Sed humanitas multo maior.

Quae ratio laudis pertinet ad impellendum animum Craſsi, ne id uelit, quod duo adoleſcentes exoptant & rogant: in quo dialogiſmo iuuenilis ardor ad diſcendum percipiendumq. res honeſtas & utiles demonſtratur. EGO *uero*,] Craſſus reſpondet ad quaeſtionem de arte, adhibita diſtinctione nominis ambigui: ut cũ ars duobus modis definiatur, non priore quidem definitione, ſed poſteriore rhetorica ſit ars: nam prima definitio artis pertinet ad diſciplinas mathematicas, quae certiſsimae ſunt, & ex rebus plane cognitis, ſcientiaq. comprehenſis conſtant: ſecunda conuenit aliis artibus, quarum decreta non certis quidem, & euidentibus demõſtrationibus, ſed obſeruatione quadam, & probabili ratione continentur: in quo genere ſunt artes philoſophorum de moribus & rebus occultis probabiliter diſſerentium, & rhetorum, & opificum: in quibus tamen legitima & recta poteſt eſſe diſciplinae deſcriptio, ut ea res, de qua agitur, primum definiatur: deinde in genera diuidatur: tum partes generibus ſubiectae uia & ordine declarentur, donec ad extremas & infimas quaſque ſpecies diſputatio deducta fuerit. SED *ſiue eſt ars*.] Craſſus, expedita quaeſtione Sulpicij, monet utilem quidem eſſe artem rhetoricam, neque contemnendam: ſed alias eſſe tamen praeterea cauſſas ad dicendum multo maiores, & excellentiores: de quibus ut diſſerat, ab Antonio in adoleſcentium gratiam inuitatur.

PAVLLVS. MANVTIVS. VT *in critionibus ſcribi ſolet*] duo ueteres Cardinalis Borromei libri habent, Vt in cautionibus: duo Fuluij Vrſini, Vt in critionibus. quos ſum ſecutus, ut minus mendoſos. opinor enim legendum, Vt in cretionibus. notiſsimum iuriſconſultis uerbum eſt.

CICERO

DICAM equidem, quoniam inſtitui; petamq. a uobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis. quamquam moderabor ipſe: ne, ut quidam magiſter, atque artifex, ſed quaſi unus e rogatorum numero, atque ex forẽſi uſu homo mediocris, neque omnino rudis, uidear non ipſe aliquid a me prompſiſſe, ſed fortuito in ſermonem ueſtrum incidiſſe. Equidem, cum peterem magiſtratus, ſolebam in prehenſando dimittere a me Scaeuolam; cum ei ita dicerem, me uelle eſſe ineptum: id erat petere blandius: quod niſi inepte fieret, bene non poſſet fieri: hunc autem eſſe unum hominem ex omnibus, quo praeſente ego ineptus eſſe minime uellem: quem quidem nunc mearum ineptiarum teſtem, & ſpectatorem fortuna conſtituit. nam, quid eſt ineptius, quam de dicendo dicere? cum id ipſum, dicere, numquam ſit non ineptum, niſi cum eſt neceſſarium. Perge uero, Craſſe, inquit Mucius: iſtam enim culpam, quam uereris, ego praeſtabo. Sic igitur ſentio, inquit Craſſus, naturam primum, atque ingenium ad dicendum uim afferre maximam: neque uero iſtis, de quib. paullo ante dixit Antonius, ſcriptoribus artis rationem dicendi, & uiam, ſed naturam defuiſſe. nã & animi, atq. ingenij celeres quidã motus eſſe debent: qui ad excogitandũ acuti, & ad explicandum, ornandumq. ſint uberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni: &, ſi quis eſt, qui haec putet arte accipi poſſe; quod falſum eſt; (praeclare n. ſe res habeat, ſi haec accendi, aut commoueri arte poſſit: inſeri quidem, & donari ab arte non poſſunt etiam: ſunt enim illa dona naturae) quid de illis dicet, quae certe cum ipſo homine naſcuntur

linguae

linguae ſolutio, uocis ſonus, latera, uires, conformatio quaedam, & figura totius oris, & corporis. Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non poſſit: neque enim ignoro & quae bona ſint, fieri meliora poſſe doctrina; & quae non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi poſſe; ſed ſunt quidam aut ita lingua haeſitantes, aut ita uoce abſoni, aut ita ita uultu, motuq. corporis uaſti, atque agreſtes; ut, etiam ſi ingenijs, atque arte ualeant, tamen in oratorum numerum uenire non poſſint: ſunt autem quidam ita naturae muneribus in ijſdem rebus habiles, ita ornati; ut non nati, ſed ab aliquo deo ficti eſſe uideantur. Magnum quoddam eſt onus, atque munus, ſuſcipere, atque profiteri, ſe eſſe, omnibus ſilentibus, unum maximis de rebus magno in conuentu hominum audiendum. adeſt enim fere nemo, quin acutius, atque acrius uitia in dicente, quam recta uideat. ita, quidquid eſt, in quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda ſunt, obruit. Neque haec in eam ſententiam diſputo, ut homines adoleſcentes, ſi quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi ſtudio deterream. quis enim non uideat, C. Coelio, aequali meo, maximo honori fuiſſe, homini nouo, illam ipſam, quamcumque aſſequi potuerit, in dicendo mediocritatem? quis ueſtrum aequalem Q. Varium, uaſtum hominem, atque foedum, non intelligit illa ipſa facultate, quamcumque habet, magnam eſſe in ciuitate gratiam conſecutum? Sed, quia de oratore quaerimus, fingendus eſt nobis oratione noſtra detractis omnibus uitijs orator, atque omni laude cumulatus. neque enim, ſi multitudo litium, ſi uarietas cauſſarum, ſi haec turba, & barbaria forenſis dat locum uel uitioſiſſimis oratoribus, iccirco nos hoc, quod quaerimus, omittemus. itaque in ijs artibus, in quib. nõ utilitas quaeritur neceſſaria, ſed animi libera quaedã oblectatio, quam diligenter, & quam prope faſtidioſe iudicamus? nullae. n. lites, neque controuerſiae ſunt, quae cogant homines, ſicut in foro non bonos oratores, itẽ in theatro actores malos perpeti. Eſt igitur oratori diligenter prouidendum, non uti illis ſatisfaciat, quib. neceſſe eſt; ſed ut ijs ipſis admirabilis eſſe uideatur, quibus libere liceat iudicare. Ac, ſi quaeritis plane, quid ſentiã; enunciabo apud homines familiariſſimos, quod adhuc ſemper tacui, & tacendum putaui. Mihi etiam qui que optime dicunt, quiq. id facillime, atq. ornatiſſime facere poſſunt; tamen, ſi timide ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes uidentur. tametſi id non accidere non poteſt. ut enim quiſque optime dicit; ita maxime dicendi difficultatem, uarioſq. euentus orationis, hominumq. iudicia pertimeſcit. qui uero nihil poteſt dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atque edere; is mihi, etiam ſi commouetur in dicendo, tamẽ impudens uidetur. non enim pudendo, ſed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. quẽ uero nõ pudet; id quod in pleriſque uideo; hunc ego non reprehenſione ſolum, ſed etiam poena dignum puto. Equidem & in uobis animaduertere ſoleo, & in me ipſo ſaepiſſime experior, ut exalbeſcam in principijs dicendi, & tota mente, atque omnibus artubus contremeſcã. adoleſcentulus uero ſic in initio accuſationis exanimatus ſum; ut hoc ſummum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo conſiliũ dimiſerit, ſimul ac me fractum, ac debilitatum metu uiderit. Hic omnes aſſenſi, ſignificare inter ſeſe, & colloqui coeperunt. fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor; qui tamen non modo non obeſſet eius orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet. Tum Antonius, Saepe, ut dicis, inquit, animaduerti, Craſſe, & te, & ceteros ſummos oratores, quamquam tibi par mea ſententia nemo umquam fuit; in dicendi exordio permoueri. cuius quidem rei cũ cauſſam quaererem, quidnam eſſet, cur, ut in quoque oratore plurimum eſſet, ita maxime is pertimeſceret; has cauſſas inueniebam duas; unã, quod intelligerent ij, quos uſus, ac natura docuiſſet, nonnumquam ſummis oratoribus non ſatis ex ſententia euentum dicendi procedere; ita nõ iniuria, quotieſcumque dicerent, id, quod aliquando poſſet accidere, ne tum accideret, timere. altera eſt haec, de qua queri ſaepe ſoleo. ceterarum homines artium ſpectati, & probati, ſi quando aliquid minus bene fecerunt, quam ſolent; aut noluiſſe, aut ualetudine impediti non potuiſſe cõſequi id, quod ſcirent, putantur. noluit, inquiunt, hodie agere Roſcius, aut crudior fuit. oratoris peccatum, ſi quod eſt animaduerſum, ſtultitiae peccatum uidetur. ſtultitia autem excuſationem non habet: quia nemo uidetur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, ſtultus fuiſſe. quo etiam grauius iudicium in dicendo ſubimus. quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur. & qui ſemel in geſtis peccauit, non continuo exiſtimatur neſcire geſtum: cuius in dicendo aliquid reprehenſum eſt, aut aeterna in eo, aut certe diuturna ualet opinio tarditatis. Illud uero, quod a te dictum eſt, eſſe permulta, quae orator niſi e natura haberet, non multum a magiſtro adiuuaretur; ualde tibi aſſentior; inq. eo uel maxime probaui ſummum illum doctorem Alabandenſem Apollonium: qui, cum mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos iudicabat non poſſe oratores euadere, operam apud ſeſe perdere, dimittebatque, & ad quam quẽque artem putabat eſſe aptum, ad eam impellere, atque hortari ſolebat. ſatis eſt enim ceteris artificijs percipiendis tantummodo ſimilem eſſe hominis, & id, quod tradatur, uel etiam inculcetur, ſi quis forte ſit tardior, poſſe percipere animo, & memoria cuſtodire. non quaeritur mobilitas linguae, non celeritas uerborum, non denique ea, quae nobis non poſſimus fingere, facies, uultus, ſonus. In oratore autem acumen dialecticorum, ſententiae philoſophorum, uerba prope poetarum, memoria iuriſconſultorum, uox tragoedorum, geſtus paene ſummorum auctorum eſt requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inueniri poteſt. quae enim ſingularum rerum artifices ſingula ſi mediocriter adepti ſunt, probantur; ea niſi omnia ſumma ſunt in oratore, probari non poſſunt. Tum Craſſus, Atqui uidet, inquit, in artificio, & opera quam tenui, & leui quanto plus adhibeatur diligentiae, quam in hac re, quam conſtat eſſe maximam. ſaepe enim ſoleo audire Roſcium, cum ita dicat: ſe adhuc reperire diſcipulum, quem quidem probaret, potuiſſe neminem: non quo non eſſent quidam probabiles, ſed quia, ſi aliquid modo eſſet uitij, id ferre ipſe non poſſet. nihil eſt enim tam inſigne, nec tam ad diuturnitatem memoriae ſtabile, quam id, in quo aliquid offenderis. Itaque, ut ad hanc ſimilitudinem huius hiſtrionis oratoriam laudem dirigamus; uidetis ne, quam nihil ab eo, niſi perfecte, nihil niſi cum ſumma uenuſtate fiat, nihil niſi ita, ut deceat, & uti omnes moueat, atque delectet? itaque hoc iamdiu eſt conſecutus, ut, in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Hanc ego abſolutionem, perfectionemq. in oratore deſiderans, a qua ipſe longe abſum, facio impudenter. mihi enim uolo ignoſci: cete

ris

ris ipſe non ignoſco. nam qui non poteſt, qui uitioſe facit, quem deniq. non decet; hunc, ut Apollonius iubebat ad id, quod facere poſſit, detrudendum puto. Num tu igitur, inquit Sulpicius, me, aut hunc Cottã ius ciuile, aut rem militarem iubes diſcere? nam quis ad iſta ſumma, atque in omni genere perfecta poteſt peruenire? Tu ille, Ego uero, inquit, quod in uobis egregiam quandam, ac praeclarã indolẽ ad dicendum eſſe cognoui, iccirco haec expoſui omnia: nec magis ad eos deterrendos, qui non poſſent, quã ad uos, qui poſſetis, exacuendos accommodaui orationem meam. Et, quamquam in utroque ueſtrum ſummum eſſe ingenium, ſtudiumq. perſpexi: tamẽ haec, quae ſunt in ſpecie poſita, de quibus plura fortaſſe dixi, quam ſolent Graeci dicere, in te, Sulpici, diuina ſunt. Ego enim neminem nec motu corporis, neque ipſo habitu, atque forma aptiorem, nec uoce pleniorem, aut ſuauiorem mihi uideor audiſſe. quae quibus a natura minora data ſunt, tamen illud aſſequi poſſunt, ut ijs, quae habeat, modice, & ſcienter utantur, & ut ne dedeceat. id enim eſt maxime uitandum: & de hoc uno minime eſt facile praecipere, non mihi modo, qui ſicut unus paterfamilias his de rebus loquor, ſed etiã ipſi illi Roſcio: quem ſaepe audio dicere, Caput eſſe artis, decere, quod tamẽ unũ id eſſe, quod tradi arte non poſſit. Sed ſi placet, ſermonem alio transferamus, & noſtro more aliquãdo, non rhetorico loquamur. Minime uero, inquit Cotta. nunc enim te iam exoremus, neceſſe eſt, quoniã retines nos in hoc ſtudio, nec ad aliã dimittis artem, ut nobis explices, quidquid eſt iſtud, quod tu in dicendo potes. neque enim ſumus nimis auidi: iſta tua mediocri eloquẽtia contẽti ſumus: idq. ex te quaerimus; ut ne plus non aſſequamur, quã quantulum tu in dicendo aſſecutus es; quoniã, quae a natura expetenda ſunt, ea dicis non nimis deeſſe nobis: quid praeterea eſſe aſſumendum putes. Tum Craſſus arridens, Quid cenſes, inquit, Cotta, niſi ſtudium, & ardorem quendam amoris? ſine quo cum in uita nihil quidquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo umquam aſſequetur. Neque uero uos ad eam rem uideo eſſe cohortandos: quos, cum mihi quoque ſitis moleſti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. ſed profecto ſtudia nihil proſunt perueniẽdi aliquo, niſi illud, quod eo, quo intẽdas, ferat, deducatque, cognoris. Quare, quoniam mihi leuius quoddã onus imponitis; neque ex me de oratoris arte, ſed de hac mea, quantulacumque eſt, facultate quaeritis: exponam uobis non quandam, aut perreconditam, aut ualde difficilem, aut magnificam, aut grauem rationem conſuetudinis meae; qua quondam ſolitus ſum uti, cum mihi in iſto ſtudio uerſari adoleſcenti licebat.

Tum Sulpicius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatũ. quod enim neque precib. umquam, nec inſidiando, nec ſpeculando aſſequi potuit, ut, quid Craſſus ageret meditandi, aut dicendi cauſſa, non modo uideri mihi, ſed ex eius ſcriptore, & lectore Diphilo ſuſpicari liceret; id ſpero nos eſſe adeptos, omniaq. iam ex ipſo, quae diu cupimus, cognituros.

EXPLANATIO

DICAM *equidem*] Craſſus excitatus ad dicendum de maioribus eloquentiae cauſsis, nouo quaſi prooemio utitur: & dignitatis retinendae gratia, ſeipſum extenuat, quaſi res leues & ineptas dicturus ſit: qui locus illuſtratur duobus diſsimilibus: primum ſic eſt, Dicam non ut artifex, ſed ut mediocris cauſſidicus, non omnino imperitus. Secundum ſic, Cum prehenſabam, non habebam Scaeuolam teſtem, at teſtis hic eſt mearum ineptiarum. Val. Max. lib. 4. cap. 5. Licinius Craſſus, cum omnium candidatorum more, circum forum ſupplex populo ire cogeretur, numquam adduci potuit, ut id praeſente Scaeuola faceret, Itaque rogabat eum, ut a ſe, dum ineptae rei inſeruiret, diſcederet. NAM *quid eſt*] Ratio a coniugatis:

Dicere ſine aliqua cauſſa eſt ineptum,

Ergo praecipere de dicendo ſine aliqua cauſſa item ineptum eſt.

SIC *igitur ſentit,*] Craſſus incipit exponere cauſſas eloquentiae maiores arte, & praeſtantiores, naturam ſcilicet, & exercitationem: ac primum naturae partes enumerat, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam: ubi dialecticae naturalis partes cum eloquentiae partibus confundit: quia acumen ad inueniendum, & prudentia ad diſponendum, bonitaſq. memoriae, naturales dotes ſunt dialecticae uirtutis propriae: Nec uero Craſſum, ſi maxime uelis, excuſare poſsis, quod naturam politici hominis, & non communis oratoris, oratione ſua definiuerit: non enim naturam totã eiuſmodi hominis oſtendit, quem cum uellet eſſe perfectum omnibus artibus, aequum certe erat, ut, quemadmodum dialecticae & rhetoricae, ſic aliarum artium naturales dotes ei traderet, ut ſemina uirtutum ad percipiendam philoſophiam moralem, igniculos ingenii ad contemplationem phyſicam, naturae propenſionem ad ſtudium iuris: doceretq. quemadmodum uir ille politicus ad omnis diſciplinae ſcientiam egregie natus & aptus eſſet, & in eo mirabilis indoles omnium uirtutum eluceret. Ceterum natura oratoris, quae ſecundum ueterem & antiquam conſuetudinem artium male traditur a Craſſo, duabus in rebus cernitur, animo & corpore: ut animi dotes ſint ad percipiendam eloquentiam, acumen, ubertas, memoria: corporis autem bona ſint linguae ſolutio, cum omnibus ſublatis impedimentis expedite & articulate loquimur, qualẽ legimus fuiſſe in Cotta & Sulpicio, & pleriſq. aliis oratoribus. huic opponitur haeſitantia linguae, quam Cicero Philip. 3. notauit in Bambalione: tum uocis ſonus preſſus, ſuauis, urbanus, uenuſtus, ingenuus, liberalis, qualis fuit in Catulo: huic opponitur uox agreſtis, dura, & uaſta, & inculta: qualis fuit Cortae in Bruto. Tum latera firma, & robuſta ad eliciendum & ſuſtinendum ſpiritum uocis: ſic Cn. Pompeius lateribus pugnans dicitur, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus: tum conformatio quaedã totius oris, & corporis uenuſta & decens, unde magnam laudem tulit Hortenſius: contra uero uituperatus eſt Sex. Titius, ut ſolutus & mollis in geſtu: & C. Curio, qui, cum cauſſam ageret, toto corpore in utrãque uacillabat, haec & eiuſmodi dona naturae, licet ab arte iuuari poſsint, ut, ſi bona ſint, meliora fiant; ſi non omnino bona, arte quodam modo corrigantur & emendentur, ſicut de Demoſthene accepimus: tamen ab arte & doctrina non donantur, ſed a natura. NEQVE *haec ita dico*] Actio arte quidem iuuatur, ſed natura tamen potiſsimum conſtat: qui locus illuſtratur diſsimilitudine hominum, quorum alij uoce & geſtu corporis habiles & ornati ſunt,

alij

alij iiſdem in rebus inepti,& deformes. MAGNVM *quoddam*] Craſſus,expoſitis naturae dotibus,quibus inſtructus eſſe debet orator,amplioris commendationis gratia amplificat eloquentiae difficultatem, Magnum, inquit,& arduum eſt in conuentu multorum hominum dicere,quia in eo nihil niſi rectum, & perfectum requiritur. NEQVE *haec*] Prolepſis eſt,quod Craſſus non iccirco adoleſcentes, in quibus haec omnia naturae dona non fuerint, uelit ab eloquentia deterrere: quia & mediocribus oratoribus ſua laus eſt, (ut probat duobus exemplis Coelij & Varij) ſed quod hoc loco ſtatuat docere,qualis ſit optimus orator,quem non exemplo proprio & ſingulari,ſed uniuerſa quadam definitione,& cogitatione comprehendit. C. COELIO] Cicero in Bruto ſcribit,in Coelio induſtriam ſummam fuiſſe,ſummaſq. uirtutes,eloquentiae tantum,quam eſſet in rebus priuatis,amicis eius,in rep.ipſius dignitati ſatis. Ibidem de Q.Vario uidetur honorificentius ſentire,quam in hoc dialogo. Acutior (inquit) Carbone Q.Varius rebus inueniendis,nec minus uerbis expeditus,fortis uero actor & uehemēs,& uerbis nec humilis,nec abiectus,& quem plane oratorem dicere auderes. NEQVE *enim*] Prolepſis eſt a diſsimilibus:

Non ſi malus orator in foro toleratur,iccirco perfectus non eſt a nobis exquirendus.

qui locus illuſtratur diſsimilitudine artium ludicrarum, & forenſium: Non quemadmodum malus actor e theatro,ſic malus orator e foro exploditur: quia in hoc retinendo aliqua neceſsitas eſt,in illo non eſt. AC *ſi quaeritis*] Craſſus excitat attentionem ad praeceptum de ingenuo pudore oratoris, praeſertim in principio orationum: res igitur ita ſe habet,ut orator quo melior,eo uerecundior ſit: & quo deterior,eo ſit impudentior: ſic in principiis orationum Ciceronis ſaepe datur aliqua uerecundiae,& metus ſignificatio: ut pro Quinctio, Quae res in ciuitate plurimum poſſunt,hae contra nos faciunt ambae hoc tempore,ſumma gratia & eloquentia: quarum alterā, C.Aquilli, uereor,alteram metuo. eloquentia Q. Hortenſij ne me dicēdo impediat, nonnihil commoueor; gratia Sex. Naeuij ne P.Quinctio noceat,id non mediocriter pertimeſco. Et Agraria ſecunda, De me autem ipſo uereor,ne arrogantis ſit apud uos dicere,ingrati tacere. Et pro Milone, Etſi uereor,iudices,ne turpe ſit pro fortiſsimo uiro dicere incipientem,timere,minimeq. deceat,cum T.Annius Milo ipſe magis de reip.ſalute,quam de ſua perturbetur, me ad eius cauſſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe: tamen haec iudicij noua forma terret oculos,qui,quocumque inciderint, ueterem cōſuetudinem fori,& priſtinum morem iudiciorum minime uident. Et pro Deiotaro,Cum in omnibus cauſsis, C. Caeſar, initio dicendi commoueri ſoleam uehementius,quam uidetur uel uſus,uel aetas mea poſtulare,tū in hac cauſſa ita me multa perturbant,ut,quantum mea fides ſtudij mihi afferat ad ſalutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Et Fabius lib.4. Iudex,inquit,odit litigantis ſecuritatem. Item lib.11. Conuenit frequentiſsime prooemio lenis pronunciatio: nihil eſt enim ad conciliandum gratius uerecundia: non tamen ſemper. TVM *Antonius*,] Antonius approbat ſententiam Craſsi de ingenuo pudore oratoris: cuius duas cauſſas affert,& quod orator timet,ne cauſſae,aut famae ſuae non reſpōdeat: & quod in oratore peccatum non excuſetur. explicatio ſecundae cauſſae comparatione diſsimilium tractatur.

Hiſtriones, ſi quando peccant,excuſantur:
Orator non excuſatur.

Prima pars diſsimilitudinis probatur exemplo Roſcij: atque haec collatio de bono oratore, & excellenti hiſtrione intelligenda eſt. ORATORIS *peccatum*] Ἀνταπόδοσις,diſsimilitudinis, ubi ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis:

Stultitia non excuſatur:
Oratoris peccatum eſt ſtultitia:
Oratoris itaque peccatum non excuſatur.

ILLVD *uero*,] Antonius item approbat ſententiam Craſsi de naturalibus dotibus mentis,& corporis, quae in oratore requiruntur. idq. teſtimonio Apollonij Rhetoris Alabādenſis,qui diſcipulos indociles,& ad rhetoricam ineptos a ſe dimittebat. Alabanda autem, (ut ait Stephanus) opidum eſt Cariae, ab Alabando Caris filio ita nominatum. SATIS *eſt enim*] Confirmatio ex diſsimilitudine aliarum artium, quae contentae ſunt mediocri ingenio,& facultate hominis,eloquentia autem uariam,& multiplicem naturae facultatem,& gratiā requirit. Secunda pars diſsimilitudinis illuſtratur enumeratione earum rerum,quas orator a natura aſſumit: ubi Antonius indicat tā multa,quae oratori uelut legitimo poſſeſſori tribuuntur,nō eſſe eloquentiae propria, (nam ſingula propriis ſuis artificibus attribuit) neque oratorem definiri hominem unius artis,ſed uirum politicum multis ingenuis naturae dotibus inſtructū,ut dialecticis,philoſophicis,poeticis, tragicis, comicis &c. TVM *Craſſus*,] Craſſus auget eloquentiae difficultatem collatione hiſtrionicae artis, quae tametſi eloquentia minor eſt,tamen maxime induſtrias,& laborioſos habet artifices. qui locus facto, & exemplo Roſcij declaratur. SAEPE *enim ſoleo*] Collatio eſt ex diſsimilibus, Non quemadmodum Roſcius in arte ſua perfectus eſt,& detractis omnibus uitiis, omni laude cumulatus hiſtrio, ſic in eloquentia quiſquam perfectus inueniri poteſt. haec ſententia (Roſcius in ſuo genere) abiit in prouerbio,quo utimur ad ſignificandum hominem in aliqua arte excellentem: Q. enim Roſcius tanta dignitate uocis,& geſtus comoedias in ſcena agebat,ut hominis actione nihil uideretur eſſe uenuſtius, & excellentius: de quo Cicero in orationibus pro Quinctio, pro Roſcio & pro Archia poeta. NVM *tu igitur*] Πρόληψις eſt ad pudorem,& decorum perſonarum,ne adoleſcentes Cotta & Sulpicius ea ſibi uideantur arrogare, quae Craſſus de natura oratoris commemorauit: eſt enim elegantius laudes noſtras alieno, quam noſtro ore praedicari. Itaque Craſſus eam laudem magis decore proſequitur,& auget collatione maiorum.

Magnae ſunt ingenij, & corporis dotes in Cotta,& Sulpicio.

Sed

Sed in Sulpicio maiores & excellentiores ſunt.

Vbi Sulpicius adducitur in exemplum excellentis oratoris, & maximis naturae dotibus praediti, Cotta uero in exemplum mediocris & tolerabilis oratoris. Fuit Sulpicius (ut ait Cicero in Bruto) omnium, quos quidem audierim, grandis, & (ut ita dicam) Tragicus orator: uox cum magna, tum ſuauis: geſtus & motus corporis ita uenuſtus, ut tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus uideretur. QVAE *quibus.*] De natura mediocris oratoris Craſſus hoc praecipit, ut ab eo decorum praecipue ſeruetur: idq. dicit maxime propter Cottam, in quo non erat tam excellens uis naturae, quam in Sulpicio. erat enim, ut ait Cicero in Bruto, infirmis lateribus. QVOD *tamen anum*] Tametſi in ſingulis artibus intelligitur, quid in his rebus, quas artes maxime tractant, decorum ſit, ut ex grãmatica, quomodo loquamur, ex arithmetica, quomodo recte numeremus, ex geometria, quomodo apte metiamur: tamen infinitae ſunt res artibus non comprehenſae, in quibus, quid decorũ ſit, nulla ars & doctrina tradit. SED *ſi placet,*] Craſſus ſimulat ſe alio uelle transferre ſermonẽ, ut habeat perpetuam perſonae & grauitatis ſuae rationem, ne iudicio & uoluntate ſua, ſed potius adoleſcentum cohortatu, & precibus in hac diſputatione Rhetorica commorari uideatur: itaque huic additur Cotta ſupplex, qui Craſſi eloquẽtiam per iocum & εἰρωνείαν extenuat, ut Craſſus (ſicut antea) ſe moroſum & difficilem ad reſpondendum, & reliqua explicandum praebeat. QVID *cenſeo,*] Ardens amor naturae coniunctus eſt, quia naturale eſt incitamentum ad percipiendam & conſequendam eam uirtutem, ad quam natus ſis & habilis: res enim magnae ab hominibus comparantur: primum ſi ad eas ſint apti, deinde ſi eas ardore quodam amoris optent: tum ſi uiam & artem in agendo cognoſcant: poſtremo ſi uſum & exercitationem adhibeant.

C I C E R O

TVM Craſſus, Atqui arbitror, Sulpici, cum audieris, non tam te haec admiraturum, quae dixero, quam exiſtimaturum, tum, cum ea audire cupiebas, cauſſam, cur cuperes, non fuiſſe. nihil enim dicam reconditum, nihil exſpectatione ueſtra dignum, nihil aut inauditum uobis, aut cuiquam nouum. Nam principio illud, quod eſt homine ingenuo liberaliterq. educato dignum, non negabo, me iſta omnium communia, & contrita praecepta didiciſſe: Primum, oratoris officium eſſe, dicere ad perſuadendum accommodate: deinde, eſſe omnem orationem aut de infinitae rei quaeſtione, ſine deſignatione perſonarũ, & temporum; aut de re certis in perſonis, ac temporibus locata: in utraque autem re quidquid in controuerſiam ueniat, in eo quaeri ſolere, aut factum ne ſit; aut, ſi eſt factum, quale ſit; aut etiam quo nomine nocetur; aut, quod nonnulli addunt, recte ne factum eſſe uideatur: exſiſtere autem controuerſias etiam ex ſcripti interpretatione; in quo aut ambigue quid ſit ſcriptum, aut contrarie, aut ita, ut a ſententia ſcriptum diſſideat: his autem omnibus partibus ſubiecta quaedam eſſe argumenta propria: ſed cauſſarum, quae ſint a communi quaeſtione ſeiunctae, partim in iudicijs uerſari, partim in deliberationibus: eſſe etiam genus tertium, quod in laudandis, aut uituperandis hominibus poneretur: certosq. eſſe locos, quibus in iudicijs uterentur, in quibus aequitas quaeritur; alios in deliberationibus; qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus conſilium daremus; alios item in laudationibus, in quibus ad perſonarum dignitatem omnia referrentur. Cumq. eſſet omnis oratoris uis, ac facultas in quinque partes diſtributa; ut deberet reperire primum, quid diceret; deinde inuenta non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam, atque iudicio diſpenſare, atque diſponere; tum ea denique ueſtire, atque ornare oratione; poſt memoria ſaepire; ad extremum agere cum dignitate, & uenuſtate: etiam illa cognoram, & acceperam, ante, quam de re diceremus, initio conciliandos eorum eſſe animos, qui audirent; deinde rem demonſtrandam; poſtea controuerſiam conſtituendam; tum id, quod nos intenderemus, confirmandum, poſt, quae contra dicerentur, refellenda; extrema autem oratione, ea, quae pro nobis eſſent, amplificanda, & augenda; quaeq. eſſent pro aduerſarijs, infirmanda, atque frangenda. Audieram etiam, quae de orationis ipſius ornamentis traderentur: in qua praecipitur primum, ut pure, & Latine loquamur; deinde, ut plane, & dilucide; tum, ut ornate, poſt ad rerum dignitatem apte, & quaſi decore: ſingularumq. rerum praecepta cognoram. Quin etiam, quae maxime propria eßent naturae, tamen his ipſis artem adhiberi uideram. nam de actione, & de memoria quaedam breuia, ſed magna cum exercitatione praecepta guſtaram. In his enim fere rebus omnis iſtorum artificum doctrina uerſatur. quam ego ſi nihil dicam adiuuare, mentiar: habet enim quaedam quaſi ad commonendum oratorem, quo quidque referat, & quo intuens, ab eo, quodcumque ſibi propoſuerit, minus aberret. uerum ego hanc uim intelligo eſſe in praeceptis omnibus; non ut ea ſecuti oratores eloquentiae laudem ſint adepti; ſed quae ſua ſponte homines eloquentes facerent, ea quoſdam obſeruaſſe, atque delegiſſe: ſic eſſe non eloquentiam ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum: quod tamen, ut ante dixi, non eijcio: eſt enim etiam ſi minus neceſſarium ad bene dicendum, tamen ad cognoſcendum non illiberale. Eius exercitatio quaedam ſuſcipienda uobis eſt: quamquam uos quidem iam pridem eſtis in curſu: ſed ijs, qui ingrediuntur ad ſtudium, quiq. ea, quae agenda ſunt in foro, tamquam in acie, poſſunt etiam nunc exercitatione quaſi ludicra praediſcere, ac meditari. Hanc ipſam, inquit Sulpicius, noſſe uolumus. attamen iſta, quae abs te breuiter de arte decurſa ſunt, audire cupimus: quamquam ſunt nobis quoque non inaudita. uerum illa mox: nnnc, de ipſa exercitatione quid ſentias, quaerimus. Equidem probo iſta, Craßus inquit, quae uos facere ſoletis; ut, caußa aliqua poſita conſimili cauſſarum earum, quae in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad ueritatem accommodate. ſed plerique in hoc uocem modo, neque eam ſcienter, & uires exercent ſuas, & linguae celeritatem incitant, uerborumq. frequentia delectantur. in quo fallit eos, quod audierunt; dicendo homines, ut dicant, efficere ſolere. uere enim etiam illud dicitur; peruerſe dicere, homines peruerſe dicendo facillime conſequi. Quamobrem in iſtis ipſis exercitationibus etſi utile eſt etiam ſubito ſaepe dicere: tamen illud utilius, ſumpto ſpatio ad cogitandum, paratius, atque accuratius dicere.

dicere. Caput autem eſt, quod, ut uere dicam, minime facimus; eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus; quamplurimum ſcribere, ſtylus optimus, & praeſtantiſſimus dicendi effector, ac magiſter: neque iniuria. nam, ſi ſubitam, & fortuitam orationem commentatio, & cognatio facile uincit: hanc ipſam profecto aſſidua, ac diligens ſcriptura ſuperabit. omnes enim ſiue artis ſunt loci, ſiue ingenij cuiuſdam, atque prudentiae, qui modo inſunt in ea re, de qua ſcribimus, inquirentibus nobis, omniq. acie ingenij contemplantibus, oſtendunt ſe, & occurrunt; omnesq. ſententiae, uerbaq. omnia, quae ſunt cuiuſque generis maxime illuſtria, ſub acumen ſtyli ſubeant, & ſuccedant, neceſſe eſt. tum ipſa collocatio, conformatioq. uerborum perficitur in ſcribendo, non poetico, ſed quodam oratorio numero, & modo.

EXPLANATIO

TVM *Craſſus*] Expoſitis naturalis eloquentiae, ſtudiiq. muneribus, oratori neceſſarijs, 'Craſſus dicturus de Rhetorica arte ſecunda cauſſa perfectae eloquentiae modeſte extenuat quod dicturus eſt, ad retinendum ingenuum pudorem. Dicam (inquit) non magnum aliquid, ſed quod adoleſcentulus didici, & facere conſueui de artificio rhetorico'. NAM *principio*] Craſſus breuiter perſtringit artis rhetoricae praecepta, quae fuſius duobus reliquis libris explicantur: haec autem ſummatim ſunt in definitione oratoris, & in tribus partibus artis, quaeſtione, facultate oratoris, & oratione, quam diſtributionem Cicero quoque in partitionibus oratorijs ſecutus eſt. Definitio oratoris ex eius fine ſumitur: nam oratori, id eſt (ut nunc loquimur) aduocato ciuili propoſitum eſt apte dicere ad perſuadendum: quae definitio communis oratoris propria nō eſſet, quia dialectica inuentio & diſpoſitio magis ad perſuadendum, quam rhetorica uel elocutio, uel actio ualet. DEINDE *eſſe*] Quaeſtio diuiditur ex grammaticis circumſtantijs nominum: ut enim haec ſunt communia, uel propria, ita uel communiter, uel proprie aliquid quaeritur: quae diuiſio uera quidem eſt, ſed inutilis, uel in hac quinque partibus confuſa rhetorica: quia tota ars & inuentionis & diſpoſitionis, & elocutionis, & actionis, & memoriae, bene tradita, communis eſt omnium quaeſtionum: quemadmodum igitur doctrina diſpoſitionis, uel elocutionis non requirit diuiſionem quaeſtionis in infinitam & finitam, ita neque ars inuentionis, cuius generalia praecepta omnibus explicandis quaeſtionibus inſeruiunt. IN *utraque*] Vtrumque genus quaeſtionis infinitum & finitum diuiditur in quaeſtionem uel de re, uel de ſcripto: & quaeſtio de re diuiditur in ternas ſpecies, an ſit aliquid factum, quod ſit, rectene factum ſit: ut An ſit tyrannus, rectene occidatur tyrannus, an non; &, An ſit Clodius inſidiator, quid ſit Clodius, rectene caeſus ſit Clodius. Sed haec partitio uidetur eſſe manca & imperfecta, quia multa quaeruntur, quae in nullum horum generum cadunt: ut Vbi uiuit Salamandra, quādo ueniet Antichriſtus, ex qua materia factus eſt murus Babylonis? EXSISTERE *autem*] Quaeſtio legalis, & communiter & proprie tripartita eſt: alias enim naſcitur ex ambigue ſcripto, ut quidam teſtamento iuſsit poni ſtatuam auream haſtam tenentem: quaeritur an ſtatua debeat eſſe aurea, an haſta. alias ex contrariis ſcriptis: ut Tyrannicidae ſtatua in gymnaſio ponatur: &, Mulieri ſtatua in gymnaſio ne ponatur. Mulier occiſo tyranno ſtatuam petit, quaeſtio ex contrariis legibus naſcitur, alias ex ſcripto & uoluntate ſcribentis: ut Peregrinus ſi muros adſcēderit, capite plectatur: peregrinus cum hoſtes muro deieciſſet, depoſcitur ad ſupplicium; quaeritur hic ſenſus & interpretatio legis. HIS *autem*] Rhetores quaeſtionem uarie diuidunt, quod non putent unam communem eſſe inuentionem omnium quaeſtionum, & iccirco ſingulis generibus ſuos locos accommodant, ſicut faciet Antonius libro ſecundo: ſed tamen ſicut eſt una pronunciatio communis omnium rerum pronunciandarum, ſic quoque una inuentio communis omnium argumentorum tradi potuit, & a Cicerone ipſo tradita eſt. nam cauſſae, effectus, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, notatio, coniugatio, diuiſio, definitio, teſtimonia, ſunt loci quidam generales, qui tractandis omnibus quaeſtionibus conueniunt, & ſub quibus omnes rhetorici loci, qui adhibentur ad ſingulas quaeſtiones, continentur. SED *cauſſarum*] Quaeſtio finita, quam Graeci ὑπόθεσιν, Latini cauſſam nominant, diuiditur in tria genera, iudicium, deliberationem, & demonſtrationem; quae partitio ex Ariſtotelis primo libro ad Theodecten ſumpta eſt, ſed manca & imperfecta, quia non omnis quaeſtio ſpecialis in his tribus generibus ponitur, ſed iccirco ab antiquis retenta eſt, quod in his fere ſolis generibus politicus orator exerceretur. CVMQ. *eſſet*] Diuiſio rhetoricae facultatis in inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & actionem, ſi de uera & communi rhetorica intelligitur, ſuperuacua eſt, quia inuentio, diſpoſitio, & memoria communis huius rhetoricae nihil ſunt, ſed dialecticae artis partes ſunt; ſin de rhetorica forenſi intelligitur, mutila, & imperfecta eſt, quia forenſis illa rhetorica non ſolum conſtat ex his quinque partibus, ſed etiam ex philoſophia morali & naturali, ex hiſtoria, iuriſprudētia, & multis aliis diſciplinis, quae ad uſum forenſem neceſſariae ſunt. Itaque utrāuis rhetoricae ſignificationem rhetores ſequuntur, peccant in diuiſione, quia uel illic multa non neceſſaria ponunt, uel hic multa neceſſaria praetermittunt. TVM *ea*] Elocutio ueſti comparatur, uelut inuentio corpori, ut lib. 2. de Oratore, Non erit, ut opinor, iniqua partitio, ſi cum hunc ego oratorem, quem fingo, ut inſtitui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Craſſo ueſtiendum atque ornandum. Et in Bruto, Reconditas exquiſitaſq. ſententias mollis & pellucens ueſtiebat oratio. ETIAM *illa*] Diuiſio orationis in quinque partes, earumq. ordo partium, rhetoricum nihil habet, quia in his quinque partibus nihil praecipitur de ornatu & actione orationis, ſed ex dialecticae methodi legibus dependet, quae iubent ut in exordio res primum proponatur, deinde narratione explicetur, tum certas in partes diuidatur, quae adhibita confirmatione uel refutatione doceantur, uel improbentur, tum ad extremum diſputatio concludatur, eamq. ordinis deſcriptionem, ſiquid artis eſt, non oratoria, ſed dialectica ars ſuo iure ſibi uindicat, quippe cuius ſit proprium munus docere, quae

in longa oratione proponi,& quae ſequi uia & ordine debeant. AVDIERAM] De quattuor elocutionis uirtutibus,quas Craſſus propoſuit,una dumtaxat eſt oratoris propria & germana:nam Latine loqui,non eſt laus oratoris , ut ait Cicero lib. 3.de Orat.ſed ciuis Romani:& perſpicuitas in oratione communis eſt uirtus Grãmaticae,Rhetoricae,Dialecticae:& decorum item commune eſt omnium artium,omnisq. humanae prudentiae & humanitatis:ſolus igitur ornatus in tropis & figuris rhetoricae elocutionis proprius eſt. IN *his enim*] Concludit rhetoricae artis utilitatem allegorica ſimilitudine ſagittariorum:qui ſcopum, quo tela ſua dirigant, intuentur:nec tamen omnem uim dicendi ſtatuit in arte ipſa: quia ante artem repertam multi fuerunt eloquẽtes,ex quorum obſeruatione ars ipſa nata ſit:homines enim,ut ait Fabius cap. 2. lib. 3. ſicut in medicina cum uiderent alia ſalubria,alia inſalubria,ex obſeruatione eorum fecerunt artem : ita cum in dicendo alia utilia , alia inutilia deprehendereut,notarunt ea ad imitandum,uitandumq. , & quaedam ſecundum rationem eorum adiecerunt ipſi quoque:haec confirmata ſunt uſu,tum quae quiſq. ſciebat, docuit. VERVM *ego*] Artis rhetoricae obſeruatio ab antiquis rhetoribus uitioſe facta uitioſam artem genuit . nam cum in ſingulis artibus propria & diſtincta materies.obſeruari debeat,ut Grammaticae materies in Grammatica,& rhetoricae in rhetorica:Graeci tamen & Latini rhetores non propriam quandam eloquentiae uim & facultatem ſpectarunt,ſed potius hominem unum,in quo ſpecies multarum artium elucerent: &, cum eloquentia ad omnes res accommodari poſsit,nihilominus tamen illi rhetoricam artem dumtaxat ad materiem cauſſarum ciuilium traduxerunt: Itaque in tota artis deſcriptione propter uitioſam obſeruationem grauiter erratum eſt . E T *exercitatio*] Craſſus tranſit ab arte rhetorica ad exercitationem,tertiam cauſſam conſequendae eloquentiae,cuius duo ſunt prima & ſumma genera:eloquentia enim exercetur partim domi,partim in foro & ciuilibus cauſsis: & prior illa domeſtica exercitatio poſterioris huius forenſis gratia ſuſcipitur , ut cum adoleſcentes in rhetorum ſcholis diu multumq. declamauerint,legerint,audierint,ſcripſerint,multa uaria didicerint,multo paratiores & inſtructiores ad ueram eloquentiae exercitationem,id eſt,ad agendas ciuiles cauſſas accedant.quo in loco uidemus exercitationis oratoriae campum anguſtioribus terminis concludi,quam expediat:Craſſus enim eloquentiae ſtudium ad uſum forenſis dictionis totum refert, at eloquentia exercenda eſt non ſolum ut in foro & ſenatu, ſed ut in hiſtoria,ut in philoſophia,ut denique in omni re,quaecumque oblata fuerit,eleganter & ornate dicas: nec minus eloquentiam exercuit in philoſophia Plato,aut in hiſtoria Theopompus,aut in poeſi Pindarus,quã Athenis Demoſthenes,aut Romae Cicero,in iudiciis aut concionibus publicis.Sed Craſsi ſententiam explicemus: Declamatio primum genus eſt domeſticae & ludicrae exercitationis,& declaratur ſimilitudine tironum qui prius exercentur in campo,quam in aciem & proelium ueniant.interpoſita igitur Sulpicij adoleſcentis rogatione,Craſſus tradit duo declamationis oratoriae praecepta,primum , ut ea ſit forenſium cauſſarum ſimilis, quod etiam praecipit Fabius lib.2 & 10.ſecundum , ut ſit meditata,ubi reprehendit tractatum in ſcholis prouerbium,ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν πορίζεται. id eſt, dicendo conſequimur ut dicamus . quia ut bene dicendo , boni oratores,ſic male dicendo,mali & uitioſi ſiunt: cum igitur duplex ſit ratio declamandi , una ſubita & extemporalis,altera prouiſa & meditata,licet prior interdum ſit utilis , poſteriorem tamen magis approbat Craſſus. CAPVT *autem eſt,*] Secundum genus exercendae eloquentiae eſt ſtylus , qui cum ſit duplex , alter ſubitus , alter meditatus,Craſſus hunc meditatum magis probat,primum a ſimilibus, Vt declamatio meditata melior eſt,quam extemporalis,ita ſcriptio:deinde,quod ille partes rhetoricae (quae uulgo dicuntur) diligentius exercentur,inuentio,diſpoſitio,& elocutio,quem locum Fabius lib.10.cap.3.explicat.Sit primo tardus , dum diligens,ſtylus,quaeramus optima,nec protinus ſeſe offerentibus gaudeamus,adhibeatur iudicium inuentis,diſpoſitio probatis,delectus enim rerum uerborumq. habendus eſt , & pondera ſingulorum examinanda , poſtea ſubeat ratio collocandi,uerſenturq. omni loco numeri. Et paullo poſt,Sic ſcripſiſſe Salluſtium accepimus, & ſane manifeſtus eſt etiam ex opere ipſo labor.Virgilium quoque paucisſimos ſcripſiſſe die uerſus auctor eſt Varius,oratoris quidem alia eſt condicio.itaque hanc moram & ſolicitudinem initiis impero: nam primum hoc conſtituendum,hoc obtinendum eſt,ut quam optime ſcribamus,celeritatem dabit conſuetudo:paullatim res facilius ſeſe oſtendent,uerba reſpondebunt,compoſitio ſequetur,cuncta denique,ut in familia bene conſtituta , in officio erunt . ſumma haec eſt rei , Cito ſcribendo non fit ut bene ſcribatur , bene ſcribendo fit ut cito. STYLVS *optimus*] Stylus erat inſtrumentum,quo ueteres in tabulis ſcribebant.hinc factum eſt,ut ſtylus pro ſcriptione per metonymiam dicatur,ut in Bruto,Etiam artifex (ut ita dicam) ſtylus.Et in epiſt.Stylus dicendi opifex Et libro tertio de Oratore.Hanc ad legem cum exercitatione, tum ſtylo , qui & alia , & hoc maxime ornat & limat,formanda nobis oratio eſt.

C I C E R O

HAEC ſunt,quae clamores,& admirationes in bonis oratoribus efficiunt:neque ea quiſquam , niſi diu , multumq. ſcriptitarit , etiam ſi uehementiſſime ſe in his ſubitis dictionibus exercuerit, conſequetur : & qui a ſcribendi conſuetudine ad dicendum uenit , hanc affert facultatem, ut, etiam ſubito ſi dicat,tamen illa,quae dicantur, ſimilia ſcriptorum eſſe uideantur : atque etiam , ſi quando in dicendo ſcriptum attulerit aliquid,cum ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis oratio conſequetur . ut concitato nauigio cum remiges inhibuerunt, retinet tamẽ ipſa nauis motum, & curſum ſuum,intermiſſo impetu, pulſuq. remorum: ſic in oratione perpetua, cum ſcripta deficiunt , parem tamen obtinet oratio reliqua curſum , ſcriptorum ſimilitudine & ui concitata . In quotidianis autem commendationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maxime,qua C. Carbonẽ,noſtrum il-

lum

lum inimicum, ſolitum eſſe uti ſciebam; ut, aut uerſibus propoſitis quammaxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere, eam remipſam, quam legiſſem, uerbis alijs quam maxime poſſem lectis pronunciarem. ſed poſt animaduerti hoc eſſe in hoc uitij; quod ea uerba, quae maxime cuiuſque rei propria, quaeq. eſſent ornatiſſima, atque optima, occupaſſet aut Ennius, ſi ad eius uerſus me exercerem; aut Gracchus, ſi eius orationem mihi forte propoſuiſſem: ita, ſi ijſdem uerbis uterer, nihil prodeſſe, ſi alijs, etiam obeſſe, eum minus idoneis uti conſueſcerem. Poſtea mihi placuit, eaq. ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum oratorum Graecas orationes explicarem: quibus lectis, hoc aſſequebar; ut, cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non ſolum optimis uerbis uterer, & tamen uſitatis; ſed etiam exprimerem quaedam uerba imitando, quae noua noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea. Iam, uocis, & ſpiritus, & totius corporis, & ipſius linguae motus, & exercitationes non tam artis indigent, quam laboris: quibus in rebus habenda eſt ratio diligenter, quos imitemur, quorum ſimiles uelimus eſſe. intuendi nobis ſunt non ſolum oratores, ſed etiam actores; ne mala conſuetudine ad aliquam deformitatemq. ueniamus. Exercenda eſt etiam memoria ediſcendis ad uerbum quamplurimis & noſtris ſcriptis, & alienis. atque in ea exercitatione non ſane mihi diſplicet adhibere, ſi conſueris, etiam iſtam locorum, ſimulacrorumq. rationem, quae in arte traditur. Educenda deinde dictio eſt ex hac domeſtica exercitatione, & umbratili medium in agmen; in puluerem, in clamorem, in caſtra, atque aciem forenſem: ſubeundus uſus omnium; & periclitandae uires ingenij; & illa commentatio incluſa in ueritatis lucem proferenda eſt. Legendi etiam poetae, cognoſcenda hiſtoria: omnium bonarum artium ſcriptores, ac doctores & legendi, & peruolutandi, & exercitationis cauſſa laudandi, interpretandi, corrigendi, uituperandi, refellendi: diſputandumq. de omni re in contrarias partes: & quid quid erit in quaque re, quod probabile uideri poſſit, eliciendum, atque dicendum. Perdiſcendum ius ciuile: cognoſcendae leges: percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina reip. iura ſociorum, foedera, pactiones: cauſſa imperij cognoſcenda eſt. Libandus eſt etiam ex omni genere urbanitatis, facetiarum quidam lepos, quo tamquam ſale perſpergatur omnis oratio. Effudi uobis omnia, quae ſentiebam: quae fortaſſe, ſi quemcunque patremfamilias arripuiſſetis ex aliquo circulo, eadem uobis percunctātibus reſpondiſſet.

EXPLANATIO

HAEC *ſunt*] Commendatur diligens, & accuratus ſtylus ex his, quae bonis oratoribus accidunt, cuiuſmodi ſunt clamores, & admirationes audientium, ex accurata diligentia faciendae, & poliendae orationis. INHIBVERVNT,] Inhibere, uerbum eſt nauticum, quo Cicero hic abutitur: non enim eſt remos ſuſtinere, ſed contra remigare: nec tamen, ſi improprie locutus eſt Cicero, iccirco locus hic corrigendus, & immutandus eſt, ut pro eo Suſtinere reponatur: ſed ſatis eſt admonere Ciceronem improprie locutum eſſe: in quo cum ipſe rurſus in alio opere peccaſſet, peccatum ſuum a nautis didicit, ut ſcribit ad Atticum lib. 13. Inhibere illud tuum, quod ualde mihi arriſerat, uehementer diſplicet: eſt enim uerbum totum nauticum: quamquam id quidem ſciebam, ſed arbitrabar ſuſtineri remos, cum inhiberi eſſent remiges iuſsi: id nō eſſe eiuſmodi didici heri, cum ad uillam noſtram nauis appelleretur: Non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant: id ab ἐποχῆς remotiſsimum eſt. quare facies, ut ita ſit in libro quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, ſi forte mutauit: nec eſt melius quidquā, quam ut Lucullus ſuſtineat currum, ut bonus ſaepe agitator, equoſque: ſemperq. Carneades προβολὴν pugilis, & retentionem aurigae ſimilem facit ἐποχῆ. Inhibitio autem remigum motum habet, & uehementiorem quidem remigationis nauem conuertentis ad puppim. Vides quanto hoc diligentius curem, quam aut de rumore, aut de Pollione. IN *quotidianas*] Duplex exercendi ſtyli ratio proponitur: una, cum Latini alicuius auctoris ſententiae uerbis aliis explicantur: altera, cum Graeca Latine redduntur: priorem Craſſus improbat hoc argumento:

Si utimur iiſdem uerbis, nihil proficimus: ſi aliis, minus idoneis uti conſueſcimus:

Sed utimur iiſdem, aut aliis uerbis:

Quare in hoc genere exercitationis aut nihil proficimus, aut minus idoneis uerbis uerbis uti conſueſcimus. Sed Craſſus dupliciter fallitur, in partitione, & in partis unius reiectione. In partitione quidem, quia non tantum duo ſunt modi, quibus ſtylus Latine conformari poſsit, ſed etiam tertius adiici debet, cum auctoris alicuius Latini non ſententiam eandem, ſed argumētum ſimile nobis proponimus, quod uerbis ipſius auctoris aut omnibus, aut quāplurimis exprimamus: quo modo pueri utiliter in Ciceronis imitatione exercētur. In partis etiam reiectionis fallitur Craſſus, quia poſſumus ſententiā propoſiti alicuius auctoris tā idoneis, & illuſtribus uerbis reddere, quam auctor ipſe ſit: itaque Fabius lib. 10. conuerſionem ex Latinis ait multum conferre, neque παράφρασιν, tantum interpretationem eſſe uult, ſed circa eoſdem ſenſus certamen, atque aemulationē: idque ab aliis, & a Cicerone diſſentit. qui uertere Latinas orationes uetant, quia, occupatis optimis, quidquid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe deterius: nam (ut ait Fabius) non ſemper deſperandum eſt aliquid illis, quae dicta ſunt, melius poſſe reperiri: neque naturam tam ieiunam, & pauperem fecit eloquentiam, ut una de re niſi ſemel dici non poſsit. Quid? Quod Cicero nobile certamen cū Roſcio Comoedo inſtituit, utrū hiſtrio circa uoces eaſdem plura geſtu uariare, an orator ipſe eādē cum pluribus uerbis ornare poſſet? Et de Archia poeta Cicero loquitur his uerbis, Quoties uidi reuocatū dicere eandē rem cōmutatis uerbis, atque ſentētiis? Et rhetores cōmorationē uocāt figurā, cū eadē res cōmutatis uerbis iteratur. Itaque Craſſus hoc loco nobis audiendus non eſt. POSTEA *mihi*] Altera ſtyli exercēdi ratio tum ualet, cum ſtylus Latine iam factus eſt: non enim Graeca Latine bene reddi poſſunt, niſi Latina iam noris: qua exercitatione multi decepti ſunt, qui cum Latine neſcirent, ſperarunt tamen ex hac Craſsi ſententia Graecis auctoribus Latine uertendis magnā ſe ſtyli laudem

conſecuturos: cum tamen eorum ſcriptis nihil ſit ineptius & infantius. Cicero autem prius Romae Latine, didicit, quam Athenis Graece: & cum Demoſthenis, Platonis, Xenophontis Graecos libros Latine uertebat, optime tum Latine ſciebat; & quod Fabius praecipit a Graecis eſſe incipiendum, id tum in Romana conſuetudine ualuit, qua infantes & pueri a nutricibus Latine loqui diſcebant. IAM *uocis*] Tertium genus domeſticae exercitationis eſt in actione, in qua Craſſus praecipit, ut nobis optimos quoſque non oratores ſolum, ſed hiſtriones proponamus: ſic Demoſthenes ex Graecis oratoribus Calliſtratum, ex hiſtrionibus Satyrum: & Cicero ex Latinis oratoribus Craſſum, Antonium, Sulpicium, & Hortenſium: ex hiſtrionibus uero, Roſciũ & Aeſopum diligenter obſeruauit. EXERCENDA *eſt*] Exercitatio memoriae plurimum confert, quia ſuppeditat oratori promptuarium multarum rerum, & copiam uerborum: itaque utile eſt oratori multa ſcripta ad uerbum ediſcere, & ut ſententiis & uerbis abundet: quod uero Craſſo non diſplicet artem memoriae, quam Simonides inueniſſe dicitur, adhibere ex locis & imaginibus, ab eo Quinctilianus lib. 11. diſſentit, & hanc artem totam deridet, ut confuſam & operoſam nimis: cenſetq. potius compoſitione & diuiſione rerum, quas ediſcere uolumus, utendum eſſe. ſiqua uero doctrina eſt iuuandae memoriae, ea tota eſt artificij dialectici, in legibus ſyllogiſmi & methodi. quemadmodum dialecticae inſtitutiones Petri Rami planius indicant. EDVCENDA] Eloquentia non ſolum exercetur domi in declamando, ſcribendo, uocem & geſtum conformando, multa memoriae mandando, ſed etiam in foro, ut in actionibus ciuilium cauſſarum, quae per allegoricam ſimilitudinem bello & proelio comparantur: quia ut illic ferro & ſtrepitu inter milites, ita hic uoce & clamore inter oratores decertatur; itaque perſaepe Cicero res foreſes metaphoris rerum bellicarum ſignificat, propter uicinam & germanam quandam earum inter ſe ſimilitudinem, ut in Bruto, Phaleraeus eruditiſsimus ille quidẽ horum omnium, ſed non tam armis inſtitutus, quam palaeſtra: itaque delectabat magis Athenienſes, quam inflammabat: proceſſerat enim in ſolem & puluerem, non ut e militari tabernaculo, ſed ut e Theophraſti doctiſsimi hominis umbraculis. Et Cicero in Orat. de ſeipſo ſic ait, Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum? LEGENDI] Craſſus relabitur ad reliquas partes exercitationis domeſticae, quas ſummatim & breuiter perſequitur, ut lectionem poetarum, quam Theophraſtus ait oratori plurimum conferre: hiſtoriam, quae, ut ait Fabius lib. 10. orationem alit uelut molli quodam ſucco: cognitionem omnium bonarum artium, unde copia dicendi comparatur: diſputationem de rebus in contrarias partes, quae ingenium hominis acuit ad forenſes controuerſias: iuris ſcientiam, qua egent cauſſae forenſes quotidie: ſcientiam politicam, quae mores reip. & diſciplinam continet: facetiasq., quae ad delectandum auditorem plurimum ualent. LIBANDVS *eſt*] Facetiarum lepos comparatur ſali: quod ut ſal, adſperſus cibis, gratiores eos efficit, ita facetiae condimenta quaedam ſunt, & deliciae orationis, quae riſum & uoluptatem mouent: Quinetiam facetiae μεταφορικῶς dicuntur ſales: ut in Officijs lib. 1. Sale uero & facetiis Caeſar Catuli patris frater uicit omnes. Et ad Paetum, Accedunt nunc Attici, ſed ſalſiores, quam illi Atticorum, Romani ueteres atque urbani ſales. EFFVDI *uobis*] Generalis eſt concluſio de tribus eloquentiae cauſsis, natura, doctrina, & exercitatione: cum modeſta extenuatione Craſsi paene deſpicientis ſermonem ſuum tritum & uulgarem, & uel imperitiſsimis hominibus notiſsimum.

CICERO

HAEC cum Craſſus dixiſſet, ſilentium eſt conſecutum: ſed, quamquam ſatis ijs, qui aderant, ad id, quod erat propoſitum, dictum uidebatur: tamen ſentiebant celerius eſſe multo, quam ipſi uellent, ab eo peroratum. Tum Scaeuola, Quid eſt, Cotta, inquit? quid tacetis? nihil ne uobis in mentem uenit, quod praeterea a Craſſo requiratis? Immo id mehercule, inquit, ipſum attendo. tantus enim curſus uerborum fuit; & ſic euolauit oratio, ut eius uim, & incitationem adſpexerim, ueſtigia, ingreſſumq. non uiderim: &, tamquam in aliquam locupletem, ac refertam domum uenerim, non explicata ueſte, neque propoſito argento, neque tabulis, & ſignis propalam collocatis, ſed his omnibus multis, magnificisq. rebus conſtructis, ac reconditis; ſic modo in oratione Craſſi diuitias, ac ornamenta eius ingenij per quaedam inuolucra, atque integumenta perſpexi; ſed ea cum contemplari cuperem, uix adſpiciendi poteſtas fuit. ita neque hoc poſſum dicere, me omnino ignorare, quid poſſideat; neque plane noſſe, ac uidiſſe. Quin tu igitur facis idem, inquit Scaeuola, quod faceres, ſi in aliquam domum plenam ornamentorum illam ueniſſes. ſi ea ſepoſita, ut dicis, eſſent; tuq. ualde ſpectandi cupidus eſſes: non dubitares rogare dominum, ut proferri iuberet, praeſertim ſi eſſet familiaris. ſimiliter nunc petes a Craſſo eam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam uno in loco quaſi per transennam praetereuntes ſtrictim adſpeximus, in lucem proferat, & ſuo quidque loco collocet. Ego uero, inquit Cotta, a te peto, Scaeuola. me enim, & hunc Sulpicium impedit pudor ab homine omnium grauiſſimo, qui genus huiuſmodi diſputationis ſemper contempſerit, haec, quae ipſi forſitan puerorum elementa uideantur, exquirere. ſed tu hoc nobis da, Scaeuola, & perfice, ut Craſſus haec, quae coartauit, & peranguſte refferſit in oratione ſua, dilatet, nobis, atque explicet. Ego mehercule, inquit Mucius, antea ueſtra magis hoc cauſſa uolebam, quam mea: neque enim tantopere hanc a Craſſo diſputationem deſiderabam, quantopere eius in cauſsis oratione delector: nunc uero, Craſſe, mea quoque etiam cauſſa rogo; ut, quoniam tantum habemus otij, quantum iamdiu nobis non contigit, ne grauere exaedificare id opus, quod inſtituiſti. formam enim totius negotij opinione maiorem, melioremq. uideo: quam uehementer probo. Enimuero, inquit Craſſus, mirari ſatis non queo, etiam te haec, Scaeuola, deſiderare: quae neque ego teneo, uti ij, qui docent; neque ſunt eius generis, ut, ſi optime tenerem, digna eſſent iſta ſapientia, ac tuis auribus. An tu, inquit ille, ſi de iſtis communibus, & peruagatis uix huic aetati audiendum putas, etiam ne illa negligere poſſumus, quae tu oratori cognoſcenda eſſe dixiſti; de naturis hominum, de moribus, de rationibus ijs, quibus hominum mentes & incitarentur, & reprimerentur; de hiſtoria, de antiquitate,

tate, de adminiſtratione reip. denique de noſtro iſpo iure ciuili. hanc enim ego omnem ſcientiam, & copiam rerum in tua prudentia ſciebam ineſſe: in oratoris uero inſtrumento tam lautam ſupellectilem numquam uiderem. Potes igitur, inquit Craſſus, (ut alia omittam, quae ſunt innumerabilia, & immenſa, & ad ipſum tuum ius ciuile ueniam) oratores putare eos, quos multas horas exſpectauit, cum in campum properaret & ridens, & ſtomachans Scaeuola? cum Hypſaeus maxima uoce, plurimis uerbis a M. Craſſo praetore contenderet, ut ei, quem defendebat, cauſſa cadere liceret: Cn. autem Octauius, homo conſularis, non minus longa oratione recuſaret, ne aduerſarius cauſſa caderet, ac ne is, pro quo ipſe diceret, turpe tutelae iudicio, atque omni moleſtia ſtultitia aduerſarij liberaretur.

Ego uero iſtos, inquit, (memini enim mihi narrare Mucium) non modo oratoris nomine, ſed ne foro quidem dignos putarem. Atqui non defuit illis patronis, inquit Craſſus, eloquentia, neque dicendi ratio, aut copia, ſed iuris ciuilis prudentia: quod alter plus, lege agendo, petebat, quam quantum lex in XII tabulis permiſerat; quod cum impetraſſet, cauſſa caderet: alter iniquum putabat, plus ſecum agi, quam quod eſſet in actione; neque intelligebat, ſi ita eſſet actum, litem aduerſarium perditurum. Quid his paucis diebus? nō ne, nobis in tribunali Q. Pompeij, praetoris urbani, familiaris noſtri, ſedentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, ut illi, unde peteretur, uetus, atque uſitata exceptio daretur, CVIVS pecuniae dies fuiſſet? quod petitoris cauſſa comparatum eſſe non intelligebat: ut, ſi ille infitiator probaſſet iudici, ante petitam eſſe pecuniam, quam eſſet coepta deberi; petitor rurſus cū peteret, ne exceptione excluderetur, quod ea res in iudicium antea nō ueniſſet. Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici poteſt, quam eum, qui hanc perſonam ſuſceperit, ut amicorum controuerſias, cauſſasq. tueatur, laborantibus ſuccurrat, aegris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis, tenuiſſimisq. rebus ita labi, ut alijs miſerandus, alijs irridendus eſſe uideatur? Equidem propinquum noſtrum P. Craſſum, illum diuitem, & multis alijs in rebus elegantem hominem, & ornatum, & praecipue in hoc efferendum, & laudandum puto; quod, cum P. Scaeuolae frater eſſet, ſolitus eſt ei perſaepe dicere: neque illum in iure ciuili ſatis illi arti facere poſſe, niſi dicendi copiam aſſumpſiſſet; quod quidem hic, qui mecum conſul fuit, filius eius eſt conſecutus: neque ſe ante cauſſas amicorum tractare, atque agere coepiſſe, quam ius ciuile didiciſſet. Quid uero ille M. Cato? non ne & eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora, atque illa aetas in hac ciuitate ferre maximū potuit; & iuris ciuilis omnium peritiſſimus? Verecūdius hac de re iamdudum loquor, quod adeſt uir in dicendo ſummus: quem ego unum oratorem maxime admiror: ſed tamen idem hoc ſemper ius ciuile contempſit. Verum, quoniam ſententiae, atque opinionis meae uoluiſtis eſſe participes, nihil occultabo; &, quod potero, uobis exponam, quid de quaque re ſentiam. Antonij incredibilis quaedā, & prope ſingularis, & diuina uis ingenij uidetur, etiam ſi hac ſcientia iuris nudata ſit, poſſe facile ceteris armis prudentiae cauſſas tueri, atque defendere. quamobrem hic nobis ſit exceptus; ceteros uero non dubitabo primum inertiae condemnare ſententia mea, poſt etiam impudentiae. nam uolitare in foro, haerere in iure, ac praetorum tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus ſaepe non de facto, ſed de aequitate, ac iure certetur; iactare ſe in cauſſis centumuiralibus, in quibus uſucapionū, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumq. rerum innumerabilium iura uerſentur; cum omnino, quid ſuum, quid alienum; quare denique ciuis, an peregrinus, ſeruus, an liber quiſpiam ſit, ignoret: inſignis eſt impudentiae. Illa uero deridenda arrogantia eſt; in minoribus nauigijs rudem eſſe ſe confiteri, quinqueremes autem, aut etiam maiores gubernare didiciſſe. Tu mihi, cum in circulo decipiare aduerſarij ſtipulatiuncula; &, cum obſignes tabellas clientis tui, quibus id ſit ſcriptum, quo ille capiatur; ego tibi ullam cauſſam maiorem committendam putem? citius hercule is, qui duorum ſcalmorum nauiculam in portu euerterit, in Euxino ponto Argonautarum nauem gubernarit. Quid, ſi ne paruae quidem cauſſae ſunt, ſed ſaepe maximae, in quibus certatur de iure ciuili? quod tandem os eſt illius patroni, qui ad eas cauſſas ſine ulla ſcientia iuris audet accedere? Quae potuit igitur eſſe cauſſa maior, quam illius militis; de cuius morte cum domum falſus ab exercitu nuncius ueniſſet; & pater eius, re credita, teſtamentum mutaſſet; &, quem ei uiſum eſſet, feciſſet heredem; eſſetq. ipſe mortuus: res delata eſt ad centumuiros; cum miles domum reueniſſet, egiſſetq. lege in hereditatem paternam teſtamento exheres filius? nempe in ea cauſſa quaeſitum eſt de iure ciuili, poſſet ne paternorum bonorum exheres eſſe filius, quem pater teſtamento neque heredem, neque exheredem ſcripſiſſet nominatim. Quid, qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumuiri iudicarunt? cum Marcelli ab liberti filio ſtirpe, Claudij patricij eiuſdem hominis hereditatē gente ad ſe rediſſe dicerent: non ne in ea cauſſa fuit oratoribus de toto ſtirpis, ac gentilitatis iure dicendum? Quid, quod item in centumuirali iudicio certatum eſſe accepimus? qui Romā in exſilium ueniſſet, cui Romae exſulare ius eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum applicuiſſet, inteſtatoq. eſſet mortuus: non ne in ea cauſſa ius applicationis, obſcurum ſane, & ignotum, patefactum in iudicio, atque illuſtratum eſt a patrono? Quid nuper? cum ego C. Sergij Auratae cōtra hunc noſtrū Antonium iudicio priuato cauſſam defenderem; non ne omnis noſtra in iure uerſata defenſio eſt? cū enim Marius Gratidianus aedes Auratae uendidiſſet; neque ſeruire quandam earum aedium partem in mancipij lege dixiſſet: defendebamus, quidquid fuiſſet incommodi in mancipio, id ſi uenditor ſciſſet, neque declaraſſet, praeſtare debere. Quo quidem in genere familiaris noſter M. Bucculeius, homo neque meo iudicio ſtultus, & ſuo ualde ſapiens, & a iuris ſtudio non abhorrens, ſimili in re quodā modo nuper errauit. nam, cum aedes L. Fuſio uenderet; in mancipio lumina, uti tum eſſent, ita recepit. Fuſius autem, ſimulatq. aedificari coeptum eſt in quadā parte urbis, quae modo ex illis aedibus conſpici poſſet, egit ſtatim cum Bucculeio; quod, cuicumque particulae caeli officeretur, ita, quamuis eſſet procul, mutari lumina putabat. Quid uero, clariſſima M'. Curij cauſſa, & M. Coponij nuper apud centumuiros quo concurſu hominum, qua exſpectatione defenſa eſt? cum Q. Scaeuola, aequalis, & collega meus, homo omnium et diſciplina iuris ciuilis eruditiſſimus, & ingenio, prudentiaq. acutiſſimus, & oratione maxime limatus, atque ſubtilis, atque, ut ego ſoleo dicere, iuris peritorum eloquentiſſimus, eloquentium iuris peritiſſimus, ex ſcri-

pto

*pto teſtamentorum iura defenderet, negaretq., niſi poſtu-
mus & natus, & ante, quam in ſuam tutelam ueniſſet,
mortuus eſſet, heredem eum eſſe poſſe, qui eſset ſecundum
poſtumum & natum, & mortuum heres inſtitutus: ego au
tem defenderem, hac eum mente fuiſſe, qui teſtamentum
feciſſet; ut, ſi filius non eſſet, qui in tutelam ueniret, M'. Cu
rius eſſet heres. num deſtitit uterque noſtrum in ea cauſſa,
in auctoritatibus, in exemplis, in teſtamentorum formulis,
hoc eſt in medio iure ciuili uerſari? Omitto iam plura exem
pla cauſſarum ampliſſimarum: quae ſunt innumerabilia.
Capitis noſtri, ſaepe poteſt accidere, ut cauſſae uerſentur in
iure. etenim, ſi C. Mancinum, nobiliſſimum, atque optimum
uirum, ac conſularem, cum eum propter inuidiam Numan
tini foederis pater patratus ex S. C. Numãtinis dedidiſſet;
eumq. illi non recepiſſent; poſteaq. Mancinus domum re-
ueniſſet, neque in ſenatum introire dubitaſſet; P. Rutilius,
M. filius, tribunus pl. de ſenatu iuſſit educi, quod eum ci-
uem negaret eſſe, quia memoriae ſic eſſet proditum; quem
pater ſuus, aut populus uendidiſſet; aut pater patratus
dedidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium: quam poſſumus re
perire ex omnibus rebus ciuilibus cauſſam, contentionẽq.
maiorẽ, quam de ordinem, de ciuitate, de libertate, de ca-
pite hominis conſularis? praeſertim cum haec non in cri-
mine aliquo, quod ille poſſet infitiari, ſed in ciuili iure
conſiſteret. Similiq. in genere, inferiore ordine, ſi quis
apud nos ſeruiſſet ex populo foederato, ſeſeq. liberaſset,
ac poſtea domum reueniſſet; quaeſitum eſt apud maiores
noſtros, num is ad ſuos poſtliminio redÿſſet, & amiſiſſet
hanc ciuitatem. Quid de libertate, quo iudicium grauius
eſſe nullum poteſt? non ne ex iure ciuili poteſt eſſe conten-
tio, cum quaeritur. is, qui domini uoluntate cenſus ſit, ſi
non ſit conditum luſtrum, ſit ne liber? Quid, quod uſu me-
moria patrum uenit, ut paterfamilias, qui ex Hiſpania Ro
mam ueniſſet, cum uxorem praegnantem in prouincia re-
liquiſſet; Romaeq. alteram duxiſset; neque nuncium priori
remiſiſſet, mortuuſq. eſſet inteſtato; & ex utraque filius
natus eſſet: mediocris ne res in controuerſiam adducta eſt?
cum quaereretur de duobus ciuium capitibus, et de puero,
qui ex poſteriore natus erat, & de eius matre: quae, ſi iu-
dicaretur, certis quibuſdam uerbis, non nouis nuptÿs, fieri
cum ſuperiore diuortium, in concubinae locum duceretur.*

*Haec igitur, & horum ſimilia iura ſuae ciuitatis igno-
rantem, erectum, & celſum, alacri & prompto ore, ac
uultu huc atque illuc intuentem uagari magna cum cater-
ua toto foro, praeſidium clientibus, atque opem amicis,
& prope cunctis ciuibus lucem ingenÿ, & conſilÿ ſui por
rigentem, atque tendentem, non ne in primis flagitioſum
putandum eſt? Et, quoniam de imprudentia dixi; caſtige-
mus etiam ſegnitiem hominum, atque inertiam. Nam, ſi
eſſet iſta cognitio iuris magna, ac difficilis: tamen utilita-
tis magnitudo deberet homines ad ſuſcipiendum dicendi
laborem impellere. ſed, o dÿ immortales, non dicerem hoc
audiente Scaeuola, niſi ipſe dicere ſoleret, nullius ſibi ar-
tis faciliorem cognitionem uideri. quod quidem certis de
cauſſis a pleriſque aliter exiſtimatur: primum, quia uete-
res illi, qui huic ſcientiae praefuerunt, obtinendae, atque
augendae potentiae ſuae cauſſa peruulgari artem ſuam no
luerunt: deinde, poſtea quam eſt editum, expoſitis a Cn.
Flauio primum actionibus; nulli fuerunt, qui illa artifi-
cioſe digeſta generatim componerent. nihil eſt enim, quod
ad artem redigi poſſit, niſi ille prius, qui illa tenet, quorum
artem inſtituere uult, habeat illam ſcientiam, ut ex ÿs re-
bus, quarum ars nondum ſit, artem efficere poſſit. Hoc
uideo, dum breuiter uoluerim dicere, dictum a me eſſe paul
lo obſcurius: ſed experiar, & dicam, ſi potero, planius.
Omnia fere, quae ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa, &
diſſipata quondam fuerunt: ut in muſicis numeri, & uo-
ces, & modi; in geometria lineamenta, formae, inter-
ualla, magnitudines; in aſtrologia caeli conuerſio, ortus,
obitus, motusq. ſiderum; in grammaticis poetarum per-
tractatio, hiſtoriarum cognitio, uerborum interpretatio,
pronunciandi quidam ſonus; in hac denique ipſa ratione di
cendi excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, agere, ignota
quondam omnibus, & diffuſa late uidebantur. adhibita eſt
igitur ars quaedam extrinſecus ex alio genere quodã, quod
ſibi totum philoſophi aſſumunt, quae rem diſsolutam, diuul
ſamq. conglutinaret, & ratione quadam conſtringeret. Sit
ergo in iure ciuili finis hic, legitimae, atque uſitatae in re-
bus, cauſſisq. ciuium aequalitatis conſeruatio. Tum ſunt
notanda genera, & ad certum numerum, paucitatemq. re
uocanda. Genus autem id eſt, quod ſui ſimiles communio-
ne quadam, ſpecie autem differentes, duas, aut plures com
plectitur partes. Partes autem ſunt, quae generibus ÿs,
ex quibus emanant, ſubÿciuntur: omniaq. quae ſunt, uel
generum, uel partium nomina, definitionibus, quam uim ha
beant, eſt exprimendum. eſt enim definitio, earum rerum,
quae ſunt eius rei propriae, quam definire uolumus, bre-
uis, & circumſcripta quaedam explicatio. Hiſce ego rebus
exempla adiungerem, niſi, apud quos haec haberetur ora-
tio, cernerem: nunc complectar, quod propoſui, breui. Si
enim aut mihi facere licuerit, quod iamdiu cogito; aut alius
quiſpiam aut, me impedito, occuparit, aut, mortuo, effece-
rit, ut primum omne ius ciuile in genera digerat, quae per
pauca ſunt; deinde eorum generum quaſi quaedam membra
diſpertiat, tũ propriam cuiuſque uim definitione declaret:
perfectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam, at-
que uberem, quam difficilem, & obſcuram. Atque interea
tamen, dum haec, quae diſperſa ſunt, coguntur, uel paſſim
licet carpentem, & colligentem undique, repleri iſta iuris
ciuilis ſcientia. Non ne uidetis, equitem Romanum, homi-
nem acutiſſimo omnium ingenio, ſed minime ceteris arti-
bus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum uiuit, ſemperq.
uixit, ita tenere ius ciuile, ut ei, cum ab hoc diſceſſeritis,
nemo de ÿs, qui peritiſſimi ſunt, anteponatur? omnia enim
ſunt poſita ante oculos, collocata in uſu quotidiano, in con
greſſione hominum, atque in foro: neque ita multis litte-
ris, aut uoluminibus magnis continentur: eadem enim ſunt
elata primum a pluribus; deinde, paucis commutatis uer
bis, etiam ab ÿſdem ſcriptoribus ſcripta ſunt ſaepius. Ac-
cedit uero, quo facilius percipi, cognoſciq. ius ciuile poſſit,
quod minime plerique arbitrantur, mira quaedam in co-
gnoſcendo ſuauitas, & delectatio. Nam, ſi quem haec
aliena ſtudia delectant: plurima eſt & in omni iure, & in
pontificum libris, & in duodecim tabulis antiquitatis effi-
gies: quod & uerborum priſca uetuſtas cognoſcitur; &
actionum genera quaedam maiorum conſuetudinem, ui-
tamq. declarant. ſiue quis ciuilem ſcientiam contemple-
tur; quam Scaeuola non putat oratoris eſſe propriam, ſed
cuiuſdam ex alio genere prudentiae: totam hanc, deſcriptis
omnibus ciuitatis utilitatibus, ac partibus, duodecim tabu
lis contineri uidebitis. ſiue quem iſta praepotens, & glorio
ſa philoſophia delectat: dicam audacius, hoſce habet fon-
tes omniũ diſputationum ſuarum, qui iure ciuili, & legibus
continentur. ex his enim & dignitatem maxime expetendã*

uide-

uidemus; cum uerus, iuſtus, atque honeſtus labor honoribus, praemiis, atque ſplendore decoratur; uitia autem hominum, atque fraudes damnis, ignominijs, uinculis, uerberibus, exſilijs, morte multatur: & docemur, non infinitis, concertationumq. plenis diſputationibus, ſed auctoritate, nutuq. legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Fremant omnes licet: dicam, quod ſentio. bibliothecas mehercule omnium philoſophorum unus mihi uidetur XII *tabularum libellus, ſi quis legum fontes, & capita uiderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare. Ac ſi nos, id quod maxime debet, noſtra patria delectat; cuius rei tanta eſt uis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis, tamquam nidulum, affixam ſapientiſſimus uir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati eſſe debemus in eiuſmodi patriam, quae una in omnibus terris domus eſt uirtutis, imperij, dignitatis? cuius primum nobis mens, mos, diſciplina nota eſſe debet: uel quia eſt patria parens omnium noſtrũ: uel quia tanta ſapientia fuiſſe in iure conſtituendo putanda eſt, quanta fuit in his tantis opibus imperij comparandis. Percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam, & uoluptatem, quod, quantum praeſtiterint noſtri maiores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, ſi cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone noſtras leges conferre uolueritis. incredibile eſt enim, quam ſit omne ius ciuile, praeter hoc noſtrum, inconditum, ac paene ridiculum: de quo multa ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cum hominum noſtrorum prudentiam ceteris hominibus, & maxime Graecis antepono. His ego de cauſſis dixeram, Scaeuola, ijs, qui perfecti oratores eſſe uellent, iuris ciuilis cognitionem eſſe neceſſariam. Iam uero ipſa per ſeſe quantum afferat ijs, qui ei praeſunt, honoris, gratiae, dignitatis, quis ignorat? itaque, ut apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, miniſtros ſe praebent in iudicijs oratoribus, ij, qui apud illos πραγματικοὶ uocantur: ſic in noſtra ciuitate contra ampliſſimus quiſque, & clariſſimus uir; ut ille, qui propter hanc iuris ciuilis ſcientiam ſic appellatus a ſummo poeta eſt,*

,, Egregie cordatus homo, Catus Aeliu' Sextus;

multiq. praeterea: qui cum ingenio ſibi auctore dignitatem reperiſſent; perfecerunt, ut in reſpondendo iure auctoritate plus etiam, quam ipſo ingenio, ualerent. Senectuti uero celebrandae, & ornandae quod honeſtius poteſt eſſe perfugium, quam iuris interpretatio? Equidem mihi hoc ſubſidium iam inde ab adoleſcentia comparaui non ſolum ad cauſſarum uſum forenſem, ſed etiam ad decus, atque ornamentum ſenectutis: ut, cum me uires, quod fere iam tempus aduentat, deficere coepiſſent, ab ſolitudine domum meam uindicarem. Quid eſt enim praeclarius, quam honoribus, & reipublicae muneribus perfunctum ſenem poſſe ſuo iure dicere id, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo? ſe eſſe eum, unde ſibi, ſi non populi, & reges, at omnes ſui ciues conſilium expetant.

,, Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex
,, Incertis certos, compoteſq. conſili
,, Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

eſt enim ſine dubio domus iuriſconſulti, totius oraculum ciuitatis. teſtis eſt huiuſce Q. Mucij ianua, & ueſtibulum: quod in eius infirmiſſima ualetudine, affectaq. iam aetate, maxima quotidie frequentia ciuium, ac ſummorum hominum ſplendore celebratur. Iam, illa non longam orationem deſiderant, quamobrem exiſtimem publica quoque iura, quae ſunt propria ciuitatis, atque imperij, tum monumenta rerum geſtarum, & uetuſtatis exempla oratori nota eſſe debere. nam, ut in rerum priuatarum cauſſis, atque iudicijs depromenda ſaepe oratio eſt ex iure ciuili, & idcirco, ut ante diximus, oratori iuris ciuilis ſcientia neceſſaria eſt: ſic in cauſſis publicis, iudiciorum, concionum, ſenatus, omni haec & antiquitatis memoria, & publici iuris auctoritas, & regendae reip. ratio, ac ſcientia, tamquam aliqua materies, ijs oratoribus, qui uerſantur in rep. ſubiecta eſſe debent. non enim cauſſidicum neſcio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc ſermone noſtro conquirimus, ſed eum uirum, qui primum ſit eius artis antiſtes, cuius cum ipſa natura magnam homini facultatem daret, tamen eſſe deus putatur; ut & ipſum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, ſed diuinitus ad nos delatum uideretur: deinde qui poſſit, non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis uel inter hoſtium tela uerſari: tum qui ſcelus, fraudemq. nocentis poſſit dicendo ſubiicere odio ciuium, ſupplicioq. conſtringere; idemq. ingenij praeſidio innocentiam, iudiciorum poena liberare; idemq. languentem, labentemq. populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere; aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui denique, quemcumque in animis hominum motum res, & cauſſa poſtulet, eum dicendo uel excitare poſſit, uel ſedare. Hanc uim ſi quis exiſtimat aut ab ijs, qui de dicendi ratione ſcripſerunt, expoſitam eſſe, aut a me poſſe exponi tam breui; uehementer errat; neque ſolum inſcientiam meam, ſed ne rerum quidem magnitudinem perſpicit. Equidem uobis, quoniam ita uoluiſtis, fontes, unde hauriretis, atque itinera ipſa ita putaui eſſe demonſtranda; non ut ipſe dux eſſem, quod & infinitum eſt, & non neceſſarium; ſed ut commonſtrarem tantum uiam, &, ut fieri ſolet, digitum ad fontes intenderem. Mihi uero, inquit Mucius, ſatis, ſuperq. abs te uidetur iſtorum ſtudijs, ſi modo ſunt ſtudioſi, eſſe factum. nam, ut Socratem illum ſolum aiunt dicerre, perfectum ſibi opus eſſe, ſi quis ſatis eſſet concitatus cohortatione ad ſtudium cognoſcendae, percipiendaeq. uirtutis; quibus enim id perſuaſum eſſet, ut nihil mallent ſe eſſe, quam bonos uiros, ijs reliquam facilem eſſe doctrinã: ſic ego intelligo, ſi in haec, quae patefacit oratione ſua Craſſus, intrare uolueritis, facillime uos ad ea, quae cupitis, peruenturos, ab hoc aditu, ianuaq. patefacta.

EXPLANATIO

HAEC *cum Craſſus*] Silentium fingitur orationem Craſsi conſecutum, & quia ſumma admiratio facit ut paene obmuteſcamus, & quia plura adhuc exſpectantur a Craſſo: Itaque Scaeuola uelut magiſter cõtinuãdi, & producẽdi ſermonis, adoleſcẽtes excitat ad quaerẽdũ, ſiquid praeterea uelint: Cotta autẽ celeritatẽ ſuperioris ſermonis declarat duobus ſimilibus: quae omnia eo pertinent, ut Craſſus rurſus ad dicendũ paullo copioſius, quã antea, de cauſsis eloquẽtiae reuocetur. Prima ſimilitudo in allegoria eſt: Vt equi celeritate

currendi

prendi nullum fere ueſtigium relinquunt: ſic oratio Craſsi tam incitata fuit, ut de ea nihil paene intueri poſsi-
mus. Altera ſic: Vt ſi quis diuitem domum ingreſſus, ſupellectilem pretioſam uideat, ſed abſconditam, & non
explicatam: ſic nos in eloquentiae domum a Craſſo deducti, diuitias & ornamenta illius inuoluta & non euo-
luta uidimus. QVIN *tu*] Scaeuola ex proxima ſimilitudine arripit occaſionem ſimilitudinis, ad exercita-
dum Cottam, ut Craſſum roget. QVASI *per tranſennam*] Prouerbium eſt ſumptum ex mercatorum con-
ſuetudine, qui cancellos aut uitrum pellucidum mercibus ſuis obiiciunt, ut praetereuntibus eas contemplari li-
ceat: neque merces explicant, niſi licitatori idoneo. EGO *uero*] Hic decorum ſeruatur in pudore adoleſcen-
tū, & grauior Scaeuolae auctoritas interponitur, ut Craſſus latius exponat, quae breuirer dixit: Itaque Scaeuo-
la preces ſuas auget collatione minorum: Antea, inquit, rogabam Craſſum tantum adoleſcentum cauſſa: nunc
etiam mea ipſius cauſſa Craſſum rogo. ENIMVERO,] Craſſus nihil amplius de natura & arte oratoris dictu-
rus eſt, quia ars ad imitationem naturae, quam ueteres ſibi fingunt, duobus reliquis libris explicabitur: & de
tam multis exercitationis oratoriae partibus ſolam iuris ciuilis diſciplinam ſcientiamq. magnifice commenda-
bit & amplificabit: tranſitus latet in dialogo Craſsi, Socratice, & modeſte diſsimulantis ſe neſcire artem rheto-
ricam, & rem admodum leuem eſſe: & Scaeuolae Craſſum uocantis ad maiores & grauiores exercitationis ora-
toriae partes, quas paullo ante Craſſus dumtaxat attigit. AN *tu*,] Haec cauſſa fuit, cur Cicero de ſecundo
& tertio libris dimouerit Scaeuolam, quia primi libri ſermo non alienus quidem eſſet a perſona Scaeuolae, ubi
quaereretur quis ſit orator, & quae cauſſae perfectae eloquentiae: reliqui uero libri τεχνολογίαν haberent: Ita-
que huic ioculatoriae diſputationi ſenem intereſſe noluit, ut ſcribit ad Pomp. Atticum. TAM *lautam*] Allu-
ſio eſt ad diuitis patrisfamilias ſupellectilem, quae ut uaria & copioſa eſt, in menſis, trapezophoris, ſubſelliis,
ſcamnis, lectis, culcitris, toralibus, mappis, uaſis aquariis, peluibus, candelabris, lucernis, trullis, capſis, armariis,
uitreis, eſcariis, potoriis: Ita perfecti oratoris ſupellex uaria eſt, in philoſophia, hiſtoria, iure ciuili, in omnium
rerum atque artium apparatu, tractatione, uſu. POTES *igitur*] Craſſus omiſsis reliquis partibus exercitatio-
nis oratoriae, duas tantum proximo ſermone renouabit; unā de ſtudio iuris ciuilis, alterā de cognitione antiqui-
tatis, & exemplorum: primum igitur incipit dilatare locum illum de iure ciuili, eamq. diſputationem ingredi-
tur, maxime in gratiam Scaeuolae ſui ſoceri, qui ius ciuile profitebatur, & quem, niſi de re grauiore dicatur, uix
ſatis decorum ſit diutius in hoc dialogo retineri. primum argumentnm eſt ab exemplis ſpecialibus oratorum:
Hypſaeus & Octauius oratores in cauſſa & iudicio tutelae propter ignorationem iuris ciuilis, turpiter & ridi-
cule lapſi ſunt: eſt igitur neceſſaria oratori iuris ciuilis cognitio. Hypſaeus pro pupillo, Octauius pro tutore
cauſſam dicebat, quorum ille plus petendo, quam lex permittit, cauſſa cadebat: hic recuſando ne tutor nomi-
ne multae tantum ſolueret, quantum aduerſarius petebat, ſtultitia recuſandi non uincebat, quod feciſſet, ſi
Hypſaeum hoc modo, id eſt, plus petendo agere paſſus eſſet. QVID *his paucis.*] Argumentum ſecundum
ſumitur ab exemplo ſpeciali cuiuſdam oratoris ſtulte exceptionem poſtulantis a iudice, uidelicet ut actio da-
retur eius pecuniae, cuius dies fuiſſet: nec ea pecunia, quae nondum deberi coepta eſſet, ſolueretur ante conſti-
tutum tempus: qua petitione cauſſam actoris bonam faciebat, & ſuam malam: non enim debuit eiuſmodi ex-
ceptionem petere, ſed ſimpliciter negare pecuniam tum, cum peteretur, deberi: Itaque quod ita excepit, pro-
fuit actoris cauſſae, ut cum actor uictus priore actione rurſus ad diem conſtitutum pecuniam peteret, ne exce-
ptione legis excluderetur, ſed ei tum lege liceret agere, quod ea res perinde eſſet, ac ſi in iudicium non ueniſſet.
Exceptio autem, ut ait Vlpianus lib. Digeſt. 44 eſt quaſi excluſio quaedam, quae interponi actioni cuiuſdam
rei ſolet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemue deductum eſt. EQVIDEM.] Ter-
tium argumentum ab auctoritate Pub. Craſsi Muciani: P. Craſſus dicebat Scaeuolam non poſſe iure ciuili ſatiſ-
facere ſine eloquentia: ergo iuris prudentiae & eloquentiae artes inter ſe coniunctae ſunt. hic Craſſus quinque
habuiſſe rerum bonarum maxima & praecipua traditur, quod eſſet ditiſsimus, quod nobiliſsimus, quod elo-
quentiſsimus, quod iuriſconſultiſsimus, quod pontifex maximus, ut ait Gellius cap. 3. & 10. lib. 1. hunc item
Cicero laudat in Bruto, & appellat fratrem Pub. Scaeuolae. Publium Craſſum, inquit, ualde probatum orato-
rem, iiſdem fere temporibus accepimus, qui & ingenio ualuit, & ſtudio, & habuit quaſdam etiam domeſticas
diſciplinas: nam & cum ſummo illo oratore Seruio Galba, cuius Caij filio filiam ſuam collocauerat, affinitate
ſeſe deuinxerat; & cum eſſet P. Mucij filius, fratremq. haberet Pub. Scaeuolam, domi ius ciuile cognouerat: in
eo conſtat induſtriam ſummam fuiſſe, maximamque gratiam, cum & conſuleretur plurimum & diceret.
QVID *uero ille*] Quartum argumentum ab exemplo M. Catonis ſenioris, qui (ut ait Plinius lib. 7.) primus
Porciae gentis tres ſummas artes in homine praeſtitiſse exiſtimatus eſt, optimus orator, optimus imperator,
optimus ſenator. Et Fabius: M. Cato (ait) cum in dicendo praeſtantiſsimus, tum iuris fuit idem peritiſsimus.
VERECVNDIVS] Prolepſis eſt: M. Antonius ſummus eſt orator, nec tamen iuris peritus: cui obiectioni Craſ-
ſus reſpondet cum decora commendatione, quod Antonius naturalem iuris prudentiam habeat, iuriſconſulto-
rum libris & diſciplina non inferiorem. QVAMOBREM] Diuiſio ex adiunctis: Oratores, qui neſciunt ius ci-
uile, partim inertes ſunt, partim impudentes: Cuius diuiſionis partes Craſsus ὕστερον πρότερον exſequitur: quia
prius diſſerit de impudentia, quam tamen poſteriore loco propoſuit. primum impudentiae argumentum illu-
ſtratur inductione multarum ciuilium cauſſarum, quae pendent ex iure ciuili. CAVSSIS *centumuiralibus*]
Cauſſae centumuirales apud centum quinque uiros iudices agebantur, qui ex triginra quinque tribubus terni
delecti, de multis ciuium controuerſiis cognoſcebant, ut de iure uſucapionis, tutelae, gentilitatis, alluuionis,
circumluuionis, &c. VSVCAPIONVM,] Vſucapio, eſt ius poſsidendi rem captam, & quaeſitam continuatio-
ne temporis lege definiti, ut res quidem mobilis per triennium, immobilis uero per longi temporis poſseſsio-
nem inter praeſentes decennio, inter abſentes uiginti annis uſucapiatur, ut ait Iuſtinianus: iureconſulti quo-

que

que praeſcriptionem eadem ſignificatione uſurpant. TVTELARVM,] Tutela (ut Seruius definit) uis & poteſtas eſt in capite libero conſtituta ad tuendum eum, qui per aetatem ſua ſponte ſe defendere nequit, iure ciuili data & permiſſa. Tutores autem ſunt, qui eam uim & poteſtatem habent. GENTILITATVM,] Gentilitas, eſt gentilium ſeries. id eſt eorum, qui inter ſe eodem nomine ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorũ maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt diminuti: Agnatio autem eorum, qui uirilis ſexus propinquitate iuncti ſunt. ALLVVIONVM,] Alluuio fluminis eſt fundum alluentis, ſicut circumluuio fluminis inſulam repente natam circumfluentis: cauſſae autem centumuirales interdum oriuntur de fundis per alluuionem adiectis, aut detractis, & de inſula per circumluuionem repente nata in flumine, cuius eſſe debeat. NEXONVM,] Nexos ueteres dicebant, qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia, quam debebant, domino praeſtabant. nam obaerati, qui ſoluendo non eſſent, uocati in ius, lege duodecim tabularum in temporariam ſeruitutem creditori addicebantur. MANCIPIORVM,] Mancipia dicta ſunt, quod ab hoſtibus manu capiantur: hac tamen appellatione continentur omnes ſerui, qui alieno dominio praeter naturam ſubijciuntur, ſiue iure belli, ſiue alia ratione. dicitur etiam mancipium, res quae mancipatur, & a noſtro dominio ad alterius tranſit: idque olim fiebat adhibitis non minus quam quinque teſtibus ciuibus Romanis puberibus, & eo qui libripens dicebatur: is autem, qui mancipium accipiebat, aes tenens ita dicebat: Hunc ego hominem iure Quiritium meum eſſe aio. iſq. mihi emptus eſt hoc aere, aereaq. libra: deinde aere percutiebat libram, idq. dabat ei, a quo accepiſſet mancipium, quaſi pretij loco, ut ait Boetius. PARIETVM] De iure parietum, luminum, ſtillicidorum ſcribitur in digeſtis de uerb. ſig. Paries eſt, ſiue murus, ſiue maceria eſt, ut ait Gallus. Lumen (ut ait Paullus lib. 8. dig.) id eſt, ut caelum uideatur. & intereſt inter Lumen & Proſpectum: nam Proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt: Lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt. Stillicidum, eſt ſtillarum & aquae pluuiae fluxus e tecto. TESTAMENTORVM] Teſtamentum eſt uoluntatis noſtrae inſta ſententia de eo quod poſt mortem fieri uolumus. Rumpitur teſtamentum aut adoptione, aut poſteriore teſtamento, aut heredis caſu, aut capitis deminutione, aut imperfectione, aut iniquitate. Ratum autem eſt, quod permanet, neque reſcinditur. de teſtamentis ruptis & ratis uide Valerium lib. 7. SVVM, *quid*] Suum proprie ad dominium refertur, unde pro meo, tuo, ſuo, poſsidere dicimus: alias ad obligationem & ius perſonae, ut ius ſuum perſequi, & ſuũ argentum legare, quale eſt illud, quod eſt in nominibus: huic opponitur alienum. CIVIS *an peregrinus*,] Ciuis ius habet ciuitatis eius, in qua uiuit, peregrinus non habet. SERVVS an liber,] Seruus eſt homo ſui iuris, nec alienae poteſtati praeter naturam ſubiectus. Liber contra ſui iuris eſt, & habet naturalem facultatem faciendi quodcumque libet, niſi quod ui aut iure prohibetur. ILLA *uero*] Secundum argumentum ſumitur ex factis impudentiae, collatione minorum auctis: ſyllogiſmus ſimplex primi generis,

Qui rudem ſe in paruis, exercitatum in magnis cauſsis profitetur, impudens eſt:
Oratores multi ſe rudes in paruis, & exercitatos in magnis cauſsis profitentur:
Multi igitur oratores impudentes ſunt.

Propoſitio ſyllogiſmi cõtinet allegoriam, ubi ex paruis nauigijs priuae cauſſae, & ex quinqueremibus magnae cauſſae ſignificantur. CITIVS *hercule*] Concluſio ſyllogiſmi cum allegorica comparatione a minori ad maius. Difficillimum eſt imperitum nautam in Euxino ponto nauem (quam Graeci Argo uocauerunt) agerere: at difficilius eſt oratorem, ignarum iuris, magnas cauſſas in foro tractare. Argonautae fuerunt Heroes, Iaſon, Hercules, Caſtor, Pollux, & alij multi, qui aedificata naue Argo ad Colchos uecti pellem inauratam arietis ſuſtulerunt, Regiſq. filiam Medeam rapuerunt, quibus traiiciendus fuit Boſphorus, Thracius & Pontus Euxtinus in hoc tranſitu maxime incuruus, breuis, atrox, nebuloſus, raris ſtationibus, non molli, nec arenoſo circumdatus litore, uicinus Aquilonibus: & quia non profundus eſt, fluctuoſus, atque feruens, ut ait Pomponius Mela. QVID *ſine paruae*] Tranſit a leuioribus cauſsis ad grauiores & difficiliores, quae egent iuris ſcientia: ſyllogiſmus eſt connexus primi modi,

Si maximae cauſſae egent praeſidio iuris, impudens eſt orator, qui ad eas audet ſine iuris ſcientia accedere:
Sed primum uerum eſt: Verum itaque eſt & poſtremum.

Aſſumptio illuſtratur inductione decem exemplorum: primum eſt de re teſtamentaria uocata in iudicium, unde miles quidam ſuperior diſceſsit, ut ait Valer. Max. cap. 7. lib. 7. & Paullus ſic ea de re cenſet, Conſultus an uideatur exheredatus, quem pater putauit deceſsiſſe, reſpondi filios & filias nomiuatim exheredatos proponi: de errore autem eius patris, qui interceſsiſſe proponitur, apud iudicem agi oportere. Filiusfamilias miles ſimiliter ut paganus nominatim a patre aut heres ſcribi, aut exheredari debet. TESTAMENTO *exheres*] Haec tria uerba TESTAMENTO EXHERES FACTVS in nonnullis exemplaribus non ſunt, uidenturq. expungenda eſſe, quia cum ſequenti ſententia pugnant, quae eſt, Quem pater teſtamento neque heredem, neque exheredem ſcripſiſſet nominatim. QVID *qua de re*] Secundum exemplum eſt de iure gentilitatis, & ſtirpis, cum quidam ex familia Claudiorum iniuſta ſeruitate oppreſſus, deinde manumiſſus, heredem filium moriens reliquiſſet, & filius deinde inteſtato deceſsiſſet, lege duodecim tabularum familia pecuniaq. eius agnatorum gentiliumq. erat. Claudij itaque hanc hereditatem iure gentilitatis petebant, quod pater illius & re & nomine Claudius eſſet: Marcelli uero iure ſtirpis, quod pater ille ſeruiendo dixiſſet eſſe ingenuus, & gentilis Claudiorum: nam gentilis amplius non eſt is, cuius maiorum quiſquam ſeruitutem ſeruierit: ſtirps autem & cognatio ſeruitute, aut capitis deminutione non tollitur. QVID *quod item*] Tertium exemplum de iure applicationis, cum peregrinus apud patronum quendam Romae mortuus eſſet, patronus centumuirali iudicio defendit hereditatem illius ad ſe pertinere, & uicit. QVID *nuper*,] Quartum exemplum de reſcindenda uenditione, aut praeſtando damno, cum uenditor in mancipio uitium reticuerit: nam legibus

F duodecim

duodecim tabularum dici debet. idem exemplum planius narratur a Cicerone lib. 3. Offic. SERGII *Auratae*] Hic Sergius Aurata, uel, ut alij uolunt, Orata dictus eſt a piſcibus auratis, quos unice dilexit, ut ait Macrobius cap, 8. lib. 3. uel quod duobus anulis aureis praegrandibus uteretur, ut ait Feſtus. QVO *quidem*] Quinctum exemplum de aedium luminibus, quae M. Bucculeius uenditor in mancipio uti tum eſſent, ita L. Fuſio emptori recepit, qua de re ita ſcribit Pomponius, Si ſeruitus impoſita fuerit, Lumina quae nunc ſunt, ut ita ſint, de futuris luminibus nihil caueri uidetur; quod ſi ita ſit cautum, Ne luminibus officiatur, quia ambigua eſt ſcriptura, utrumne his luminibus officiatur, quae nunc ſunt, an etiam his, quae poſtea quoque fuerint, humanius eſt uerbo generali omne lumē ſignificari, ſiue quod in praeſenti, ſiue quod poſt tempus conuentionis contigerit: futuro quoque aedificio, quod nondum eſt, uel imponi, uel acquiri ſeruitus poteſt. QVID *uero*] Sextum exemplum eſt de iure hereditatis, & ſtatus cauſſae ex teſtamento naſcitur; Si poſtumus moriatur, antequam in tutelam ſuam uenerit, Manius Curius heres meus eſto: cum nullus Poſtumus natus eſſet, M. Coponius iure agnationis hereditatem petiit aduerſus Manium Curium: Coponium Scaeuola, Curiū Craſſus defendit. Ille uerbis teſtamenti, hic uolunrate & mente teſtantis nitebatur; hoc exemplum Cicero propter nobilitatem cauſſae, & oratorum, qui cauſſam egerunt, tribus alijs locis commemorat, pro Caecina, in Bruto, & lib. 2. de Oratore. CAPITIS *noſtri*] Septimum exemplum de iure poſtliminij, Vtrum C. Mācinus poſtliminio redierit, quem paterpatratus ex ſenatuſconſulto Numantinis hoſtibus dedidiſſet, neque tamen hunc illi recepiſſent, de quo Cicero pro Caecina ad hunc modum ſcribit, Quid? quem pater patratus dedidit, aut ſuus pater, populuſue uendidit, quo is iure amittit ciuitatem? ut religione ſoluatur ciuitas, ciuis Romanus traditur; qui cum eſt acceptus, eorum eſt, quibus eſt deditus: ſi non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram cauſſam & ius ciuitatis. Modeſtinus lib. 49. digeſt. An, inquit, qui hoſtibus deditus reuerſus, nec a nobis receptus eſt, ciuis Romanus ſit, inter Brutum & Scaeuolam uarie tractatum eſt, & conſequens eſt ut ciuitatem non adipiſcatur. SIMILIQVE *in genere*] Octauum exemplum de iure poſtlimintj, & ciuitatis; de quo Proculus iureconſultus lib. eodem ita iudicat: Non dubito quin foederati & liberi externi non ſint, neque inter nos atque eos poſtliminium ſit; etenim quid inter nos atque eos poſtliminio opus eſt, cum etiam illi apud nos, & libertatem ſuam & dominium rerum ſuarum aeque atque apud ſe retineant, & eadem nobis apud eos contingant. hinc intelligimus foederatum hominem, cum Romae ſeruiſſet, ſi manumiſſus, tandem domum receptus eſſet, deſiiſſe Romanum ciuem eſſe: quia duarum ciuitatum nemo ciuis eſſe poteſt; neque tamen domum poſtliminio redijſſe, quia inter foederatos poſtliminium nullum eſt, ſed inter hoſtes. QVID *de libertate*] Nonum exemplum de iure libertatis, Sitne libertus domini uoluntate, cenſus ante conditum luſtrum plene liber? Luſtrum autem Romae non niſi quincto quoque anno fiebat a cenſoribus, ubi capita ciuium cenſebantur, & diuitum facultates nominatim referebantur in tabulis, pauperum uero nomina tantum. QVID, *quod uſu*] Decimum de iure diuortij, An, nullo nuncio remiſſo priori uxori, diuortium, contractis nouis nuptiis fieri poſsit? & An ſecunda mulier dicenda ſit uxor, an concubina? & filius ex ea natus, legitimus ſit, an nothus? nullum diuortium (ait Paullus lib. digeſt. 24.) ratum eſt, niſi ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis praeter libertum eius, qui diuortium faciet. In repudiis autem & renunciationibus comprobata ſunt haec uerba, RES TIBI TVAS HABETO. Item haec li. eodem, TVAS RES TIBI AGITO. HAEC *igitur*] Complexio eſt connexi ſyllogiſmi ad impudentiae reprehēſionem, ubi impudens orator per ὑποτύπωσιν depingitur. ET *quoniam*] Tranſitus ab impudentia ad inertiam, quam Craſſus in oratoribus caſtigat tribus praecipuis argumentis: quod ſcientia iuris facilis ſit, quod iucunda, quod plena dignitatis. primū de facilitate argumentum concluditur hoc ſyllogiſmo:

Si eſſet difficilis iuris cognitio, tamen propter utilitatem eſſet perdiſcenda:
Sed facilis eſt;
Quanto igitur magis perdiſcenda?

Aſſumptio probatur teſtimonio Scaeuolae. QVOD *quidem*] Craſſus duas cauſſas affert, quare iuris ſcientia difficilis uideatur, & quia ueteres pontifices hanc artem celabant, & quia indigeſtam & confuſam iureconſulti poſtea tradiderunt: de priore cauſſa Cicero pro Murena. Poſſet, inquit, agi lege necne, pauci ſciebant quondam: faſtos enim uulgo non habebant: erant in magna potentia, qui conſulebantur, a quibus etiam dies tamquam a Chaldaeis petebantur. CN. FLAVIO.] Cn. Flauius (auctore Liuio li. 9. decad. 1.) Cnaci filius, ſcriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus uir & facundus, aedilis curulis fuit; contumacia aduerſus contemnentes humilitatem ſuam nobiles certauit: ciuile ius repoſitum in penetralibus pontificum euulgauit; faſtoſq. circa forum in albo propoſuit: ut, quando lege agi poſſet, ſciretur. Pompon. etiam lib. 1. digeſt. de eodem ſcribit his uerbis: Eodem paene tempore ttia haec iura nata ſunt, leges 12. tab., ex his fluere coepit ius ciuile, ex iiſdem legis actiones compoſitae ſunt: Omnium tamen harum & interpretandi ſciētia, & actiones apud collegium pontificum erant; ex quibus conſtituebatur, quis quoque anno praeeſſet priuatus: & populus prope centum annis hac cōſuetudine uſus eſt. Poſtea, cum Appius Clodius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones, Cn. Flauius ſcriba eius, libertini filius, ſubreptū librum populo tradidit: & adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus pl. fieret, & ſenator, & aedilis cur. Hinc liber, qui actiones continet, appellatur Ius ciuile Flauianum, ſicut illud, Ius ciuile Papirianum: nam nec Cn. Flauius de ſuo quidquam adiecit libro. Item Cicero pro Murena. Inuentus eſt quidam ſcriba Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis dieb ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis iureconſultis eorū ſapientiā cōpilarit. HOC *uideo*] Craſſus ueriſsime ait unā quandā eſſe ſcientiā, per quā omnes artes fiunt; Dialectica enim omnes artes genuit, & in lucē edidit: per hanc itaque ius ciuile in artem redigi poſſe demonſtrat, hoc modo:

Omnes

Omnes res diſſolutae,& indigeſtae, dialecticae methodi ſcientia in aliquam artem poſſunt includi.
Ius ciuile eſt diſſolutum , atque confuſum :
Quare ius ciuile in artem quoque redigi poteſt.

Propoſitio illuſtratur inductione ſimilium exemplorum, de quibus artes factae, & compoſitae ſunt, Muſica, Geometria, Aſtrologia, Grāmatica, & Rhetorica. hic locus ſumptus eſt ex Philebo Platonis, ubi Socrates non ſolum unice commendat, ſed etiam exponit Dialecticam artem faciendarum aliquarum artium: cũ rei propoſitae ideam primum requirimus, deinde pauca, & finita genera proponimus : tum a generalibus principiis doctrinam ad ſpeciales partes, non tamen infinitas, uia & ordine deducimus : idq. Socrates declarat duobus exẽplis Muſicae, & Grammaticae. SI *enim aut*] Cicero uidetur in perſona Craſsi ſeipſum Indicare, qui conſtituerat in libris de legibus tradere artem, & doctrinam iuris ciuilis : ſcripſerat etiam libellum quendam de iure ciuili in artem redigendo, quem citat Gellius cap. 22. libri primi. ATQVE *interea*] Probat, ſcientiam iuris ciuilis, quamuis in artem digeſta non ſit, tamen facile percipi poſſe, ab exemplo Aculeonis, & ab adiunctis rerum, quae in hac ſcientia traduntur : quod materies in iure tota ſit popularis, & paucis libris comprehenſa. C. Aculeo habuit in matrimonio materteram Ciceronis, (ut lib. 2. de Orat.) quem Craſſus ex omnibus dilexit plurimum. ACCEDIT *uero*,] Secundum principale argumentum contra inertiam ſumitur ab adiuncta iuri ciuili delectatione, quae declaratur ex quinque cauſsis efficientibus, quarum prima eſt antiquitatis cognitio, quae in legum libris comprehenſa miram adfert delectationem : exempla de priſcis caerimoniis pontificum, & duodecim tabulis, atque etiam uerbis antiquarum legum, reperies apud Ciceronem libro ſecũdo, & tertio de Legibus. SIVE *quis*] Secunda cauſſa delectationis eſt ſcientia politica, quae cernitur magna ex parte in legibus duodecim tabularum : quia leges aliae erant de bello, aliae de pace, aliae de ſociis, aliae de uectigalibus, aliae de iure ciuium generatim deſcripto, quae explicabant ſtatum, & diſciplinam ciuitatis. SIVE *quem*] Tertia cauſſa delectationis eſt philoſophia moralis, quae dicitur eſſe poſita in libris legum, quia primi legum latores, uitae & morum magiſtri fuerunt : & leges nihil aliud ſunt, niſi praecepta bene, & ſancte uiuendi, quae iubent iuſta & honeſta, prohibentq. contraria : quarum cum aliae certis praemiis ciues excitent ad omnia genera uirtutum : aliae propoſitis ſuppliciis reuocent eoſdem ab omnibus, & ſingulis generibus uitiorum, uidentur ob eam cauſſam praecepta generalia philoſophiae moralis de uirtutibus, & uitiis omnia complecti. CVM *uetus*] Vetus illa Solonis ſententia fuit. Remp. duabus rebus contineri, praemio, & poena, ut ait Cicero in epiſtolis ad Brutum. NON *infinitis*] Hic obiter irridet philoſophos, qui de moribus magis altercabantur, quam philoſophabantur. BIBLIOTHECAS] Auget propoſitam comparationem de legibus, & philoſophia morali. AC *ſi nos*,] Quarta cauſſa eſt, amor & caritas patriae. Diligimus patriam: igitur mores patriae, qui continentur legum libris, magna cum uoluptate legimus, & percipimus: hic locus illuſtratur exemplo Vlyſsis, aucto collatione minorum : Vlyſſes maluit reuerti in Ithacam patriam ſterilem, quam apud Calypſo nympham immortalis eſſe : quo igitur amore patriam noſtram, reginam imperij totius orbis terrarum complecti debemus? Calypſo apud Homerum lib. 5. Odyſſ. Vlyſsi promittit immortalitatem, ſi manere apud eam uelit :

Ε'νθάδε κ' αὖθι μένων σὺν ἐμοὶ, τόδε δῶμα φυλάσσοις,
Α'θάνατός τ' εἴης, ἱμειρόμενός περ ἰδέσθαι
Σὴν ἄλοχον, τῆς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα. id eſt,
Si mecum maneas, tectum ſeruabimus ambo,
Immortalis eris, quantumuis tecta uidere
Patria, & uxorem, cupidus, quam cernere flagras.

Sed Vlyſſes amorem patriae praeponit immortalitati. ibid. paullo poſt.

Α'λλὰ καὶ ὣς ἐθέλω, καὶ ἔλδομαι ἤματα πάντα
Οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι, καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι. id eſt,
Sed uolo ſic, cunctis inuiſere & opto diebus
Noſtros, optatum patriae reditumq. uidere.

Telemachus apud Homerum lib. 4. Odyſſ. deſcribit Neſtori Ithacam inſulam ſterilem, & montoſam ;

Ε'ν δαὶ ἰθάκῃ οὐδ' ἂρ δρόμοι Εὐρέες, οὔτε τι λειμὼν,
Αἰγήβοτος, καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο·
Οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος, οὐδ' ἐυλείμων,
Αἵθ' ἁλὶ κεκλίαται, ἰθάκη δέ τε περὶ πάντων.
Aſt Ithacae nec lata uia, nec peruia curru,
Et minus aptus equis, quam capris fundus alendis :
Inſula uix ulla eſt ſpatioſa, & fertilis herbis
Cincta mari, aſt alias Ithace ſupereminet omnes.

PERCIPIETIS] Quincta cauſſa delectationis eſt ſumma prudentia, quae cernitur in Romanis legibus; eaq. augetur collatione cum legumlatoribus Graecis, ubi maiorem prudentiam in conſtituendis legibus tribuit Cicero ſuis, quam Graecis : ſicut etiam facit Tuſculana prima, Rempub. noſtri maiores certe melioribus temperauerunt & inſtitutis, & legibus. Ceterum Lycurgus Lacedaemoniis leges tulit, Draco & Solon Athenienſibus, quarum permulta poſtea Romam tranſlatae, & in duodecim tabulis perſcriptae ſunt. IAM *uero ipſa*] Craſſus ad caſtigandam oratorum ſegnitiem, docuit ſcientiam iuris primum perfacilem eſſe, deinde periucundam : tertium principale argumentum ſequitur de iuris dignitate apud Romanos,

manos,quae illuſtratur a diſsimilibus. In Graecia iureconſulti ſunt homines uiles, & abiecti: Romae uero amplisſimi,& clariſsimi habentur: quod poſtremum probatur exemplo Sexti Aelij, qui uerſiculo Quincti Ennij celebratus eſt,

Egregie cordatus homo Catus Aeliu' Sextus,

& multorum aliorum iureconſultorum, qui Romae ſummam dignitatem obtinuerunt: ex quo genere fuiſſe acceptum M. Catonem, P. Mucium, Brutum, P. Rutilium Rufum', Q. Tuberonem, Sex. Pompeium, &c. SENECTVTI *uero*] Secundum argumentum de dignitate iuris per collationem minorum exponitur: Iuris non ſolum ualet ad uſum forenſem,ſed etiam ad decus ſenectutis. Cicero libro primo de legibus,dicit ſe nō recuſare,quo minus in ſenectute more patrio in ſolio ſedens de iure reſpondeat: hic locus declaratur ſimilitudine Apollinis apud Ennium loquentis, Vt Apollo dicit ſe eum eſſe,a quo omnes conſilium expetant: ſic iureconſultus ſenex eſt tamquam publicus Apollo ciuitatis,& exemplo Q. Mucij Scaeuolae ſenis, quem quotidie ſui ciues de iure conſulunt. SVARVM *rerum*] Verſus ſunt Iambici trimetri ex Ennij tragoedia: Fabius cap 2.lib.9. uocat hanc figuram παρῳδὴν, cum uerſus alicuius poetae in aliquam ſimilem ſententiam uſurpamus uel ad aliam perſonam accommodamus. IAM *uero illa*] Craſſus tranſitum facit a priuato iure ad publicum.quod pertinet ad ſtatum reipublicae,& in ſacris ſacerdotibus,magiſtratibuſq. conſiſtit, cui etiam adiungit hiſtoriae ſcientiam,& cognitionem oratori neceſſariam eſſe: argumentum eſt a ſimilibus,

Vt priuatis cauſsis priuatum ius;

Sic publicis publicum,& hiſtoria inſeruit.

NON *tam cauſſidicum*] Epoſitis eloquentiae cauſsis,natura,doctrina,& exercitatione,concluditur ad extremum definitio perfecti oratoris,quem antea eloquētem nominauit Antonius: eaq. exornatur a diſsimilibus: Non definitur a nobis neſcio quis cauſsidicus,ſed excellens orator,omnibus naturae dotibus ornatus, omnibus artium praeſidiis inſtructus,qui poſsit in ciuilibus cauſsis regnare,& ea omnia, quae uelit, maieſtate orationis ciuibus ſuis imperare: quae informatio de actore ciuilium cauſſarum perfecto, & abſoluto uera quidē eſt: huic enim nota eſſe debent omnia,quae Craſſus expoſuit antea; ſed diſciplina in quinque partibus inuentionis,diſpoſitionis,elocutionis,memoriae,& actionis hanc abſolutam perſonam non inſtituit, cum de tam multis artibus,quae dicuntur oratori neceſſariae, Dialectica tantum,& Rhetorica tradantur, & quidem confuſiſsime tradantur,ut in reliquis duobus libris explicandis probare inſtituimus: de oratore autem a ceteris artificibus diſtincto falſa eſt definitio: non enim elocutionis,& pronunciationis facultate haec tam multa continentur,quae Craſſus in oratore definiendo comprehendit. NON *tam caduceo*] Caduceum ſceptrum eſt Mercurij,& uirga complicatis inter ſe anguibus intorta,quam caduceatores legati pacis olim praeferebant,ut tuti & incolumes in hoſtium caſtris eſſent. Orator autem (ut ait Craſſus) non tam caduceo,quam nomine oratoris incolumis uerſabitur in contentionibus ciuium,ideſt,non tam auctoritate perſonae, quam orationis tectus,& munitus erit. HANC *uim*] Exornatio eſt proxima definitionis de oratore,quod is non tam magnifice a rhetoribus informetur: hi enim uulgarem oratorem, & cauſsidicum dumtaxat inſtituunt: Cicero autem in his dialogis perfectum. NAM *ut Socratem*] Scaeuola ad extremum retinet perſonae ſuae dignitatem,& grauitatem in cohortandis adoleſcentibus. Argumentum eſt ſimile ſumptum ex apophthegmate Socratis.

PAVLLVS. MANVTIVS. STOMACHANS *Scaeuola?*] Scaeuola pontifex max. collega L. Craſsi,non augur,qui paullo poſt reſpondet,ſignificatur. ANTEA *ueniſſent*,] ſic antiquus Borromei liber,& recte: quod ſententia demonſtrat. nam petitor eius pecuniae, cuius nondum perſoluendae dies aduenisſent,cauebat ſibi ea exceptione,Cuius pecuniae dies fuiſſet, quod ſi exceptione ilia uſus non eſſet; excludebatur,ideſt ius iterum petendi non habebat; exceptione,ob exceptionem omiſſam priore petitione. excludebatur autem ob eam cauſſam,quod ea res in iudicium antea ueniſſet,nec ipſe ſibi,nondum debitam pecuniam petens,exceptione leuiſsima cauiſſet. P. CRASSVM, *illum diuitem*,] Faſti Capitolini huic Craſſo,qui Mucianus fuit,cognomen Diuitis non addunt,ſed alteri P. Craſſo,qui & ipſe pontifex max.fuit. in quo Ciceronem ſequi malo; cui aſſentiri uidetur Gellius lib.1.cap.13. loquitur enim de Craſſo iuriſconſulto, qui fuit P. Scaeuolae frater. praeterea,cum de ſuperiore Craſſo mentio fit,additur,ille uetus: cum de inferiore, ille diues, lib. 3. Haec fuit P. Craſsi, illius ueteris, haec T. Coruncanij ſapientia. P. SCAEVOLAE *frater*.] non patruelis,aut conſobrinus,uerum germanus: nam ex Mucia Scaeuolarum gente in Liciniā Craſſorum adoptione tranſierat; itaque P. Licinius Craſſus Mucianus uocabatur. Velleius lib. 2. Gellius lib. 1. cap. 13. Cicero Acad. lib. 2. Eſt autem hic P. Scaeuola pater Q. Scaeuolae pontificis max. collegae L. Craſſi, qui & ipſe pontifex max. fuit. CVM *Marcelli ab liberti filio ſtirpe, Claudij patricij eiuſdem hominis hereditatem genere ad ſe rediſſe dicerent*,] mortuus erat Claudus quidam liberti filius; cuius hereditatem petebāt omnes Claudij,ſed diuerſo iure,Claudij patricij iure gentis. propius autem ſtirpe attingimur,quam gente; nec neceſſe eſt,qui ſunt eiuſdem gentis, eiuſdem quoque ſtirpis eſſe: at uero diuerſarum ſtirpium homines eiuſdem gentis eſſe poſſunt, itaque non omnes Claudij ſunt eiuſdem ſtirpis: ſunt.n. Claudij Pulchri; & Claudij Nerones,utrique patricij & Claudij Marcelli,plebeij. qui,cum ſint omnes Claudij,eiuſdem ſunt gentis,diuerſarum tamen ſtirpium. iuſtior igitur Marcellorum petitio uidebatur. nā, ſi ſeruus a Marcello aliquo liberatur,accipit nomen gentis,& Claudius uocatur,gentiliſq. fit omniū Claudiorū: ſed quoniā non ab omnibus Claudiis,uerū ab uno Claudio Marcello liberatur, ideo gente quidem omnes Claudios,ſtirpe autem ſolos Marcellos attingit. ut igitur libertus patroni,qui filios,aut propinquos non habuit,ſi is inteſtato obiit,heres eſt: ſic hereditatis liberti,eius ue poſterorū,eadē ratione patrono debetur. quod ſi patronus uita iā exceſſit;in

eius

eius iura gentiles ſuccedunt,& omnes quidẽ,ſi una tãtũ familia eſt; ſin plures familiae in eadã gẽte,ut Pulchri, Nerones,Marcelli in Claudia,tum non omnes gentiles,ſed ea tantum familia hereditatem conſequitur,ex qua patronus fuerat:ad eam enim libertus ille,eiusq. poſteri ſtirpis iure pertinent.Hic aliquis dixerit,libertos non proprie dici eorum gentiles,quorum in gente cum ſeruijſſent,ab ijſdem poſtea liberati ſunt . Quis hoc negat? uerumtamen,quod in eam gentem manumiſsione tranſijſſent,patronorumq. non modo nomina , ſed etiam , tamquam parentum filij,praenomina ipſa ſimul accepiſſent,eiuſdem gentis & ipſi, & eorum poſteri dicebantur.cuius generis multas familias Romae fuiſſe non dubito.nam priſcis temporibus, ante Appij Caeci cenſoris aetatem,& aliquandiu poſt,tribus quaſi gradibus ad ingenuitatem libertos perueniſſe animaduerto,primũ enim liberti erant,qui aliquando ſeruierant:deinde ex his nati,libertini:tum ex libertinis ingenui. ingenuorum autem duo genera,prius, & poſterius.prius appello,qui ex libertinis naſcebantur;poſterius,qui ex ingenuis,libertinorum filijs . non enim a libertinis modo ingenui differebant : ſed ipſorum quoque ingenuorum diuerſa condicio erat:&,quo longius a prima origine diſcedebant,eo meliora iura conſequebantur . nam prioris generis ingenui non modo ſuffragium,ut eorum patres libertini,& aui etiam liberti,in tribu ferebant;ſed & in tribu ruſtica;cum illi in quattuor tantum urbanis ferre ſoliti eſſent, quae ignobiliores ; & in ordinem quoque publicorum ſcribarum adſcribi poterant:ad honores autem,& magiſtratus aditum non habebant . nam etſi Cn. Flauius ſcriba,qui dies faſtos publicauit,patre libertino natus , aedilitatem curulem adeptus eſt : id tamen quã nouum,inuſitatumq. fuerit,ex eo patet , quod plerique nobilium , indignatione commoti, anulos aureos , & phaleras depoſuere:ut apud Liuium lib.9.& L.Piſonem annali tertio ſcriptum eſt. Addo illud: huic ingenuorum generi,qui libertinorum filii uocabantur,curia non patebat.ait enim Liuius lib.9.de Appio cenſore:ſenatum primus libertinorum filiis lectis inquinauerat: & poſtea quam eam lectionem nemo ratam habuit ; humilibus per omnes tribus diuiſis;forum,& campum corrupit.non enim, ſi quis eſſet ingenuus , & parte libertino natus,id ſatis erat ad obtinendam ordinis ampliſsimi dignitatem:ſed,qui ita erat ingenuus,ut patre equite Romano natus eſſet,is in ſenatum legebatur.argumento ſunt Suetonij uerba.Latum clauum , ait in Claudio , libertini filio tribuit,ſed ſub condicione ſi prius ab equite R. adoptatus eſſet . Horum autem ingenuorum filijs,quod poſterius genus appellaui,ſi modo equeſtrem, ſenatoriumq. cenſum haberẽt , adſcenſus dabatur lectione cenſoria,equitibus uero nondum a cenſore in ſenatum lectis,iure tamen magiſtratuum,quos nondum ſenatores interdum tamen conſequebantur,aditus in curiam patebat.qui uero equites non eſſent;neque magiſtratum petendi ius habebant,& in ſenatum perquam raro legebantur.Haec propterea dixi,plane ut intelligatur illud,Ab liberti filio.poteſt enim aliquis mirari,cur Cicero non dixerit, Ab libertino:cum libertini libertorum filij fuerint.Hic diſtingnendum.aetate L.Craſsi,qui haec loquitur apud Ciceronem,libertorum filij, non dicebantur libertini, ſed libertinorum filij : erant enim ingenui : libertinorum autem nomen ad ipſos libertos attinebat,apud ueteres alia ratio fuerat ;nam libertorum filii libertini uocabantur : qui ingenui non erant . hoc intelliget,qui Suetonij uerba,quae ſunt in Claudio,perpendet.Latum clauum,inquit , quamuis initio affimaſſet,non lecturum ſe ſenatorem,niſi ciuis Romani abnepotem , etiam libertini filio tribuit,ſed ſub condicione ſi prius ab equite Romano adoptatus eſſet.ac ſic quoque reprehenſionem uerens,etiam Appium Caecum cenſorem,generis ſui proauctorem,libertinorum filios in ſenatum allegiſſe docuit ; ignarus , temporibus Appij, & deinceps aliquandiu,libertinos dictos non ipſos,qui manumitterentur,ſed ingenuos ex his procreatos . Cũ dixit,Libertini filio tribuit:non dubito,quin,liberti filio , ſignificauerit . id oſtendit ſubiungens : temporibus Appij libertinos dictos non ipſos , qui manumitterentur , ſed ingenuos ex his procreatos. quibus uerbis indicat,mutatam conſuetudinem, quae Appii temporibus fuerat , & libertinos aetate Claudij imperatoris dictos eos ipſos,qui manumitterentur:aetate uero Appij,eos,qui ex manumiſsis procreabantur:qui,ſcribente Suetonio,ingenui erant:propterea enim dixit,habita ratione ſui temporis:Ingenuos ex his procreatos. Idem Suetonius,Menam,qui Pompeio Magno ſeruierat,inter libertinos nominat in Auguſto. Et in uita Seruii Nicanoris liberti:Satyram fecit,in qua libertinum ſe oſtendit.Cicero etiam manifeſte de libertis loquitur ep.1. lib. 2.ad Att.cum ait,An libertinis, atque etiam ſeruis ſeruiamus?nam liberti,& ſerui condicione proximi ſunt. nihil intereſt medium.& alibi libertum,& libertinum eundem uocat.Ad hanc & poſteriores iuriſconſulti conſuetudinem reſpexere,ingenuum ſic definientes:Ingenuus eſt,qui ſtatim,ut natus eſt,liber eſt.Inſtit.de ingenu.& alibi.Dixit igitur Cicero:Ab liberti filio:ideſt,ab ingenuo,liberti,aut libertini filium:nam ſi , Ab libertino, dixiſſet , libertum , non liberti filium,ſignificare uiſus eſſet . [IN *grammaticus*] artem ſignificat,non homines. ſic proxime dixit,In Muſicis,pro,in arte muſica.quinque enim artium colligit exempla, cum ait : In muſicis,in geometria , in aſtrologia , in grammaticis , in ratione dicendi . QVI *cum ingenio ſibi auctore dignitate reperißent ; perfecerunt , ut in reſpondendo iure auctoritate plus etiam , quam ipſo ingenio , ualerent .*] non placet,neque puto ſatis Latine dici , Ingenio auctore . neque hic ingenium cum dignitate , ſed cum auctoritate comparatur.itaque , niſi ueteres libri diſſentirent , a quibus diſcedendum non arbitror, ita legerem : Qui cum ingenio ſibi auctoritatem reperiſſent , perfecerunt , ut in reſpondendo iure auctoritate plus etiam , quam ipſo ingenio, ualerent .

C I C E R O

NOBIS uero,inquit Sulpicius, iſta ſunt pergrata, perq. iucunda : ſed pauca etiam requirimus , in primisq. ea, quae ualde breuiter a te , Craſſe, de ipſa arte percurſa ſunt, cum illa te & non contemnere, & didiciſſe confiterere.ea ſi paullo latius dixeris,expleris omnem exſpectationem diuturni deſiderij noſtri . nam nunc , qui-

bus

bus ſtudendum rebus eſſet, accepimus : quod ipſum eſt tamen magnum : ſed uias earum rerum, rationemq. cupimus cognoſcere. Quid ſi, inquit Craſſus, quoniam ego, quo facilius uos apud me tenerem, ueſtrae potius obſecutus ſum uoluntati, quam aut conſuetudini, aut naturae meae, petimus ab Antonio, ut ea, quae continet, neque adhuc protulit, ex quibus unum libellum ſibi excidiſſe iamdudum queſtus eſt, explicet nobis, & illa dicendi myſteria enunciet? Vt uidetur, inquit Sulpicius : nam Antonio dicente, etiam quid tu ſentias, intelligemus. Peto igitur, inquit Craſſus, a te, quoniam id nobis, Antoni, hominibus id aetatis, oneris ab horum adoleſcentium ſtudijs imponitur; ut exponas, quid ijs de rebus, quas a te quaeri uides, ſentias. Deprehenſum equidem me, inquit Antonius, plane uideo, atque ſentio; non ſolum quod ea requiruntur a me, quorum ſum ignarus, atque inſolens; ſed, quia, quod in cauſſis ualde fugere ſoleo, ne tibi, Craſſe, ſuccedam, id me nunc iſti uitare non ſinunt: uerum hoc ingrediar ad ea, quae uultis, audacius, quod idem mihi ſpero uſu eſſe uenturum in hac diſputatione, quod in dicendo ſolet; ut nulla exſpectetur ornata oratio. neque enim ſum de arte dicturus, quam numquā didici, ſed de mea conſuetudine : ipſaq. illa, quae in commentarium meum retuli, ſunt eiuſmodi, non aliqua mihi doctrina tradita; ſed in rerum uſu, cauſſiſq. tractata: quae ſi uobis, hominibus eruditiſſimis, non probabuntur, ueſtram iniquitatem accuſatote, qui ex me ea quaeſieritis, quae ego neſcirem; meam facilitatem laudatote, cum uobis, non meo iudicio, ſed ueſtro ſtudio inductus, non grauate reſpondero. Tum Craſſus, Perge modo, inquit, Antoni : nullum eſt enim periculum, ne quid tu eloquare, niſi ita prudēter, ut neminem noſtrum paeniteat ad hunc te ſermonem impuliſſe. Ego uero, inquit, pergam: & id faciam, quod in principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo; ut, quid illud ſit, de quo diſputetur, explanetur; ne uagari, & errare cogatur oratio, ſi ij, qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud, de quo agitur, intelligent.. nam, ſi forte quaereretur, quae eſſet ars imperatoris: conſtituendum putarem principio, quis eſſet imperator: qui, cum eſſet conſtitutus adminiſtrator quidā belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de opidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidijs faciendis, atque uitandis, de reliquis rebus, quae eſſent propriae belli adminiſtrandi : quarum qui eſſent animo, & ſciētia compotes, eos eſſe imperatores dicerem : utererq. exemplis Africanorũ, & Maximorum; Epaminondā, atque Hannibalem, atque eius generis homines nominarem. Sin autē quaereremus, quis eſſet is, qui ad remp. moderandam uſum, & ſcientiā, & ſtudium ſuũ contuliſſet : definirem, hoc modo. qui, quibus rebus utilitas reip. pararetur, augeretur que, teneret, ijſq. uteretur, hunc reip. rectorem, & cõſilij publici auctorem eſſe habendum : praedicaremq. P. Lentulum principē illum, & Ti. Gracchum patrē, & Q. Metellum, & P. Africanum, & C. Laelium, & innumerabiles alios cum ex noſtra ciuitate, tum ex ceteris. Sin autem quaereretur, quiſnam iuriſconſultus uere nominaretur : eum dicerem, qui legum, & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate uterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus eſſet; & ex eo genere Sex. Aelium, M'. Maniliũ, P. Mucium nominarem. Atque, ut iam ad leuiora artium ſtudia ueniam : ſi muſicus, ſi grammaticus, ſi poeta quaeratur; poſſim ſimiliter explicare, quid eorum quiſque profiteatur, & quo non amplius ab quoque ſit poſtulandum. Philoſophi denique ipſius, qui de ſua ui, ac ſapientia unus paene profitetur, eſt tamen quaedam deſcriptio; ut is, qui ſtudeat omnium rerum diuinarum, atque humanarũ uim, naturam, cauſſaſq. noſſe, & omnem bene uiuendi rationē tenere, & perſequi, nomine hoc appelletur. Oratorem autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundē, quem Craſſus; qui mihi uiſus eſt omnem omnium rerum, atque artium ſcientiam comprehendere uno oratoris officio, ac nomine : at eum puto eſſe, qui & uerbis ad audiendum iucundis, & ſententijs ad probandum accommodatis uti poſſit in cauſſis forenſibus, atque communibus, hunc ego appello oratorem : eumq. eſſe praeterea inſtrnctum uoce, & actione, & lepore quodam uolo.

CICERO

NOBIS *uero*] Scientia iuris in exercitatione Rhetorica pluribus uerbis laudata eſt, quod oratori, id eſt, forenſi aduocato, & homini politico ſit apprime neceſſaria : deinceps praecepta rhetoricae artis ab adoleſcentibus requiruntur, ut, quo minus per aetatem ingenio ualent, eo maius ſubſidium ab arte, quae eſt regula prudentiae, ſibi comparent: ſed Craſſus reiicit in Antonium hanc prouinciam docendae artis: cauſſae recuſationis in Craſſo ſunt inſolentia huius diſputationis, & pudor, de quibus antea dictum eſt: cauſſa uero, cur Antonius id facere debeat, eſt cognitio rhetoricae artis: itaque Craſſus in adoleſcentium gratiam ſuaſor & rogator interponitur. MYSTERIA] Metaphora eſt a Myſtis ſacerdotibus Cereris, & Proſerpinae, quia, ut hi ſua ſacra occultabant, ſic quidam rhetores eloquentiae praecepta occulta tenebant. ID *aetatis*] In hoc genere loquendi (Homines ad actatis) antiptoſis eſt elegans & uſitata, ut apud Plautum :

Neque enim puduit id aetatis ſycophantias ſtruere.

Et apud Ciceronem, Ad Attic. Ciedo Platonem uix putauiſſe ſatis conſonum, ſi hominem id aetatis tam longo ſermone diutius retinuiſſet. DEPREHENSVM] Exordium Antonij duplicem habet modeſtiae ſignificationem, unam in Socratica diſſimulatione rhetoricae artis, alteram in metu & pudore liberali: quia ueretur Antonius poſt Craſſum dicere: quem tamen pudorem ſtatim corrigit eleuando proximi ſermonis exſpectationem, quod neque ornate dicturus ſit, neque de arte ulla, ſed de his dumtaxat rebus, quas obſeruauit: quae omnia apte & decore finguntur in perſona Antonij, qui nec ualde Latine locutus eſt, ut ait Cicero in Bruto; & fuit artis diſſimulator, ut idem Cicero lib. 2. de Orat. teſtatus eſt. EGO *uero*] Antonius nihil de rhetorica arte, de qua tamen rogatus erat, hoc primo dialogo reſpondet, ſed diſſimulanter, & εἰρωνικῶς oratorem longe aliter, atque Craſſus, definit, & oratorem Craſſi refellit: nam libro ſecundo perinde ſentiet de oratore, atque Craſſus primo hoc dialogo: ſic enim Craſſus libro ſecundo: Nox te, inquit, Antoni expoliuit, orato-

remq. reddidit; nam heſterno ſermone unius cuiuſdam operis remigem aliquem, aut baiulum nobis oratorē deſcripſeris, inopem quendam humanitatis, atque inurbanum. Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi praepoſueram, ut, ſi te refelliſſem, hos a te diſcipulos abducerē. Nunc Catulo, & Caeſare audiente uideor non tam debere pugnare tecum, quam, quid ipſe ſentiam, dicere. Videtur autem Rhetoricae artis explicatio in alios dialogos fuiſſe reiecta, propter Scaeuolam, quem decorum non erat de his rebus audire: Antonius igitur inſtituendae ad Academicorum morem contradictionis gratiae primam legem dialecticae methodi uſurpat, quae iubet rem, de qua agitur, initio definire: eamq. declarat ſeptem exemplis, imperatorum, rectorum reip. iureconſultorum, muſicorum, grammaticorum, poetarum, & philoſophorum. Eandem legem Cicero lib. 2. de Finibus ex Phaedro Platonis repetit: Omnis, inquit, in quaerendo quae uia quadam, & ratione habetur oratio, perſcribere primum debet, ut quibuſdam in formulis agatur ea res, ut, inter quos diſſeritur, conueniat quid ſit id, de quo diſſeratur: hoc poſitum in Phaedro a Platone uidit Epicurus, ſenſitq. in omni diſputatione id fieri oportere. Et lib. 1. Offic. Omnis, quae a ratione ſuſcipitur, de aliqua re inſtitutio debet a definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur. VTERERQ. *exemplis*] Ex claris imperatoribus, exempli gratia, nominantur Africani: Maior, qui ſecundo bello Punico Hannibalem uicit, & Africam tributariam populo Romano fecit; Minor, qui tertio bello Punico Carthaginem deleuit: Q. Fabius Maximus, qui ſecundo bello Punico Hannibalem in Italia cunctando fregit: Epaminondas Thebanus, qui ſtrenue, & fortiter aduerſus Lacedaemonios pugnauit: de quo incertum fuit (ut ait Iuſtinus lib. 6.) uir melior, an dux eſſet: nam imperium non ſibi, ſed patriae quaeſiuit; Hannibal Carthaginienſis, filius Hamilcaris, qui octodecim annos cum Romanis de imperio dimicauit, eoſq. multis claſsibus affecit. P. LENTVLVM] P. Lentulus princeps reip. nefarios C. Gracchi conatus reſutauit: Tiberius Gracchus pater libertinos in urbanas tribus tranſtulit: Q. Metellus Macedonicus pater filiorum quattuor conſularium eloquens in primis habitus eſt: & orationem habuit contra Ti. Gracchum filium labefactantem ſtatum reip. P. Scipio Africanus, & C. Laelius non ſolum eloquenter, ſed optimates egregij fuerunt. Tales igitur Romani (ſicut alij plerique) in exemplū bonorum reip. principum adduci poſſunt. Ex *eo genere*] De claris iureconſultis ſcripſit Pomponius lib. 1. digeſt. nec praeterit eos, qui ab Antonio commemorantur: Sex. Aelius, inquit, & frater eius P. Aelius, & P. Atilius maximam ſcientiam in profitendo habuerunt: & duo Aelij etiam cos. fuerunt: Atilius autem primus a populo ſapiens appellatus eſt: Sex. Aelium etiam Ennius laudauit, & exſtat illius liber, qui inſcribitur, Tripertita, qui ueluti cunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege duodecim tabul. praepoſita iungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Eiuſdem eſſe tres alij libri referuntur, quos tamen quidam negant eius eſſe: hos ſectatus eſt ad aliquid M. Cato princeps Porciae familiae, cuius & libri exſtant: ſed plurimi libri eius, ex quibus ceteri oriuntur: poſt hos fuerunt P. Mucius, & Brutus, & Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. ex his P. Mucius decem libellos reliquit, Brutus ſeptem, Manilius tres: exſtant & uolumina inſcripta Manilij monumenta. illi duo conſulares fuerunt, Brutus praetorius, Mucius etiam pontifex max. ORATOREM *autem*] Definitur orator ab Antonio talis, qualis eſt in prooemio ex ſententia Q. fratris, & in dialogo ex ſententia Scaeuolae, & Menedemi definitus, & ab Antonio diſertus antea nomiuatus, (id eſt) ut loquimur, aduocatus forenſis, & uir politicus, mediocris prudentiae, & facultatis ad agendum cauſſas ciuiles: hoc igitur inter Craſſum, & Antonium intereſt, quod ille oratorem omnibus artibus inſtruit: hic detractis multis artibus, Dialecticam in inuentione, diſpoſitione, & memoria: & Rhetoricam, in elocutione, & actione, oratori ſuo tantum relinquit: Vterque autem nomine oratoris abutitur, ad ſignificandum hominem politicum actorem ciuilium cauſſarum.

C I C E R O

CRASSVS *uero mihi noſter uiſus eſt oratoris facultatem non illius artis terminis, ſed ingenij ſui finibus immenſis paene deſcribere. nam etiam ciuitatum regendarum oratori gubernacula ſententia ſua tradidit, in quo per mihi mirum uiſum eſt, Scaeuola, te hoc illi concedere; cum ſaepiſſime tibi ſenatus, breuiter, impoliteq. ducenti, maximis ſit de rebus aſſenſus. M. uero Scaurus, quem non longe ruri apud ſe eſſe audio, uir regendae reip. ſcientiſſimus, ſi audieris hanc auctoritatem grauitatis, & conſilij ſui uindicari a te, Craſſe, quod eam oratoris propriam eſſe dicas; iam, credo, huc ueniat, & hanc loquacitatem noſtram uultu ipſo, adſpectuq. conterreat. qui, quamquam eſt in dicendo minime contemnendus; prudentia tamen rerum magnarum magis, quam dicendi arte, nititur. Neque uero, ſi quis utrumque poteſt, aut ille conſilij publici auctor, ac ſenator bonus, ob eam ipſam cauſſam orator eſt; aut hic diſertus, atque eloquens, ſi eſt idem in procuratione ciuitatis egregius, illam ſcientiam dicendi copia eſt conſecutus: multum inter ſe diſtant iſtae facultates, longeq. ſunt diuerſae, atque ſeiunctae. neque eadem ratione, ac uia M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Laelius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem ſuam, & reip. dignitatem exornabant. neque enim eſt interdictum aut a rerum natura, aut a lege aliqua, atque more, ut ſingulis hominibus ne amplius, quam ſingulas artes, noſſe liceat. Quare non, etſi eloquentiſſimus Athenis Pericles, idemq. in ea ciuitate plurimos annos princeps conſilij publici fuit, iccirco eiuſdem hominis, atque artis utraque facultas exiſtimanda eſt. nec, ſi P. Craſſus idem fuit eloquens, & iuris peritus, ob eam cauſſam ineſt in facultate dicendi iuris ciuilis ſcientia. nam, ſi quiſque, ut in aliqua arte, & facultate excellens aliam quoque artem ſibi aſſumpſerit, is perficiet, ut, quod praeterea ſciet, id eius, in quo excellet, pars quaedam eſſe uideatur; licet iſta ratione dicamus, pila bene, & duodecim ſcrupis ludere, proprium eſſe iuriſconſulti, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit: eademq. ratione dicantur etiam quod φυσικὸς Graeci uocant, ijdem poetae, quoniam Empedocles phyſicus egregium poema fecer.*

cerit. At hocne philoſophi quidem ipſi, qui omnia, ſicut propria, ſua eſſe, atque a ſe poſſideri uolunt, dicere audent; geometriam, aut muſicam philoſophi eſſe, quia Platonem omnes in illis artibus praeſtantiſſimum fuiſſe fateantur. Ac, ſi iam placet amnes artes oratori ſubiungere; tolerabilius eſt ſic potius dicere; ut, quoniam dicendi facultas non debeat eſſe ieiuna, atque nuda, ſed adſperſa, atque diſtincta multarum rerum iucunda quadam uarietate, ſit boni oratoris multa auribus accepiſſe, multa uidiſſe, multa animo, & cogitatione, multa etiam legendo percurriſſe; neque ea, ut ſua poſſediſſe; ſed, ut aliena, libaſſe. fateor enim, callidum quendam hunc, & nulla in re tironem, ac rudem, nec peregrinum, atque hoſpitem in agendo eſſe debere. Neque uero iſtis tragoedijs tuis, quibus uti philoſophi maxime ſolent, Craſſe, perturbor; quod ita dixiſti, neminem poſſe eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas reſtinguere, cum eo maxime uis oratoris, magnitudoq. cernatur: niſi qui rerũ omnium naturam, mores hominum, atque rationes penitus perſpexerit; in quo philoſophia ſit oratori neceſſario percipienda. quo in ſtudio hominum ingenioſiſſimorum, otioſiſſimorumq. totas aetates uidemus eſſe contritas. quorum ego copiam, magnitudinemq. cognitionis, atque artis non modo non contemno, ſed etiam uehementer admiror: nobis tamen, qui in hoc populo, foroq. uerſamur, ſatis eſt, ea de moribus hominum & ſcire, & dicere, quae non abhorrent ab hominum moribus. Quis enim umquam orator magnus, & grauis, cum iratum aduerſarium iudicẽ facere uellet, haeſitauit ob eam cauſſam, quod neſciret, quid eſſet iracundia, feruor ne mentis, an cupiditas puniendi doloris? quis, cum ceteros animorum motus aut iudicibus, aut populo dicendo miſcere, atque agitare uellet, ea dixit, quae a philoſophis dici ſolent? qui partim omnino motus negant in animis ullos eſſe debere; quiq. eos in iudicum mentibus concitent, ſcelus eos aiunt nefarium facere: partim, qui tolerabiliores uolunt eſſe, & ad ueritatem uitae propius accedere, permediocres, ac potius leues motus debere eſſe. Orator autem omnia haec, quae putantur in communi uitae conſuetudine mala, ac moleſta, & fugiendo, multo maiora, & acerbiora uerba facit: itemq. ea, quae uulgo expetenda, atque optabilia uidentur, dicendo amplificat, atque ornat: neque uult ita ſapiens inter ſtultos uideri, uti, qui audiant, aut illum ineptum, aut Graeculum putent; aut, etiam ſi ualde probent ingenium oratoris, ſapientiam admirentur, ſe eſſe ſtultos moleſte ferant: ſed ita peragrat per animos hominum, ita ſenſus, menteſq. pertractat, ut non deſideret philoſophorum deſcriptiones, neque exquirat oratione, ſummum illud bonum in animo ne ſit, an in corpore, uirtute, an uoluptate definiatur; an haec inter ſe iungi, copulariq. poſſint; an uero, ut quibuſdam uiſum, nihil certum ſciri, nihil plane cognoſci, & percipi poſſit. Quarum rerum fateor magnam, multiplicemq eſſe diſciplinã, & multas, copioſas, uariaſq. rationes. ſed aliud quiddam longe aliud, Craſſe, quaerimus. acuto homine nobis opus eſt, & natura, uſuq. callido; qui ſagaciter perueſtiget, quid ſui ciues, ijq. homines, quibus aliquid dicendo perſuadere uelit, cogitent, ſentiant, opinentur, exſpectent. teneat oportet uenas cuiuſque generis, aetatis, ordinis; & eorum, apud quos aliquid aget, aut erit acturus, mentes, ſenſuſq. deguſtet: philoſophorum autem libros reſeruet ſibi ad huiuſcemodi Tuſculani requiem, atque otium, ne, ſi quando ei dicendum erit de iuſtitia, & fide, mutuetur a Platone: qui cum haec exprimenda uerbis arbitraretur, nouam quandam finxit in libris ciuitatem: uſque eo illa, quae dicenda de iuſtitia putabat, a uitae conſuetudine, & a ciuitatum moribus abhorrebant. Quod ſi ea probarentur in populis, atque in ciuitatibus: quis tibi, Craſſe, conceſſiſſet, clariſſimo uiro, & ampliſſimo principi ciuitatis, ut illa diceres in maxima cõcione tuorum ciuium, quae dixiſti? Eripite nos ex miſerijs: eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas noſtro ſanguine non poteſt expleri. Nolite ſinere nos cuiquam ſeruire, niſi uobis uniuerſis; quibus & poſſumus, & debemus. Omitto miſerias, in quibus, ut illi aiunt, uir fortis eſſe non poteſt: omitto fauces, ex quibus te eripi uis, ne iudicio iniquo exſorbeatur ſanguis tuus: quod ſapienti negant accidere poſſe. ſeruire nemo non modo te, ſed uniuerſum ſenatum, cuius tum cauſſam agebas, auſus es dicere? Poteſt ne uirtus, Craſſe, ſeruire, iſtis auctoribus, quorum tu praecepta oratoris facultate complecteris? quae & ſemper, & ſola libera eſt; quaeque, etiam ſi corpora capta ſint armis, aut conſtricta uinculis, tamen ſuũ ius, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat. Quae uero addidiſti, non modo ſenatum ſeruire poſſe populo, ſed etiam debere; quis hoc philoſophus, tã mollis, tam languidus, tam eneruatus, tam omnia ad uoluptatem corporis, doloremq. referens, probare poſſet? ſenatum ſeruire populo, cui populus ipſe moderandi, & regendi ſui poteſtatem, quaſi quaſdam habenas, tradidiſſet? itaque haec, cum a te diuinitus ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus, homo doctus, & philoſophiae deditus, non modo parum commode, ſed etiam turpiter, & flagitioſe dicta eſſe dicebat. idemq. Ser. Galbam, quae hominem probe commeminiſſe ſe aiebat, pergrauiter reprehendere ſolebat, quod is, L. Scribono quaeſtionem in eum ferente, populi miſericordiam concitaſſet, cũ M. Cato, Galbae grauis, atque acer inimicus, aſpere apud populum, & uehementer eſſet locutus: quam orationem in Originibus ſuis expoſuit. reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicij Galli, propinqui ſui, Q. Pupillum filium ipſe paene in humeros ſuos extuliſſet, qui patris clariſſimi recordatione, & memoria fletum populo moueret; & duos filios paruos tutelae populi commendaſſet; ac ſe, tamquã in procinctu teſtamentum faceret, ſine libra, atque tabulis populum R. tutorem inſtituere dixiſſet illorum orbitati. itaque, cum & inuidia, & odio populi tum Galba premeretur; his quoque eum tragoedijs liberatum ferebat. quod item apud Catonem ſcriptum eſſe uideo; niſi pueris, & lacrymis uſus eſſet poenas eum daturum fuiſſe. Haec Rutilius ualde uituperabat; & huic humilitati dicebat uel exſulium fuiſſe, uel mortem anteponendam. neque uero hoc ſolum dixit, ſed ipſe & ſenſit, & fecit. nã, cum eſſet ille uir exemplum, ut ſcitis, innocentiae; cumq. illo nemo neque integrior eſſet in ciuitate, neque ſanctior; non modo ſupplex iudicibus eſſe noluit, ſed ne ornatius quidem, aut uberius cauſſam dici ſuam, quam ſimplex ratio ueritatis ferebat. paullum huic Cottae tribuit partium, diſertiſſimo adoleſcenti, ſororis ſuae filio. dixit itẽ cauſſam illam quadam ex parte Q. Mucius more ſuo, nullo apparatu, pure, & dilucide. quod ſi tu tum, Craſſe, dixiſſes, qui ſubſidium oratori ex illis diſputationibus, quibus philoſophi utuntur, ad dicendi copiam petendum eſſe paullo ante dicebas; & ſi tibi pro P. Rutilio non philoſophorum more, ſed tuo licuiſſet dicere: quamuis ſce-

lerati

lerati illi fuiſſent, ſicuti fuerunt, peſtiferi ciues, ſupplicioq. digni; tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus euelliſſet uis orationis tuae. nūc talis uir amiſſus eſt, dum cauſsa ita dicitur, ut ſi in illa commenticia Platonis ciuitate res ageretur. nemo ingemuit: nemo inclamauit patronorum: nihil cuiquam doluit: nemo eſt queſtus: nemo remp. implorauit: nemo ſupplicauit. quid multa? pedem nemo in illo iudicio ſupploſit; credo, ne Stoicis renunciaretur. Imitatus eſt homo Romanus, & conſularis ueterem illum Socratem: qui cum omnium ſapiētiſſimus eſset, ſanctiſſimeq. uixiſſet; ita in iudicio capitis pro ſe ipſe dixit, ut non ſupplex, aut reus, ſed ut magiſter, aut dominus uideretur eſſe iudicum. quin etiam, cum ei ſcriptam orationem diſertiſſimus orator Lyſias attuliſſet, quam, ſi ei uideretur, ediſceret, ut ea pro ſe in iudicio uteretur; non inuitus legit, & commode ſcriptam eſse dixit; ſed inquit: ut, ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, nō uterer, quamuis eſsent habiles, et apti ad pedem, quia non eſsent uiriles: ſic illam orationem diſertam ſibi, & oratoriam uideri, fortem, & uirilem non uideri. Ergo ille quoque damnatus eſt, neque ſolum primis ſententijs, quibus tantum ſtatuebant iudices, damnarent, an abſoluerent, ſed etiā illis, quas iterum legibus ferre debebant. erat enim Athenis reo damnato, ſi fraus capitalis non eſſet, quaſi poenae aeſtimatio. ex ſententia, cum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quaſi aeſtimationem commeruiſſe ſe maxime confiteretur. quod cum interrogatus Socrates eſſet; reſpondit ſeſe meruiſse, ut ampliſſimis honoribus & praemijs decoraretur, & ut ei uictus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur: qui honos apud Graecos maximus haberetur. cuius reſponſo ſic iudices exarſerunt, ut capitis hominem innocentiſſimum condemnarent. qui quidem ſi abſolutus eſſet; (quod mehercule, etiam ſi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenij magnitudinem uellem) quonam modo iſtos philoſophos ferre poſſemus; qui nunc, cum ille damnatus eſt nullam aliam ob culpam, niſi propter dicendi inſcitiam, tamen a ſe oportere dicunt peti praecepta dicendi? quibuſcum ego non pugno, utrum ſit melius, aut uerius: tantum dico, et aliud illud eſse atque hoc, & hoc ſine illo ſummum eſſe poſſe.

EXPLANATIO

CRASSVS *uero* ʒ Antonius incipit diſputare contra oratorem Craſſi. Summa diſputationis uniuerſae eſt, definitionem oratoris a Craſſo traditam peccare uitio redundantiae, quod oratoris facultate, neque ſcientia politica, neque philoſophia, neque ius ciuile, neque hiſtoria proprie contineatur, quas tamen artes Craſſus oratori ſuo ſubiecerat. Atque, ut tota Antonij oratio facilius intelligatur, ſex ſunt contradictionis capita contra Craſſum: primum, (quod ſcientia politica non ſit oratoris propria) illuſtratur duobus exemplis repugnantibus: Scaeuola & Scaurus habent ſcientiam politicam, nec tamen oratores ſunt: ergo ſcientia politica non eſt oratoris propria. Cicero in Bruto non ita iudicat, ut Antonius, Scaeuolam fuiſſe impolitum, & in dicendo rudem, ſed contra, ſcribit eius elegantiam ſatis ex his orationibus, quas reliquit, eſſe cognitam: non ergo abſolute dicatur impolitus Scaeuola, ſed comparatione Craſſi, & aliorum excellentium oratorum, qui melius & ornatius dicerent. M. Aemilius Scaurus plus prudentiae habuit, quam eloquentiae. In Scauri oratione ſapientis hominis & recti grauitas, & naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut cauſſam, ſed teſtimonium dicere putares, cum pro reo diceret: hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum uidebatur, ad ſenatoriam uero ſententiam, cuius erat ille princeps, uel maxime: ſignificabat enim non prudentiam ſolum, ſed (quod maxime rem continebat) fidem. NEQVE *uero* ʒ Occupat Antonius hoc argumentum. Poteſt idem eſſe orator & ſenator bonus: ergo ſcientia politica eſt oratoris propria. cui reſpondet a diſſimilibus: quia licet multae & uariae artes in eodem homine poſſint eſſe, ſingulae tamen ſua propria natura & ratione conſtant, & inter ſe diſtinguuntur. Qui locus declaratur exemplis Catonis, Africani, Metelli, Laelij, qui alia ratione eloquentes, alia boni ſenatores fuerunt. NEQVE *eadem* ʒ Exempla item alia ſunt ad diſtinguendam eloquentiam ab alijs artibus, quae quidem aptiſſime & ueriſſime conueniunt: artes enim etſi uſu perſaepe coniunguntur, praeceptis tamen ſuis & facultatibus diſtinguendae ſunt: Itaque non ſi Pericles optimus ſenator & orator fuit, iccirco politica & rhetorica una & eadem ars eſt: una politica rhetoricae pars exiſtimanda eſt: idemq. dicere libebit de ceteris artibus, quae in uno & eodem homine cernuntur. Pericles orator grandis ab Ariſtophane poeta fulgurare, tonare, totam Graeciam permiſcere dictus eſt: idemq. quadraginta annos (ut quidam ſcribunt) Athenas adminiſtrauit. QVONIAM *utrumque* ʒ Fabius quoque ſcribit, P. Mucium Scaeuolam duodecim ſcrupis bene luſiſſe: qui ludus exponitur ab Ouidio,

Eſt genus in totidem tenui ratione redactum
　Spicula, quot menſes lubricus annus habet.
Parua tabella capit ternos utrimque lapillos:
　In qua uiciſſe eſt, continuaſſe ſuos.

Et a Martiale:

Haec mihi biſſeno numeratur teſſera puncto:
　Calculus hic gemino diſcolor hoſte petit.

nec tamen conſequens eſt, ut, quia Scaeuola pila & duodecim ſcrupis bene luſit, uterque ludus ſit pars iuris prudentiae, ſed ita potius dicendum eſt, in Scaeuola tres diuerſas artes fuiſſe: unam pilae, alteram ſcruporum, tertiam iuris ciuilis. QVONIAM *Empedocles* ʒ Empedocles Agragantinus ex Sicilia, philoſophus idem & poeta fuit, ſcientiamq. Pythagoreorum de natura & rebus occultis carmine cecinit. de quo eſt illud elogium Lucretij,

Quorum Agragantinus cumprimis Empedocles eſt,
Inſula quem Triquetris terrarum geſſit in oris,
Rebus opima bonis, multa munita uirum ui.
Nil tamen hoc habuiſſe uiro praeclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumq. uidetur.
Carmina quinetiam diuini pectoris eius
Vociferantur, & exponunt praeclara reperta:
Vt uix humana uideatur ſtirpe creatus.

Non tamen quia Empedocles poeta, & phyſicus fuit, iccirco poeſis & phyſica una & eadem res eſt: nam ille alia atque alia ratione poeta, phyſicuſq. fuit. Qvia *Platonem* Plato philoſophiam de moribus a Socrate, mathematicam diſciplinam a Theodoro, & Euclide, Pythagoreiſq. philoſophis, Archita Tarentino, Euryto, & Philolao didicit: quae artes quamuis in uno & eodem Platone magnae & illuſtres fuerint, eaedem tamen non ſunt, ſed ratione & praeceptis ſeparatae & diſtinctae. Ac *ſi iam placet* Haec diſtinctio ueriſſima eſt: quia ſinguli in ſuis ſtudijs artifices multa ex alijs artibus noſſe debent ad uſum ſuae artis perfecte tractandum, quae tamen non ſunt eorum arti ſubiecta: itaque ut orator multiplicem artium ſcientiam teneat, non protinus eam ut ſuam poſſidebit, ſed ut alienam aſſumet ad ornatum & tractationem eloquentiae forenſis. Ieivna *atque* In hac oratione delectant animum illuſtres uerborum metaphorae ſumptae ex his rebus, quarum cogitatio nobis facile occurrit, ut ſunt ieiuna, nuda, adſperſa, diſtincta, auribus accipere, legẽdo percurrere, ſuum poſſidere, alienum libare, tiro in aliqua re & rudis, peregrinus & hoſpes in agendo. Neqve *uero* Secundum contradictionis caput contra philoſophiam, quam Craſſus tribuit oratori, declaratur a diſſimilibus. Philoſophi omnem aetatem ſuam in ſtudijs conſumunt: oratori ſatis eſt hanc ſcientiam deguſtaſſe. Qvis *enim umquam* Proxima diſſimilitudo declaratur exemplis, quibus intelligitur affectus diſſimiliter ab oratore & philoſopho tractari: quia ille tantum conſiderat, quemadmodum mouere uel placare poſſit auditorem. hic uero affectuum ſcientiam definite & diſtincte & ſubtiliter explicat. Qvi *partim* Stoici dicunt omnem affectum eſſe uitioſum, eoq. prorſus carere ſapientem: itaque ſcelus eſſe, ſi quis dicendo iudicem commoueat, & aliquo affectu perturbet. Peripatetici uero quoſdam affectus uitioſos faciunt, metum languidum, iram excandeſcentem, effrenatam libidinem: quoſdam moderatos, circa quos uirtutes quaedam uerſantur, ut fortitudo, manſuetudo, temperantia: ſed nomine tantum inter ſe pugnant, quia Stoici nomine affectus uitioſum dumtaxat & irrationalem, Peripatetici uero etiam moderatum & laudabilem affectum comprehendi & intelligi uolunt. lege Ciceronem in Tuſculanis quaeſtionibus. Orator *autem* Antonius commoratur in diſtinctione oratoris & philoſophi, eumq. locum illuſtrat a diſſimilibus: Orator tractabit res populares, non autem perſequetur reconditas & diſtruſas philoſophorum quaeſtiones de moribus. A *Platone,* Plato decem libris πολιτειῶν, ἢ περὶ δικαίου commenticiam ciuitatem deſcripſit & inſtituit, non qualem in hominum coetu illam agnouiſſet, ſed quam animo & cogitatione optimam & excellentiſſimam ſibi finxiſſet, idq. teſtatur ad finem libri noni, μανθάνω, ἔφη, ἐν ᾗ νῦν διήλθομεν οἰκίζοντες, πόλει, λέγεις τῇ ἐν λόγοις κειμένῃ ἐπὶ γῆς γε οὐδαμοῦ εἶναι αὐτὴν οἶμαι, ἀλλ' ἦν δ' ἐγὼ ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὁρᾶν, καὶ ὁρῶντι ἑαυτὸν κατοικίζειν· διαφέρει δ' οὐδὲν εἴτε πού ἐστιν, ἢ που ἔσται, τὰ γὰρ ταύτης μόνης ἂν πράξειεν, ἄλλης δ' οὐδεμιᾶς εἰκός γ' ἔφη. Intelligo, inquit, in ea ciuitate, quam nunc auctores explicauimus, dicis, quae quidem in uerbis ſita eſt, in terris autem hanc nuſquam eſſe arbitror, ſed in caelo, inquam, fortaſſe exemplum exſtat ei qui intueri uelit, & cum intuitus fuerit ſeipſum inſtruere: nihil autem refert, ſit uſpiam, an futura ſit: quae enim huius ſunt, uix ille fecerit: quae uero alterius, nequaquam: uериſimile eſt inquit. Qvod *ſi ea* Exemplum eſt ex oratione Craſſi ſump tum, qua inuectus eſt in equeſtrem ordinem, iudiciorum poteſtate nequiter abutentem. quo quidem exemplo probat Antonius aliter forenſem oratorem, aliter philoſophum loqui & ſentire. Itaque hanc orationem Craſſi partibus ſingulis confutant ex opinione Stoicorum philoſophorum. hic locus citatur etiam paradoxo quincto, & Stoice refutatur. Omitto *miſerias* Primus locus confutatur ab auctoritate & teſtimonio Stoicorum, qui negant ſapientem miſerum umquam eſſe, quia ſemper ſit beatus. Potest *ne uirtus* Secundus locus orationis refutatur ab aduerſis. Virtus ſemper & ſola libera eſt: non igitur ſeruire poteſt. Qvaeqve *etiam ſi* Cicero libro tertio de finibus, Recte etiam inuictus, cuius etiam ſi corpus conſtringatur, animo tamen iniici uincula nulla poſſunt. Qvae *uero* Tertius locus orationis refutatur a contrarijs relatis, Senatus imperat pop. Romano, non igitur ſeruit. Itaqve *haec* Adiungit Antonius teſtimonium P. Rutilij Rufi ad damnandam Craſſi orationem ex opinione philoſophorum. Hic Rutilius fuit doctus uir, & Graecis litteris eruditus, Panaetij auditor, prope perfectus in Stoicis, ut ait Cicero in Bruto. Idem *Q. Sergium* Alterum exemplum eſt de Sergio Galba, qui, contra fidem interpoſitam, interfectis nouem millibus Luſitanorum, multiſq. alijs direptus, delatus a L. Scribonio tribuno plebis, & accuſatus a Catone, cum odio populi premeretur, & iam damnandus uideretur, multis lacrymis & fletibus ſe iudicio eripuit. de quo Cicero in Bruto, & Fabius cap. 6. lib. 2. Tamqvam *in procinctu* Similitudo a militibus, qui, impendente grauiore proelio, tribus aut pluribus commilitonum audientibus heredem aliquem ſine tabulis & ſine libra nominabant: idq. teſtamentum in procinctu, id eſt apparatu bellico factum eſſe dicebatur. Neqve *uero* Tertium exemplum eſt de Rutiliana cauſſa ſuperioribus diſſimile: Pub. Rutilius Rufus inuiſus equeſtri ordini, quia legatus C. Marij Aſiam a publicanorum iniurijs & rapinis defenderat, falſo crimine repetundarum accuſatus, damnatus ab equitibus, & in exſulium miſſus eſt, cum ille ſimpliciter cauſſam ſuam egiſſet, nullis interpoſitis affectibus ad commouendam miſericordiam iudicum; hic igitur philoſophus aliter dixit in foro, atque oratores

dicere

dicere ſolent. Et cum eſſent eo tempore eloquentiſſimi uiri L. Craſſus, & M. Antonius conſulares, eorum adhibere neutrum uoluit: dixit ipſe pro ſeſe: & pauca C. Cotta, quod ſororis erat filius, & is quidem tamen ut orator, quamquam erat admodum adoleſcens, ſed Q. Mucius enucleate ille quidem; & polite, ut ſolebat, nequaquam tamen ea ui, atque copia, quam genus illud iudicij, & magnitudo cauſſae poſtulabat, ut ait Cicero in Bruto. IMITATVS *eſt*] Quartum exemplum Socratis eſt philoſophi, qui a tribus calumniatoribus Anyto, Lycone, & Melito, falſo impietatis crimine accuſatus eſt: accuſationis capita haec erant, ut ait Lucretius, Socrates iura a maioribus inſtituta uiolat, deos antiquos eſſe negat: noua daemonia inducit: iuuentutem corrumpit: poena illi mors eſto. Vbi Socrates ipſe noluit oratorum more pro ſe cauſſam dicere, ſed ita egit, non ut ueniam deprecaretur a iudicibus, ſed ut praemia, & honores ampliſſimo, in ciuitate peteret. QVINETIAM] Fuit Lyſias ipſe in cauſſis quidem forenſibus non uerſatus. Vt Cic. in Bruto: Sed egregie ſubtilis ſcriptor, atque elegans, & quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. Cum ille Socrati. (Diog. lib. 2.) recitaret orationem, quam pro eo ſcripſiſſet: Bona (inquit Socrates) oratio tua eſt, o Lyſia, neque tamen mihi conuenit: erat enim haec iudiciorum conſuetudini uicinior, quam ut philoſopho conuenire uideretur. Quaerenti Lyſiae, cur, ſi bona eſſet, ei quoque apta non eſſet oratio? Nonne, inquit, ueſtes & calcei ſpecioſi eſſe poſſunt, neque tamen mihi conuenire? Socrates. (Fab. lib. 2.) igitur inhoneſtam ſibi credidit orationem, quam illi Lyſias reo conſcripſerat: & tum maxime ſcribere litigatoribus, quae illi pro ſe dicerent, erat moris, atque ita iuris quo non licebat pro altero dicere, fraus adhibebatur. CALCEOS *Sicyonios*] Sicyon urbs non procul a Ciryntho, ubi molles, & muliebres calcei olim fiebant. Lucilius,

Et pedibus laeua Syciona demit honeſta.

ERGO *ille quoque*] Damnatus eſt Socrates, quia contempſit forenſem, & oratorium dicendi morem, & damnatus primum eſt ducentis octoginta una ſententiis, ut ait Laertius: Tractantibus autem inter ſe iudicibus, qua poena dignus eſſet, dixit ſe ſoluturum uiginti quinque drachmas. ſed his tumultuantibus, exiſtimo, inquit, propter eas res, quas geſſi, me in Prytaneo publice ali debere: tum adiectis aliis octoginta ſententiis damnatus, & in uincula coniectus, paucis poſt diebus mortiferum uenenum bibit. RESPONDIT *ſeſe*] Verba Socratis ſunt apud Platonem in apologia, οὐκ ἔσθ' ὅτι μᾶλλον, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, πρέπει οὕτως ὡς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα ἐν πρυτανείῳ σιτεῖσθαι πολύ τε μᾶλλον, ἢ εἴ τις ὑμῶν ἵππῳ, ἢ ξυνωρίδι, ἢ ζεύγει νενίκηκεν ὀλυμπιάσιν; ὁ μὲν γὰρ ὑμᾶς ποιεῖ εὐδαίμονας δοκεῖν εἶναι, ἐγὼ δ' εἶναι. καὶ ὁ μὲν τροφῆς οὐδὲν δεῖται, ἐγὼ δὲ δέομαι. εἰ οὖν δεῖ με κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι, τούτου τιμῶμαι, τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. id eſt, Nonne multo magis conuenit eum uirum in Prytaneo nutrire, quam eum, qui aut equo, aut bigis, aut iugo in Olympico certamine uicit? is enim facit, ut uos felices eſſe uideamini: ego uero, ut ſitis: alimentis hic non eget, ego egeo: itaque ſi mihi pro merito praemium tribuatis, equidem merui, ut mihi uictus in Prytaneo detur. PRYTANEO] Pritaneum, locus erat Athenis, quem Phauorinus ita deſcribit. πρυτανεῖον τὸ κοινῶς ταμεῖον, καὶ οἰκίσκος παρὰ τοῖς ἀθηναίοις, ὅθεν αἱ κοιναὶ δωρεσίαι, καὶ σιτήσεις ἐδίδοντο, Prytaneum communiter promptuarium, & domuncula apud Athenienſes, unde communes liberalitates, & annonae dabantur. Et Suidas his uerbis, πρυτανεῖον παρὰ τοῖς ἀθηναίοις οἰκίσκος δημόσιος, ἔνθα ἐσιτοῦντο δημοσίᾳ τῆς τοιαύτης τιμῆς παρ' αὐτοῖς τυχόντες· περισπούδαστον δ' ἦν τῆς τοιαύτης δωρεᾶς τυχεῖν· ἐπὶ γὰρ μεγάλοις κατορθώμασι τὴν τοιαύτην ἀπεδίδοντο χάριν· ἢ πυρὸς ταμεῖον, ἔνθα ἦν πῦρ ἄσβεστον· καὶ ηὔχοντο. id eſt, Prytaneum apud Athenienſes, domuncula publica ubi alebantur publice, qui huiuſmodi honorem apud ipſos conſecuti fuiſſent: in ſummis autem uotis erat huiuſmodi donum conſequi: propter enim magna officia tale beneficium reddebant: aut ignis promptuarium, ubi ſeruabatur ignis, qui numquam exſtinguebatur, & precabantur.

PAVLLVS. MANVTIVS. P. MVCIVS] pater Q. Mucij Scaeuolae, pontificis max. collegae L. Craſſi in conſulatu. hic eſt P. Scaeuola frater P. Craſſi, de quo ſupra. ERIPITE *nos ex miſerijs*] uerba C. Craſſi: ex oratione, qua legem Seruiliam ſuaſit. uide infra, & lib. 2. & in paradoxo. V. EORVM,] iudicium, & accuſatorum. uide lib. 2. Q. MVCIVS] de pontifice max. loquitur, non de augure, qui huic ſermoni intererat. dixiſſet enim, Hic Q. Mucius, lib. 2.

CICERO

NAM, *quod ius ciuile, Craſſe, tam uehementer amplexus es: uideo, egeris, & tum, cum dicebas, uidebam. primum Scaeuolae te dediſti, quem omnes amare meritiſſimo pro eius eximia ſuauitate debemus: cuius artem cum indotatam eſſe, atque incomitatam, et incomptam uideres; uerborum eam dote locupletaſti, & ornaſti. deinde, quod in ea tu plus operae, laboriſq. conſumpſeras, cum eius ſtudij tibi & hortator, & magiſter eſſet domi; ueritus es, niſi iſtam artem oratione exaggeraſſes, ne operam perdidiſſes. Sed ego ne cum iſta quidem arte pugno. ſit ſane tanta, quantam tu illam eſſe uis: etenim ſine controuerſia & magna eſt, & late patet, & ad multos pertinet, & ſummo in honore ſemper fuit: & clariſſimi ciues ei ſtudio etiam hodie praeſunt. ſed uide, Craſſe, ne dum nouo, & alieno ornatu uelis ornare iuris ciuilis ſcientiam, ſuo quoque eam, conceſſo, & tradito, ſpolies, atque deundes. Nam, ſi ita diceres; qui iuriſconſultus eſſet, eſſe eum oratorem: itemq. qui eſſet orator, iuris eundem eſſe conſultum; praeclaras duas artes conſtitueres, atque inter ſe pares, & eiuſdem ſocias dignitatis. nunc uero iuriſconſultum ſine hac eloquentia, de qua quaerimus, fateris eſſe poſſe, fuiſſeq. plurimos: oratorem negas, niſi illam ſcientiam aſſumpſerit, eſſe poſſe. ita & tibi iuriſconſultus ipſe per ſe nihil, niſi leguleius quidam cautus, & acutus, praeco actionũ, cãtor formularũ, auceps ſyllabarũ. ſed, quia*

ſaepe utitur orator ſubſidio iuris in cauſſis, iccirco
iſtam iuris ſcientiam eloquentiae tamquam ancillu-
lam, pediſequamq. adiunxiſti. Quod uero impuden-
tiam admiratus es eorum patronorum, qui aut,
cum parua neſcirent, magna profiterentur; aut
ea, quae maxima eſſent in iure ciuili, tractare aude-
rent in cauſſis, cum ea neſcirent, numquamq. didiciſ-
ſent: utriuſque rei facilis eſt, & prompta defenſio.
Nā neque illud eſt mirandũ, qui, quibus uerbis coem-
ptio fiat, neſciat, eũdē eius mulieris, quae coemptionē
fecerit, caußam poſſe defendere: nec, ſi parui nauigij,
& magni eadem eſt in gubernando ſcientia, iccirco
qui, quibus uerbis herciſci oportet, neſciat, idē herci-
ſcundae familiae cauſſam agere non poſſit. Nā, quod
maximas centumuirales cauſſas in iure poſitas
protuliſti: quae tandem earum cauſſa fuit, quae
ab homine eloquenti, iuris imperito, non orna-
tiſſime potuerit dici? quibus quidem in cauſſis omni-
bus, ſicut in ipſa M' Curij, quae abs te nuper eſt dicta,
& in C. Hoſtilij Mancini controuerſia, atque in eo
puero, qui ex altera natus erat uxore non re-
miſſo nuncio ſuperiori, fuit inter peritiſſimos ho-
mines ſumma de iure diſſenſio. Quaero igitur, quid
adiuuerit oratorem in his cauſſis iuris ſcientia; cum
hic iuriſconſultus ſuperior fuerit diſceſſurus, qui eſ-
ſet nō ſuo artificio, ſed alieno, hoc eſt nō iuris ſciētia,
ſed eloquētia ſuſtētatus? Equidē hoc ſaepe audiui: cũ
aedilitatē P. Craſſus peteret; eumq. maior natu, etiā
cōſularis Ser. Galba aſſectaretur, quod Craſſi filiā Ca
io filio ſuo deſpondiſſet; acceſſiſſe ad Craßum con-
ſulendi cauſſa quendam ruſticanum. qui cum
Craßum ſeduxißet; atque ad eum retuliſſet; re-
ſponſumq. ab eo uerum magis, quam ad ſuam rem ac-
cōmodatum abſtuliſſet: ut eum triſtem Galba uidit,
nomine appellauit, quaeſiuitque, qua de re ad Craſ-
ſum retulißet. ex quo ut audiuit; cōmotum ut uidit
hominem: ſuſpenſo, inquit, animo, & occupato Craſ-
ſum tibi reſpondiſſe uideo. deinde ipſum Craſſum
manu prehendit: &, Heus tu, inquit, quid tibi in
mentē uenit ita reſpondere? tum illi fidēter homo peri
tiſſimus confirmare, ita ſe rē habere, ut reſpondiſſet;
nec dubium eſſe poſſe. Galba autem alludens uarie
& copioſe multas ſimilitudines afferre, multaq. pro
aequitate contra ius dicere: atque illum, cum dißе-
rendo par eſſe non poſſet, (quamquam fuit Craſſus
in numero diſertorum, ſed par Galbae nullo modo)
ad auctores confugiſſe; & id, quod ipſe diceret, &
in P. Mucij, fratris ſui, libris, & in Sex. Aelij com-
mentarijs ſcriptum protuliſſe; ac tamen conceſſiſſe,
Galbae diſputationem ſibi probabilē, et prope ueram
uideri. Attamen, quae cauſſae ſunt eiuſmodi, ut de
earum iure dubium eſſe non poſſit, omnino in iudiciũ
uocari non ſolent. Num quis eo teſtamento, quod pa-
terfamilias ante fecit, quam ei filius natus eſt, here-
ditatem petit? nemo: quia conſtat agnaſcendo rumpi
teſtamentum. ergo in hoc genere iudicia nulla ſunt.
Licet igitur impune oratori omnem hanc partē iuris
in controuerſijs ignorare: quae pars ſine dubio mul-
to maxima eſt. In eo autem iure, quod ambigitur in-
ter peritiſſimos, non eſt difficile oratori, eius partis,
quamcumque defendet, auctorem aliquem inuenire,
a quo cum amentatas haſtas acceperit, ipſe eas ora-
toris lacertis, uiribuſq. torquebit. Niſi uero (bona ue
nia huius optimi uiri dixerim) tu libellis, aut prae-
ceptis ſoceri tui cauſſam M' Curij defendiſti, non
arripuiſti patrocinium aequitatis, & defenſionem te
ſtamentorum, ac uoluntatis mortuorum. ac mea qui-
dem ſententia (frequens enim te audiui, at que affui)
multo maiorem partē ſententiarum ſale tuo, & lepo-
re, & politiſſimis facetijs pellexiſti: cum & illud ni-
mium acumē illuderes; et admirarere ingenium Scae
uolae, qui excogitaſſes naſci prius oportere, quam
mori: cumq. multa colligeres & ex legibus, & ex ſe
natuſconſultis, & ex uita, ac ſermone communi non
modo acute, ſed etiā ridicule, ac facete; ubi ſi uerba,
non rem, ſequeremur, confici nihil poſſit. itaque hila
ritatis plenum iudiciũ, ac laetitiae fuit. In quo quid
tibi iuris ciuilis exercitatio profuerit, non intelligo:
dicendi certe uis egregia, ſumma feſtiuitate & ue-
nuſtate coniuncta, profuit. Ipſe ille Mucius, pater-
ni iuris defenſor, & quaſi patrimonij propugnator
ſui, quid in illa cauſſa, cum contra te diceret, attu-
lit, quod de iure ciuili depromptum uideretur? quam
legē recitauit, quid patefecit dicendo, quod fuiſſet
imperitis occultius? nēpe eius omnis oratio uerſata
eſt in eo, ut ſcriptũ plurimũ ualere oportere defende-
ret. at in hoc genere pueri apud magiſtros exercētur
omnes, cum in eiuſmodi cauſſis alias ſcriptum, alias
aequitatem defendere docētur. Et credo in illa militis
cauſſa ſi tu aut heredē, aut militem defendißes; ad Ho
ſtilianas te actiones, non ad tuam uim, et oratoriam fa
cultatem, contuliſſes. tu uero uel, ſi teſtamentum
defenderes, ſic ageres, ut omne omnium teſtamento-
rum ius in eo iudicio poſitum uideretur: uel, ſi cauſ-
ſam ageres militis, patrem eius, ut ſoles, dicendo a
mortuis excitaßes, ſtatuiſſes ante oculos: comple-
xus eſſet filium, flenſq. eum centumuiris commen-
daſſet: lapides mehercule omnes flere, ac lamentari
coegiſſes: ut totum illud, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, non in XII tabulis, quas tu omnibus bibliothe-
cis anteponis, ſed in magiſtri carmine ſcriptum uide
retur. Nam, quod inertiam accuſas adoleſcentiũ, qui
iſtā artem primum facillimam non ediſcant: haec quā
ſit facilis, illi uiderint, qui eius artis arrogantia, qua-
ſi difficillima ſit, ita ſubnixi ambulant: deinde et-
iam tu ipſe uideris, qui eam artem facilem eſſe di-
cis, quam concedis adhuc artem omnino non eſ-
ſe, ſed aliquando, ſi quis aliam artem didicerit,
ut hanc artem efficere poſſit, tum eſſe illam artem
futuram. Deinde, quod ſit plena delectationis: in
qua tibi remittunt omnes iſtam uoluptatem, & ea
ſe carere patiuntur; nec quiſquam eſt eorum, qui, ſi
iam ſit ediſcendum ſibi aliquid, non Teucrum Pacu-
uij malit, quam Manilianas uenalium uendendorum
leges ediſcere. Tu autem, quod amore patriae cenſes
nos noſtrorum maiorum inuenta noſſe debere, non ui
des ueteres leges aut ipſas ſua uetuſtate conſenuiſ-
ſe, aut nouis legibus eſſe ſublatas. Quod uero uiros
bonos iure ciuili fieri putas, quia & legibus et prae-
mia propoſita ſint uirtutibus, et ſupplicia uitijs: equi
dem putabam uirtutem hominibus, ſi modo tradi ra-
tione poſſit, inſtituendo, & perſuadendo, non minis,
& ui, ac metu, tradi. nam ipſum quidem illud, etiam
ſine cognitione iuris, quam ſit bellum cauere malum,

ſcire

ſcire posſumus. De me autem ipſo; cui uni tu concedis, ut ſine ulla iuris ſcientia tamen cauſſis ſatiſfacere poſſim: tibi hoc, Craſſe, reſpondeo; neque me umquam ius ciuile didiciſſe: neque tamen in ijs cauſſis, quas in iure poſſem defendere, umquam iſtam ſciẽtiam deſideraſſe. aliud eſt enim, eſſe artificem cuiuſdam generis, atque artis: aliud, in communi uita, & uulgari hominum conſuetudine non hebetem, nec rudem. Cui noſtrum non licet fundos noſtros obire, aut res ruſticas uel fructus cauſſa, uel delectationis inuiſere? tamen nemo tam ſine oculis, tam ſine mente uiuit, ut, quid ſit ſementis, ac meſſis, quid arborum putatio, ac uitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino neſciat. num igitur, ſi cui fundus inſpiciendus, aut ſi mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum uillico ſit, Magonis Carthaginienſis ſunt libri perdiſcẽdi; an hac communi intelligentia contenti eſſe poſſumus? Cur ergo non ijdem in iure ciuili, praeſertim cum in cauſſis, & in negotijs, & in foro conteramur, ſatis inſtructi eſſe poſſimus ad hoc dumtaxat; ne in noſtra patria peregrini, atque aduenae eſſe uideamur? Ac, ſi iam ſit cauſſa aliqua ad nos delata obſcurior; difficile, credo, ſit cum hoc Scaeuola communicare: quamquam ipſi omnia, quorum negotium eſt, conſulta ad nos, & exquiſita deferunt. An uero, ſi de re ipſa, ſi de finibus, cum in rem praeſentem non uenimus, ſi de tabulis, & praeſcriptionibus controuerſia eſt, contortas res, & ſaepe difficiles neceſſario perdiſcimus: ſi leges nobis, aut ſi hominum peritorum reſponſa cognoſcenda ſunt; ueremur, ne ea, ſi ab adoleſcentia iuri ciuili minus ſtuduerimus, non queamus cognoſcere? Nihil ne igitur prodeſt oratori iuris ciuilis ſcientia? non poſſum negare prodeſſe ullam ſcientiam, ei praeſertim, cuius eloquentia copia rerum debeat eſſe ornata; ſed multa, & magna, & difficilia ſunt ea, quae ſunt oratori neceſſaria: ut eius induſtriã in plura ſtudia diſtrahi nolim. Quis neget, opus eſſe oratori in hoc oratorio motu, ſtatuq. Roſcij geſtum, & uenuſtatem? tamen nemo ſuaſerit ſtudioſis dicendi adoleſcentibus, in geſtu diſcendo hiſtrionum more elaborare. Quid eſt oratori tam neceſſarium, quam uox? tamen, me auctore, nemo dicendi ſtudioſus Graecorum more & tragoedorum uoci ſeruiet: qui & annos cõplures ſedentes declamitant; & quotidie, antequam pronuncient, uocem cubantes ſenſim excitant; eadẽq. cum egerunt, ſedentes ab acutiſſimo ſono uſque ad grauiſſimum ſonum recipiunt, & quaſi quodam modo colligunt. hoc nos ſi facere uelimus; ante condemnentur ij, quorum cauſſas receperimus, quam toties, quoties praeſcribitur, Paeanem, aut Munionem citarimus. quod ſi in geſtu, qui multum oratorem adiuuat, & in uoce, quae una maxime eloquentiam uel cõmendat, uel ſuſtinet, elaborare nobis non licet; at tantum in utroque aſſequi poſſumus, quantũ in hac acie quotidiani muneris ſpatij nobis datur: quanto minus eſt ad iuris ciuilis perdiſcendi occupationem deſcendendum; quod & ſummatim percipi ſine doctrina poteſt? & hanc habet ab illis rebus diſſimilitudinem; quod uox, & geſtus ſubito ſumi, & aliunde arripi nõ poteſt; iuris utilitas ad quamque cauſſam quamuis repente uel a peritis, uel de libris depromi poteſt. itaque illi diſertiſſimi homines miniſtros habent in cauſſis iuris peritos, cum ipſi ſint peritiſſimi, eos, qui, ut abs te paullo ante dictum eſt, πραγματικοὶ uocantur. in quo noſtri omnino melius multo, quod clariſſimorum hominum auctoritate leges, & iura tecta eſſe uoluerunt. ſed tamen non fugiſſet hoc Graecos homines, ſi ita neceſſe eſſe arbitrati eſſent, oratorẽ ipſum erudire in iure ciuili, nõ pragmaticum adiutorem dare. Nam, quod dicis ſenectutem a ſolitudine uindicari iuris ciuilis ſcientia: fortaſſe etiam pecuniae magnitudine: ſed nos, non quid nobis utile, uerum quid oratori neceſſarium ſit, quaerimus. quamquam (quoniam multa ad oratoris ſimilitudinem ab uno artifice ſumimus) ſolet idem Roſcius dicere, ſe, quo plus ſibi aetatis accederet, eo tardiores tibicinis modos, & cantus remiſſiores eſſe facturum. quod ſi ille adſtrictus certa quadam numerorum moderatione, & pedum, tamen aliquid ad requiem ſenectutis excogitat: quanto facilius nos non laxare modos, ſed totos mutare poſſumus? Neque enim hoc te, Craſſe, fallit, quam multa ſunt, & quam uaria genera dicendi; & quod haud ſciam an tu primus oſtenderis, qui iamdiu multo dicis remiſſius, & lenius, quam ſolebas: neque minus haec tamen tua grauiſſimi ſermonis lenitas, quam illa ſumma uis, & contentio, probatur: multiq. oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus, & Laelium, qui omnia ſermone conficerent paullo intentiore, numquam, ut Ser. Galba, lateribus, aut clamore contenderent. quod ſi iam hoc facere non poteris, aut noles: uereris, ne tua domus, talis & uiri, & ciuis, ſi a litigioſis hominibus non coletur, a ceteris deſeratur? Equidem tantum abſum ab iſta ſententia: ut non modo non arbitrer ſubſidium ſenectutis in eorum, qui conſultum ueniant, multitudine eſſe ponendum: ſed tamquam portum aliquem exſpectem iſtam, quam tu timeas, ſolitudinem. ſubſidium enim belliſſimum exiſtimo eſſe ſenectuti otium.

EXPLANATIO

NAM *quod ius*] Tertium contradictionis eſt de iure ciuili, quod magnificentius ornatum ait eſſe a Craſſo duabus de cauſſis: & quod Scaeuolae, & quod ſibi ipſi Craſſus gratificari uellet. CVIVS *artem*] Ars iuris ciuilis dicitur indotata, & incompta, quia leges ſimplici, & nuda oratione conſcriptae ſint, ſine ullis magnis troporum, & figurarum ornamentis. NAM *ſi ita*] Antonius multis rebus conceſſis, diſputat iuriſprudentiam a Craſſo parum apte laudari: ſyllogiſmus connexus hoc modo fit,

Si Craſſus diceret omnem iureconſultum eſſe oratoem, & contra, facere duas artes partes inter ſe, & ſocias eiuſdem dignitatis, eloquentiam, & iuris prudentiam:

Sed Craſſus non id dicit, quia putat iuris ſcientiam poſſe ſine eloquentia conſiſtere, eloquentiam uero ſine iure ciuili non putat eſſe:

Itaque

Itaque duas artes pares non facit, ſed iuris ſcientiam quaſi eloquentiae ancillulam ſtatuit.

ITA *& ibi* } Definitur extenuationis, & contemptus cuiuſdam gratia Iureconſultus Leguleius aliquis, & formularis, qui, contemptis reliquis artibus, album & rubricam ſequitur: cautus ad prouidendum, & cauendum iure, acutus ad cogitandum, & inueniendum, quod conſultoribus reſpondeat. Praeco,& quaſi promulgator actionum,admonens quomodo quaeque cauſſa agenda ſit: cautor formularum, qui praeſcribit formulas teſtamentorum,& ſtipulationum, ne ſui clientes decipiantur: anceps ſyllabarum, qui in ſingulis paene ſyllabis immoratur, ut controuerſiam facere, uel tollere poſſit. ſic pro Caecina ait Cicero, Tum aucupia uerborum, & litterarum tendiculas in inuidiam uocant. QVOD *uero* } Antonius ſequitur eum ordinem in refellendo, quem Craſſus in oratione ſua tenuit: ac primum eleuat, quae dicta ſunt a Craſſo de impudentia cauſſidicorum,qui ius ciuile neſciunt, utiturq. duobus exemplis ut coemptionis,herciſcundae familiae: in quo toto genere conſequentis reprehenſionis academicorum more,& inſtituto diſputat Antonius: & certe Cicero in hoc oratorio dialogo uidetur maluiſſe contrarias de oratoris definitione diſputationes ad Graecorum conſuetudinem inſtituere,quam ſubtiliter,& limate de natura oratoris diſſerere. COEMPTIO *fiat,* } Coemptio fuit uetus contrahendi matrimonij ritus,quo uir, & mulier ſe quaſi mutuo emebant; nam & haec a uiro interrogata, Viſne mihi materfamilias eſſe? reſpondebat ſe uelle: & ille uiciſſim interrogatus ſtipulabtaur ſe mulieri patremfamilias eſſe uelle: itaque mulier conueniebat in manum uiri. huc alluſit Virgilius, cum ait:

Teq. ſibi generum Tethys emat omnibus undis.

HERCISCVNDAE } Herciſcere familiam eſt poſſeſſionem patrisfamilias diuidere: actio autem herciſcundae familiae (ut ait Caius lib. 10. digeſt.) proficiſcitur ex lege duodecim tabularum: namque coheredibus uolentibus a commnnione diſcedere, neceſſarium uidebatur aliquam actionem conſtitui, qua inter eos res hereditariae diſtribuerentur: & per herciſcundae familiae actionem (ut ait Vlpianus ibidem) diuiditur hereditas, ſiue ex teſtamento,ſiue ab inteſtato, ſiue ex lege duodecim tabularum, ſiue ex aliqua lege deferebatur hereditas, uel ex ſenatuſconſulto, uel etiam conſtitutione: & generaliter eorum dumtaxat diuidi hereditas poteſt, quorum & peti poteſt. NAM *quod maximas* } Antonius reſpondit exemplis a Craſſo citatis,quod orator in eiuſmodi cauſſis non iuris ſcientia,ſed eloquentia ſuperior interdum poſſit euadere: utraque tamen ars poteſt eſſe eius rei cauſſa. ATTAMEN *quae* } Exemplum eſt ad eandem quaeſtionem, quod eloquentia prudentiam iuris non requirat,quia Sergius Galba orator ignarus iuris, de iure ipſo melius cuidam ruſtico reſpondit, quam P. Craſſus iuris peritiſſimus: de quo ante dictum eſt.

Dilemma eſt ita concluſum,

Si certum ius eſt, de eo nulla poteſt eſſe lis: ſi uero dubium,cum orator iureconſultum conſuluerit, cauſſam poterit optime dicere:

Sed ius aut certum eſt, aut dubium:

Ergo de iure aut nulla eſt lis, aut,cum orator didicerit,melius de eo dicet, quam iureconſultus.

AMENTATAS *haſtas* } Allegoria eſt a iaculatoribus,qui haſtas amento, id eſt, loro uinciunt, & religant,ut firmata manu uehementius eas torqueant: qua ſimilitudine firmiſſimae probationes in cauſſis haſtae amentatae dicuntur. Cicero in Bruto, Vt haſtae uelitibus amentatae traduntur,ſic oratori argumenta. NISI *uero* } Antonius illuſtrat ſecundam partem dilemmatis diſſoluendis quibuſdam exemplis a Craſſo prius citatis. reſpondet igitur ad ſextum exemplum de cauſſa Curiana, & iure hereditatis: ubi Craſſus non iuris, ſed eloquentiae ſubſidio, & uiribus Curium defendit,& exinde concludit maximas cauſſas ſine ſcientia iuris ab oratore tractari poſſe. ET,*credo,* } Ironia eſt ad eleuandum primum exemplum prolatum a Craſſo de cauſſa militis, de cuius morte, cum falſus rumor allatus eſſet, & pater alium quendam ſcripſiſſet heredem, miles Romam reuerſus, de bonis paternis egit in iudicio. VTI *lingua* } Verſiculus erat in duodecim tabulis, (Vti lingua nuncupaſſit,ita ius eſto,) id eſt, quod quis ore pronunciauerit, ratum eſto: Craſſus igitur ſi militem defenderet,diceret ſeruiendo ſuae cauſſae hunc uerſum non eſſe duodecim tabularum,ſed potius magicum,& praeſtigioſum, quia ſi uerba legis huius ſequamur, interdum in errorem deducemur,ut exempli gratia,apparet in teſtamento patrisfamilias,qui alium quam filium militem ſcripſerat, & nuncuparat heredem: non enim oportuit iudices uerba teſtamenti ſequi,ſed aequitatem cauſſae. NAM *quod* } Antonius ſtrictim & curſim diſſoluit quaedam latius dicta a Craſſo de inertia cauſſidicorum, qui ius ciuile non diſcunt: ac primum negat eam ſcientiam eſſe facilem,duobus argumentis. & quod ita iureconſulti iudicent, & quod haec ſcientia nondum in artem redacta ſit,ſed adhuc confuſa & perturbata. NEC *quiſquam eſt* } Secundum principale argumentum Craſſi item confutatur ab exemplo maiorum. Homines libentius ediſcunt Teucrum tragoediam Pacuuij, quam libros Manilij de iure: non eſt igitur iucunda iuris ſcientia. M. Pacuuius ſcripſit Tragoediam de Teucro Telamonio,qui, Aiace fratre ad Troiam interempto,& patrem,& patriam fugiens,exſulium ſibi in Cypro delegit. M. Manilius iureconſultus perſcripſerat leges,& formulas rerum uenalium uendendarum, quibus cauebat, ne damnum acciperet uenditor,aut emptor: qualis eſt illa apud Varronem de bubus, Lib. 2. Eos cum emimus domitos,ſtipulamur: ſic,illoſce boues ſanos eſſe,noxiſque praeſtari, Spondeſne? Paullo uerboſius haec qui Manilij actiones ſequuntur. Ibidem, Emptio equina ſimilis fere,& boum, & aſinorum, quod in eiſdem rebus dominium in emptione mutatur,ut in Manilij legibus ſunt perſcripta. TV *autem* } Reſpondet argumento de antiquis legibus, quod hae fere in uſu nullae ſint, & iccirco earum cognitio non admodum utilis ſit. QVOD *uero* } Negat metu legum bonos ciues fieri, quia uirtus amore tradatur hominibus: ſed hoc leue & captioſum eſt: ut enim uiri boni praemio adducuntur ad uirtutem,ſic etiam improbi poena reuocantur a uitijs. SI *modo* } Socrates in Menone negat uirtutem doctrina comparari, quia nulli ſint praeceptores tradendae

uirtutis,

uirtutis,& ad extremum concludit eam nobis diuinitus tradi. De *me autem* ʓ Antonius reſpondet de ſeipſo per conceſſionem, quod ius ciuile non didicerit: probatq. illud non eſſe oratori neceſſario perdiſcendum: argumentum eſt a ſimili. Vt ruſticas res ſine arte & libris uſu quodam communi notas habemus, ita in legibus, & iure ciuili communi quadam prudentia, & intelligentia contenti eſſe debemus: ſed ad hanc ſimilitudinem poſſit quis ita reſpondere,

Si ad naturam & communem uſum doctrina quaedam acceſſerit, uirtutem, & ſcientiam multo praeſtantiorem, & perfectiorem exſiſtere.

Magonis ʓ Mago Carthaginienſis Punica lingua compoſuit uiginti octo libros de re Ruſtica, qui ex Senatuſconſulto in Latinum ſermonem conuerſi ſunt, ut Columella ait. hunc Magonem Lib. 1. Geor. Virgilius eſt imitatus, ut ait Seruius. Ac *ſi iam ſit* ʓ Si de iure (inquit Antonius) dubium eſt, uel orator iuriſperitum conſulit, uel litigator rem plane conſultam defert ad oratorem. An *uero ſi* ʓ Argumentum eſt a collatione maiorum cum minoribus. Orator cauſſas difficiles, & multis circumſtantijs implicatas, cum opus eſt, ad tempus perdiſcit: cur non igitur leges, & reſponſa, cum opus erit, ad tempus cognoſcet? Nihil *ne igitur* ʓ Prolepſis haec ſoluitur a diſſimili: licet ius ciuile proſit oratori, non eſt tamen in eo, oratori magnopere elaborandum: qui locus illuſtratur a maiori ad minus: Orator Graecorum more uocem, & geſtum non exercebit, quamuis utraque res ſit ei ualde neceſſaria, quanto igitur leuiore ſtudio ad cognitionem iuris deſcendet? in prima parte comparationis declaratur multum ſtudium Graecorum circa uocis, & geſtus excitationem, & conformationem. Paeanem ʓ Paean, & Nomion hymni ſunt in honorem Apollinis olim celebrati, & cantati, & ex ipſius dei cognominibus ſic appellati. nam Apollo a Graecis cognominatus eſt Paean, uel ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, id eſt, a ſedandis moleſtijs: uel ἀπὸ τοῦ παίειν, id eſt, a feriendo, quod radijs feriat. Et Arcades Apollinem νομιῶνα appellant, quod ab eo ſe ferunt leges accepiſſe: ut ait Cicero. Lib. de nat. deor. In quibuſdam exẽplaribus legimus Munionem corrupta uoce, pro Nomionem. Et *hanc habet* ʓ Diſſimilitudo uocis, & geſtus a iure ciuili approbatur, ab exemplis diſſimilibus: Graeci oratores conſulunt iuriſperitos, doctos quidem, ſed infimos homines, & paene miniſtros ſuos, Romae uero iureconſulti clariſſimi, & praeſtantiſſimi ſunt & habentur. Nam *quod dicis* ʓ Antonius refellit argumentum Craſſi de celebritate iureconſulti in ſenectute, ab alijs cauſſis: quod pecunia & eloquentia poſſunt etiam efficere, ut domus ſenis celebris, & frequentata ſit: in quo Antonius cum Craſſo leuiſſime pugnat, praeſertim cum hae tres cauſſae unius, & eiuſdem effectus eſſe poſſint. Sed *nos non* ʓ Probat, oratorem, quantumuis ſenex ſit, cauſſas agere poſſe, licet paullo remiſſius. Argumentum eſt a collatione minoris. Roſcius cum in ſenectute ageret fabulam, uel canticum ſaltaret, iubebat tibicinem non incitatos, ut antea, ſed tardiores modos efficere: Quanto igitur facilius orator in cauſſis agendis, aliquid in ſenectute relaxabit? Libro primo de legibus Atticus ſimiliter diſputat, atque hic Antonius: nam cum Cicero dixiſſet ſe non recuſare, quominus is patrio more ſedens in ſolio, conſulentibus reſponderet, ſenectutiſque non inertis grato, & honeſto munere fungeretur: Atqui uereor (inquit Atticus) ne iſtam cauſſam nemo noſcat, tibique ſemper dicendum ſit, ſed eo magis, quod tute ipſe mutaſti, & aliud genus dicendi inſtituiſti: ut, quemadmodum Roſcius familiaris tuus in ſenectute numeros in cantu cecinerat, ipſaſq. tardiores fecerat tibias, ſic tu a contentionibus, quibus ſummis uti ſolebas, quotidie relaxes aliquid, ut iam oratio tua non multum a philoſophorum tenuitate abſit, quod ſuſtinere, uel cum ſumma ſenectus poſſe uideatur nullam tibi a cauſſis uideo dari uacationem. Neqve *enim* ʓ Illuſtratio ſecundae partis collationis, ab exemplis oratorum, ut Scipionis, & Laelij, qui ſine uehementi contentione uocis cauſſas agebant. Eqvidem *tantum* ʓ Antonius refellit argumentum Craſſi ex contrarijs, Subſidium ſenectutis eſt ſolitudo, non igitur clientum frequentia. Sed *tamquam* ʓ Similitudo a nautis, qui ut ex longa nauigatione in portum ueniunt plenum quietis, ita ſenex ex longa uita in tranquillam, & otioſam ſolitudinem confugere debet.

PAVLLVS . MANVTIVS. Deinde, *quod ſit plena delectationis.* ʓ Coniunge cum illa parte: Quod inertiam accuſas adoleſcentium, qui iſtam artem primum facillimam non ediſcant: deinde, quod ſit plena delectationis. quorum alterum, quam ſit facilis, ipſe uideris: in altero, tibi remittunt omnes iſtam uoluptatem. Paeanem, *aut Munionem* ʓ niſi fallor, hic potius de hymnis, quam de pedibus, ut putarunt non nulli, mentio fit. nam paean hymnus eſt, non pes: paeon autem pes, non hymnus. at hic non paeon, ſed paean nominatur, quem eſſe hymnum, uel hic unus Homeri uerſus indicat. *ι.λ.α.*

οἱ δὲ πανήμεροι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο
καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι ἀχαιῶν.

praeterea uerbum, Citarimus, mihi quidem conuenire magis in hymnum, quam in pedem, uidetur. & Catullus:

,, Dicite o Hymenaee hymen
,, Hymen o Hymenaee:
,, Vt Lubentius audiens
,, Se citarier ad ſuum
,, Munus, huc aditum ferat. & Horat. Sat. 3.
,, - Si collibuiſſet; ab ouo
,, Vſque ad mala citaret, Io Bacche. - Aſſentior igitur uiro in primis erudito, & ingenioſo, Hadriano Turnebo; qui, pro Munionem, quod mendoſum uidetur, arbitratur eſſe reponendum, Nomionem. Arcades enim νομιῶνα uocabant Apollinem, quod eis dediſſe leges putaretur, ut ait Cicero lib. 3 de nat. de. hinc hymni nomen, ut Paeam, Apollini cantatus. Proclus etiam legendus περὶ τραγῳδίας.

CICE-

CICERO

RELIQVA *uero, etiam ſi adiuuant, hiſtoriam dico, & prudentiam iuris publici, & antiquitatis iter, & exemplorum copiam: ſi quando opus erit, a uiro optimo, & iſtis rebus inſtructiſſimo, familiari meo, Longo mutuabor. neque repugnabo, quo minus, id quod modo hortatus es, omnia legant, omnia audiant, in omni recto ſtudio, atque humanitate uerſentur. ſed mehercule non ita multum ſpatij mihi habere uidentur: ſi modo ea facere, & perſequi uolent, quae a te, Craſſe praecepta ſunt, qui mihi prope etiam nimis duras leges imponere uiſus es huic aetati, ſed tamen ad id, quod cupiunt, adipiſcendum prope neceßarias. nam, & ſubitae ad propoſitas cauſſas exercitationes, & accuratae, & meditatae commentationes, ac ſtylus ille tuus, quē tu uere dixiſti perfectorem dicendi eſſe, ac magiſtrum, multi ſudoris eſt: & illa orationis ſuae cum ſcriptis alienis comparatio, & de alieno ſcripto ſubita, uel laudandi, uel uituperandi, uel comprobandi, uel refellendi cauſſa, diſputatio, non mediocris contentionis eſt, uel ad memoriam, uel ad imitandum. Illud uero fuit horribile: quod, mehercule uereor, ne maiorem uim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum. uoluiſti enim in ſuo genere unumquemque noſtrum quaſi quendam eße Roſcium: dixiſtique, non tam ea, quae recta eſſent, probari, quam, quae praua ſint, faſtidijs adhaereſcere. quod ego non tam faſtidioſe in nobis, quam in hiſtrionibus ſpectari puto. itaque nos raucos ſaepe attentiſſime audiri uideo: tenet enim res ipſa, atque cauſſa: at Aeſopum, ſi paullum irraucuerit, explodi. a quibus enim nihil praeter uoluptatem aurium, quaeritur: in ijs offenditur, ſimul atque imminuitur aliquid de uoluptate. in eloquentia autem multa ſunt, quae teneant: quae ſi omnia ſumma non ſunt, & pleraque tamen magna ſunt; neceße eſt ea ipſa, quae ſunt, mirabilia uideri. Ergo, ut ad primum illud reuertar: ſit orator nobis is, qui, ut Craſſus deſcripſit, accommodate ad perſuadendum poſſit dicere: is autem concludatur in ea, quae ſunt in uſu ciuitatum uulgari, ac forenſi; remotisq. ceteris ſtudijs, quamuis ea ſint ampla, atque praeclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes, & dies urgeatur: imiteturq. illum, cui ſine dubio ſumma uis dicendi conceditur, Athenienſem Demoſthenem: in quo tantum ſtudium fuiſſe, tantusq. labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia, induſtriaq. ſuperaret: cumq. ita balbus eßet, ut eius ipſius artis, cui ſtuderet; primam litteram non poſſet dicere; perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. deinde, cum ſpiritus eius eſſet anguſtior, tantum, continenda anima, in dicendo eſt aſſecutus, ut una continuatione uerborum, id quod eius ſcripta declarant, binae ei contentiones uocis, & remiſſiones continerentur: qui etiam, ut memoriae proditum eſt, coniectis in os calculis, ſumma uoce uerſus multos uno ſpiritu pronunciare conſueſcebat; neque id conſiſtens in loco, ſed inambulans, atque adſcenſu ingrediens arduo. Hiſce ego cohortationibus, Craſſe, ad ſtudium, & ad laborem incitandos iuuenes uehementer aßentior: cetera, quae collegiſti ex uarijs, & diuerſis ſtudijs, & artibus, tametſi ipſe es omnia conſecutus, tamen ab oratoris proprio officio, atque munere ſeiuncta eße arbitror. Haec cum Antonius dixißet; ſane dubitare uiſus eſt Sulpicius, & Cotta, utrius oratio propius ad ueritatem uideretur accedere. Tum Craßus: Operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis: atque haud ſcio, an aliter ſentias, & utare tua illa mirifica ad refellendum conſuetudine; qua tibi nemo umquam praeſtitit: cuius quidem ipſius facultatis exercitatio oratorum propria eſt, ſed iam in philoſophorum conſuetudine uerſatur, maximeq. eorum, qui de omni re propoſita in utramque partem ſolent copioſiſſime dicere. Verum ego non ſolum arbitrabar, his praeſertim audientibus, a me informari oportere, qualis eße poßet is, qui habitaret in ſubſellijs; neque quidquam amplius afferet, quam quod caußarum neceſſitas poſtularet: ſed maius quiddam uidebam, cum cenſebam oratorem praeſertim in noſtra rep. nullius ornamenti expertem eße oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibuſdam finibus totum oratoris munus circumdediſti, hoc facilius nobis expones ea, quae abs te de officijs, praeceptisq. oratoris quae ſita ſunt: ſed opinor ſecundum hunc diem: ſatis enim multa a nobis hodie dicta ſunt. Nunc & Scaeuola, quoniam in Tuſculanum ire conſtituit, paullum requieſcet, dum ſe calor frangat: & nos ipſi, quoniam id temporis eſt, ualetudini demus operam. Placuit ſic omnibus. Tum Scaeuola, Sane, inquit, uellem non conſtituiße in Tuſculanum me hodie uenturum eße Laelio: libenter audirem Antonium. & cum exſurgeret, ſimul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi moleſtus fuit, quod ius noſtrum ciuile peruellit; quam iucundus, quod ſe id neſcire confeßus eſt.*

EXPLANATIO

RELIQVA *uero* ȝ Quartum contradictionis caput eſt de hiſtoria, & antiquitatis ſcientia, quam quidem non negat Antonius oratori prodeſſe, ſed cum opus erit, ab hiſtoricis poſſe peti dicit. NEQVE *repugnabo* ȝ Quinctum caput de uaria & multiplici exercitationis ratione, ut lectionis, ſcriptionis, auditionis, diſputationis, declamationis, leuiter reprehenditur, quod adoleſcentes in his ſtudijs diutius immorari non poſſint. ILLVD *uero* ȝ Sextum & ultimum de perfectione oratoris illuſtrata fuerant a Craſſo ſimilitudine Roſcij hiſtrionis, quam Antonius nunc euertit per diſſimilitudinem: Antonius orator raucus in foro toleratur: Aeſopus hiſtrio ſi raucus eſſet, in ſcena non toleraretur. RAVCOS *ſaepe* ȝ Cicero in Bruto de Antonio ſic ait, Vox permanens erat in Antonio, uerum ſubrauca natura, ſed hoc uitium huic uni in bonum conuertebat: habebat enim

enim flexibile quiddam in quaeſtionibus, aptumq. cum ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commouendam. Ergo *ut ad* } Hactenus Antonius reprehendit definitionem oratoris a Craſſo deſcripti, uelut multis rebus alienis ſuperuacuam, & redundantem ſcientia politica, philoſophia, iuriſprudentia, & hiſtoria: tandem concludit definitionem mediocris oratoris, quam initio diſputationis ſuae conſtituerat, & exemplo Demoſthenis illuſtrat, quo uehementius adoleſcentes ad eloquentiae ſtudium incitet. Illud autem, quod in Craſſi & Antonij diſputatione monuimus, ad extremum etiam nobis repetendum eſt oratoris nomine definiri in hoc dialogo actorem ciuilium cauſſarum, qui multis rebus & artibus ad agendum ſit inſtructus, non autem unius artis hominem, qui praeceptis, & ratione, & propria quadam facultate diſtinctus ſit a ceteris ſingularibus diſciplinis. Atheniensem } Plutarchus ſcribit, Demoſthenem, cum propter haeſitantiam linguae, & anguſtias ſpiritus in Pyraeeum ſeceſſiſſet, a Thraſio Eunomio ſene ad remp. reuocatum fuiſſe: rurſuſq. cum a populo irrideretur, hortatu Satyri hiſtrionis in pronunciandis uerſibus Euripidis & Sophoclis ita ſe exercuiſſe, ut non prior Demoſthenes, ſed alter uideretur: eundemq. aedificaſſe Phalericum, locum quendam ſubterraneum, in quem quotidie deſcendens geſtum & motum corporis fingeret, uocemq. exerceret: nonnumquam etiam duos aut tres menſes domi incluſum declamitaſſe abraſa parte capitis, ut ſibi domo exeundi facultatem praeriperet. Cetera *quae* } Haec diſtinctio rhetoricae artis a ceteris artibus ueriſſima eſt, quia aliud eſt in aliqua arte aliquem aliarum rerum uſum eſſe neceſſarium, aliud artis ipſius eſſe proprium. Atque hoc argumento non tantum Antonius Craſſum, ſed quiuis ipſum Antonium refellere poſſit, qui nomine unius artis rhetoricae dialecticam inuentionis & diſpoſitionis artem confuderit. Haec *cum Antonius* } Finis eſt dialogi, ubi ex audientium aſſenſione diſputatio excellentium oratorum commendatur. Operarivm *nobis* } Cicero per Craſſum indicat Antonium εἰρωνεικῶς locutum eſſe, uel potius Academicorum more, qui de rebus propoſitis in utramque partem diſputant, quae Antonij εἰρώνεια ſecundo oratorio dialogo magis intelligitur, ubi Antonius ſententiam Craſſi de oratore diſputat. Tv *autem* } Tranſitus ſignificatur ad τεχνολογίαν, id eſt, rhetoricae artis explicationem: Antonius enim ab adoleſcentibus rogatus fuerat, non ut Craſſum refelleret, ſed ut de praeceptis rhetoricis diceret: itaque Antoniani muneris partes renouantur a Craſſo, ut interea ſe praeparet Antonius ad proximi diei diſputationem de praeceptis artis rhetoricae. Nvnc *& Scaeuola* } Cicero libro quarto ad Atticum rationem reddit, cur Scaeuolae diſceſſum abſoluto primo dialogo finxerit: Feci (inquit) idem quod in politia deus ille noſter Plato, cum in Peiraeeum Socrates ueniſſet ad Cephalum locupletem & feſtiuum ſenem, quoad primus ille ſermo haberetur, adeſt in diſputando ſenex: deinde cum ipſe quoque commodiſſime locutus eſſet, ad rem diuinam dicit ſe uelle diſcedere, neque poſtea reuertitur: credo Platonem uix putaſſe ſatis conſonum fore, ſi hominem id aetatis in tam longo ſermone diutius retinuiſſet: multo ego ſatius hoc mihi cauendum putaui in Scaeuola, qui erat & aetate & ualetudine ea, qua tu eſſe meminiſti, & his honoribus, ut uix ſatis decorum uideretur, eum plures dies eſſe in Craſſi Tuſculano: & erat primi diei ſermo non alienus a Scaeuolae ſtudijs: reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut ſcis: huic ioculatoriae diſputationi ſenem illum, ut noras, intereſſe ſane nolui.

PAVLLVS. MANVTIVS. Laelio: } miror hunc Laelium, de quo antea nulla facta mentio eſt, ſine praenomine nominari. non enim, ſignificari C. Laelium, Q. Mucii auguris ſocerum, temporis ratio patitur: de quo iam, ut de mortuo, quater aut quinquies in hoc libro ſermo habitus eſt.

IN
M. TVLLII. CICERONIS
LIBRVM. SECVNDVM
DE. ORATORE
Praefatio Audomari Talaei
AD. CAROLVM. LOTHARINGVM
CARDINALEM. ILLVSTRISSIMVM

SVPERIORE *dialogo (Carole Lotharinge Cardinalis) magna eloquentia tractatus & ornatus eſt politicus orator, ſeu actor ciuilium cauſſarum, perfectus & eloquens a Craſſo, mediocris & diſertus ab Antonio: eſt enim Ciceronis oratio uerborum uel proprietate, uel modificatione, uel conformatione plane ſingularis: nec tamen tam accurate logicis definiendi legibus diſtinctus & definitus eſt. Reliquis duobus libris oratoria & forenſis τεχνολογία deſcribitur, quam Antonius & Craßus ſic partiuntur inter ſe, ut ille de inuentione, diſpoſitione, & memoria, hic de elocutione, & actione dicturus ſit. Quae partitio non ſolum dialecticam, cuius tres primae partes propriae ſunt, a rhetorica diſtinguit, cui proprie ſubijciuntur elocutio & actio, ſed etiam decore & apte utrique perſonae ſuum munus attribuit, ut Antonius tres dialecticas uirtutes exponat, quia in eo plus fuit prudentiae: Craßus duas rhetoricas uirtutes, quia plus habuit eloquentiae. Atque, ut ratio ſecundi dialogi conſtet, Cicero primam cauſſam ſcriptionis praefatur, deinde exponit congreſſus hominum, qui in hoc dialogo loquuntur: tum uero Marcus Antonius, princeps huius ſermonis, exordio ab eloquentiae laudibus magnifice ſumpto, de materia oratoris, de natura, & de prima inſtitutione dicere incipit. Materiam oratoris, quae artem & praecepta requirit, in duobus generibus caußarum conſtituit, lite & deliberatione. Naturam oratoris excellentiſſimam quaerit, quae optimos quoſque & excellentiſſimos oratores, primum in ſchola ſibi ad imitandum proponat: deinde, cum ſe ſatis diu multumq. in dicendo & ſcribendo exercuerit, in forum ueniat, & cauſſam a ſe delatam penitus cognoſcat atque meditetur. Cum igitur forenſibus cauſſis agendis, atque tractandis tres artes prudentiae maxime inſeruiant, inuentio, diſpoſitio, & memoria, ob id eloquentiae forenſis & popularis partes efficiuntur, & a Cicerone deinceps explicantur: &, quod ad decorum doctrinae attinet, dantur Antonio partes docendae inuentionis, quia peracutus homo fuit, & ualde ſubtilis ad inueniendum quid quaque de re dici poſſet. Cicero in Bruto, Omnia (inquit) in mentem ueniebant Antonio. Cumq. tripertita ſit in rhetorum ſcholis inuentio, una ad docendum, altera ad mouendum, tertia ad delectandum, de duabus quidem primis diſſerit Antonius, quia in utraque plurimum ualuerit: tertiam uero, quae eſt in iocis & facetijs, non attingit: quia ad iocandum minus habilis & aptus fuerit, & in Iulium Caeſarem reijcit hominem illis temporibus facetiſſimum. Cicero in Bruto, Feſtiuitate, (ait) & facetijs Caius Iulius Lucij frater, & ſuperioribus ſuis & aequalibus omnibus praeſtitit, oratorq. fuit minime ille quidem uehemens, ſed nemo umquam urbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitate conditior: ſunt eius aliquot orationes, ex quibus, ſicut ex eiuſdem tragoedijs, lenitas eius ſine neruis perſpici poteſt. Finito*

ſermone de iocis, Marcus Antonius diſpoſitionis artem in generibus cauſſarum docendam ſuſcipit, nec indecore: fuit enim prudens & eximius in agendis cauſſis collocator rerum & argumentorum. Cicero in Bruto, Omnia ſuo quaeq. loco ubi plurimum proficere & ualere poſſent, ut ab imperatore equites, pedites leuis armaturae: ſic ab illo in maxime opportunis partibus orationis collocabantur: Poſtremo tradit Antonius artem quoque memoriae, quia memoriam excellentem habuerit. Cicero in Bruto, Erat ſumma memoria, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi ad dicendum uidebatur, ſed ita ſemper erat paratus, ut iudices illo dicente uiderentur non ſatis parati ad cauendum fuiſſe. Quamobrem in his tribus ingenij & prudentiae diſciplinis tradendis & explicandis, ita ratio perſonarum habita eſt, ut M. Antonius fidei & motus, Caius Iulius facetiarum locos apte & conuenienter exponat: idemq. M. Antonius de arte diſpoſitionis & memoriae diſputet. Quae cum leges, Cardinalis illuſtriſſime, in his nobiliſſimis & doctiſſimis uiris laetaberis ea te recognoſcere, quae natura in primis & ingenio auctore, deinde etiam magna doctrinae diligentia & exercitatione conſecutus es. Dicerem enim quantum ſit acumen ingenij tui non ſolum in conſilio, ſed etiam gratia: immo etiam cum res poſtulat, uehementia, quantum in ordine iudicium, quanta infinitarum rerum memoria, niſi te uirtutis tuae tacita meditatione, quam publica praedicatione, frui malle certo ſcirem. Quare ſecundi dialogi ſecundas etiam explicationes noſtras quaeſo accipe, uel potius in tuo nomine harum rerum cupidis & ſtudioſis communicari permitte, ac patere.

M · TVLLII · CICERONIS DE . ORATORE AD · Q · FRATREM

LIBER . II

CICERO

MAGNA, nobis pueris, Quincte frater, ſi memoria tenes, opinio fuit, L. Craſſum non plus attigiſſe doctrinae, quam quantum prima illa puerili inſtitutione potuiſſet; M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuiße. erantq. multi, qui, quamquam non ita ſe rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incenſos ſtudio diſcendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent: ut, ſi homines non eruditi ſummam eßent prudentiam, atque incredibilem eloquentiam conſecuti, inanis omnis noſter eße labor, & ſtultum in nobis erudiendis patris noſtri, optimi ac prudentiſſimi uiri, ſtudium uideretur. quos tum, ut pueri, refutare domeſticis teſtibus, patre, & C. Aculeone, propinquo noſtro, & L. Cicerone patruo, ſolebamus; quod de Craſſo pater, & Aculeo, quocum erat noſtra matertera, quem Craſſus dilexit ex omnibus plurimum; & patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una deceſſerat, multa nobis de eius ſtudio, doctrinaq. ſaepe narrauit. Cumq. nos cum conſobrinis noſtris, Aculeonis filijs, & ea diſceremus, quae Craſſo placerent; & ab ijs doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur: etiam illud ſaepe intelleximus, cum eſſemus eiuſmodi, quod uel pueri ſentire poteramus; illum & Graece ſic loqui, nullam ut noſſe aliam linguam uideretur: & doctoribus noſtris ea ponere in percunctando, eaq. ipſum omni in ſermone tractare, ut nihil eſſe ei nouum, nihil inauditum uideretur. De Antonio uero, quamquam ſaepe ex humaniſſimo homine patruo noſtro acceperamus, quemadmodum ille uel Athenis, uel Rhodi ſe doctiſſimorum hominum ſermonibus dedidißet: tamen ipſe adoleſcentulus, quantum illius ineuntis aetatis meae patiebatur pudor, multa ex eo ſaepe quaeſiui. Non erit profecto tibi, quod ſcribo, hoc nouum, (nam iam tum ex me audiebas) mihi illum, ex multis, uarijsq. ſermonibus, nullius rei, quae quidem eßet in ijs artibus, de quibus aliquid exiſtimare poſſem, rudem, aut ignarum eſſe uiſum. Sed fuit hoc in utroque eorum; ut Craſſus non tam exiſtimari uellet non didiciſſe, quam illa deſpicere, & noſtrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre. Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore cenſebat ſuam, ſi omnino didiciſſe numquam putaretur. atque ita ſe uterque grauiorem fore, ſi alter contemnere, alter ne noße quidem Graecos uideretur. Quorum cõſilium quale fuerit, nihil ſane ad hoc tempus: illud autem eſt huius inſtitutae ſcriptionis, ac temporis, neminem eloquentia non modo ſine dicendi doctrina, ſed nec ſine omni quidem ſapientia florere umquam, & praeſtare potuiſſe. Etenim ceterae fere artes ſe ipſae per ſe tuentur ſingulae: bene dicere autem, quod eſt ſcienter, & perite, et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionẽ, cuius terminis ſaepta teneatur. Omnia, quaecumque in hominum diſceptationem cadere poſſunt, bene ſunt ei dicenda, qui hoc ſe poſſe profitetur: aut eloquentiae nomen relinquendum eſt. Quare equidem & in noſtra ciuitate, & in ipſa Graecia, quae ſemper haec ſumma duxit, multos & ingenijs, & magna laude dicendi ſine ſumma rerum omnium ſcientia fuiße fateor: talem uero exſiſtere eloquentiam, qualis fuerit in Craſſo, & Antonio, non cognitis rebus omnibus, quae in tãtam prudentiam pertinerent, tantamq. dicendi copiam, quanta in illis fuit, non potuiſſe confirmo. Quo etiam feci libentius, ut eum ſermonem, quem illi quondam inter ſe de his rebus habuißent, mandarem litteris: uel ut illa opinio, quae ſemper fuiſſet, tolleretur, alterum nõ doctiſſimum, alterum plane indoctum fuiſſe: uel ut ea, quae exiſtimarem a ſummis oratoribus de eloquentia diuinitus eſſe dicta, cuſtodirem litteris, ſi ullo modo aſſequi, complectiq. potuißem; uel mehercule etiã

ut

ut laudem eorum, iam prope ſeneſcentem, quantum ego poßem, ab obliuione hominum, atque a ſilentio uindicarem. nam, ſi ex ſcriptis cognoſci ipſi ſuis potuiſſent; minus hoc fortaſſe mihi eſſe putaſſem laborandum: ſed, cum alter non multum, quod quidem exſtaret, & id ipſum adoleſcẽs, alter nihil admodum ſcripti reliquiſſet; deberi hoc a me tantis hominum ingenijs putaui; ut, cum etiam nunc uiuam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, ſi poſſem. quod hoc etiam ſpe aggredior maiore ad probandum, quia non de Ser. Galbae, aut C. Carbonis eloquentia ſcribo aliquid; in quo liceat mihi fingere, ſi quid uelim, nullius memoria iam refellente: ſed edo haec ijs cognoſcenda, qui eos ipſos, de quibus loquor, ſaepe audierunt; ut duos ſummos uiros ijs, qui neutrum illorum uiderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti ſint, uiuorum, & praeſentium memoria teſte commendemus. Nec uero te, cariſſime frater, atque optime, rhetoricis nunc quibuſdam libris, quos tu agreſtes putas, inſequor, ut erudiam. quid enim tua poteſt oratione aut ſubtilius, aut ornatius eße? ſed, quoniam ſiue iudicio, ut ſoles dicere; ſiue, ut ille pater eloquentiae de ſe Iſocrates ſcripſit ipſe, pudore a dicendo, & timiditate ingenua quadam refugiſti; ſiue, ut ipſe iocari ſoles, unum putaſti ſatis eſſe non modo in una familia rhetorẽ, ſed paene in tota ciuitate: non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod merito propter eorum, qui de dicendi ratione diſputarunt, ieiunitatem bonarum artium poſſit illudi. nihil enim mihi quidem uidetur in Craſſi, & Antonij ſermone eſſe praeteritum, quod quiſquam a ſummis ingenijs, acerrimis ſtudijs, optima doctrina, maximo uſu cognoſci, ac percipi potuiſſe arbitraretur. quod tu facillime poteris iudicare; qui prudentiam, rationemq. dicendi per te ipſum, uſum autem per nos percipere uoluiſti. Sed, quo citius hoc, quod ſuſcepimus, non mediocre munus conficere poſſimus; omißa noſtra oratione, ad eorum, quos propoſuimus, ſermonem, diſputationemq. ueniamus.

EXPLANATIO

MAGNA *nobis* ʒ Tria ſunt futurae diſputationis diſtincta prooemia: Primum ſcribitur ad laudem Craſſi & Antonij: Secundum ad apparatum dialogi: Tertium eſt M. Antonij aggredientis ad dicendum de eloquentiae doctrina. In illo primo Cicero occurrit opinioni hominum de Craſſo & Antonio uulgo habitis indoctis: & πρόληψιν ad hunc modum concludit:

Si Craſſus & Antonius ſine artium ſcientia ſummi oratores fuerunt, non eſt ad eloquentiam conſequendam neceſſaria artium cognitio:

Sed Craſſus & Antonius ſine artium ſcientia ſummi oratores fuerunt:

Non igitur neceſſaria eſt ad eloquentiam conſequendam artium cognitio.

Aſſumptio praecedit, & publico hominum teſtimonio confirmatur.

QVOS, *tum* ʒ Eleuat publicam opinionem de Craſſo & Antonio domeſticis auctoritatibus eorum, qui illis familiares fuerunt: Cicero pater, & C. Aculeo de Craſſi, & L. Cicero patruus de Antonij eruditione & doctrina multa nobis narrarunt. Errant igitur, qui illos putant indoctos & imperitos fuiſſe. CVMQ. *nos* ʒ Altera de Craſſi eruditione probatio ſumitur ex eius ipſius factis: Craſſus optime Graece loquebatur, & cum doctoribus artium praeclare diſſerebat: Itaque non parum doctus & eruditus erat Craſſus. DE *Antonio* ʒ Adiungit ad L. Ciceronis patrui teſtimonium ſuam ipſius ſententiam: Antonius mihi uiſus eſt ex multis eius ſermonibus nihil neſcire: Non igitur fuit rudis & expers bonarum litterarum, ſicut uulgo exiſtimabatur. SED *fuit hoc* ʒ Craſſus & Antonius materiam huius falſae de ſe opinionis praebuerunt: Craſſus uideri uolebat Graecorum ſcholas & artes negligere, Antonius neſcire. Craſſus libro primo de Oratore, Quid mihi nunc uos (inquit) tamquam alicui Graeculo otioſo & loquaci, & fortaſſe docto & erudito, quaeſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? quando enim me iſta curaſſe, aut cogitaſſe arbitramini, non ſemper irriſiſſe potius iſtorum hominum impudentiam, qui, cum in ſchola aſſediſſent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent, ſi quis quid quaereret? Antonius hoc libro ſecundo, Verum (inquit) ex me audies, Catule: ſemper ego exiſtimaui iucundiorem & probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quam minimam artificij alicuius, deinde qui nullam Graecarum rerum ſignificationem daret. ILLVD *autem* ʒ Probat in Craſſo & Antonio ſummam fuiſſe liberalium artium doctrinam, quia ſumma fuit in his eloquentia: Syllogiſmus ſimplex eſt primi generis:

Omnis excellens orator multis & magnis artibus eſt inſtructus:

Craſſus & Antonius ſummi fuerunt oratores:

Vterque igitur ſapiens, & magnis artibus inſtructus fuit.

Propoſitio illuſtratur diſſimilitudine eloquentiae, & reliquarum artium. Ceterae artes ſeipſae tuentur ſingulae, ut Grammaticus artis ſuae facultate recte ſcribere, & loqui poteſt: Orator uero rhetoricae artis facultate non eſt contentus, ſed alijs artibus indiget: quae Ciceronis opinio de politico homine minus abſurda fuerit, ſed tamen inepta: quia, quamuis tali homini non rhetorica ſolum, ſed omnes artes eſſent neceſſariae, tamen tam inepte uir politicus compararetur ceterarum artium hominibus, quam ſi animal uelut ſpecies aliqua cum honine, leone, equo, ceteriſque ſpecialialibus animalium formis compararetur: talis enim orator, quem Cicero fingit, non eſt unius artis homo, ſed omnium artium. Verum, ſi (ut ſaepe iam dixi) omnes artes, ut debent, praeceptis diſtinguantur, & facultatibus, eloquentia tam ſuis finibus elocutionis, & pronunciationis contenta erit, quam ceterae artes ſuis partibus, ex quibus conſtant, & abſoluuntur ſingulae. QVARE

equidem ȝ Aſſumptio & complexio ſimul ſunt, & declarantur argumento ſimilitudini: Italia & Graecia multos homines diſertos ſine ſumma rerum ſcientia habuit, ac perfectos, quales Craſſus & Antonius fuerunt, ſine ſumma rerum ſcientia non habuit. Qᴠᴏ *etiam* ȝ Deſcendit ad commemorandas cauſſas huius inſtitutae ſcriptionis, quarum duae primae licet fingantur, apte tamen, & ad dignitatem dialogi decore finguntur: neque enim fuit tanta in Craſſo, & Antonio doctrina, quanta tribuitur: neque talis umquam de Oratore ab illis ſermo eſt habitus, & tamen ad fictionis gratiam, & dignitatem multum intereſt, ut tales fuiſſe dicantur. Tertia uero cauſſa magnam habet ſignificationem cuiuſdam pietatis erga Craſſum, & Antonium, & huic dialogo maxime conuenit: multo enim ſapientius, & modeſtius facit, dum alienis perſonis laudem ſuam, & ſibi proprie debitam tribuit, quam ſi horum dialogorum doctrinam, & elegantiam ſibi arrogaret. Nᴀᴍ *ſi ex ſcriptis* ȝ Confirmatio proximae tertiae rationis, & ſyllogiſmus connexus hoc modo,

Si Craſſus & Antonius multa ſcripſiſſent, de his hominibus non eſſet mihi ſcribendum:
Sed non multa ſcripſerunt, quae quidem exſtent:
Quare de ingenijs eorum mihi ſcribendum putaui.

Antonius libellum de Oratore adoleſcentulus immaturo, & iudicio, & ſtylo ſcripſit: Craſſus orationem unam pro Licinia uirgine, alteram de colonia Narbonenſi, tertiam pro lege Seruilia, quartam pro Caepione. lege Ciceronem in Bruto. Qᴠᴏᴅ *hoc etiam* ȝ Poſtremum argumentum ſuſcepti operis tractatur a diſſimilibus: Non ſcribo de ignotis hominibus, & a noſtra memoria procul remotis: ut de eloquentia L. Sergij Galbae, qui fuit grandis, & paene tragicus orator: aut C. Carbonis, qui fuit orator canorus, & uolubilis, & ſatis acer, atque idem uehemens, & ualde dulcis, & perfacetus, & in multis iudicijs cauſſisq. cognitus, ut ſcriptum eſt in Bruto: ſed ſcribo de hominibus doctiſſimis & eloquentiſſimis, quos aetas noſtra nouit & celebrauit. Nᴇᴄ *uero te* ȝ Extenuat nuncupationem operis: primum extenuationis argumentum eſt ex remotione finis: Non ſcribo, ut te erudiam. Secundum ex diſſimilibus; Quamuis eloquentiae forenſis ſtudium contempſeris, non tamen hunc ſermonem, quem inſtituo, propter eos, qui hic loquuntur, aſpernabere. Q. Cicero in otio poeſim, in negotio militiam ſecutus eſt, cauſſarum ciuilium actor & patronus eſſe noluit. cuius rei tres cauſſae commemorantur per diſiunctionem, uel iudicium, uel metus, uel oratorum in urbe frequentia. Vᴛ *ille pater* ȝ Iſocrates pater eloquentiae, qui in Graecia plurimos genuit oratores, primusq. inſtituit mollioribus uerbis, & numeris explere ſententias, multa quidem in otio ludicrae exercitationis gratia ſcripſit, ſed forum & cauſſas numquam attigit, ut de ſe ipſo teſtis eſt in oratione de permutatione facultatum: Cauſſas eiuſce rei duas ipſe reddit in Panathenaico: infirmitatem uocis, & timiditatem naturae. Τήν δε φυσιν εἰδὼς πρὸς μέν τὰς πράξεις ἀῤῥωςοτέραν, καὶ μαλακωτέραν οὖσαν τοῦ δέοντος, πρὸς δὲ τοὺς λόγους οὐδὲ λείαν, οὐδὲ πανταχῆ χρησίμην, οὕτω γὰρ ἐνδεὴς ἀμφοτέρων ἐγενόμην τῶν μεγίςην δύναμιν ἐχόντων παρ' ὑμῖν, φωνῆς ἱκανῆς, καὶ τόλμης, ὡς οὐκ οἶδ' ἄν τις ἄλλος τῶν πολιτῶν. Id eſt, Naturam quidem ad actiones uidi imbecilliorem & molliorem, quam ſit opus, ad dicendum etiam neque facilem, neque ubiuis commodam: tam enim his duabus rebus, quae apud uos maximum pondus habent, indigeo idonea uoce, & audacia, quam haud ſcio, an quiſquam alius ciuium. Nɪʜɪʟ *enim* ȝ Haec futuri ſermonis laus ad Ciceronis ingenium, & ſtudium, & doctrinam, & uſum referenda eſt: ſed decore in alienis perſonis uelatur: ut enim de ſeipſo praedicare deforme eſt, ſic ueras, & proprias laudes perſonis alienis adſcribere, ingenuum eſt, & praedicabile, & laudandum.

PAVLLVS. MANVTIVS. Mᴠʟᴛᴏs *& ingenijs, & magna laude dicendi ſine ſumma rerum omium ſcientia fuiſse fateor.* ȝ ſic puto Ciceronem ſcripſiſſe: uerbum enim, Fuiſſe ad illud propinquius retulit, Magna laude dicendi. ſed, Ingenijs fuiſſe, non dicitur uſitate. Si diceret, Excellentibus ingenijs fuiſſe: ualde probarem. Aʟᴛᴇʀ *non multum, alter nihil admodum ſcripti reliquiſset;* ȝ non multum ſcripti Craſſus, nihil admodum reliquit Antonius. Craſſi exſtabant haec, partes quaedam orationis, quam pro Licinia uirgine, annos xxvii. natus, habuit: oratio de colonia Narbonenſi deducenda: oratio, qua ſuaſit legem Seruiliam Caepionis, de iudicijs ab equeſtri ordine ad ſenatum transferendis, quam habuit anno aetatis xxxiv. praeterea non oratio, ſed orationis commentarium paullo plenius, pro Q. Caepione, contra Cn. Domitium collegam ſuum in cenſura. haec tantum exſtabant a Craſſo ſcripta; quae nominantur in Bruto, Ab Antonio autem nihil fere dicit relictum, quia reliquerat libellum unum de ratione dicendi, eumq. ſatis exſilem: de quo alibi.

C I C E R O

*P*Oſᴛᴇʀᴏ *igitur die, quam illa erant acta, hora fere ſecunda, cum etiam tum in lecto Craſsus eſſet, & apud eum Sulpicius ſederet; Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu; repente eo Q. Catulus ſenex cum C. Iulio fratre uenit: quod ubi audiuit, commotus Craſsus ſurrexit: omnesq. admirati, maiorem aliquam eſſe cauſſam eorum aduentus ſuſpicati ſunt. qui cum inter ſe, ut ipſorum uſus ferebat, amiciſſime conſalutaſsent; quid uos tandem, Craſſus, numquid nam, inquit, noui? Nihil ſane, inquit Catulus: etenim uides eſſe ludos: ſed uel tu nos ineptos licet, inquit, uel moleſtos putes. cum ad me in Tuſculanum, inquit, heri ueſperi ueniſset Caeſar de Tuſculano ſuo; dixit mihi, a ſe Scaeuolam hic euntem eſse conuentum, ex quo mira quaedam ſe audiſſe dicebat: te, quem ego toties omni ratione tentans ad diſputandum elicere non potuiſsem, permulta de eloquentia cum Antonio diſseruiſſe, & tamquam in ſchola prope ad Graecorum conſuetudinem diſputaſse. ita me frater exorauit, me ipſum non quidem a ſtudio audiendi nimis abhorrentem, ſed mehercule uerentem tamen, ne moleſti uobis interueniremus,*

teruéniremus, ut huc ſecum uenirem. Etenim Scaeuolam ita dicere aiebat, bonam partem ſermonis in hunc diem eſſe dilatam. hoc ſi tu cupidius factum exiſtimas, Caeſari attribues: ſi familiarius, utriusque noſtrum. nos quidem, niſi forte moleſti interuenimus,ueniße delectat. Tum Craßus. Equidem, quaecumque caußa uos huc attuliſſet, laetarer, cum apud me uiderem homines mihi cariſſimos, & amiciſſimos: ſed tamen, uere dicam, quaeuis mallem fuißet, quam iſta, quam dicis. ego enim (ut, quemadmodum ſentio, loquar) numquam mihi minus, quam heſterno die, placui: magis adeo id facilitate, quam alia ulla culpa mea, contigit: qui, dum obſequor his adoleſcentibus, me ſenem eße ſum oblitus; feciq. id, quod ne adoleſcens quidem feceram, ut ijs de rebus, quae doctrina aliqua continerentur, diſputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod, tranſactis iam meis partibus, ad Antonium audiendum ueniſtis. Tum Caeſar, Equidem, inquit, Craſſe, ita ſum cupidus te in illa longiore, ac perpetua diſputatione audiendi, ut, ſi id mihi minus contingat, uel hoc ſim quotidiano tuo ſermone contentus. itaque experiar equidem illud, ut ne Sulpicius, familiaris meus, aut Cotta plus, quā ego, apud te ualere uideātur: et te exorabo profecto, ut mihi quoque, & Catulo tuae ſuauitatis aliquid impertias. ſin tibi id minus libebit: non te urgebo; neque committam, ut, dum uereare ne tu ſis ineptus, me eſſe iudices. Tum ille, Ego mehercule, inquit, Caeſar, ex omnibus Latinis uerbis huius uerbi uim uel maximā ſemper putaui. quem nos ineptum uocamus, is mihi uidetur ab hoc nomen habere dictum, quod non ſit aptus: idq. in ſermonis noſtri conſuetudine perlate patet. nam, qui aut, tempus quid poſtulet, non uidet; aut plura loquitur; aut ſe oſtentat; aut eorum, quibuſcum eſt, uel dignitatis, uel commodi rationem non habet; aut denique in aliquo genere, aut inconcinnus, aut multus eſt; is ineptus dicitur. hoc uitio cumulata eſt eruditiſſima illa Graecorum natio: itaque, quod uim huius mali Graeci non uident; ne nomen quidem ei uitio impoſuerunt. ut enim quaeras omnia; quo modo Graeci ineptum appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quae ſunt innumerabiles, haud ſcio an ulla ſit maior, quam, ut illi ſolent, quocumque in loco, quoſcumque inter homines uiſum eſt, de rebus aut difficillimis, aut non neceſſarijs argutiſſime diſputare. hoc nos ab iſtis adoleſcentibus facere inuiti, & recuſantes heri coacti ſumus. Tum Catulus, Ne Graeci quidem, inquit, Craſſe, qui in ciuitatibus ſuis clari, & magni fuerunt, ſicuti tu es, nosq. omnes in noſtra rep. uolumus eſſe, horum Graecorum, qui ſe inculcant auribus noſtris, ſimiles fuerunt, nec tamen in otio ſermones huiuſmodi, diſputationesq. fugiebant. Ac, ſi tibi uidentur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, ſicut debent uideri: num tandem aut locus hic non idoneus uidetur: in quo porticus haec ipſa, ubi inambulamus, & palaeſtra, & tot locis ſeſſiones, gymnaſiorum, & Graecarum diſputationū memoriam quodam modo commoueāt: aut importunū tempus in tanto otio; quod & raro datur, & nunc peroptato nobis datum eſt: aut homines ab hoc genere diſputationis alieni; qui omnes ij ſumus, ut ſine his ſtudijs nullam uitam eſſe ducamus? Omnia iſta, inquit Craſſus, ego alio modo interpretor; qui primum palaeſtram, & ſedes, & porticus, etiam ipſos, Catule, Graecos exercitationis & delectationis cauſſa, non diſputationis, inueniße arbitror. nam & ſaeculis multis ante gymnaſia inuenta ſunt; quam in his philoſophi garrire coeperunt: & hoc ipſo tempore cum omnia gymnaſia philoſophi teneant, tamen eorum auditores diſcum audire, quam philoſophum, malunt. qui ſimul ut increpuit; in media oratione de maximis rebus, & grauiſſimis diſputantem philoſophum omnes unctionis cauſſa relinquunt. ita leuiſſimam delectationem grauiſſimae, ut ipſi ferunt, utilitati anteponunt. Otium autem quod dicis eſſe, aſſentior: uerum otij fructus eſt non contentio animi, ſed relaxatio. Saepe ex ſocero meo audiui, cum is diceret, ſocerum ſuum Laelium ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari; eoſq. incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, cum rus ex urbe tamquam ex uinculis euolauiſſent. Non audeo dicere de talibus uiris: ſed tamen ita ſolet narrare Scaeuola, conchas eos, et umbilicos ad Caietam & ad Lucrinū legere conſueße, et ad omnem animi remiſſionem, ludumq. deſcendere. Sic enim ſe res habet; ut, quemadmodum uolucres uidemus procreationis, atque utilitatis ſuae causſa fingere, & conſtruere nidos, eaſdem autem, cum aliquid effecerint; leuandi laboris ſui cauſſa paſſim ac libere, ſolutas opere, uolitare: ſic noſtri animi forenſibus negotijs, atque urbano opere defeſſi, geſtiunt, ac uolitare cupiunt uacui cura, atque labore. itaque illud, quod ego in causſa Curiana Scaeuolae dixi, non dixi ſecus, ac ſentiebam. Nam, ſi, inquam, Scaeuola, nullum erit teſtamentum recte factum, niſi quod tu ſcripſeris: omnes ad te ciues cum tabulis ueniemus: omnium teſtamēta tu ſcribes unus. quid igitur, inquam? quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? Tum illud addidi. mihi enim liber eße non uidetur, qui non aliquando nihil agit. in qua permaneo, Catule, ſententia; meque, cum huc ueni, hoc ipſum, nihil agere, et plane ceſſare, delectat. Nam, quod addidiſti tertium; uos eos eße, qui uitam ſuauem ſine his ſtudijs putaretis: id me non modo non hortatur ad diſputandum, ſed etiam deterret. Nam, ut C. Lucilius, homo doctus, et per urbanus, dicere ſolebat, ea, quae ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi uelle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasſe, quam ipſe: quo etiam ſcripſit; Perſium non curo legere; (hic enim fuit, ut noramus, omnium fere noſtrorum hominum doctiſſimus) Laelium Decimum uolo, quē cognouimus uirum bonum, & non illiteratum, ſed nihil ad Perſium: ſic ego, ſi iam mihi diſputandum ſit de his noſtris ſtudijs, nolim equidem apud ruſticos, ſed multo minus apud uos. malo enim non intelligi rationem meam, quam reprehendi.

Tum Caeſar, Equidem, inquit, Catule, iam mihi uideor nauaſſe operam, quod huc uenerim: nam haec ipſa recuſatio diſputationis, diſputatio quaedam fuit mihi quidem periucunda. Sed, cur impedimus Antonium? cuius audio eſſe partes, ut de tota eloquentia diſſerat: quemq. iamdudum & Cotta, & Sulpicius exſpectant.

ſpectant. Ego uero, inquit Craſſus, neque Antonium uerbũ facere patiar: et ipſe obmuteſcam, niſi prius a uobis impetraro. Quidnam, inquit Catulus? Vt hic ſitis hodie. Tum, cum ille dubitaret, quod ad fratrem promiſerat; ego, inquit Iulius, pro utroque reſpondeo: ſic faciemus: atque iſta quidem condicione, uel ut uerbum nullum faceres, me teneres. Hic Catulus arriſit: & ſimul, Praeciſa, inquit, mihi quidem dubitatio eſt: quoniam neque domi imperaram; & hic, apud quem eram futurus, ſine mea ſententia tam facile promiſit.

EXPLANATIO

POSTERO *igitur* ⁊ Tranſitus eſt a primo exordio ad ſecundum, & a ſuperiore dialogo ad captandam occaſionem ſecundi, ubi primum ex circumſtantijs adhibitis loci & temporis deſcribitur congreſſus eorum, qui huic dialogo intererunt: &, quia ſuperiore die Catulus & Caeſar non affuerunt diſputationi, quorum tamen alter ſenior aetate profuturus ſit ad moderandum ſermonem, alter facetus & urbanus ad diſputandum de iocis & facetijs, ne uideantur temere irruiſſe in hunc dialogum, fingitur occaſio & ratio aduentus utriuſque. Catulus igitur interpoſita excuſatione duplicem cauſſam affert ſui aduentus, & quod feriae eſſent celebrandis Romanis ludis, & quod hortatu Iulij huc ueniſſet ea mente & ſpe, ut reliquum ſermonem de eloquentia ex Craſſo audiret. Eſt autem obſeruandum in hoc toto genere ſermonis mirificum perſonarum decorum exprimi, dum Catulus & Iulius ex Craſſo ſermonem aliquem elicere conantur, & Craſſus retinendae ſenilis grauitatis gratia munus hoc totum diſputationis in Antonium reijcit. QVEM *ego toties* ⁊ Sic Sulpicius libro primo de Craſſo ait, Ego, qui ab ineunte aetate incenſus eſſem ſtudio utriuſque ueſtrum, Craſſi uero etiam amore, cum ab eo nuſquam diſcederem, uerbum ex eo numquam elicere potui de ui & ratione dicendi, cum per me ipſum egiſſem, & per Druſum ſaepe tentaſſem. ITAQVE *frater* ⁊ Haec finguntur ad ſignificandam excellentiam futuri ſermonis, ad quem audiendum principes accurrunt: hoc enim oratoris boni ſignum eſt, ut ait Cicero in Bruto. TVM *Craſſus*, ⁊ Craſſus eleuat ſuperioris ſermonis ſibi tributam laudem, & ſeipſum paene leuitatis accuſat: in quo grauitas Craſſi retinetur. hinc illa ſunt Craſſi in heſterno ſermone, ſuperiore dialogo: Dicam equidem (ait) quoniam inſtitui, petamq. a uobis, ne has meas ineptias efferatis. Item, Nam quid ineptius, quam de dicendo dicere? praeſertim cum ipſum dicere numquam ſit non ineptum, niſi cum eſt neceſſarium. Item, Ego uero (inquit Craſſus) ſatis mirari nequeo etiam te haec, Scaeuola, deſiderare, quae neque ego teneo, ut ij, qui tenent, neque ſunt huius generis, ut, ſi optime tenerem, digna eſſent iſta ſapientia, & tuis auribus. TVM *Caeſar*, ⁊ Caeſar duobus argumentis inuitat Craſſum, & quod eius orationc plurimum delectetur, & quod heſterno die Craſſus a Sulpicio & Cotta ſimili in re ſit exoratus. TVM *ille* ⁊ Craſſus occaſione proximi uerbi (ineptus) ſibi oblata, diſputat ſe heſterno die fuiſſe ineptum: ſyllogiſmus talis eſt,

Qui in aliquo genere inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus eſſe dicitur:
Quod heſterno die & ſermone Craſſo contigit, ut ait:
Itaque Craſſus heri fuit ineptus.

Ad propoſitionem ſyllogiſmi etymologia nominis adhibetur, & definitio, & exemplum Graecorum. NAM *qui aut* ⁊ Ineptus definitur ex uariis circumſtantijs, ut ſi quis non habita ratione temporis importunum quid agat, aut loquatur: non enim idem ſermo, aut eadem actio omni tempori conuenit: aut plura loquatur, quam par ſit, ut garrulus quiduis inaniter effutiens: aut ſeſe oſtentet, ut Terentianus ille Thraſo, atque etiam ipſe Cicero dicitur immodicus fuiſſe iactator rerum ſuarum: aut rationem perſonarum non habeat adoleſcentis, ſenis, priuati, magiſtratus, in quibus uarie decorum ſeruandum eſt, ut Rhetores praecipiunt: aut denique in aliquo genere, aut inconcinnus ſit, aut multus: in omnibus enim rebus uidendum eſt quatenus: etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium, quam parum, ut ait Cicero in Orat. Ex his igitur circumſtantijs intelligimus, quid ſit Ineptus. Lege Fabium Quinctil. libro decimo. TVM *Catulus*, ⁊ Catulus inſtat Craſſo duobus argumentis: primum eſt a comparatione parium: Graeci rerum publicarum moderatores tales ſermones aſpernati non ſunt: Neque igitur, o Craſſe, adſpernati debes. AC *ſi tibi* ⁊ Secundum argumentum eſt a definitione inepti: & ſyllogiſmus ſimplex primi generis,

Qui loci, temporis, & hominum rationem non habet, is eſt ineptus:
At in hac fugienda diſputatione nec loci, nec temporis, nec hominum rationem haberes:
In hac igitur fugienda diſputatione ineptus eſſes.

Aſſumptio declaratur ex adiunctis loci, temporis, & perſonarum. OMNIA *iſta*, ⁊ Craſſus recuſandae diſputationis gratia reſpondet ad tres partes proximae aſſumptionis de loco, tempore, & hominibus: locum refellit ex diſſimili fine: Gymnaſia non animi, ſed corporis gratia inuenta ſunt. DISCVM *audire* ⁊ Diſcus, orbis erat aeneus, uel lapideus, uel ferreus, habens in medio foramen, per quod traiecto fune uibrabatur, & exercendi corporis gratia proijciebatur; de quo ſic Martialis Lib. 14.

Splendida cum uolitent Spartani pondera diſci,
Eſte procul pueri, ſit ſemel iſte nocens.

OTIVM *autem* ⁊ Secunda pars aſſumptionis de tempore & otio, confutatur item ex diſſimile fine: Fructus otij non eſt animi contentio, ſed relaxatio: quae ſententia tribus illuſtratur argumentis. Primum eſt exemplum Pub. Africani minoris, & C. Laelij ſapientis, qui rure feriantes puerilibus ludis animum relaxabant, & ad Caietam portum Campaniae, Lucrinumq. lacum conchas, id eſt, duriores teſtas piſcium, ut purpurae, muricis, oſtreorum, & umbilicos, id eſt, rotundos calculos in ſpeciem noſtri umbilici, & politos, puerorum

more colligere ſolebant. lege Valerium Maximum cap. 8. lib. 8. SIC *enim, ſe* ȝ Secundum argumentum ſumptum eſt ex auium ſimilitudine, quae ut poſt ſerios labores ludere geſtiunt, ſic hominibus cura, & forenſi ſtrepitu defeſſis quies, & relaxatio gratiſſima & iucundiſſima eſt. ITAQVE *illud,* ȝ Tertium argumentum ducitur ex auctoritate ipſius Craſſi, & ex oratione, quam pro M'. Curio dixit contra Coponium defenſum a Scaeuola, unde uerisimile eſt haec uerba ſumpta eſſe. NAM *quod* ȝ Craſſus reſpondet ad tertiam partem aſſumptionis de hominibus audiendi cupidis: & utitur praeclaro ſimilitudinis exemplo: Quemadmodum C. Lucilius dicebat ſe nolle ſatyras ſuas & a doctiſſimis & ab indoctiſſimis legi, ſed Tarentinis, & Conſentinis, & Siculis ſcribere hominibus mediocriter eruditis: ſic non committam, ut a uobis doctiſſimis hominibus de arte rhetorica diſputans audiar. Propoſitio ſimilitudinis declaratur exemplis ſpecialibus Perſij, & Laelij. LAELIVM *Decimum* ȝ Fuit hic Laelius Latinus poeta non indoctus, nec tamen cum Perſio comparandus, homine fere omnium hominum doctiſſimo: atque hic Laelius ſcripſit Ἐρωτοπαίγνιον, id eſt, amoris luſus, ut ait Aulus Gellius libro ſecundo. SIC *ego, ſi* ȝ Redditio ſimilitudinis declaratur comparatione minorum: Nolim orationem meam non intelligi ab indoctis, at multo minus reprehendi a doctis, quales uos eſtis. TVM *Caeſar* ȝ Exordium ſecundum concluditur, & praeparatio quaedam fit ad audiendum Antonium diſputaturum de arte rhetorica: ubi & adoleſcentes Sulpicius & Cotta finguntur attenti: quia de arte audire uehementer optabant, ut conſtat ex ſuperiore dialogo, & Catulus Caeſarq. retinentur a Craſſo, quos ſine hac inuitatione manere in Tuſculano Craſſi decorum non fuiſſet.

PAVLLVS . MANVTIVS.

ADOLESCENS ȝ adoleſcentiam igitur Cicero perducit ad annum 34. nam eo anno Craſſus orationem habuit, quae exſtabat, pro lege Seruilia.

CICERO

TVM omnes oculos in Antonium coniecerunt: & ille, Audite uero, audite, inquit: hominem enim audietis de ſchola, atque a magiſtro, & Graecis litteris eruditum. & eo quidem loquor confidentius, quod Catulus auditor acceſſit; cui non ſolum nos Latini ſermonis, ſed etiam Graeci ipſi ſolent ſuae linguae ſubtilitatem, elegantiamq. concedere. Sed tamen, quoniam hoc totum, quidquid eſt, ſiue artificium, ſiue ſtudium dicendi, niſi acceſſit os, nullum poteſt eſſe: docebo uos, diſcipuli, id, quod ipſe non didici, quid de omni genere dicendi ſentiam. Hic poſtea quam arriſerunt, Res mihi uidetur eſſe, inquit, facultate praeclara, arte mediocris. ars enim earum rerum eſt, quae ſciuntur: oratoris autem omnis actio opinionibus, non ſcientia, continetur. nam & apud eos dicimus, qui neſciunt; & ea dicimus, quae neſcimus ipſi. itaque & illi alias aliud iiſdem de rebus & ſentiunt, & iudicant: & nos contrarias ſaepe cauſſas dicimus: non modo ut Craſſus contra me dicat aliquando, aut ego contra Craſſum; cum alterutri neceſſe ſit falſum dicere: ſed etiam ut uterque noſtrum eadem de re alias aliud defendat; cum plus uno uerum eſſe non poſſit. Vt igitur in eiuſmodi re, quae mendacio nixa ſit, quae ad ſcientiam non ſaepe perueniat, quae opiniones hominum, & ſaepe errores aucupetur, ita dicam; ſi cauſſam putatis eſſe, cur audiatis. Nos uero, & ualde quidem, Catulus inquit, putamus, atque eo magis, quod nulla mihi oſtentatione uideris eſſe uſurus. exorſus es enim non glorioſe magis, ut tu putas, a ueritate, quam a neſcio qua dignitate. Vt igitur de ipſo genere ſum confeſſus, inquit Antonius, artem eſſe non maximam: ſic illud affirmo, praecepta poſſe quaedam dari peracuta ad pertractandos animos hominum, & ad captandas eorum uoluntates. huius rei ſcientiam ſi quis uolet magnam quandam artem eſſe dicere, non repugnabo. etenim, cum plerique temere, ac nulla ratione cauſſas in foro dicant; non nulli autem propter conſuetudinem aliquam callidius id faciant: non eſt dubium, quin, ſi quis animaduerterit, quid ſit, quare alij melius, quam alij, dicant, id poſſit notare. ergo id qui toto in genere fecerit, is ſi non plane artem, at quaſi artem quandam inuenerit. Atque utinam, ut mihi illa uidere uideor in foro, atque in cauſſis; ita nunc, quemadmodum ea reperirentur, poſſim uobis exponere. Sed de me uidero: nunc hoc propono, quod mihi perſuaſi: quantuis ars non ſit, tamen nihil eſſe profecto oratore praeclarius. nam, ut uſum dicendi omittam, qui in omni pacata, & libera ciuitate dominatur: tanta oblectatio eſt in ipſa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius percipi poſſit. quis enim cantus moderata orationis pronunciatione dulcior inueniri poteſt? quod carmen artificioſa uerborum concluſione aptius? qui actor in imitanda, quam orator in ſuſcipienda ueritate, iucundior? quid autem ſubtilius, quam acutae, crebraeq. ſententiae? quid admirabilius, quam res ſplendore illuſtrata uerborum? quid plenius, quam omni rerum genere cumulata oratio? neque enim ulla non propria oratoris eſt res, quae quidem ornate dici, grauiterq. debeat. Huius eſt in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia: eiuſdem & languentis populi incitatio, & effrenati moderatio. eadem facultate fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem uocatur. quis cohortari ad uirtutem ardentius? quis a uitijs acrius reuocare? quis uituperare improbos aſperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatem uehementius frangere accuſando poteſt? quis maerorem leuare mitius conſolando? Hiſtoria uero, teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriae, magiſtra uitae, nuncia uetuſtatis, qua uoce alia, niſi oratoris, immortalitati commendatur? Nam, ſi qua eſt ars alia, quae uerborum aut faciendorum, aut deligendorum ſcientiam profiteatur; aut ſi quiſquam dicitur, niſi orator, formare orationem, eamque uariare, & diſtinguere quaſi quibuſdam uerborum, ſententiarumq. inſignibus; aut ſi uia ulla, niſi ab hac una arte, traditur, aut

argumento

argumentorum, aut ſententiarum, aut denique deſcriptionis, atque ordinis: fateamur, aut hoc, quod haec ars profiteatur, alienum eſſe, aut cum aliqua alia arte eſſe commune. ſed, ſi in hac una eſt ea ratio, atque doctrina: non, ſi qui aliarum artium bene locuti ſunt, eo minus id eſt huius unius proprium: ſed, ut orator de ijs rebus, quae ceterarum artium ſunt, ſi modo eas cognorit, ut heri Craſſus dicebat, poteſt dicere; ſic ceterarum artium homines ornatius illa ſua dicunt, ſi quid ab hac arte didicerunt. neque enim, ſi de ruſticis rebus agricola quiſpiam, aut etiam, id quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diſerte dixerit, aut ſcripſerit, iccirco illius artis putanda ſit eloquentia: in qua, quia uis magna eſt in hominum ingenijs, eo multi etiam ſine doctrina aliquid omnium generum, atque artium conſequuntur. ſed, quod cuiuſque ſit proprium, etſi ex eo iudicari poteſt, cum uideris quid quaeque doceat: tamen hoc certius nihil eſſe poteſt, quam quod omnes artes aliae ſine eloquentia ſuum munus praeſtare poſſunt; orator ſine ea nomen ſuum obtinere non poteſt: ut ceteri, ſi diſerti ſint, aliquid ab hoc habeant; hic, niſi domeſticis ſe inſtruxerit copijs, aliunde dicendi copiam petere non poſſit. Tum Catulus, Etſi, inquit, Antoni, minime impediendus eſt interpellatione iſte curſus orationis tuae: patiere tamen, mihiq. ignoſces: non enim poſſum, quin exclamem, ut ait ille in Trinummo: ita mihi uim oratoris tum exprimere ſubtiliter uiſus es, tum laudare copioſiſſime: quod quidem eloquentem, uel optime facere oportet, ut eloquentiam laudet: debet enim ad eam laudandam ipſam illam adhibere, quam laudat. ſed perge porro. tibi enim aſſentior, ueſtrum eſſe hoc totum, diſerte dicere; idq. ſi quis in alia arte faciat, eum aſſumpto aliunde uti bono, non proprio, nec ſuo. At Craſſus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expoliuit, hominemq. reddidit: nam heſterno ſermone unius cuiuſdam operis, ut ait Caecilius, remigem aliquem, aut baiulum nobis oratorem deſcripſeras, inopem quendam humanitatis, atque inurbanum. Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi propoſueram; ut, ſi te refelliſſem, hos a te diſcipulos abducerem: nunc, Catulo audiente, & Caeſare, uideor debere non tam pugnare tecum, quam, quid ipſe ſentiam, dicere.

EXPLANATIO

TVM *omnes* ʒ Tertium exordium eſt Marci Antonij incipientis εἰρωνικῶς ſeipſum ad Graeci cuiuſdam rhetoris morem & conſuetudinem audacter oſtentare, unde poſtea cognita eius εἰρώνεια riſus conſequitur. RES *mihi uidetur* ʒ Sulpicius, & Cotta heſterno ſermone Antonium rogarant, ut diceret de arte, quid ſentiret: & Craſſus in peroratione eius dialogi ſimiliter eum eadem de re commonefecerat: Tu autem (ait) quoniam exiguis quibuſdam finibus totum oratoris munus circumdediſti, hoc facilius nobis ea expones, quae abs te de officijs, praeceptiſq. oratoris quaeſita ſunt: ſed opinor, ſecundum hunc diem: ſatis enim multa a nobis hodie dicta ſunt: Antonius igitur de arte diſputare incipit, ac primum quaeſtionem in Graecorum ſcholis decantatam ponit, ſit ne ulla ars rhetorica? haec enim ſaepe apud Graecos agitabatur, cuius contentio in controuerſia nominis tota poſita eſt, quod artis nomen duobus modis intelligatur, alias de arte perfecta, in qua res certiſſimae, & ueriſſimae traduntur: alias de arte uulgari, & mediocri, in qua res opinabiles longo uſu obſeruatae probabilibus praeceptis explicantur: ſyllogiſmus Antonij concludit rhetoricam non eſſe de genere artium prioris generis:

Ars eſt earum rerum, quae ſciuntur:

Rhetorica non eſt earum rerum, quae ſciuntur: quia & auditor quid dicatur, & orator quid dicat, neſcit:

Rhetorica igitur non eſt ars:

Propoſitio ſyllogiſmi definitionem habet abſolutae, & uerae artis propriam, non cuiuslibet artis communem, ut primo libro declaratum eſt: aſſumptio autem captioſo argumento probatur: id enim poteſt uel in geometria accidere, ut, qui geometria utitur, in eundem errorem labatur: aliudq. omnino eſt ſcire leges artis, aliud eas in re aliqua exercere, & tractare: poteſt artis uniuerſalis ſcientia eſſe certiſſima, & uſus tamen aliquando eſſe non certus: poteſt aliquis certiſſimam ſcientiam tenere, uſum tamen non perinde certum tenere. Nec uero praetereundum illud eſt, ſi rhetorica ueris & legitimis praeceptis, ut definitionibus, & diuiſionibus conſtaret, hanc fore certam artem, & ex earum artium genere, quae ſcientiam pariunt: nec tam Marcum Antonium probare incerta eſſe praecepta rhetoricae artis, quam eas res plerumque eſſe incertas, quae ab oratore dicuntur: quod argumentum captioſum eſt, & alienum a probatione aſſumptionis. ITAQVE *& illi* ʒ Cum tanta ſit contradictionis uis, ut ne deo quidem conceſſum ſit, utramque partem ſimul ueram efficere, oratores uero & actores cauſſarum ciuilium ſic inter ſe de ſumma totius cauſſae certent, ut, quod unus ait, alter protinus neget idem ipſum, ut, ſi quid ab altero dicatur eſſe factum, uel improbe factum, uel ita appellandum, ab altero protinus negetur uel factum, uel improbe factum, uel ita appellandum, fieri non poteſt quin de duobus cauſſidicis tanta contradictione inter ſe diſſidentibus alter mentiatur, & falſum dicat, praeſertim cum in contradictione plus uno uerum eſſe umquam poſſit. VT *igitur* ʒ Concluſio eſt proximi ſyllogiſmi, rhetoricam non eſſe talem artem, qualis ars definita eſt, & tranſitus ad ſecundam ſignificationem artis, quae conſtat ex probabilibus obſeruationibus recte diſpoſitis, & in aliquam artis ſpeciem, formamq. deſcriptis, qua quidem conſideratione fatetur Antonius aliquam artem eloquentiae reperiri poſſe. NOS *uero* ʒ Haec interlocutio Catuli non incommode adhibetur ad excitandum uehementius Antonium. VT *igitur de* ʒ Antonius, adhibita diſtinctione, rhetoricam ſegregat ab artibus maximis & abſolutis, & includit in genere artium medio-

crium, & quamobrem poſſit aliqua ars eſſe eloquentiae, declarat Ariſtotelis argumento ſumpto ex primo libro ad Theodecten: quod oratorum alij temere, alij uia quadam & ratione dicant in foro & cauſſis ciuilibus. uerba Ariſtotelis ipſius ſunt, πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν, καὶ ὑπέχειν λόγον, καὶ ἀπολογεῖσθαι, καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσι: τῶν μὲν οὖν πολλῶν οἱ μὲν εἰκῆ ταῦτα δρῶσιν, οἱ δὲ καὶ διὰ τὴν συνήθειαν, ἀπὸ ἕξεως. ἐπεὶ δ' ἀμφότερα ἐνδέχεται, δηλονότι εἴν ἂν ταῦτα καὶ ὁδοποιεῖν: δι' ὃ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν οἵτε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ ταυτομάτου τὴν αἴτιαν θεωρεῖν ἐνδέχεται: τόδε τοιοῦτον πάντες ἂν ὁμολογήσαιαν τέχνης ἔργον εἶσθαι. Id eſt, Omnes enim quadantenus & interrogare, & rationem reddere, & defendere, & accuſare conantur: ac de multis alij quidem haec temere faciunt, alii uero conſuetudine ex habitu: cum autem utrumque accidat, perſpicuum eſt & haec ad certam uiam rationemq. reuocari poſſe: etenim cauſſam perſpicere licet, propter quam conſequuntur, quod uolunt, & qui conſuetudine, & qui caſu aliquo, & temere dicunt: id autem ipſum artis opus eſſe omnes confiteantur. ATQVE *utinam* ʒ Haec dicuntur ab Antonio ad laudem huius diſputationis, in qua Cicero plus ex uſu uideri uult attuliſſe, quam ex Graecis magiſtris accepiſſe. NVNC *hoc propono,* ʒ Antonius excurrit in encomium eloquentiae, ſicut primo loco Craſſus fecit, & uidetur idipſum nunc fieri tum propter nouos auditores, Catulum & Caeſarem, tum quod in more poſitum ſit, ut homines eam artem laudibus maximis efferant, quam profiteri uolunt: primum caput laudis eſt de uoluptate, quae eſt in partibus eloquentiae pronunciatione, elocutione, inuentione, & copia rerum plurimarum, de quibus laudibus hae rhetoricae & oratoris propriae ſunt, quae ex elocutione, & pronunciatione ſumuntur, reliquae ſunt alienae, & ad facultates aliarum artium pertinent: atque hic error alienae laudis manauit ex uitioſa definitione oratoris, quem cum Cicero paſſim alienis artibus tamquam ſuis ornet, conſentaneum etiam fuit, ut in praedicanda uirtute oratoris, multa quoque, quae oratoria non eſſent, attribueret. QVID *autem* ʒ Acumen in ſententijs non eſt laus eloquentiae, ſed dialecticae potius, & aliarum artium: neque ſequitur, ſi eadem oratio acuta ſit, & ornata, ut una & eadem facultate acumen & ornatus contineantur: eſt enim oratio opus multarum artium & uirtutum. quae ſi emendata eſt, idipſum grammaticae; ſi diſerta, dialecticae; ſi bonis & grauibus ſententijs referta, ei diſciplinae, unde huiuſmodi ſententiae depromuntur; ſi tropis & figuris ornata, eloquentiae acceptum ferre debet. NEQVE *enim* ʒ Res omnis non ſecus rhetoricae attribuitur, ac grammaticae, uel dialecticae, quae tres artes ſunt omnium rerum atque artium explicandarum communes: ut communibus dialecticae legibus res omnes acute inueniantur, & prudenter legitimeq. diſponantur: communibus legibus grammaticae uerba congrue & emendate in oratione ponantur: communibus legibus rhetoricae eadem magnificentius & ornatius dicantur: non eſt autem res omnis ſic eloquentiae propria, ut in rhetoricis praeceptis poſſit, aut debeat ulla rerum doctrina tradi. quod cum Graeci rhetores, atque exinde Latini non animaduertiſſent, falſam eloquentiae ſpeciem ſibi finxerunt, & rhetoricam commentationem ex uariarum artium confuſione uitioſiſſimam, atque inertiſſimam compoſuerunt: rhetoricam artem a ceteris artibus diſtinguere non potuerunt: quae perturbatio plurimum & cognoſcendis, & exercendis artibus obfuit. HVIVS *eſt in* ʒ Secundum caput laudis eſt de generibus cauſſarum ciuilium, in quibus excellit oratoris dignitas & induſtria: neque tamen cauſſae ciuiles unica eloquentiae uirtute, ſed multarum artium facultatibus tractantur & explicantur, neque orator ille Ciceronis eloquentiam tantum nouit, ſed multarum praeterea rerum uſum & ſcientiam habet. HISTORIA *uero,* ʒ Tertium caput laudis petitur ex hiſtoria, quae facultate oratoris exornatur: idq. declaratur ex tribus eloquentiae partibus, elocutione, inuentione, & diſpoſitione: uerum duae poſtremae partes ad dialecticam pertinent: itaque propoſitio connexa ſyllogiſmi uera quidem eſt; ſed aſſumptio falſa, quia artes inuentionis & diſpoſitionis ab eloquentiae artibus alienae ſunt: &, quemadmodum ratione, ſic praeceptis diſtingui debent. quod Cicero quodammodo uidit & agnouit, & tamen neſcio quo modo ad Graecorum hominum, qui hanc artium confuſionem nobis inuoluerunt, auctoritatem adhaereſcere, quam iudicio & arbitrio rhetoricam artem proprijs finibus & praeceptis concludere & explicare maluit. SED *ſi in hac* ʒ Hoc de ornatu ſolo in tropis & figuris uere ab Antonio dicitur: nam quod aliarum artium homines ornate dicunt, hoc ipſum rhetoricae, non ſuarum artium facultate faciunt, ſicuti quod pura oratione loquuntur, grammaticae; quod diſſerunt, dialecticae; quod numerant, arithmeticae; quod metiuntur, geometriae: &, quamuis uſus artium fere coniunctus ſit, uirtus tamen earum, unde manat uſus, praeceptis & ratione diſtinguenda eſt. NEQVE *enim* ʒ Eloquentia diſtinguitur ab alijs artibus diſſimilitudine parum explicata: Artes ſine eloquentia munus ſuum praeſtare poſſunt: orator ſine eloquentia nomen ſuum obtinere non poteſt, id eſt, ſine omnium artium ἐγκυκλοπαιδεία: nam Cicero eloquentiae nomine artes omnes & diſciplinas comprehendit. TAMEN *hoc* ʒ Altera diſſimilitudo proximam interpretatur, & πρότασιν ueram quidem habet: ornate ſi quidem dicere proprium eſt oratoris, ſed ἀνταπόδοσιν falſam: ſi enim praeter rhetoricam facultatem elocutionis & actionis nihil habeas, nihil admodum dicere poteris: neque tamen fatendum eſt ceteras res eſſe domeſticas & proprias oratoris copias, ſicut Cicero arbitratur, ſed multas potius artium diuerſarum facultates cumulatas in uno homine: nec uero magis dicendum eſt res ceterarum artium domeſticas & proprias eſſe oratoris, quam res oratorias reliquarum artium, quae ornate dicuntur, domeſticam & propriam ſupellectilem eſſe: ſed nobis diligenter conſiderandum eſt, quid quaeque artes ſuo iure ſibi uindicent: & unicuique ſuum munus attribuendum, ne artium rationes & proprietates temere & inconſiderate confundamus. TVM *Catulus,* ʒ Dialogiſmus Antonij duabus interlocutionibus interrumpitur: una Catuli ad augendam admirationem proximae laudis, ubi Cicero ſignificat eloquentiam ab eloquenti uiro fuiſſe laudatam: altera Craſſi detegentis εἰρωνείαν Antonij, qui ſuperiore dialogo oratorem, artium doctrina & eruditione & ſcientia ſpoliauerat, eiq. tantum reliquerat mediocrem prudentiam & exercitationem in agendis cauſſis ciuilibus: quam heſternam Antonij diſputationem Cicero ſignificare uult Academicam fuiſſe;

ſe: in hoc autem dialogo Antonij doctrinam & ſententiam eſſe ſeriam. Ait *ille in* ~ Staſimus ſeruus apud Plautum in Trinummo interpellat Lyſitelem adoleſcentem petentem a Lesbonico ſororem eius ſibi dari in matrimonium ſine dote. Verba Staſimi ſunt:

Non enim poſſum, quin exclamem,
Euge, euge, Lyſiteles, palmam habes.

Ait *Caecilius*, ~ Statius Caecilius fuit comicus poeta doctiſſimus, quem Volcatius non tantum Terentio & Plauto, ſed etiam ceteris aliis comicis anteponit, ex cuius comoedia Cicero uerba quaedam citat, quae uim habent ſimilitudinis: ſunt enim metaphorae, quae latenter comparant oratorem forenſem & indoctum uiliſſimis operariis, uni tantum operae addictis, quales ſunt remiges, & baiuli.

CICERO

SEQVITVR *igitur, quoniam nobis eſt hic, de quo loquimur, in foro, atque in oculis ciuium conſtituendus; ut uideamus, quid ei negotij demus, cuiq. eum muneri uelimus eſſe praepoſitum. Nam Craſſus heri, cum uos, Catule, & Caeſar, non adeſſetis, poſuit breuiter in artis diſtributione idem, quod Graeci plerique poſuerunt; neque ſane, quid ipſe ſentiret, ſed quid ab illis diceretur, oſtendit: duo prima genera quaeſtionum eße, in quibus eloquentia uerſaretur, unum infinitum, alterum certum. infinitum mihi uidetur id dicere, in quo aliquid generatim quaereretur, hoc modo; expetenda ne eßet eloquentia, expetendi ne honores: certum autem, in quo quid in perſonis, & in conſtituta re, & definita quaereretur; cuiuſmodi ſunt, quae in foro, atque in ciuium cauſſis, diſceptationibuſq. uerſantur. ea mihi uidentur aut in lite ordinanda, aut in conſilio dando eſſe poſita. nam illud tertium, quod & a Craſſo tactum eſt, &, ut audio, ille ipſe Ariſtoteles, qui haec maxime illuſtrauit, adiunxit, etiam ſi opus eſt, tamen minus eſt neceſſarium. Quidnam, inquit Catulus? an laudationes? id enim uideo poni genus tertium. Ita, inquit Antonius: & in eo quidem genere ſcio et me, et omnes, qui affuerunt, delectatos eſſe uehemẽter, cum abs te eſt Popillia, mater ueſtra, laudata: cui primum mulieri hunc honorem in noſtra ciuitate tributum puto. Sed non omnia, quaecumque loquimur, mihi uidentur ad artem, & ad praecepta eſſe reuocanda. ex ijs enim fontibus, unde omnia ornate dicendi praecepta ſumentur, licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa deſiderare; quae ut nemo tradat; quis eſt, qui neſciat, quae ſint in homine laudanda? poſitis enim ijs rebus, quas Craßus in illius orationis ſuae, quam contra collegam cenſor habuit, principio dixit: quae natura, aut fortuna darentur hominibus, in ijs rebus ſe uinci, poſſe animo aequo pati; quae ipſi ſibi homines parare poſſent, in ijs rebus ſe pati non poſſe uinci: qui laudabit quempiam, intellliget exponenda ſibi eſſe fortunae bona. ea ſunt, generis, pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, ualetudinis, formae, uirium, ingenij, ceterarumq. rerum, quae ſunt aut corporis, aut extraneae, ſi habuerit, bene his uſum: ſi non habuerit, ſapienter caruiſſe: ſi amiſerit, moderate tuliſſe: deinde, quid ſapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuſte, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua uirtute aut fecerit, aut tulerit. Haec, & quae ſint eius generis, facile uidebit, qui uolet laudare quempiam; & qui uituperare, contraria. Cur igitur dubitas, inquit, Catulus, facere hoc tertiũ genus, quoniam ineſt in ratione rerum? non enim, ſi eſt facilius, eo de numero quoque eſt excerpendum. Quia nolo, inquit, omnia, quae cadunt aliquando in oratorem, quamuis egregia ſint, ea ſic tractare, quaſi nihil poſſit dici ſine praeceptis ſuis. nam & teſtimonium ſaepe dicendum eſt. ac nonnumquam etiam accuratius: ut mihi neceße fuit in Sex. Titiũ, ſeditioſum ciuem, & turbulentum. explicaui in eo teſtimonio dicendo omnia conſilia conſulatus mei, quibus illi tribuno pl. pro rep. reſtitißem: quaeq. ab eo contra rẽp. facta arbitrarer, expoſui: diu retentus ſum: multa audiui, multa reſpondi. num igitur placet, cum de eloquentia praecipias, aliquid etiam de teſtimonijs dicendis, quaſi in arte, tradere? Nihil ſane, inquit Catulus, neceße eſt. Quid ſi, quod ſaepe ſummis uiris accidit, mandata ſint exponenda aut in ſenatu ab imperatore, aut ad imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem a ſenatu? num, quia genere orationis in huiuſmodi cauſſis accurratiore eſt utendum; iccirco etiam pars haec cauſſarum numeranda uidetur, aut proprijs praeceptis inſtruenda? Minime uero, inquit Catulus: non enim deerit homini diſerto in eiuſmodi rebus facultas ex ceteris rebus & cauſſis comparata. Ergo item, inquit, illa quae ſaepe diſerte agenda ſunt, & quae ego paullo ante, cum eloquentiam laudarem, dixi oratoris eße; neque habent ſuũ locum ullũ in diuiſione partium, neque certum praeceptorum genus; & agenda ſunt non minus diſerte, quam quae in lite dicuntur, obiurgatio, cohortatio, conſolatio: quorum nihil eſt, quod non ſumma dicendi ornamenta deſideret: ſed ex artificio res iſtae praecepta non quaerunt. Plane, inquit Catulus, aſſentior. Age uero, inquit Antonius, qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo putas eſſe, hiſtoriam ſcribere? Si ut Graeci ſcripſerunt; ſummi, inquit Catulus: ſi ut noſtri, nihil opus eſt oratore: ſatis eſt non eſſe mendacem. Atqui, ne noſtros contemnas, inquit Antonius; Graeci ipſi ſic initio ſcriptitarunt, ut noſter Cato, ut Pictor, ut Piſo. erat enim hiſtoria nihil aliud, niſi annalium confectio. cuius rei, memoriaeq. publicae retinendae cauſſa, ab initio rerum* Romana*rum uſque ad P. Mucium pontificem max. res omnes ſingulorum annorũ mandabat litteris pontifex max. efferebatq. in album: & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eßet populo cognoſcendi: ijq. etiam nunc annales maximi nominantur. hãc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt; qui ſine ullis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſta*

rumq.

rumq. rerum reliquerunt. itaque, qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acuſilas fuit, alijq. permulti, talis noſter Cato, & Pictor, & Piſo: qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio: (modo.n. huc iſta ſunt importata) & dum intelligatur quid dicāt, unā dicendi laudem putant eſſe breuitatem. Paullulum ſe erexit, & addidit hiſtoriae maiorem ſonum uocis, uir optimus, Craſſi familiaris, Antipater. ceteri non exornatores rerum, ſed tantummodo narratores fuerunt. Eſt, inquit Catulus, ut dicis: ſed iſte ipſe Coelius neque diſtinxit hiſtoriam uarietate locorū; neque uerborū collocatione, & tractu orationis leui, & aequabili perpoliuit illud opus, ſed, ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, ſicut potuit, dolauit; uicit tamen, ut dicis, ſuperiores. Minime mirum, inquit Antonius, ſi iſta res adhuc noſtra lingua illuſtrata non eſt. nemo enim ſtudet eloquentiae noſtrorum hominum, niſi ut in cauſſis, atque in foro eluceat. apud Graecos autem eloquentiſſimi homines, remoti a cauſſis forenſibus, cum ad ceteras res illuſtres, tum ad ſcribendam hiſtoriam maxime ſe applicauerunt. namq. & Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornauit, in cauſſis nihil omnino uerſatū eſſe accepimus. atqui tanta eſt eloquentia; ut me quidem, quātum ego Graece ſcripta intelligere poßum, magnopere delectet. et poſt illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea ſententia, facile uicit. qui ita creber eſt rerum frequentia; ut uerborum prope numerum ſententiarum numero conſequatur: ita porro uerbis aptus, & preſſus; ut neſcias, utrum res oratione, an uerba ſententijs illuſtrentur. atqui ne hunc quidem, quamquam eſt in rep. uerſatus, ex numero accepimus eorum, qui caußas dictarunt: & hos libros tum ſcripſiße dicitur, cum a rep. remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere ſolitum eſt, in exſulium pulſus eßet. Hunc conſecutus eſt Syracuſius Philiſtus: qui, cum Dionyſij tyranni familiariſſimus eſſet; otium ſuum conſumpſit in hiſtoria ſcribenda, maximeq. Thucydidem eſt, ſicut mihi uidetur, imitatus. Poſtea uero, quaſi ex clariſſima rhetoris officina, duo praeſtantes ingenio, Theopompus, et Ephorus, ab Iſocrate magiſtro impulſi, ſe ad hiſtoriam contulerunt; cauſſas omnino numquam attigerunt. Denique etiam a philoſophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, poſt ab Ariſtotele Calliſthenes, comes Alexandri, ſcripſit hiſtoriam & hic quidem rhetorico paene more; ille autem ſuperior leniore quodam ſono eſt uſus, et qui illum impetum oratoris non habeat, uehemens fortaſſe minus, ſed aliquanto tamen, ut mihi quidem uidetur, dulcior. Minimus natu horum omnium Timaeus; quantum autem iudicare poſſum, longe eruditiſſimus, & rerum copia, & ſententiarum uarietate abundantiſſimus; et ipſa compoſitione uerborum non impolitus, magnam eloquentiam ad ſcribendum attulit, ſed nullum uſum forenſem.

EXPLANATIO

SEQVITVR *igitur*, ʒ Abſoluto prooemio eloquentiae ſequitur prima diſputatio de materia oratoris, quā Antonius conſtituit in generibus ciuilium cauſſarum, & quidem inconſtanter: nam, ſi omnis ornatus orationis eſt oratoris proprius, & omnis res ornate dici poteſt, quid minus conſequens, aut conſentaneum eſt rationi, quam oratorem, id eſt, ornatae dictionis auctorum in materia tantum ciuilium cauſſatum uerſari, &non potius in omni genere rerum, & ciuilium, & a ciuilibus cauſſis remotarum? praeſertim cum omnis exornator orationis proprio, & debito nomine orator appelletur, nec quidquam interſit an poeta, an philoſophus, an hiſtoricus, an mathematicus, an alius artis aut condicionis homo ſit, qui ornate ſcribat, aut loquatur: Itaque non debuit Antonius repetere ex ſuperiore libro partitionem quaeſtionum in duo genera, ut ab oratore theſim ſepararet, eique dumtaxat ciuilem quandam hypotheſim relinqueret: nam & ipſe poſtea diſputabit theſim ad oratorem etiam forenſem, & politicum pertinere. & Craſſus lib. tertio de utroque genere quaeſtionis praecipiet: nec uero tantum argumentorum, ſed etiam troporum & figurarum loci, id eſt, praecepta elocutionis & actionis omnibus omnino quaeſtionbus explicandis conueniunt: ſed hoc doctrinae uitium Graecis auctoribus imputandum eſt, qui & rhetorum diſciplinam cum dialectica confundunt, & ad ſolas diſceptationes ciuilium cauſſarum referunt: haec enim duo ſunt capita rhetoricae κακοτεχνίας. NAM *illud tertium*, ʒ Antonius reijcit non ab oratoris quidem tractatione, ſed a rhetoricae artis inſtitutione demonſtratiuum genus, quaſi ex aliorum generum praeceptis facile deducatur & intelligatur: neque aſſentitur Ariſtoteli, qui primo libro ad Theodecten ciuiles controuerſias in tria genera diuidit, συμβολευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν, & unumquodque genus proprijs & ſeparatis praeceptis inſtruit. Ex *ijs enim* ʒ Haec ratio ueriſſima eſt: nec ſolum laudationes, ſed ne lites quidem, aut deliberationes iſtis forenſibus, & litigioſis artibus indigent, ſed communibus dialecticae, & rhetoricae praeceptis tractari poſſunt: Itaque, ut de genere demonſtratiuo, ſic de iudiciali, & deliberatiuo ſigillatim & minutatim praecipere, nec utile nec neceſſe fuit; ſed quemadmodum ceterae quaeſtiones, ſic hae controuerſiae, & cauſſae ciuiles communibus artium communium dialecticae, rhetoricae, grammaticae praeceptis inſtrui, & explicari debuerant. quod ſi Ariſtoteles, Theophraſtus, & reliqui doctores eloquentiae dialectico iudicio perpendiſſent, numquam profecto operam ſuam tantam in deſcribendis rerum forenſium praeceptis perdidiſſent. POSITIS *enim* ʒ Perſtringit breuiter per apophaſim locos, & elementa demonſtratiui generis, ut laudes perſonarum ſumantur ex tribus bonorum generibus, fortunae, corporis, & animi, itemq. uituperationes ex contrarijs malis: ubi repetit exemplum, quod inſtar praecepti cuiuſdam potuit eſſe, ex oratione Craſſi in Cnaeum Domitium collegam ſuum in cenſura: de qua Cicero, Illa (inquit in Bruto) cenſoria contra Cnaeum Domitium collegam non eſt oratio, ſed quaſi capita rerum, & orationis commentarium paullo plenius: nulla eſt enim altercatio clamoribus umquam habita maioribus: & uero fuit in hoc & popularis dictio, & excellens. EA *ſunt generis*, ʒ Laudantur homi-

nes a bonis fortunae, corporis, & animi: laudatur enim genus, ut clarorum uirorum, & illuſtrium principum; & pecunia ad liberalitatem collata, ut Pompeij & Scauri: & propinquitates, amicitiae, opes, ut Scipionum, Metellorum, & Marcellorum: & bona ualetudo, ut Pollionis, qui ad ſummam uſque ſenectutem ſanus uixit, & incolumis: & robur, ut Achillis. & ingenium, ut Vlyſſis. Atque haec omnia eatenus laudantur, quoad ſunt cum uirtute iuncta, ut ſiquis honeſte utatur, ut fecerunt Scipiones, Maximi: aut ſi ſapienter careat, ut Diogenes Cynicus: aut ſi amiſerit, & moderate ferat, ut Bias philoſophus: nam bona fortunae, & corporis cum uitijs copulata non laudi, ſed opprobrio dantur: ut ſi quis maiorum uirtutibus non reſpondeat, ſi pecunia, ſi propinquitatibus, ſi opibus, ſi ualetudine, ſi uiribus ad ſcelus, ad turpitudinem, ad perniciem ſuam, uel alterius abutatur. In animo uirtutes laudantur, ſapientia, ut Lycurgi, & Solonis in condendis legibus: liberalitas, ut Pop. Romani, qui Aſiam bello uictam Attalo regi dedit dono: fortitudo, ut M. Catonis: magnificentia, ut M. Scauri in aedilicio munere: pietas, ut Metelli in patrem: grata uoluntas, ut Attali, qui Pop. Romanum heredem inſtituit: humanitas, ut M. Marcelli, qui uictis Syracuſanis nihil ademit. Atque ut haec bonorum genera laudantur, ſic mala uituperantur contraria: quae & ſimilia praecepta ſi a rhetoricis artibus remoueris, nullam iniuriam feceris oratori, quia non eſt rhetoricae facultatis proprium, aut debitum munus praecipere, quae laudanda aut uituperanda ſunt, ſed eius philoſophiae, quae de uita eſt & moribus. Cvr *igitur dubitas,* ʒ Prolepſis eſt contra proximam rationem de genere demonſtratiuo, quam ſoluit Antonius eodem modo, quo antea, exiſtimans non omnia, quae ornate dici poſſunt, proprijs & ſingularibus praeceptis includi oportere, idque probat inductione uariarum rerum, quae aliquando cadunt in oratorem, nec tamen locum in rhetoricis praeceptis ullum habent: primus tamen locus inductionis de genere teſtimoniorum fallax eſt, praeſertim cum Ariſtoteles primo libro ad Theodecten, & Cicero ipſe in partitionibus pro teſtibus & contra teſtes multa praecepta deſcripſerint. Qvid *ſi* ʒ Secundus locus inductionis eſt de exponenda legatione, de qua nihil a rhetoribus praecipitur, quia mandatorum expoſitio ut ornate tractetur, communibus rhetoricae praeceptis contenta eſt. Ergo *item,* ʒ Tertius locus ſequitur de obiurgatione, cohortatione, & conſolatione, quas ſpecies Fabius lib. tertio putat in ſuperiora tria genera recidere, nec inueniri ex his ullam, in qua non laudare, aut uituperare, ſuadere, aut diſſuadere, intendere quid, aut depellere debeamus: quare praecepta, quae de generibus poſita ſunt, ad ſubiectas ſpecies accommodari facile poterunt. Age *uero* ʒ Quartus locus proſequitur hiſtoriam, quae quidem ſcribitur ornate, neque tamen proprijs ullis in arte rhetorica praeceptis inſtruitur: ſed ratio poliendae, & exornandae hiſtoriae ex communibus hiſtoriae decretis, & inſtitutis ſumitur. Atqvi *ne* ʒ Antonius, ad excuſandam paucitatem Latinorum, qui ornate ſcripſerunt hiſtoriam, digreditur in hiſtoricos Latinos, & Graecos, reipſa paullo altius repetita. argumentum primum eſt ſimilitudinis: Quemadmodum ueteres Latini, ſic Graeci hiſtorias inculte, & inornate componebant: Πρότασις declaratur exemplo Catonis, qui origines rerum Italicarum, & Q. Fabij Pictoris, qui breues annales ſui temporis, & C. Piſonis Cenſorij, qui commentarios de rebus Romanis edidit: Ἀπόδωσις exemplo Pherecidae, qui de Lero patria ſua, de Iphigenia, de Dionyſij celebritatibus ſcripſit, ut ait Suidas, Hellanici Mitylenaei, qui fuit idem poeta & hiſtoricus non indoctus quidem, ſed in ſcribendo rudis, & Acuſilai Argiui, qui genealogias ſcripſit in tabulis aeneis, quas fama eſt patrem eius, cum aream domus foderet, inueniſſe. Mandabat *litteris* ʒ Pontifex Max. Rom. olim res geſtas litteris mandabat: ſic apud Perſas Magis, apud Iudaeos ſacerdotibus ſummae auctoritatis, apud Aegyptios item uatibus eadem cura & prouincia demandata fuit, quo ſanctior eſſet hiſtoriae ueritas & fides. Efferebatq. *in* ʒ Album uocat Antonius id, quod Graeci λεύκωμα, id eſt, tabulam albo colore inductam, in qua ſcribebatur aliquid, ut a Praetore Edicta uel nomina iudicum, a Pont. Maximo Annales rerum publice geſtarum, uel ſacrorum, uel caerimoniarum ritus. Efferre igitur in album, eſt referre in tabulam, eamq. proponere, ut ſit legendi, & cognoſcendi poteſtas. Pavllvlvm *ſe* ʒ Pergit ex ordine ad Coelium Antipatrum, quem cum ſuperioribus diſſimiliter comparat, quod illi tantum nude, & ſimpliciter res geſtas narrarint, hic paullo ornatius ſcripſerit. Cicero lib. primo de leg. Poſt Annales (inquit) Pontificum Max. quibus nil poteſt eſſe iucundius, ſi aut ad Fabium, aut eum (qui tibi ſemper in ore eſt,) Catonem, aut ad Piſonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium uenias, quamquam ex his alius alio plus habuit uirium, tamen quid tam exſile, quam iſti omnes? Fannij autem aetate coniunctus Antipater paullo inflauit uehementius, habuitq. uires agreſtes ille quidem, atque horridas ſine nitore, & palaeſtra, ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius ſcriberent. Sed *iſte ipſe* ʒ Antipater nec apte diſpoſuit in hiſtoria uarias rerum deſcriptiones, quae retinere ſolent animum lectoris, neque molli uerborum ſtructura, & tractu orationis laeui, & tractabili perpoliuit opus ſuum de bello Punico, quod ad C. Laelium ſcripſit. allegoria eſt a polionibus, qui trahendo ſcalpro materiam ſibi propoſitam aequant & perpoliunt. Cicero in Orat. perfecto, Huic generi, inquit, hiſtoria finitima eſt, in qua & narratur ornate, & regio ſaepe aut pugna deſcribitur. interponuntur etiam conciones, & hortationes, ſed in his tracta quaedam & fluens expetitur, non haec contorta, & acris oratio. Minime *mirum,* ʒ Antonius excuſat inornatam ſcriptionem Latinae hiſtoriae diſſimili comparatione Romanorum, & Graecorum. Romani forenſem eloquentiam ſecuti ſunt, Graeci uero plerique otio delectati ad ornandam hiſtoriam ſe totos applicauerunt: ἀνταπόδωσις illuſtratur octo Graecorum hominum exemplis, Herodoti, Thucydidis, Philiſti, Theopompi, Ephori, Xenophontis, Calliſthenis, & Timaei, qui in hoc ſcribendi genere diſerti, & ornati fuerunt. Namqve *&* ʒ Herodotus Halicarnaſſeus ſcripſit hiſtoriam nouem libris, quos nouem muſarum nominibus inſcripſit, exorſus a Cyro rege Perſarum, & Candaule Lydorum: & quamuis fabulas innumerabiles memoriae prodiderit, nihilominus tamen a Cicerone lib. primo de leg. hiſtoriae pater nominatur, quia primus Graecorum hiſtoriam uerbis, & figuris exor-

nauit

nauit ſine ullis ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluens, ut ait Cicero in Orat. dulcis, effuſus, candidus, ſermonibus, & uoluptate praeſtans, ut ait Fabius lib. 10. Et *poſt illum,* ʒ Thucydides Athenienſis compoſuit hiſtoriam Peloponeſiaci belli, quod Athenienſes aduerſus Lacedaemonios geſſerunt: ita ſententioſus, ut, quot apud eum uerba ſunt, totidem paene ſententiae eſſe uideantur: denſus item & breuis & ſemper inſtans, ut ait Fabius lib. 10. & quaſi bellum canens, ut ait Cicero in Orat. dicitur etiam uerbis aptus, quia rem quamque apte, & proprie declarat: & preſſus, quia nihil in eo redundans inueniri poteſt: cuius ſtylum adeo probaſſe dicitur Demoſthenes, ut librum eius octies deſcripſerit, totumque fere edidicerit, ut ait Dionyſius Halicarnaſſ. Atqui *ne hunc* ʒ Thucydides uerſatus eſt in rep. ſumma cum auctoritate, ſed bello Peloponneſiaco proditionis crimine ſuſpectus, quaſi eius tarditate & negligentia Bracidas in Thracia quaſdam urbes Athenienſium cepiſſet, Oſtraciſmo, id eſt, exſulio decennali damnatus in Aegina hiſtoriam ſuam compoſuit. Oſtraciſſmus autem uel optimo cuique accidere ſolebat Athenis, & repertus erat non tam ad caſtigandam morum improbitatem, quam ad moderandam principum potentiam, ne ceteris ciuibus uel dignitate, uel opibus ſuperiores ſenſim tyrannidem aliquam in rep. occuparent. Hunc *conſecutus* ʒ Cicero libro ſecundo ad Q. Fratrem, Siculus (inquit) ille capitalis, creber, acutus, breuis, paene puſillus Thucydides, ſed utros eius habueris libros, (duo enim ſunt corpora) an utroſque, neſcio: magis me de Dionyſio delectat: ipſe enim eſt ueterator maximus, & perfamiliaris Philiſto. Fabius lib. decimo, Philiſtus quoque meretur, qui turbae quamuis bonorum poſt hos auctorum eximatur, imitator Thucydidis, & ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. Quasi *ex* ʒ Similitudo eſt ab opificum tabernis: nam ut in his opera, ſic in ſcholis ingenia hominum formantur, & expoliuntur. Simile eſt illud in Bruto, Exſtitit iam ſenibus illis, quos diximus, Iſocrates, cuius domus cuncta Graeciae quaſi ludus patuit, & officina dicendi. Theopompus ʒ Theopompus Chius rhetor, filius Damaſiſtrati, floruit Olympiade 93. quo etiam tempore uiguit Ephorus eius condiſcipulus, & Iſocratis auditor. Scripſit Theopompus epitomen hiſtoriarum Herodoti libris duobus, & Philippica libris 72. & Graecas hiſtorias libris 11. quae continent de bello Peloponneſiaco ea, quae a Thucydide relicta fuerant. Suidas. Denique *etiam* ʒ Xenophon, Grylli filius, Athenienſis philoſophus Socraticus primus, ut ait Suidas, ſcripſit uitas philoſophorum, & ἀπομνημονεύματα: fuit autem condiſcipulus Platonis, & floruit 98. Olympiade, pluresq. libros compoſuit, quam quadraginta, ex quibus hi ſunt, περὶ τῆς τοῦ Κύρου παιδείας octo, περὶ τῆς τοῦ Κύρου ἀναβάσεως ſeptem, De rebus Graecorum ſeptem, συμπόσιον, & alia permulta. Post *ab Ariſtotele* ʒ Calliſthenes ab Ariſtotele praeceptore & conſobrino datus eſt Alexandro magno comes, ut eum ſequeretur, & res Alexandri memoriae proderet: is praeterea etiam compoſuit hiſtoriam philoſophorum, (ut ait Diogenes) & Troicum bellum, ut ait Cicero in epiſt. familiaribus. Minimus *natu* ʒ Timaeus hiſtoricus ſcripſit de Syria, & eius ciuitatibus, & regibus tres libros, ut ait Suidas, & expoſuit bellum Pyrrhi (ut ait Cicero in ep. fam.) cui Cicero magnam laudem doctrinae, & ubertatis, & eloquentiae tribuit, Suidas & Plutarchus prudentiae, & modeſtiae, & ueritatis laudem ei ſimul detrahunt.

PAVLLVS. MANVTIVS. Qui *laudabit quempiam, intelliget exponenda ſibi eſſe fortunae bona;* ʒ putabam deeſſe, Naturae: quia ſubiunguntur exempla non earum modo rerum, quae a fortuna, ſed earum etiam, quae a natura proficiſcuntur, generis, pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, ualetudinis, formae uirium, ingenij, ceterarumq. rerum, quae ſunt aut corporis, aut extraneae. Pleraque pertinent ad naturam: & haec tamen fortunae bona uocauit. praeterea, cum dicat: Aut corporis, aut extraneae: quis non intelligit, ea, quae ſunt corporis, naturae eſſe, non fortunae? extranea uero ne ipſa quidem fortunae ſunt omnia. nam nobilitas generis, amicitiae, propinquitates, extranea ſunt, quia nec ad animum, nec ad corpus pertinent: fortunae tamen bona non eſſe, nemo uere dixerit. His de cauſſis mutilum eſſe locum opinabar: ſed infra quoque, lib. 2. confundi fortunae & naturae bona animaduerti, propoſito, tantum fortunae nomine. Perſpicuum eſt, inquit, alia eſſe in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, uires, opes, diuitiae, ceteraq. quae fortuna det, aut extrinſecus, aut corpori, non habent in ſe ueram laudem, quae deberi uirtuti uni putatur. ſed tamen, quod ipſa uirtus in earum rerum uſu, ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus haec ſunt naturae, & fortunae bona. Primum dixit, Quae fortunae det, uni fortunae tribuens ea, quae proxime nominauerat, genus, formam, uires, opes, diuitias: quorum pars a natura eſt: deinde ſubiunxit, Haec naturae, & fortunae bona: quaſi iam de utraque locutus eſſet. itaque nihil ſtatuo: & aliorum induſtriae libenter locum relinquo. P. Mucium *pontificem max.* ʒ miror hunc putari eum Scaeuolam, quo magiſtro uſus eſt Cicero in iure ciuili: ut in libro de amicitia ſcriptum eſt. nam is eſt Q. Mucius, qui & ipſe pontifex max. fuit: hic autem P. Mucius, Q. Mucij pater proxime nominati, conſul anno urbis DCXX, de quo in oratione pro domo, lib. 2. de leg. lib. 1. de nat. de. & epiſt. 5. lib. 12. ad Att.

C I C E R O

Haec cum ille dixiſſet, Quid eſt, inquit, Catule, Caeſar? ubi ſunt, qui Antonium Graece negant ſcire? quot hiſtoricos nominauit? quam ſcienter, quam proprie de unoquoque dixit? Id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud iam mirari deſino, quod multo magis ante mirabar; hunc, cum haec neſciret, in dicendo poſſe tantum. Atqui, Catule, inquit Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, horum libros, & nonnullos alios, ſed delectationis cauſſa, cum eſt otium, legere ſoleo. Quid ergo eſt? fatebor: aliquid tamen, ut, cum in ſole ambulem, etiam ſi aliam ob cauſſam ambulem, fieri natura tamen ut colorer; ſic, cum iſtos libros ad Miſenum (nam Romae uix licet) ſtudioſius legerim; ſentio

ſentio orationem meam illorum cantu quaſi colorari. Sed, ne latius hoc uobis patere uideatur; haec dumtaxat in Graecis intelligo, quae ipſi, qui ſcripſerunt, uoluerunt a uulgo intelligi. In philoſophos ueſtros ſi quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod ſunt fere inſcripti de rebus notis, & illuſtribus, de uirtute, de iuſtitia, de honeſtate, de uoluptate, uerbum prorſus nullum intelligo: ita ſunt anguſtis, & conciſis diſputationibus illigati. Poetas omnino, quaſi alia quadam lingua locutos, non conor attingere. Cum ijs me, ut dixi, oblecto, qui res geſtas, aut qui orationes ſcripſerunt ſuas; aut qui ita loquuntur, ut uideantur uoluiße eße nobis, qui non ſumus eruditiſſimi, familiares. Sed illuc redeo. Videtis ne, quantum munus ſit oratoris hiſtoria? haud ſcio, an flumine orationis, & uarietate maximum. neque eam reperio uſquam ſeparatim inſtructam rhetorum praeceptis: ſita ſunt enim ante oculos. nam, quis neſcit primam eſſe hiſtoriae legem, ne quid falſi dicere audeat; deinde, ne quid ueri non audeat; ne qua ſuſpicio gratiae ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis? Haec ſcilicet fundamenta nota ſunt omnibus. ipſa autem exaedificatio poſita eſt in rebus, & uerbis. Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem: uult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaq. dignis conſilia primum, deinde acta, poſtea euentus exſpectantur, & de conſilijs ſignificari quid ſcriptor probet, & in rebus geſtis declarari, non ſolum quid actum, aut dictum ſit, ſed etiam quo modo, & cum de euentu dicatur, ut cauſſae explicentur omnes uel caſus, uel ſapientiae, uel temeritatis; hominumq. ipſorum non ſolum res geſtae, ſed etiam, qui fama, ac nomine excellant, de cuiuſque uita, atque natura. Verborum autem ratio, & genus orationis fuſum, atque tractum, & cum lenitate quadam aequabili profluens, ſine hac iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis, perſequendum eſt. Harum tot, tantarumq. rerum uidetis ne ulla eße praecepta, quae in artibus rhetorum reperiantur? In eodem ſilentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes, conſolationes, praecepta, admonita: quae tractanda ſunt omnia diſertiſſime, ſed locum ſuum in illis partibus, quae traditae ſunt, habent nullum. Atque in hoc genere illa quoque eſt infinita ſilua; quod oratori plerique, ut etiam Craßus oſtendit duo genera ad dicendum dederunt; unum de certa, definitaq. caußa, quales ſunt, quae in litibus, quae in deliberationibus uerſantur: (addat, ſi quis uolet, etiam laudationis) alterum, quod appellant omnes fere ſcriptores, explicat nemo, infinitam generis ſine tempore, & ſine perſona quaeſtionem. hoc quid, & quantum ſit, cum dicunt; intelligere mihi non uidentur. Si enim eſt oratoris, quaecumque res infinite poſita ſit, de ea poße dicere: dicendum erit ei, quanta ſit ſolis magnitudo, quae forma terrae: de mathematicis, de muſicis rebus non poterit quin dicat, hoc onere ſuſcepto, recuſare. Denique ei, qui profitetur eſſe ſuum non ſolum de ijs controuerſijs, quae temporibus, & perſonis notatae ſunt, hoc eſt de omnibus forenſibus, ſed etiam de generum infinitis quaeſtionibus dicere; nullum poteſt eſſe genus orationis, quod ſit exceptum. Sed, ſi illam quoque partem quaeſtionum oratori uolumus adiungere uagam, & liberam, & late patentem; ut de rebus bonis, aut malis; expetendis, aut fugiendis; honeſtis, aut turpibus; utilibus, aut inutilibus; de uirtute, de iuſtitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi; de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de ceteris uirtutibus, contrarijſq. uitijs dicendum oratori putemus; itemq. de rep. de imperio, de re militari, de diſciplina ciuitatis, de hominum moribus: aſſumamus eam quoque partem, ſed ita, ut ſit circumſcripta modicis regionibus. Equidem omnia, quae pertinent ad uſum ciuium, morem hominum, quae uerſantur in cõſuetudine uitae, in ratione reip. in hac ſocietate ciuili, in ſenſu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda eſſe oratori puto; ſi minus, ut ſeparatim de his rebus, philoſophorum more, reſpondeat; at certe, ut in caußa prudenter poſſit intexere, hiſce autem ipſis de rebus ut ita loquatur, ut ij, qui iura, qui leges, qui ciuitates conſtituerunt, locuti ſunt, ſimpliciter, & ſplendide, ſine ulla ſerie diſputationum, & ſine ieiuna concertatione uerborum. Hoc loco ne qua ſit admiratio, ſi tot, tantarumq. rerum nulla a me praecepta ponentur; ſic ſtatuo; ut in ceteris artibus, cum tradita ſunt cuiuſque rei difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut ſimilia ſint, tradi non neceße eße; ut in pictura, qui hominis ſpeciem pingere perdidicerit, poße eum cuiuſuis uel formae, uel aetatis, etiam ſi non didicerit, pingere; neque eße periculum, qui leonem, aut taurum pingat egregie, ne idem in multis alijs quadrupedibus facere non poſſit; neque eſt omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte effici poßunt, a doctore tradantur; ſed qui primarum, & certarum rerum genera ipſa didicerunt, reliqua per ſe non incommode perſequuntur: ſimiliter arbitror in hac ſiue ratione, ſiue exercitatione dicendi, qui illam uim adeptus ſit, ut eorum mentes, qui aut de rep. aut de ipſius rebus, aut de ijs, contra quos, aut pro quibus dicat, cũ aliqua ſtatuendi poteſtate audiant, ad ſuum arbitrium mouere poſſit; hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quaeſiturum eße quid dicat; quam Polycletum illum, cum Herculem fingebat, quemadmodum pellem, aut hydram fingeret, etiam ſi haec numquam ſeparatim facere didiciſſet. Tum Catulus: Praeclare mihi uideris, Antoni, poſuiße ante oculos, quid diſcere oporteret eum, qui orator eßet futurus; quid, etiam ſi non didicißet, ex eo, quod didiciſſet, aſſumeret. deduxiſti enim totum hominem in duo ſolum genera caußarum: cetera innumerabilia exercitationi, & ſimilitudini reliquiſti. ſed uideto, ne in iſtis duobus generibus hydra tibi ſit, & pellis; Hercules autem, & alia opera maiora ne in illis rebus, quas praetermittis relinquantur. non enim mihi minus operis uidetur, de uniuerſis generibus reorum, quam de ſingulorum cauſſis, ac multo etiam maius de natura deorum, quam de hominũ litibus, dicere. Non eſt ita, inquit Antonius: dicam enim tibi, Catule, non tam doctus, quam id, quod eſt maius, expertus. Omnium ceterarum rerum oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium litterarum, & politioris

humanitatis experti. in cauſſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus, atque haud ſcio an de humanis operibus longe maximum: in quibus uis oratoris plerumque ab imperitis exitu, & uictoria iudicatur: ubi adeſt armatus aduerſarius, qui ſit & feriendus, & repellendus: ubi ſaepe is, qui rei dominus futurus eſt, alienus, atque iratus, aut etiam amicus aduerſario, & inimicus tibi eſt, cum aut docendus is eſt, aut dedocendus; aut reprimendus, aut incitandus; aut omni ratione ad tempus, ad cauſſam, oratione moderandus: in quo ſaepe beneuolentia ad odium, odium autem ad beneuolentiam deducendum eſt: qui tamquam machinatione aliqua tum ad ſeueritatem, tum ad remiſſionem animi, tum ad triſtitiam, tum ad laetitiam eſt contorquendus. omnium ſententiarum grauitate, omnium uerborum ponderibus eſt utendum. accedat oportet actio uaria, uehemens, plena animi, plena ſpiritus, plena doloris, plena ſeueritatis. In his operibus ſi quis illam artem comprehenderit, ut tamquam Phidias Mineruae ſignum efficere poſſit: non ſane, quemadmodum in clypeo idem ille artifex minora illa opera facere diſcat, laborabit.

EXPLANATIO

HAEC *cum ille* ʒ Παρέκβασις de hiſtoria, & hiſtoricis ſcriptoribus concluditur interlocutione Caeſaris, & Catuli, quorum praecipuae ſunt partes in dialogo, ut & admirentur, quae prius dicta ſunt, & incitent ad id, quod ſequitur, Antonium. ATQVI *Catule* ʒ Antonius praecipuũ hiſtoriae fructum ſibi ſtatuit, delectationem, cui tamen comes additur utilitas ad diſceptationem rerum ciuilium, quia ſaepe orator ex hiſtoriis exempla ſumit: hunc igitur ſecundum fructum declarat eorum ſimilitudine, qui in ſole deambulantes colorantur. SENTIO *orationem* ʒ Haec metaphorica ſimilitudo parum apta eſt: licet enim ſit hiſtoria proxima poetis, & quodammodo carmen ſolutum, tamen inepte dixeris rem quampiam cantu quaſi colorari, praeſertim cum cantus & color inter ſe non cohaereant. SED *ne latius* ʒ Antonius modeſtiae retinendae gratia fatetur ſe tantum leuiter Graecas litteras attigiſſe, idq. ipſum declarat a diſſimilibus: Philoſophos (inquit) non intelligo: poetas non lego propter eorum obſcuritatem: at hiſtoricos, & oratores, qui populariter, & facile ſcripſerunt, interdum legere ſoleo: Philoſophos Antonius non intelligit, & ex omnibus praecipue Stoicos, quia breuibus, & minutis utuntur conſectariis, & ea diſputant, quae non probantur in uulgus: & poetas Graecos non attingit, quia uix utuntur ſimplici, & communi lingua, ſed permiſcent paene omnes, communem, Atticam, Aeolicam, Doricam, & Ionicam, unde obſcuri fiunt. SED *illuc redeo,* ʒ Redit ad propoſitam diſputationem, & utitur hoc ſyllogiſmo:

Hiſtoria requirit eloquentiae lumen:
Hiſtoria nullum habet praeceptum in arte Rhetorica proprium:
Ergo non quidquid requirit eloquentiam, proprium habet in arte Rhetorica praeceptum.

Ad illuſtrandam aſſumptionem docet hiſtoriae tractandae modum ex perſona ſcribentis, ut ne ſit mendax, ne diſſimulator & occultator ueritatis, ne ullam det ſignificationem gratiae, uel odij in ſcribendo: quas leges, dici uix poteſt, quantum Graeci neglexerint, Herodotus pater mendaciorum, & Thucydides, qui plus Athenienſibus fauere uidetur, quam Lacedaemoniis, & ceteri, in quibus libera ueritas, & omni affectu uacua non fuit: deinde exponit artificium dialecticum, & rhetoricum, & dialecticum quidem, ut in narrando gradus temporum ſeruentur, ac primum conſilia rei gerendae exponantur, deinde res geſtae, poſtremo euentus, & exitus rerum geſtarum: rhetoricum autem, ut ſtylus hiſtoriae ſit lenis, & aequabilis. IN *eodem ſilentio* ʒ Repetit tertium locum inductionis, ubi uidetur eſſe μνημονικὸν ἁμάρτημα. ATQVE *in hoc genere* ʒ Quinctus locus ducitur ab auctoritate eorum, qui materiam oratoris omnem quaeſtionem poſuerunt, & finitam, & infinitam, ubi tamen Antonius uidetur excludere ab oratore infinitam quaeſtionem, ſed argumento minus conſentaneo: quia rhetorica illa, quam Antonius putat quinque partibus contineri, inuẽtione, diſpoſitione, elocutione, memoria, & actione, ſi recte deſcripta eſſet, inſtrumentum eſſet de omnibus rebus recte diſſerendi, & dicendi: & ornatus orationis, qui oratoris proprius eſt, ut Craſſus I. lib. dixit, & Antonius ſecũdo cõfirmauit, tam apte, & legitime ad res caeleſtes, & mathematicas, & muſicas accommodari debet, & poteſt, quam ad quaeſtiones ciuiles, & forenſes. SED *ſi illam,* ʒ Correctio eſt proximae diſputationis: nam Antonius Theſim reiecerat ab oratore, quam nunc eidem concedit, ſed certis finibus circumſcriptam rerum moralium, & politicarum: ſic Craſſus libro primo, Sed (ait) ſi me audierit, quoniam philoſophia eſt in tres partes diſtributa, in naturae obſcuritatem, in diſputandi ſubtilitatem, in uitam & mores, duo illa relinquamus, atque largiamur inertiae noſtrae: tertium uero, quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus. HISCE *autem* ʒ Diſſimilitudo eſt tractandae theſeos inter oratorem, & philoſophum, ut ille ſplendide, & populariter, & ornate, hic uero obſcure, & conciſe, & ſubtiliter de moribus, & repub. loquatur: quo loco uidetur Antonius notare Stoicos philoſophos ieiunos, & exſiles, qui communes locos de moribus tractant abhorrentes ab uſu publico, & forenſi. HOC *loco* ʒ Concludit totam diſputationem de genere demonſtratiuo rhetoricis praeceptis non ornando, & ad extremum ſimilitudine illuſtrat. Quemadmodum in ceteris artibus, ſic in rhetorica de difficillimis quibuſque rebus praecepta tantum ponenda ſunt: protaſis declaratur exemplo pictorum: apodoſis exemplo Polycleti ſtatuarij eximij, qui diligentia, & decore ſupra ceteros fuit, ut ait Fabius lib. XII: comparatio autem eſt ex partibus: Orator qui didicerit cauſſas ciuiles agere, tam facile de ceteris rebus diſputabit, quam facile Polycletus, poſtquam finxit Herculem, addidit ei exſuuium Leonis, & Hydram: Hercules enim pro ueſte pellem Leonis geſtabat, occiſo, & ſpoliato Leone Nemaeo: Huic etiam pictores,

res,& ſtatuarij apponunt Hydram beſtiam multorum capitum in memoriam illius Hydrae, quam interfecit. Tvm *Catulus*,] Catulus facit breuem epilogum Antonianae diſputationis de oratoris materia, quam artem requirat,& quam non requirat: & adhibet quandam ſpeciem contradictionis non tam pugnandi cauſſa, quã ut ex Antonio ſemper aliquid eliciat. eludit igitur comparationem iilam de Hercule Polycleti. Argumentũ duplex eſt: primum a paribus, quod multae theſes tam difficilem habeant tractationem, quam hypotheſes: alterum a minoribus, quod difficilius ſit de diis, quam de hominum controuerſiis dicere. Non *eſt ita*,] Antonius reſpondet ad argumentum Catuli per diſſimilitudinem: Ceterarum (inquit) rerum facilis eſt tractatio, ac ciuilium cauſſarum dictio eſt omnium difficillima. ἀνταπόδωσις amplificatur ex multis circumſtantiis oratoris, aduerſarij,& auditoris, quae augent difficultatem forenſis,& popularis eloquentiae: & allegoria paene perpetua eſt ex continuatis metaphoris, ubi Antonius reliquas dictiones exercitationi ludicrae,& forenſem dictionem militari pugnae comparat. Qvi *tamquam*,] Similitudo declarat apertius allegoriam proximam,& ſumitur a iaculatoribus arietum,& baliſtarum ad quatiendos urbis muros: ſic orator in acie forenſi uehementius pugnabit, & auditoris animum uelut machinam aliquam, in quem uolet affectum contorquebit, ſeueritatis, aut remiſſionis, triſtitiae, aut laetitiae, ſicut condicio,& natura praeſentis cauſſae poſtulabit. Vt *tamquam Phidias*] Phidias (ut ait Plinius) praeter Iouem Olympium, quem nemo aemulatur, fecit & ex ebore Mineruam Athenis, quae eſt in Parthenone adſtans. Idem Plinius lib. 34. ſcribit Mineruam Phidiae fuiſſe uigintiſex cubitorum, in cuius ſcuto caelauerat Amazonum praelium intumeſcente ambitu parmae, eiuſdem concaua parte deorum,& gygantum dimicationem: Phidias item, ut ait Cicero Tuſc. primo, in clypeo Mineruae ſpeciem ſui ſimilem incluſit, cum inſcribere non liceret: eam ſiquis diſſoluiſſet, uniuerſam collocationis ſpeciem ſuſtuliſſet. Cicero in Oratore.

PAVLLVS. MANVTIVS. In *philoſophos ueſtros ſi quando incidi*] malim, In philoſophos uero. quo uidetur accedere unus Borromaei Cardinalis antiquus liber, in quo eſt, In philoſophos uero noſtros.

C I C E R O

Tvm *Catulus. Quo iſta maiora, ac mirabiliora feciſti, eo me maior exſpectatio tenet, quibuſnam rationibus, quibus ue praeceptis ea tanta uis comparetur: non quo mea quidem iam interſit: (neque enim aetas id mea deſiderat: & aliud quoddam genus dicendi nos ſecuti ſumus: qui numquam ſententias de manibus iudicum ui quadam orationis extorſimus, ac potius placatis eorum animis tantum, quantum ipſi patiebantur, accepimus) ſed tamen iſta tua nullum ad uſum meum, tantum cognoſcendi ſtudio adductus, requiro. nec mihi opus eſt Graeco aliquo doctore, qui mihi peruulgata praecepta decantet, cum ipſe numquam forum, numquam ullum iudicium adſpexerit: ut Peripateticus ille dicitur Phormio: cum Hannibal Carthagine expulſus Epheſum ad Antiochum ueniſſet exſul; proq. eo, quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, ut eum, quem dixi, ſi uellet, audiret; cumq. is ſe non nolle dixiſſet: locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de imperatoris officio,& de omni re militari. tum, cum ceteri, qui illum audierant, uehementer eſſent delectati; quaerebant ab Hannibale, quidnam ille ipſe de illo philoſopho iudicaret. hic Poenus non optitae Graece, ſed tamen libere reſpondiſſe fertur: multos ſe deliros ſenes ſaepe uidiſſe, ſed qui magis, quam Phormio, deliraret, uidiſſe neminem. neque mehercule iniuria. quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo R. omnium gentium uictore certaſſet, Graecum hominem, qui numquam hoſtem, numquam caſtra uidiſſet, numquam denique minimam partem ullius publici muneris attigiſſet, praecepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes iſti, qui de arte dicendi praecipiunt, uidentur. quod enim ipſi experti non ſunt, id docent ceteros: ſed hoc minus fortaſſe errant, quod non te, ut Hannibalem, ſed pueros, aut adoleſcentulos docere conantur. Erras, Catule, inquit Antonius. nam egomet in multos iam Phormiones incidi. quis enim eſt iſtorum Graecorum, qui quemquam noſtrum quidquam intelligere arbitrentur? ac mihi quidem non ita moleſti ſunt. facile omnes perpetior,& perfero. nam aut aliquid afferunt, quod mihi non diſpliceat: aut efficiunt, ut me non didiciſſe minus paeniteat. dimitto autem eos non tam cõtumelioſe, quam philoſophum illum Hannibal: & eo fortaſſe plus habeo etiam negotij. Sed tamen eſt eorum doctrina, quantum ego iudicare poſſum, perridicula. diuidunt enim totam rem in duas partes, in cauſſae controuerſiam,& in quaeſtionis. Cauſſam appellant rem poſitam in diſceptatione rerum,& controuerſia: quaeſtionem autem rem poſitam in infinita dubitatione. De cauſſa praecepta dant: de altera parte dicendi mirum ſilentium. Denique quinque faciunt quaſi membra eloquentiae: inuenire, quid dicas: inuenta diſponere: deinde ornare uerbis: poſt memoriae mandare: tum ad extremum agere, ac pronunciare. rem ſane non reconditam. quis enim hoc non ſua ſponte uiderit, neminem poſſe apte dicere, niſi,& quid diceret,& quibus uerbis,& quo ordine diceret, haberet,& ea meminiſſet? Atque haec ego non reprehendo, ſed ante oculos poſita eſſe dico, ut eas item quattuor, quinque, ſex ue partes, uel etiam ſeptem, (quoniam aliter ab alijs digeruntur) in quas eſt ab his omnis oratio diſtributa. Iubent enim exordiri ita, ut eum, qui audiat, beneuolum nobis faciamus,& docilem,& attentum: deinde rem narrare ita, ut uериſimilis narratio ſit, ut aperta, ut breuis: poſt autem diuidere cauſſam, aut proponere; noſtra confirmare argumentis, ac rationibus, deinde cõtraria refutare. tum autem alij concluſionem orationis,& quaſi perora-*

tionem collocant. alij iubent, ante quam peroretur, ornandi, aut augendi cauſſa digredi; deinde concludere, ac perorare. ne haec quidem reprehendo: ſunt enim concione diſtributa, ſed tamen, id quod neceſſe fuit hominibus expertibus ueritatis, non perite. Quae enim praecepta principiorum, & narrationum eße uoluerunt, ea in totis orationibus ſunt conſeruanda. nam & ego mihi beneuolum iudicem facilius facere poßum, cum ſum in curſu orationis, quam cum omnia ſunt inaudita; docilem autem non cum polliceor me demonſtraturum, ſed tum, cum doceo, et explano: attentũ uero crebro tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denunciatione, efficere poſſumus. Iam uero narrationem quod iubent ueriſimilem eſſe, & apertam, et breuem: recte nos admonent. quod haec narrationis magis putant eße propria, quam totius orationis: ualde mihi uidentur errare: omninoq. in hoc omnis eſt error, quod exiſtimant artificium eſſe hoc quoddam non diſſimile ceterorum: cuiuſmodi de ipſo iure ciuili heſterno die Craßus componi poſſe dicebat: ut genera rerum primum exponerentur; in quo uitium eſt, ſi genus ullum praetermittatur: deinde ſingulorum generum partes; in quo & deeſſe aliquam partem, & ſuperare, mendoſum eſt: tum uerborum omnium definitiones: in quibus neque abeße quidquam debet, neque redundare. Sed hoc ſi in iure ciuili, ſi etiam in paruis, aut mediocribus rebus doctores aßequi poſſunt, non idem ſentio tanta hac in re, tamq. immenſa poſſe fieri. ſin autem, qui arbitrantur, deducendi ſunt ad eos, qui haec docent, omnia iam explicata, & perpolita aſſequentur. ſunt enim innumerabiles de his rebus libri, neque abditi, neque obſcuri. ſed uideant, quid uelint, ad ludendum ne, an ad pugnandum arma ſint ſumpturi. aliud enim pugna, & acies, aliud ludus, campuſq. noſter deſiderat. attamen ars ipſa ludicra armorum & gladiatori, & militi prodeſt aliquid: ſed animus acer, & praeſens, & acutus idem, atque uerſutus, inuictos uiros efficit non difficilius arte coniuncta.

EXPLANATIO

TVM *Catulus*, } Tranſitus eſt a propoſita oratoris materia, quae artem deſiderat, ad artis ipſius explicationem, ubi Catulus magna facilitate, & attentione exſpectat, ut Antonius de doctrina forenſium quaeſtionum diſputet: primus attentionis locus illuſtratur ex diſſimili fine: Non requiro (inquit Catulus) iſta praecepta ad aliquem uſum meum, ſed tantum ad fructum ſcientiae & cognitionis: προτασις probatur dupliciter: primum quod ſenilis aetas Catuli genus eloquentiae non planum & erectum & audax & uehemens requirit, ſed preſſum potius & mite & limatum: deinde quod Catulus lene & ſuaue dicendi genus, non graue & patheticum ſecutus eſt: nam in eo ſumma non uitae ſolum atque naturae, ſed orationis etiam fuit comitas. Cicero in Bruto. NEC *mihi opus eſt* } Secundus locus deprimit artes Graecorum, qui de ratione forenſis eloquentiae praecipiunt: cum tamen forum numquam attigerint: Atque haec tota Graecorum extenuatio eo ſpectat, ut melius aliquid & excellentius exſpectetur ab Antonio, id eſt Cicerone, qui magnum uſum & experientiam in cauſſis ciuilibus adeptus eſt: Illa igitur Graecorum inexperta loquacitas irridetur exemplo ſimili, quod ita preſſius concludi poteſt: Vt Hannibal irriſit Phormionem Peripateticum, cum in bello numquam eſſet uerſatus, tamen de re militari apud eum uerba facientem: ſic irridendi ſunt Graeci rhetores, qui cum numquam forum & rempub. attigerint, tamen doctrinam & artem forenſium cauſſarum tradere, & profiteri audeant: προτασις exornatur facto Phormionis, & apophthegmate Hannibalis in ipſum Phormionem. HOC *mihi* } Redditio ſimilitudinis ſequitur cum leui quadam correctione: quaſi Graeci rhetores hoc minus inepti ſint, quod non doceant doctos homines & expertos, ſed pueros indoctos & adhuc rudes ciuilium cauſſarum. ERRAS *Catule*, } Antonius reſpondet ad proximam correctionem, & leuiter illudit Graecorum ineptias, qui praecepta ſua doctiſſimorum hominum auribus inculcant de quaeſtione ui oratoris, & oratione: ubi animaduertendum eſt haec ipſa recte dici ad ſeruandum decorum in perſona Antonij, qui fuit irriſor & diſſimulator artis rhetoricae, atque ita extenuationem magis eſſe, quam ſeriam reprehenſionem. SED *tamen eſt* } Non reprehendit Antonius partitionem quaeſtionis in ὑποθεσιν & θεσιν, ſed poſterioris generis praetermiſſam explicationem: Verumtamen θεσις tam facile exornatur generalibus praeceptis quinque partium rhetoricae, quam ipſa ὑποθεσις: ſed Antonius indicat nulla ſingularia & propria praecepta de ſingulis generibus quaeſtionis infinitae a rhetoribus tradi, quemadmodum de generibus ciuilium cauſſarum traduntur: quod quidem neceſſe non fuit. quinetiam in hoc magnus rhetorum fuit error, quod tam minutas & ſingulares ciuilium cauſſarum praeceptiunculas inſtituerunt, quia omnis quaeſtio cuiuſcumque generis & modi ſit, generalibus dialecticae inuentionis & diſpoſitionis legibus inſtrui poteſt: & dialecticam rerum forenſium doctrinam facere tam ridiculum eſt, quam ſi quis uelit earum rerum grammaticam forenſem componere. DENIQVE *quinque* } Eleuat ſecundo loco quinque artes eloquentiae, quia perfaciles ſint: reprehendere autem uerius poterat confuſionem rhetoricae & dialecticae in his quinque partibus exaggeratam: argumentum uero de conſtituendis quinque partibus rhetoricae fallax eſt, & antiquos fefellit, exiſtimantes cauſſam, ſine qua res non eſt, protinus eſſe partem rei, cuius cauſſa eſſet: quod ſi uerum eſſet, non tantum quinque partes, ſed multo plures eſſent forenſis eloquentiae, quam nobis depingunt; eſt enim hiſtoria ad bene dicendum neceſſaria, ut Craſſus heſterno ſermone diſputauit, & philoſophia moralis, & ſcientia iuris ciuilis, & reliquae artes. NE *haec quidem* } Neque item reprehenditur ab Antonio diuiſio orationis, ſed duarum primarum partium officia tamquam parum apte diſtincta notantur; neque enim beneuolentia, docilitas, & attentio propriae ſunt uirtutes exordiorum, ſed communes reliquarum partium orationis: ſed tamen eas rhetores attribuunt exordijs, quia hic praecipue ſunt neceſſariae, per quas in animum iudicis, ut procede-

re ultra poſſimus, admittimur. Fab.cap.1.lib.4. Neque item probabilitas, perſpicuitas, & breuitas propriae ſunt narrationis, quia etiam in ceteris partibus orationis conſeruantur. OMNINOQ. } Diſputat Antonius per ironicam extenuationem, nullum fieri poſſe perfectum artificium eloquentiae, repetitq. ex ſuperiore Craſſi dialogo dialecticam legem faciendae artis, itemq. duas leges dialecticae inuentionis, unam de diuidendo, alteram de definiendo: argumentum praeterea eſt ex diſſimilibus: ius ciuile, & multae aliae res poſſunt in artem redigi: eloquentia tota propter immenſitatem ſuae materiae non poteſt: ſed hoc poſterius falſum eſt, quia rei communis & late patentis poſſunt eſſe communia, & late patentia praecepta. SIN AVTEM } Antonius ſtatuit, ſi ſit aliqua dicendi ars, eam non eſſe difficilem, nec ſolam eloquentiae ſufficere. ALIVD *enim* } Allegoria eſt ab armis ſumpta, ubi ex pugna & acie forenſes oratorum contentiones, ex ludo & campo ludicrae declamationes intelliguntur.

EPILOGVS DE MATERIA ORATORIS.

Hactenus dictum eſt de materia oratoris, quae uidelicet artem & doctrinam requireret, & quae non: Antonius enim exiſtimat lites & deliberationes, quia difficiliores ſunt, oratoris & forenſibus praeceptis egere: laudationes uero, quia ex illarum fontibus facile ſumuntur, non item: in quo diſſentit ab Ariſtotele, ſentitq. rhetoricas leges de his tantum rebus ponendas eſſe quae maioris operis ſint, & difficultatis: qua occaſione etiam obiter eleuat tritas & communes Graecorum artes de diuiſione quaeſtionis in infinitam, & finitam, de partibus orationis, & partium ſingularum proprijs officijs & muneribus: At rhetorica proprie, uere, diſtincte definita nec lites, nec deliberationes, nec ullam omnino ſpecialem materiam ſibi proponet, quam praeceptis ſuis inſtruat, ſed generatim de ornatu orationis & eius generibus different, ſicut grammatica communes leges tradit de puro & emendato genere ſermonis, & ad omnem orationem tam non ciuilem quam ciuilem pertinet: Nec uero Antonij ratio probari poteſt, ut rhetorica tantum de litibus & deliberationibus praecipiat, quia uſus earum multo difficilior ſit, quam ceterarum rerum: hoc enim argumento ſpecialis grammatica de oratione forenſi, ſpecialis dialectica de ratione litigandi & deliberandi deſcribitur: quod quidem fuerit ineptiſſimum. ſunt enim artes generales. Itaque nec uera, nec apta rhetoricae doctrinae materies eſt, quam ſibi praeponit Antonius. At oratorem politicum (inquies) inſtituit, & ad hunc ſolum ſuam τεχνολογίαν dirigit: intelligo, (inquam) & idipſum eſt, quod non probo. Quamobrem? quia Dialectica, Grammatica, & Rhetorica artes ſunt omnium rerum interpretes, & internunciae, quibus recte conſtitutis, & generatim deſcriptis utimur ad omnium artium, & rerum quoque artibus non comprehenſarum intelligentiam & explicationem. Quaero igitur abs te, cur generali rhetorica non contentus, rhetoricam forenſem & politicam facias, grammaticam uero politicam & forenſem non facias? nam paribus in cauſſis paria iura ualent.

CICERO

QVARE ego tibi oratorem ſic iam inſtituam, ſi potuero, ut, quid efficere poſſit, ante perſpiciam. Sit enim mihi tinctus litteris: audierit aliquid, legerit: iſta ipſa praecepta acceperit. tentabo, quid deceat; quid uoce, quid uiribus, quid ſpiritu, quid lingua efficere poſſit. Si intelligam poſſe ad ſummos peruenire: non ſolum hortabor, ut elaboraret, ſed etiam, ſi uir quoque mihi bonus uidebitur, obſecrabo. tantum ego in excellente oratore, & eodem uiro bono pono eſſe ornamenti uniuerſae ciuitati. ſin uidebitur, cum omnia ſumma fecerit, tamen ad mediocres oratores eſſe uenturus: permittam ipſi, quid uelit; moleſtus magnopere non ero. ſin plane abhorrebit; & erit abſurdus: ut ſe contineat, aut ad aliud ſtudium transferat, admonebo. nam neque is, qui optime poteſt, deferendus ullo modo eſt a cohortatione noſtra: neque is, qui aliquid poteſt, deterrendus. quod alterum diuinitatis mihi cuiuſdam uidetur; alterum, uel non facere, quod non optime poſſis; uel facere, quod non peſſime facias, humanitatis. tertium uero illud, clamare contra quam deceat, & quã poſſit, hominis eſt, ut tu, Catule, de quodam declamatore dixiſti, ſtultitiae ſuae quamplurimos teſtes domeſtico praeconio colligentis. De hoc igitur, qui erat talis, ut cohortandus, adiuuanduſq. ſit, ita loquamur, ut ei tradamus ea dumtaxat, quae nos uſus docuit; ut nobis ducibus ueniat eo, quo ſine duce ipſi peruenimus: quoniam meliora docere non poſſumus. Atque, ut a familiari noſtro exordiar; hunc ego, Catule, Sulpicium primum in cauſſa paruula adoleſcentulum audiui, uoce, & forma, & motu corporis, & reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quaerimus; oratione autem celeri, & concitata, quod erat ingenij; & uerbis efferueſcentibus, & paullo nimium redundantibus, quod erat aetatis. non ſum aſpernatus. uolo enim ſe efferat in adoleſcente fecunditas: nam facilius, ſicut in uitibus, reuocantur ea, quae ſeſe niminm profuderunt, quam, ſi nihil ualet materies, noua ſarmenta cultura excitantur. ita uolo eſſe in adoleſcente, unde aliquid amputem. non enim poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutũ. uidi ſtatim indolem; neque dimiſi tempus; & eum ſum cohortatus, ut forum ſibi ludum putaret eſſe ad diſcendum; magiſtrum autem, quem uellet, eligeret; me quidem, ſi audiret, L. Craſſum. quod ille arripuit; & ita ſeſe facturum confirmauit; atque etiam addidit, gratiae ſcilicet cauſſa, me quoque ſibi magiſtrum futurum. uix annus interceſſerat ab hoc ſermone cohortationis meae, cum iſte accuſauit C. Norbanum defendente me. non eſt incredibile, quid intereſſe mihi ſit uiſum inter eum, qui tum erat, & qui anno ante fuerat. omnino in illud genus eum Craſſi magnificum, atque praeclarum natura ipſa ducebat: ſed ea non ſatis proficere potuiſſet,

potuißet, niſi eodem ſtudio, atque imitatione intendiſſet, atque ita dicere conſueßet, ut tota mente Craſſum, atque omni animo intueretur. Ergo hoc ſit primum in praeceptis meis, ut demonſtremus quem imitemur, atque ita, ut, quae maxime excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentiſſime perſequatur. tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat, non ut multos imitatores ſaepe cognoui, qui aut ea, quae facilia ſunt, aut etiam illa, quae inſignia, ac paene uitioſa, conſectantur imitando. nihil eſt facilius, quam amictum imitari alicuius, aut ſtatum, aut motum, ſi uero etiam uitioſi aliquid eſt; id ſumere, & in eo uitioſum eße, non magnum eſt: ut ille, qui nunc etiam amiſſa uoce fuerit in rep. Fuſius neruos in dicendo C. Fimbriae, quos tamen habuit ille, non aſſequitur, oris prauitatem, & uerborum latitudinem imitatur: ſed tamen ille nec deligere ſciuit, cuius potiſſimum ſimilis eßet; & in eo ipſo, quem delegerat, imitari etiam uitia uoluit. Qui autem ita faciet ut oportet, primum uigilet neceße eſt in deligendo: deinde, quem probauit, in eo quae maxime excellent, ea diligentiſſime perſequatur. quid enim cauſſae cenſetis eße, cur aetates extulerint ſingulae ſingula prope genera dicendi? quod non tam facile in noſtris oratoribus poſſumus iudicare, quia ſcripta, ex quibus iudicium fieri poſſet, non multa ſane reliquerunt, quam in Graecis; ex quorum ſcriptis, cuiuſque aetatis quae dicendi ratio, uoluntasq. fuerit, intelligi poteſt. Antiquiſſimi fere ſunt, quorum quidem ſcripta conſtent, Pericles, atque Alcibiades, & eadem aetate Thucydides, ſubtiles, acuti, breues, ſententijs magis quam uerbis abundantes. non potuiſſet accidere, ut unum eßet omnium genus, niſi aliquem ſibi proponerent ad imitandum. Conſecuti ſunt hos Critias, Theramenes, Lyſias. multa Lyſiae ſcripta ſunt, non nulla Critiae: de Theramene audiuimus. omne etiam tum retinebant illum Periclis ſuccum, ſed erant paullo uberiore filo. Ecce tibi exortus eſt Iſocrates, magiſter iſtorum omnium: cuius e ludo, tamquam ex equo Troiano, innumeri principes exierunt: ſed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eße uoluerunt. itaque & illi Theopompus, Ephorus, Philiſtus, Naucrates, multiq. alij naturis differunt, uoluntate autē ſimiles ſint inter ſeſe, & magiſtri: & ij, qui ſe ad cauſſas cōtulerunt, ut Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, Dynarchus, alijq. complures, etſi inter ſe pares non fuerunt, tamen ſunt omnes in eodem ueritatis imitandae genere uerſati: quorum quamdiu manſit imitatio, tamdiu genus illud dicendi, ſtudiumq. uixit: poſteaquam, exſtinctis his, omnis eorum memoria ſenſim obſcurata eſt, & euanuit, alia quaedam dicendi meliora, ac remiſſiora genera uiguerunt. inde Demochares, quem aiunt ſororis filium fuiſſe Demoſthenis, tum Phalereus ille Demetrius, omniū iſtorum mea ſententia politiſſimus, alijq. eorum ſimiles exſtiterunt. quae ſi uolemus uſque ad hoc tempus perſequi; intelligemus, ut hodie Alabandenſem illum Meneclem, & eius fratrem Hieroclem, quos ego audiui, tota imitetur Aſia, ſic ſemper fuiſſe aliquem, cuius ſe ſimiles plerique eſſe uellent. Hanc igitur ſimilitudinem qui imitatione aßequi uolet, tum exercitationibus crebris, atque magnis, tum ſcribendo maxime perſequatur. quod ſi noſter Sulpicius faceret; multo eius oratio eſſet preſſior: in qua nunc interdum, ut in herbis ruſtici ſolent dicere, in ſumma ubertate ineſt luxuries quaedam, quae ſtylo depaſcenda eſt. Hic Sulpicius, Me quidem, inquit, recte mones: idq. mihi gratum eſt: ſed ne te quidem, Antoni, multum ſcriptitaße arbitror. Tum ille, Quaſi uero, inquit, non ea praecipiam alijs, quae mihi ipſi deſunt. ſed tamen ne tabulas quidem conficere exiſtimor: uerum & in hoc ex re familiari mea, et in illo ex eo, quod dico, quantulum id cumque eſt, quid faciam, iudicari poteſt. Atque eſſe tamen multos uidemus, qui neminem imitentur, & ſuapte natura, quod uelint, ſine cuiuſquam ſimilitudine conſequantur. quod & in uobis animaduerti recte poteſt, Caeſar, & Cotta: quorum alter inuſitatum quidem noſtris oratoribus leporem quendam, & ſalem, alter acutiſſimum, & ſubtiliſſimum dicendi genus eſt conſecutus. Neque uero ueſter aequalis Curio, patre mea ſententia uel eloquentiſſimo temporibus illis, quemquam mihi magnopere uidetur imitari; qui tamen uerborum grauitate, & elegantia, & copia ſuam quandam expreſſit quaſi formam, figuramq. dicendi: quod ego maxime potui iudicare in ea caußa, quam ille contra me apud Centumuiros pro fratribus Coſſis dixit. in qua nihil illi defuit, quod non modo copioſus, ſed etiam ſapiens orator habere deberet.

EXPLANATIO

QVARE *ego* } Quoniam fundamentum eloquentiae poſitum eſt in natura, reliqua exaedificatio in arte & exercitatione, Antonius ad informandum oratorem ſuum, de natura primum diſputat, quam triplicem diſtinguit, excellentem, mediocrem, & abſurdam: & excellentem ſibi tantum proponit, quam arte & praeceptis exornet: artes enim ſolent exquirere & explicare, quod eſt in propoſito genere optimum & excellentiſſimum. VT *ei tradamus* } Animaduerte hoc loco Antonium, id eſt, Ciceronem frequenter admonere ſe de ſuo uſu praecipere magis, quam de Graecorum artibus: quaſi maius, & excellentius ſit quod experti, quam quod docti loquimur. ATQVE *ut a familiari* } Excellens oratoris natura declaratur exemplo Sulpicij, in quo erant omnes excellentes, & eximiae dotes naturalis eloquentiae. Idem exemplum Craſſus adhibuit lib. primo, cum de natura oratoris diceret: Ego (inquit) neminem nec motu corporis, nec ipſo habitu, atque forma aptiorem, nec uoce pleniorem, aut ſuauiorem mihi uideor audiſſe. Item in Bruto, Fuit Sulpicius uel maxime omnium grandis, & (ut ita dicam) tragicus orator: uox cum magna, tum ſuauis, & ſplendida: geſtus & motus corporis ita uenuſtus, ut tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus uideretur: ex eius ore uerba magno impetu, atque aeſtu erumpebant, non ſecus ac ferventes aquae ebulliunt, & exſiliunt. Sic Cicero de ſuo iuuenili ardore ſcribit: Quantis clamoribus illa diximus de ſupplicio parricidarum, quae ne-

quaquam

quaquam ſatis deferbuiſſe poſt aliquanto ſentire coepimus. Fuit etiam Sulpicius uerbis paullo nimium redundantibus. Metaphora ſumpta eſt ab aquis, quae prae nimia copia ſuo alueo capi non poſſunt: & ſic Cicero loquitur de ſeipſo in Bruto, Apollonius Molo dedit operam, ſi modo id conſequi potuit, ut nimis redundantes nos, & ſuperfluentes iuuenili quadam impunitate & licentia reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentes coerceret. V o l o *enim*] Requirit Antonius in adoleſcente fecunda omnium rhetoricarum uirtutum ſemina, & utitur ſimilitudine ſumpta a ſurculis uitium: hunc locum Fabius citat capit. 4. lib. 2. Materiam eſſe primum uolo uel abundantiorem, atque ultra quam oporteat, fuſam: Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid uelut uſu ipſo deteretur: ſit modo, unde excidi poſſit, & quod exculpi: erit autem, ſi non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quam celatura altior rumpat: quod me de his aetatibus ſentire minus mirabitur, qui apud Ciceronem legerit, Volo enim ſe efferat in adoleſcente fecunditas. Vidi *ſtatim*] Tranſit Antonius ab egregia indole ad praecepta imitationis. conſequens enim eſt, ut, cum adoleſcens optime facere poſſit, optimos & excellentiſſimos quoque ſibi proponat, quos imitetur. Cvm *iſte*] Pub. Sulpicius adoleſcens accuſauit maieſtatis C. Norbanum, quod trib. plebis Q. Seruilium Caepionem uictum a Cimbris, & caſtris exſutum, turbulentiſſimis concionibus ita uexauiſſet, ut ei imperium abrogatum, bonaq. eius publicata eſſent. Ergo *hoc ſit*] Imitatio, pars eſt exercitationis oratoriae, de qua praecipit Antonius: & duas ſummas imitationis regulas eloquentiae diſcipulo proponit: unam, ut excellentem oratorem in foro ad imitandum deligat: alteram, ut eius maximas uirtutes imitetur: quem locum Fabius his uerbis explicat, cap. 2. lib. 10. Quapropter exactiſſimo iudicio circa hanc partem ſtudiorum examinanda ſunt omnia, primum quos imitemur: nam ſunt plurimi, qui ſimilitudinem peſſimi cuiuſque & corruptiſſimi concupierint: deinde ex ipſis, quos elegerimus, quid ſit, ad quod efficiendum nos comparemus: nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua uitioſa, & a doctis etiam inter ipſos mutuo reprehenſa: atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala peius dicunt. Nihil *eſt facilius,*] Amictus, motus, & ſtatus ſunt res in oratore facile imitabiles: exemplum autem de Q. Fuſio pertinet ad imitationem uitiorum: nam Q. Fuſius uirtutes C. Fimbriae non eſt imitatus, ut uehementiam orationis (fuit enim Fimbria orator toto genere paullo feruidior atque commotior, ut ſcriptum eſt in Ciceronis Bruto) ſed duo uitia conſectari maluit, oris prauitatem, ut deformiter in dicendo os contorqueret, & uerborum latitudinem, ut uaſte & ruſtice uerba pronunciaret. Qvi *autem ita*] Repetit Antonius duas praecipuas imitationis regulas, & uarijs Graecorum oratorum exemplis illuſtrat per gradus aetatum deductis, a Pericle uſque ad ipſam Antonij aetatem: quae inductio eo ſpectat, ut intelligamus ſingulis aetatibus commutata fuiſſe paene genera dicendi, quia commutata fuit imitatio: nec unum atque idem genus dicendi ad imitandum oratoribus propoſitum fuit. Antiqvissimi] Oratores primae aetatis nominantur, Pericles, Xanthippi filius, in cuius labris muſas ſeſſitaſſe ſcribit Eupolis, cuius ſcripta quaedam ferebantur tempore Ciceronis, ut ipſe ait, & Alcibiades, in quo ſumma fuit uis dicendi, ut ſcribit Plutarchus ex Demoſthenis & Theophraſti teſtimonio: & Thucydides, de quo antea dictum eſt. hi grandes erant uerbis, crebri ſententijs, compreſſione rerum breues, & ob eam cauſſam interdum ſuboſcuri. Cicero in Bruto. Consecvti *ſunt*] Oratores ſecundae aetatis ſunt, Critias unus ex 30. tyrannis Athenienſium: Theramenes uir iuſtus a tyrannis ueneno ſublatus: Lyſias ipſe quidem in cauſſis forenſibus non uerſatus, ſed ſubtilis, atque egregie elegans. Cicero in Bruto. Hi paullo erant uberiore filo, quam ſuperiores, id eſt, pleniore ſtylo, & genere dicendi. Metaphora ſumpta eſt a textoribus. Ecce *tibi*] Oratores tertiae aetatis nominantur Iſocrates, & diſcipuli ex eius ſchola, tamquam ex equo Troiano profecti: habuit enim (ut ait Plutarchus) centum fere nobiles, & praeſtantes diſcipulos, e quibus quidam hic recenſentur: & ex alijs hiſtorici, ut Theopompus Chius, Ephorus Cumanus, Philiſtus Mileſius, & Naucrates: alij in repub. uerſati, Demoſthenes, non edoctus quidem in ſchola Iſocratis, quia mille drachmas non habebat, ut ait Plutarchus, ſed tamen ſummus admirator, & imitator Iſocratis, ut ait Philoſtratus. Vt igitur ex equo Troiano, quem Epaeus Graecis fabricatus eſt, multi Graeciae principes, ſic ex Iſocratis ſchola multi nobiles ſtudio doctrinae, & eloquentiae exierunt. Hyperides dulcis in primis & acutus, Lycurgus Lycophronis filius, Aeſchines aemulus Demoſthenis, Dynarchus, quem Polypercon uarijs affectum ſupplicijs iugulauit. Haec tertia aetas fecundiſſima fuit aureo quaſi partu excellentium, & prope perfectorum oratorum. Postea *quam*] Oratores 4. aetatis, ſunt Demochares, nepos Demoſthenis ex ſorore, & Demetrius Phalereus, qui primus, ut ait Cicero, inflexit orationem, & eam mollem reddidit, & ſuauis, ſicuti fuit, uideri maluit, quam grauis Qvae *ſi uolemus*] Oratores quinctae aetatis fuerunt Aſiani, Menecles, & eius frater Hierocles, de quibus Cicero, Genera Aſiaticae dictionis duo ſunt, unum ſententioſum, & argutum, ſententijs non tam grauibus & ſeueris, quam concinnis & uenuſtis, qualis in hiſtoria Timaeus, in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandaeus, magis etiam Menecles eius frater fuit: quorum utriuſque orationes ſunt imprimis, ut in Aſiatico genere, laudabiles. Hanc *igitur*] Totum caput imitationis oratoriae concluditur, cuius duae ſunt principes partes, ſcriptio & dictio, ad quas Sulpicius excitatur, ut ſtylus eius, quaſi luxurians amputetur & reprimatur: elegans eſt ſimilitudo a ſegetibus nimium laetis, & ſeſe profundentibus, quae dente pecoris detondentur, & depaſcuntur, ut ait Virgilius,

Quid? quod, ne grauidis procumbat culmus ariſtis,
Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba?

Et Plinius, Luxuries (inquit) ſegetum caſtigatur dente pecoris, in herba dumtaxat, & depaſtae quidem uel ſaepius nullam in ſpica iniuriam ſentiunt. Ita iuuenilis ubertas, & luxuries orationis ſtylo & aſſiduitate ſcribendi quaſi abſumitur, & reprimitur. Hic *Sulpicius*] Sulpicius contradicit Antonio deſcriptionis exercitatione,

atione, & exemplo illius utitur. Tvm *ille,* ʒ Antonius ſcripſit libellum de oratore : in quotidianis autem ſcriptionibus & meditationibus non multum ſe exercere putabatur. Cicero pro Cluentio, Hominem ingenioſum M. Antonium aiunt ſolitum eſſe dicere iccirco ſe nullam umquam orationem ſcripſiſſe, ut ſi quid aliquando, quod non opus eſſet, abs ſe eſſet dictum, poſſet negare ſe dixiſſe. Sed *tamen* ʒ Antonius Sulpicij argumentum εἰρωνικῶς concedit, atque etiam confirmat minorum collatione. Ne tabulas quidem domeſticas conficere exiſtimor. quid mirum, ſi nec orationes ſcribere? Tabulae, ſunt libri, in quibus res domeſticae continentur, ut rationes accepti & expenſi. Cicero in tertia actione in Verrem, Audiuimus aliquem tabulas numquam confeciſſe, quae eſt hominum opinio de Antonio falſa. nam fecit diligentiſſime. Atqve *eße tamen* ʒ Tria exempla de Caeſare, Cotta, Curione, probant eloquentiam ſine imitatione quandam poſſe comparari. Caius Caeſar ſale, & facetijs uicit omnes: C. Cotta inueniebat acute, dicebat pure & ſolute: C. Curio ſplendidioribus uerbis utebatur, & Latine non peſſime loquebatur uſu aliquo domeſtico: nam litterarum admodum nihil ſciebat, ut ait Cicero in Bruto. Eos igitur Antonius exiſtimat per ſeipſos, nullis ad imitandum propoſitis exemplis, in numerum aliquem oratorum perueniſſe.

PAVLLVS . MANVTIVS. Innvmeri *princeps*. ʒ Meri principes, legit Nonius.

C I C E R O

Vervm, ut aliquando ad cauſſas deducamus illum, quem conſtituimus, & eas quidem, in quibus pluſculum negotij eſt, iudiciorum, atque litium, (riſerit aliquis fortaße hoc praeceptum: eſt enim non tam acutum, quam neceſſarium, magiſq. monitoris non fatui, quam eruditi magiſtri) hoc enim primum praecipiemus, quaſcumque caußas erit acturus, ut eas diligenter, penituſq. cognoſcat. hoc in ludo non praecipitur: faciles enim caußae ad pueros deferuntur. Lex peregrinum uetat in murum adſcendere: adſcendit, hoſtes repulit, accuſatur. nihil eſt negotij huiuſmodi caußam cognoſcere. recte igitur de cauſſa diſcenda praecipiunt. haec eſt enim in ludo cauſſarum fere formula. at uero in foro tabulae, teſtimonia, pacta, conuenta, ſtipulationes, cognationes, affinitates; decreta, reſponſa, uita denique eorum, qui in cauſſa uerſantur, tota cognoſcenda eſt: quarum rerum negligentia pleraſque cauſſas, & maxime priuatas, (ſunt enim multo ſaepe obſcuriores) uidemus amitti. ita nonnulli, dum operam ſuam multi aeſtimari uolunt, ut toto foro uolitare, & a cauſſa ad cauſſam ire uideantur, caußas dicunt incognitas. In quo eſt illa quidem magna offenſio, uel negligentiae, ſuſceptis rebus; uel perfidiae, receptis: ſed etiam illa maior opinione, quod nemo poteſt de ea re, quam non nouit, non turpiſſime dicere. ita dum inertiae uituperationem, quae maior eſt, contemnunt, aſſequuntur etiã illam, quam magis ipſi fugiunt, tarditatis. Equidem ſoleo dare operam, ut de ſua quiſque re me ipſe doceat; & ut ne quis alius adſit, quo liberius loquatur; & agere aduerſarij cauſſam, ut ille agat ſuam, &, quidquid de ſua re cogitarit, in medium proferat. itaque, cum ille diſceſſit, tres perſonas unus ſuſtineo ſumma animi aequitate, meam, aduerſarij, iudicis. qui locus eſt talis, ut plus habeat adiumenti, quam incommodi, hunc iudico eſſe dicendum. ubi plus mali, quam boni reperio, id totum abiudico, atque reijcio. ita aſſequor, ut alio tempore cogitem quid dicam, & alio dicam: quae duo plerique ingenio freti ſimul faciunt: ſed certe ijdem illi melius aliquanto dicerent, ſi aliud ſumendum ſibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendũ putarẽt. Cum res penitus, cauſſamq. cognoui, ſtatim occurrit animo quae ſit caußa ambigui. nihil eſt enim, quod inter homines ambigatur; ſiue ex crimine caußa conſtet, ut facinoris; ſiue ex controuerſia, ut hereditatis; ſiue ex deliberatione, ut belli; ſiue ex perſona, ut laudis; ſiue ex diſputatione, ut de ratione uiuendi; in quo non aut, quid factum ſit, aut fiat, futurum ue ſit, quaeratur, aut quale ſit, aut quid uocetur. Ac noſtrae fere caußae, quae quidem ſunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. nam & de pecunijs repetundis, quae maxime ſunt, neganda fere ſunt omnia: & de ambitu raro illud datur, ut poſſis liberalitatem, ac benignitatẽ ab ambitu, atque largitione ſeiungere: de ſicarijs, de ueneficijs, de peculatu infitiari neceſſe eſt. Id eſt igitur genus primum caußarum in iudicijs, ex controuerſia facti; in deliberationibus plerumque ex futuri, raro etiam ex inſtantis, aut facti. Saepe autem, res non ſit nec ne, ſed qualis ſit, quaeritur: ut cum L. Opimij cauſſam defendebat apud populum audiente me C. Carbo conſul, nihil de C. Gracchi nece negabat, ſed id iure pro ſalute patriae factum eſſe dicebat: ut eidem Carboni tribuno pl. alia tum mente remp. capeſſenti, P. Africanus de Ti. Graccho interroganti reſponderat, iure caeſum uideri. Iure autem omnia defenduntur, quae ſunt eius generis, ut aut oportuerit, aut licuerit, aut neceße fuerit, aut imprudentia, aut caſu facta eſſe uideantur. Iam quid uocetur quaeritur, cum, quo uerbo quid appellandum ſit, contenditur: ut mihi ipſi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani cauſſa ſumma contentio. pleraque enim de ijs, quae ab iſto obijciebantur, cum confiterer, tamen ab illo maieſtatem imminutam negabam: ex quo uerbo lege Appuleia tota illa caußa pendebat. Atque in hoc genere cauſſarum nonnulli praecipiunt, ut uerbum illud, quod caußam facit, lucide, breuiter uterque definiat. quod mihi quidem per quam puerile uideri ſolet. alia eſt enim, cum inter doctos homines de ijs ipſis rbus, quae uerſantur in artibus, diſputatur, uerborum definitio: ut cum quaeritur quid ſit ars, quid ſit lex, quid ſit ciuitas. In quibus hoc praecipit ratio, atque doctrina, ut uis eius rei, quam definias, ſic exprimatur, ut neque abſit quidquam, neque ſuperſit. quod quidem in illa cauſſa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus ſum. nam, quantum uterq. noſtrum potuit, omni copia dicendi dilatauit, quid eßet maieſtatem minuere. Etenim definitio primum, reprehenſo uerbo uno, aut addito, aut dempto, ſaepe extorquetur e manibus: deinde genere ipſo doctrinam redolet, exercitationemq.

paene

paene puerilem: tum & in ſenſum, & in mentem iudicis intrare non poteſt: ante enim praeterlabitur, quam praecepta eſt. Sed in eo genere, in quo, quale ſit quid, ambigitur, exſiſtit etiam ex ſcripti interpretatione ſaepe contentio: in quo nulla poteſt eße niſi ex ambiguo controuerſia. nam illud ipſum, cum ſcriptum a ſententia diſcrepat, genus quoddam habet ambigui: quod tum explicatur, cum ea uerba, quae deſunt, ſuggeſta ſunt; quibus additis, defenditur ſententiam ſcripti perſpicuam fuiße: & ex contrarijs ſcriptis ſi quid ambigitur, non nouum genus naſcitur, ſed ſuperioris generis cauſſa duplicatur. itaque aut numquam dijudicari poterit, aut ita dijudicabitur, ut referendis praeteritis uerbis id ſcriptum, quodcumque defendimus, ſuppleatur. ita fit, ut unum genus in ijs cauſſis, quae propter ſcriptum ambiguntur, relinquatur, ſi eſt ſcriptũ aliquid ambigue. Ambiguorum autem cum plura genera ſunt, quae mihi uidentur ij melius noße, qui dialectici appellantur; hi autem noſtri ignorare, qui non minus noße debeant: tum illud eſt frequentiſſimum in omni conſuetudine uel ſermonis, uel ſcripti, cum iccirco aliquid ambigitur, quod aut uerbum, aut uerba ſint praerermiſſa. Iterum autem peccant, cum genus hoc cauſſarum, quod in ſcripti interpretatione uerſatur, ab illis cauſſis, in quibus, qualis quaeque res ſit, diſceptatur, ſeiungunt: nuſquam enim tam quaeritur, quale ſit genus ipſum rei, quam in ſcripto: quod totum a facti controuerſia ſeparatum eſt. Ita tria ſunt omnino genera, quae in diſceptationem & controuerſiam cadere poſſunt, quid fiat, factum, futurum ue ſit, aut quale ſit, aut quo modo nominetur. nam & illud quidem, quod quidam Graeci adiungunt, recte ne factum ſit, totum in eo eſt, quod quale ſit, quaerimus. Sed iam ad inſtitutum reuertar meum.

EXPLANATIO

VERVM *ut aliquando* ʒ Tria ſunt ab Antonio hactenus diſputata, materies oratoris, natura, & imitatio: materies ipſa, quam τεχνολογία Antonij deinceps explicabit, poſita eſt in lite, & deliberatione: natura complectitur excellentes dotes elocutionis, & actionis, imitatio proponit ſibi optimos quoſque oratores, quos tum in ſcribendo, tum in loquendo ſequatur: atque haec tria legitimam, & forenſem exercitationem praecedunt: ſequitur forenſis inſtitutio, quae docet quale ſe praeſtare debeat Orator in cauſſis. Cauſſas igitur primum accipit Orator a litigatore, deinde agit. In ſuſcipiendis cauſſis hoc primum decretum eſt, ut cauſſa ab Oratore penitus cognoſcatur: De quo Fabius Quinctilianus cap. 8. libri XII. HOC *in ludo* ʒ Probatio primi decreti conſtat ex diſſimilibus. Declamator non praecipiet in ſchola pueris, ut cauſſam penitus cognoſcant, quia declamationum controuerſiae faciles ſunt: at forẽſis magiſter idipſum oratoribus praecipiet, quia ignoratione cauſſae ſaepe cauſſa amittitur. AT *uero* ʒ Secunda pars diſſimilitudinis exornatur factis oratorum diſſimiliter inter ſe collatis: quod alii de rebus incognitis turpiter, alij de cognitis, planeq. perſpectis recte dicant: in priore parte notatur triplex offenſio cauſſidicorum, cauſſas incognitas agentium, negligentia, perfidia, & tardites: in poſteriore laudatur exemplum, & factum Antonij diligentiſſime omnia meditantis, quae ad oblatam ſibi cauſſam pertinent: atque in perſona Antonij deſcribitur diligens, & accurata ratio praemeditationis ex circumſtantiis perſonarum, & loci, & temporis, & ceterarum rerum, quae in cauſſa uerſantur, quae monitio ſingularis, & eximia eſt, quam utinam actores ciuilium cauſſarum diligenter hiſce temporibus obſeruarent. SVSCEPTIS *rebus*, ʒ Suſcipimus totum, recipimus partem (ut ait Aſconius in Cic. diuinatione) uel, quod magis huic loco congruit, ſuſcipimus rem, quam nulla interpoſita fidei obligatione, faciendã curamus: recipimus uero ſanctius in noſtram fidem, noſtrumq. periculum. Cic. in diuin. Ego in hoc iudicio Siculorum cauſſam receptam Pop. Romani ſuſceptam eſſe arbitror. EQVIDEM *ſoleo* ʒ Concludit primum praeceptum repetita ſumma proximae diſſimilitudinis. CVM *rem penitus*, ʒ Secundum praeceptum eſt, ut ſtatus cauſſae, & genus ipſum quaeſtionis, in quo cardo totius cauſſae uertitur, ab oratore cognoſcatur: qua occaſione digreditur Antonius in partitione ſtatuum ciuilium tribus generibus concluſam, an ſit aliquid, quale ſit, & quid ſit: ſed haec tota deſcriptio eſt ab uſu artis penitus aliena. nam, ſi quaeſtionum ciuilium partitio, & diſtinctio facienda eſſet, iccirco fieret, quod diuerſarum quaeſtionum diuerſae eſſent artes: nec una & generalis tradi poſſet: at uero ita ſe res habet, ut omnes controuerſiae ciuiles communibus rhetoricae, & forenſis artis legibus, & praeceptis inſtruantur: una enim & communis eſt earum rerum inuentio, cõmunis diſpoſitio, communis memoria, communis elocutio, communis actio. ID *eſt igitur* ʒ Primus ſtatus declaratur exemplis, & diuiditur in tres ſpecies, an factum, an iaſtans, an futurum ſit. appellatur a rhetoribus ſtatus coniecturalis, a coniectura, id eſt, directione rationis ad ueritatem: & infitialis, ab infitiatione facti. Lege Quinctilianum libro tertio, & ſeptimo. SAEPE *autem res* ʒ Secundus ſtatus item exemplis illuſtratur in cauſſis de nece Gracchorum: nam Carbo defendit C. Gracchum a Q. Opimio conſule iure caeſum fuiſſe, propter agrariarum legum ſeditiones: & Africanus in maxima concione ciuium dicere non dubitauit, Tiberium Gracchum a Scipione Naſica iure ſibi caeſum uideri, quo reſponſo populus indignatus eſt, ut ait Plutarchus. IVRE *autem* ʒ Status iuris, & qualitatis apud rhetores paſſim, & uulgo bifariam diſtinguitur, ut alter dicatur abſolutus, cum factum abſolute, & ſimpliciter iure, & aequitate, & honeſtate defendimus, & id fieri uel oportuiſſe, uel licuiſſe dicimus, ut ab Opimio Gracchum publicae ſalutis gratia interfici, ut ab Oreſte Clytemneſtram matrem necari, ulciſcendi patris gratia: alter aſſumptiuus ſit, ut cum facto culpa aliqua ſubeſſe uideatur, id tamen ipſum aliqua iuris probabili ratione defendimus: ex quo genere eſt purgatio, & deprecatio, cum aut aliter fieri non potuiſſe, aut imprudentia, aut caſu factum eſſe quippiam dicimus. Quaere exempla apud Fabium libro VII. IAM *quid* ʒ Tertius ſtatus, in quo quaeritur de facti nomine, declaratur

cauſſa C. Narboni, qui a Sulpicio poſtulatus erat reus imminutae maieſtatis. nam lege Appuleia, ſiquis maieſtatem publicam minuiſſet, id capitale erat: Antonius autem negabat imminutam eſſe maieſtatem: itaque quaeſtio fuit, quo nomine appellandum eſſet factum C. Norbani tribuni pl. aduerſus Q. Seruilium Caepionem. ATQVE *in hoc genere* } Antonius reprehendit rhetoricum praeceptum de ratione definiendi, ut ſit breuis definitio: argumentum eſt a diſſimilibus, quod alia ſit definitio doctrinae in tradendis artibus, alia eloquentiae in explicandis cauſſis ciuilibus. Fabius Quinctilianus hunc locum explicat capite tertio libri ſeptimi, Agentis uero quae tanta eſt huius praeciſae comprehenſionis neceſſitas? an ſi non dixero, homo eſt animal rationale, mortale, non potero ex poſitis tot corporis, animiq. proprietatibus latius oratione ducta, uel a diis eum, uel a mutis diſcernere? Quid? quod nec uno modo definitur res eadem, ſed latiore uarioq. tractatu? ut facit Cicero, ut omnes oratores plerumque fecerunt. Rariſſima enim apud eos reperietur illa ex conſuetudine philoſophorum ducta ſeruitus: eſt enim certe ſeruitus ad certa ſe uerba adſtringendi, idq. faciendũ in libris Ciceronis de oratore uetat M. Antonius: nam eſt etiam periculoſum, cum, ſi uno in uerbo ſit erratum, tota cauſſa cecidiſſe uideatur: optimaq. eſt media illa uia, qua utitur Cicero pro Caecina, ut res proponatur, uerba non periclitentur. Etenim recuperatores non ea ſola uis eſt, quae ad corpus noſtrum, uitamq. peruenit, ſed etiam maior multo ea, quae, periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco ſaepe, & certo ſtatu dimouet: aut cum finitionem praecedit probatio, ut in Philippicis Cicero Seruiũ Sulpicium occiſum ab Antonio colligit, & in clauſula demum ita finit. Is ei profecto mortem attulit, qui cauſſa mortis fuit. non negauerim tamen haec quoque, ut expedit cauſſae, eſſe facienda, & ſi quando firma comprehendi poterit, & breui complexu uerborum finito, eſſe tum id elegans, tum etiam fortiſſimum, ſi modo erit illa inexpugnabilis. QVOD *quidem* } Negat dialecticam legem, ne quid in definitione praetermittatur, nequid redundet, pertinere ad diſceptationes rerum forenſium: primum argumentum eſt ab exemplo ſuo, & Sulpicij in Norbani cauſſa: ſecundum, quod talis definitio facile enarratur, ſi uerbum aliquod ſit falſum, ut, ſi definiatur homo animal irrationale, aut, ſi definitio parum plena ſit, ut, ſi definiatur ſacrilegium, ſurripere aliquid ſacri: addẽdum enim eſt ex loco ſacro. aut, ſi redundans, ut, ſi definias hominem animal rationale, plenum intelligentiae, & memoriae: duobus enim primis uocabulis perfecta erat definitio: tertium, quod ratio breuiter definiendi perſpicuitatem, & intelligentiam impediat earum rerum, quae definiuntur: in definiendo autem non tã breuitatis ratio habenda ſit, quam perſpicuitatis: nam duae principes, & primae uirtutes definitionis, ſunt perſpicuitas, & proprietas: tertia breuitas eatenus in diſciplinis laudatur, ut facilius rerum definitiones memoriae mandari poſſint: cui legi popularis ſermo interdum obſequitur, ſaepiſsime etiam non obſequitur. SED *in eo genere* } Status legales reuocantur ad quaeſtionem qualitatis, ut conſtat inductione duorum generum, in quibus ambigue ſcriptum, quod efficit controuerſiam, uerſatur in qualitatis iuris: atque hic admonet Antonius, ut ambigue, ideſt, non ſatis explicate ſcriptum, addendis quibuſdam uerbis ſuppleatur, quia ſublata ambiguiiate controuerſia tollitur. AMBIGVORVM *autem* } Duo ſunt in hoc genere capita reprehenſionis aduerſus rhetoras, (nam hoc toto dialogo Cicero in perſona Antonij uideri uult Ariſtarchus, & cenſor rhetorum) unum, quod ab iis ignorentur ambigui genera, quae dialectici melius & tradunt, & tenent, ut Ariſtoteles in elenchis tres ambigui modos fecit, & docuit. ITERVM *autem* } Alterum caput eſt, quod imperite rhetores legales controuerſias a ſuperioribus generibus quaeſtionũ diſtinxerunt; cum recidant omnes in quaeſtionem qualitatis: quo argumento Cicero ſeipſum damnare uidetur, qui in aliis rhetoricis libris eam diſceptationum diſtinctionem adhibuerit, & ſtatus legales a ſtatu qualitatis, & ratione, & praeceptis ſeparauerit. ITA *tria ſunt* } Concludit partitionem quaeſtionum ciuilium tribus expoſitis generibus perfectam, & completam eſſe.

PAVLLVS. MANVTIVS. NONNVLLI *praecipiunt, ut uerbum illud, quod cauſſam facit, lucide, breuiter uterque definiat.* } uerbum, Vterque, mihi non placet: ac malim ita legete: Dilucide, breuiterq. definiatur. in quo non nihil ſuffragantur ueteres libri. nam unus Borromaei ſic habet: Dilucide, breuiterq. definiat. alter Fuluij Vrſini: Breuiter, dilucide utrumque definiat.

C I C E R O

CVM igitur, accepto cauſsae genere, & cognito, rem tractare coepi, nihil prius conſtituo, quam quid ſit illud, quo mihi referenda ſit omnis illa oratio, quae ſit propria quaeſtionis, & iudicij: deinde illa duo diligentiſſime conſidero; quorum alterum commendationem habet noſtram, aut eorum, quos defendimus; alterum eſt accõmodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod uolumus, commouendos. Ita ratio omnis dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa, ut probemus uera eſse ea, quae defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; ut animos eorum ad quemcumque cauſsa poſtulabit motum uocemus. Ad probandum autem duplex eſt oratori ſubiecta materies: una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, ſed in re poſitae ratione tractantur, ut tabulae, teſtimonia, pacta, conuenta, quaeſtiones, leges, ſenatuſconſulta, res iudicatae, decreta, reſponſa, & reliqua, ſi quae ſunt, quae non ab oratore pariuntur, ſed ad oratorem a cauſſa, atque a reis deferuntur. altera eſt, quae tota in diſputatione, & argumentatione oratoris collocata eſt. ita in ſuperiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inueniendis cogitandum eſt. Atque iſti quidem, qui docent, cum cauſſas in plura genera ſecuerunt, ſingulis generibus argumentorum copiam ſuggerunt. quod etſi ad inſtituendos adoleſcentulos magis aptum eſt, ut, ſimul ac poſita ſit cauſsa, habeant quo ſe referant, unde

ſtatim

ſtatim expedita poſſint argumenta depromere: tamen & tardi ingenij eſt, riuulos conſectari, fontes rerum non uidere: & iam aetatis eſt, uſuſq. noſtri, a capite, quod uelimus, accerſere, &, unde omnia manant, uidere. Et primum genus illud earum rerum, quae ad oratoreta deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem uſum ſimilium rerum eſſe debebit. nam pro tabulis, & contra tabulas, & pro teſtibus, & contra teſtes, pro quaeſtionibus, & contra quaeſtiones, & item de ceteris rebus eiuſdem generis, uel ſeparatim dicere ſolemus de genere uniuerſo, uel definite de ſingulis temporibus, hominibus, cauſſis. quos quidem locos (uobis hoc, Cotta, & Sulpici, dico) multa commentatione, atque meditatione paratos, atque expeditos habere debetis. longum eſt enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare, aut infirmare teſtes, tabulas, quaeſtiones oporteat. haec ſunt omnia ingenij uel mediocris, exercitationis autem maximae: artem quidem, & praecepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. Itemque illa, quae ſunt alterius generis, quae tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illuſtrem, perpolitamq. deſiderant. itaque, cum haec duo nobis quaerenda ſint in cauſſis, primum quid, deinde quo modo dicamus: alterum, quod totum arte tinctum uidetur, tametſi artem requirit, tamen prudentiae eſt paene mediocris, quid dicendum ſit, uidere; alterum eſt, in quo oratoris uis illa diuina, uirtuſq. cernitur, ea, quae dicenda ſunt, ornate, copioſe, uarieq. dicere. quare illam partem ſuperiorē, quoniam ſemel ita uobis placuit, non recuſabo quo minus perpoliam, atque conficiam; (quantum conſequar, uos iudicabitis) quibus ex locis ad eas tres res, quae ad fidem faciendam ſolae ualent, ducatur oratio, ut & concilientur animi, & doceantur, & moueantur. haec ſunt enim tria. ea uero quemadmodum illuſtrentur, praeſto eſt qui omnes docere poſſit, qui hoc primus in noſtros moret induxit, qui maxime auxit, qui ſolus effecit. namque ego, Catule, (dicam enim non reueres aſsentandi ſuſpicionem) neminem eſſe oratorem paullo illuſtriorem arbitror, neque Graecum, neque Latinum, quem aetas noſtra tulerit, quem non & ſaepe, & diligenter audierim. itaque, ſi quid eſt in me, quod iam ſperare uideor, quoniam quidem uos, his ingenijs homines, tantum operae mihi ad audiendum datis, ex eo eſt, quod nihil quiſquam umquam me audiente egit orator, quod nō in memoria mea penitus inſederit. Atque ego, is, qui ſum, quantuſcumque ſum ad iudicandum, omnibus auditis oratoribus, ſine ulla dubitatione ſic ſtatuo, & iudico, nemine omnium tot, & tanta, quanta ſunt in Craſſo, habuiſse ornamenta dicendi. Quamobrem, ſi uos quoque hoc idem exiſtimatis; non erit, ut opinor, iniqua partitio, ſi, cum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut inſtitui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Craſſo & ueſtiendum, & ornandum. Tum Craſsus, Tu uero, inquit, Antoni, perge, ut inſtituiſti. neque enim boni eſt, neque liberalis parentis, quem procrearit, & eduxerit, eum non & ueſtire, & ornare, praeſertim cum te locupletem eſſe negare non poſſis. quod enim ornamentum, quae uis, qui animus, quae dignitas illi oratori defuit, qui in cauſsa peroranda non dubitauit excitare reum conſularem, & eius diloricare tunicam, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis imperatoris oſtendere? qui idem, hoc accuſante Sulpicio, cum hominem ſeditioſum, furioſumq. defenderet, non dubitauit ſeditiones ipſas ornare, ac demonſtrare grauiſſimis uerbis multos ſaepe impetus populi non iniuſtos eſse, quos praeſtare nemo poſſit; multas etiam e rep. ſeditiones ſaepe eſse factas, ut cum reges eſſent exacti, ut cum tribunicia poteſtas eſſet conſtituta; illam Norbani ſeditionem ex luctu ciuium, & ex Caepionis odio, qui exercitum amiſerat, neque reprimi potuiſse, & iure eſſe conflatam. potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam nouus, ſine quadam incredibili ui, ac facultate dicendi tractari? Quid ego de Cn. Manlij, quid de Q. Regis commiſeratione dicam? quid de alijs innumerabilibus? in quibus hoc non maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam ſingulare; ſed haec ipſa, quae nunc ad me delegare uis, ea ſemper in te eximia, & praeſtantia fuerunt. Tum Catulus, Ego uero, inquit, in uobis hoc maxime admirari ſoleo, quod, cum inter uos in dicendo diſſimillimi ſitis, ita tamen uterque ueſtrum dicat, ut ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum eſſe uideatur. quare, Craſse, neque tu tua ſuauitate nos priuabis, ut, ſi quid ab Antonio aut praetermiſſum, aut relictum ſit, non explices: ueque te, Antoni, ſi quid non dixeris, exiſtimabimus non potuiſſe potius, quam a Craſſo dici maluiſse.

EXPLANATIO

CVM *igitur*] Antonius tranſit a duobus praeceptis de meditatione cauſſarum, & diſtinctione ſtatuum ad doctrinam inuentionis, quae ſuppeditat argumenta ad probandam, aut refellendam cauſſam, cuius doctrinae primam, & generalem diſtributionē inueſtigat ex officiis oratoris. ut enim haec numero tria ſunt, docere, mouere, delectare: ſic ttiplex eſt inuentio, una fidei, altera motus, tertia delectationis: Sed in hoc doctrinae ueſtibulo duo praemonenda eſſe arbitror: unum, artem inuentionis Rhetoricae partem falſo adſcribi, & cum rhetoricis praeceptis alieno loco temere, & confuſe perturbari, quia dialecticae artis pars ſit. Alterum uitioſo argumento partitionem inuentionis concludi: nam, quamuis orator, id eſt, actor ciuilium cauſſarum debeat auditorem docere, mouere, delectare, non tamen inde poteſt effici, ut tria ſint quaſi membra inuentionis, quia duae illae laudes poſtremae multarum artium communes ſunt, non Rhetoricae propriae: nec ſolum ex communibus eloquentiae partibus, ſed etiam ex philoſophia morali, & aliis pleriſque diſciplinis communiter ſumuntur. AD *probandum*] Accedit ad primam inuentionem fidei, id eſt, doctrinam argumentorum, quorum generalis diuiſio ex Ariſtotelis libris rhetoricis deprompta eſt in expertia artis, & artificialia: ſic

enim Ariſtoteles lib. 1. ad Theod. ſcribit, τῶνδε πιϛέων αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν, αἱ δὲ ἔντεχνοι· ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόριϛαι, ἀλλὰ προϋπῆρχεν, οἷαι μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαί· ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν. ὥϛε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι, τὰ δὲ εὑρεῖν. id eſt, Probationum aliae ſunt expertes artis, aliae artificiales: artis expertes dico, quae a nobis non inueniuntur, ſed extrinſecus aſſumuntur, ut teſtes, cruciatus, ſcripta: artificiales uero, quae ratione, & uia a nobis excogitari poſſunt: itaque ex his aliae tractandae, aliae inueniendae ſunt. Sed (pace Ariſtotelis, & Antonij dixerim) haec duo genera non ſatis acute diſtinguntur: argumenta ſiquidem prioris generis etiam ab oratore plerumque inueniuntur, non extrinſecus aſſumuntur, ut leges, ſenatuſconſulta, res iudicatae, decreta, reſponſa, teſtimonia philoſophorum, & poetarum, quae imperitus litigator ſuppeditare non poſsit: & argumenta ſecundi generis interdum a litigatore ad oratorem deferuntur, ut cauſſae, facta, circumſtantiae rerum, & qualitates perſonarum. Itaque uitioſa eſt utraque definitio, quia falſa, & impropria. Nec uero doctrina argumentorum ideo uocatur inuentio, quod ſuppeditet per ſe argumenta, ſed quod modum quendam quaerendi, & conſilium inueſtigandi praebeat: quod tam in primo, quam in ſecundo genere ualet. A t q v e *iſti quidem* ʒ Rhetores tot inuentiones faciunt, quot ſunt genera quaeſtionum ciuilium: & ſingulis proprios locos accommodant, ut laudationibus tria genera bonorum, deliberationibus utile, poſſibile, honeſtum, facile, iucundum: iudiciis in coniectura, cauſſas, facta, ſigna, circumſtantias, teſtes, tabulas, &c. In definitione, locos definiendi: in qualitate, partes iuris, & aequitatis. Quam turbam, & multitudinem ſpecialium inuentionum Antonius partim excuſat, partim damnat, ſed neutrum recte: nam, quod ait ſpeciales locos ad inſtituendos adoleſcentes magis aptos eſſe, id ut credam, adduci nullo modo poſſum: propoſita enim quauis quaeſtione, ſi loci generales perluſtrentur, facilius & promptius uel pueris apparebit, quid quaque de re dici poſſit, quam ex illis ſpecialibus ſingularum cauſſarum locis, & praeceptis: neque uero hi loci ſpeciales icci rco damnandi ſunt, quod acutos, aut ingenioſos homines nihil adiuuent, ut putat Antonius: ſed quia generalis inuentio omnibus omnium generum quaeſtionibus tractandis ſufficiat. T a m e n *& tardi* ʒ Allegoria fit ex continuatis metaphoris, ubi per riuulos intelligimus locos ſpeciales ex fontibus, i. generalibus locis deductos: & caput dicitur generalis argumentorum doctrina, unde manant ſpecialia praecepta cauſſarum ciuilium. N a m *& pro tabulis* ʒ Antonius non uituperat praecepta de probationibus externis, ſed eorum uſum, & exercitationem magis laudat, quam doctrinam ipſam: quia laus omnis oratoris in actione cauſſarum conſiſtit. Ariſtot. lib. 1. ad Theod. deſcripſit locos pro teſtibus, cōtra teſtes: pro tabulis, contra tabulas: pro quaeſtionibus, contra quaeſtiones: ceteraq. eiuſdem generis: idemq. fecit Cicero in ueteri rhetorico, & in Part. oratoriis. I t e m q. *illa,* ʒ Indicat facilem fuiſſe topicam doctrinam argumentorum inſitorum: rhetoricam uero tractationem, & elocutionem eſſe difficilem: idq. ait Antonius, ut occaſionem aliquam captet diſtribuendi ſibi cum Craſſo muneris in hoc dialogo de Oratore. Q v a r e *illam partem* ʒ Partitur cum Craſſo totam technologiam oratoriam ſic, ut ipſe de inuentione, diſpoſitione, & memoria dicturus ſit, Craſſus de elocutione & actione: quae partitio ex decoro & qualitate perſonarum facta eſt: nam ut Antonius magis prudens, quam eloquens fuit, ſic Craſſus plus eloquentiae, quam prudentiae habuit: atque haec diſtinctio diligenter animaduertenda eſt: uidetur enim Cicero naturali quodam lumine contra magiſtrorum ſuorum artes, & praecepta in hanc partitionem incidiſſe, & duas artes, Dialecticam & Rhetoricam perſonis & praeceptis diſtinxiſſe: ut inuentio, diſpoſitio, & memoria, quae dialecticis proprie tribuuntur, ſeparatim ab Antonio tractentur: elocutio autem & actio, quae rhetoricae ſunt, Craſſo demandentur, quae naturalis & uera harum duarum artium diſtinctio eſt. N a m q v e *ego* ʒ Praemunitio ad confirmandum teſtimonium iudicij, quod Antonius de Craſſi eloquentia acturus eſt: ne ſine cauſſa munus hoc de ornamentis eloquentiae exponendis ad Craſſum deferri uideatur. C r e a r o ʒ Allegoria a liberis, qui procreantur, aluntur, confirmantur, & ueſtiuntur, ſignificat tres partes primas, inuentionem, diſpoſitionem, & memoriam, quaſi ſubſtantiam rei, naturamq. complecti, elocutionem & actionem uelut ornamenta extrinſecus accedere. T v m *Craßus,* ʒ Craſſus ad ſeruandum decorum & aetatis & perſonae, recuſat ſecundam partem propoſitae diſputationis de ornamentis eloquentiae: recuſationis duo ſunt argumenta. Primum, quo proxima allegoria feſtiue refellitur ſpecie quadam repugnantium, quae ſunt, aliquem procreare, & non ueſtire: alterum ab adiunctis Antonij, Tu es oratoria ſupellectile locuples, oratorem igitur ueſtire & ornare potes. Hoc ſecundum argumentum de oratorijs diuitijs Antonij comprobatur quattuor cauſſis ab Antonio ornatiſſime defenſis, Pro M'. Aquillio, Caio Norbano, Cn. Manlio, & Qu. Marcio rege. E x c i t a r e *reum* ʒ M'. Aquillius cos. bellum ſeruile concitatum confecit: cum de pecunijs repetundis cauſſam diceret, ipſe rogare iudices noluit: M. Antonius, qui pro eo cauſſam orabat, tunicam a pectore eius diſcidit, ut honeſtas cicatrices oſtenderet, quibus conſpectis, indubitanter abſolutus eſt, ut ait Florus: lege etiam Ciceronem actione 7. in Verrem, & Fabium lib. 2. V t *cum reges* ʒ Populus Romanus, inſtigante Iunio Bruto, concitatus ad uindicandum Lucretiae dedecus, Tarquinium regem cum liberis in exſilium egit: idem poſtea cum nexu feneratorum premeretur, armatus, in ſacrum montem ſeceſſit, nec prius pacari potuit, quam plebeios in urbe magiſtratus obtinuiſſet. hinc initium tribuniciae poteſtatis. Q v i *exercitum* ʒ A Cimbris C. Manilius, & Q. Seruilius Caepio proconſules uicti proelio, caſtriſq. binis exſuti ſunt, octoginta millia militum occiſa, calonum & lixarum quadraginta millia. T v m *Catulus,* ʒ Catulus ſenex non ſine cauſſa uelut moderator ſermonis interponitur: non enim decet Craſſum ea aetate, & grauitate uirum ſine magni cuiuſdam hominis auctoritate ad hunc paene puerilem, & ioculatorium ſermonem induci. Argumentum Catuli Craſſo & Antonio commune eſt ex cauſſis efficientibus, hoc modo: Craſſus & Antonius natura & doctrina plurimum ualent, & excellunt: Itaque nobis orandi ſunt, ut aliquid uiciſſim ſuae ſuauitatis impertiant.

CICERO

HIc Craſſus, Quin tu, inquit, Antoni, omittis iſta, quae propoſuiſti, quae nemo horum deſiderat, quibus ex locis ea, quae dicenda ſint in cauſſis, reperiantur: quae quamquam abs te nouo quodam modo, praeclareq. dicuntur, ſunt tamen & re faciliora, & praeceptis peruagata. illa deprome nobis unde afferas, quae ſaepiſſime tractas, ſemperq. diuinitus. Depromam equidem, inquit Antonius; &, quo facilius id a te exigam quod peto, nihil tibi a me poſtulanti recuſabo. Meae totius orationis, & iſtius ipſius in dicendo facultatis, quam modo Craſſus in caelū uerbis extulit, tres ſunt rationes, ut ante dixi, una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, ſecunda acumen, tertia uim deſiderat. nam hoc neceſſe eſt, ut is, qui nobis cauſſam adiudicaturus ſit, aut inclinatione uoluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. ſed, quoniam illa pars, in qua rerum ipſarum explicatio, ac defenſio poſita eſt, uidetur omnem huius generis quaſi doctrinam continere: de ea primum loquemur, & pauca dicemus: pauca enim ſunt, quae uſu iam tractata, & animo quaſi habere notata uideamur. Ac tibi ſapienter monenti, L. Craſſe, libenter aſſentiemur, ut ſingularum cauſſarum defenſiones, quas ſolent magiſtri pueris tradere, relinquamus; aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem & cauſſam, & orationem diſputatio ducitur. neque enim, quoties uerbum aliquod eſt ſcribendum nobis, toties eius uerbi litterae ſunt cogitatione conquirendae: nec, quoties cauſſa dicenda eſt, toties ad eius cauſſae ſepoſita argumenta reuolui nos oportet, ſed habere certos locos, qui, ut litterae ad uerbum ſcribendum, ſic illi ad cauſſam explicandam ſtatim occurrant. ſed hi loci ei demum oratori prodeſſe poſſunt, qui eſt uerſatus in rebus, uel uſu, quem aetas denique affert, uel auditione, & cogitatione, quae ſtudio, & diligentia praecurrit aetatem. nam, ſi tu mihi quamuis eruditum hominem adduxeris, quamuis acrem, & acutum in cogitando, quamuis ad pronunciandum expeditum; ſi erit idem in conſuetudine ciuitatis, in exemplis, in inſtitutis, in moribus, ac uoluntatibus ciuium ſuorum hoſpes; non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. ſubacto mihi ingenio opus eſt, ut agro non ſemel arato, ſed nouato, & iterato, quo meliores fetus poſſit, & grandiores edere. ſubactio autem eſt uſus, auditio, lectio, litterae. Ac primum naturam cauſſae uideat, quae numquam latet: factum ne ſit, quaeratur, an quale ſit, an quod nomen habeat: quo perſpecto, ſtatim occurrit naturali quadam prudentia, non ijs ſubductionibus, quas iſti docent, quid faciat cauſſam, id eſt, quo ſublato controuerſia ſtare non poſſit: deinde quid ueniat in iudicium: quod iſti ſic iubent quaerere; interfecit Opimius Gracchum: quid facit cauſſam? quod reip. cauſſa, eum ex S. C. ad arma uocaſſet: hoc tolle, cauſſa non erit. at id ipſum negat contra leges licuiſſe Decius. ueniet igitur in iudicium, licuerit ne ex S. C. ſeruandae reip. cauſſa. Perſpicua ſunt haec quidem, & in uulgari prudentia ſita: ſed illa quaerenda, quae ab accuſatore, & defenſore argumenta, ad id, quod in iudicium uenit, ſpectantia, debeant afferri. Atque hic illud uidendum eſt, in quo ſummus eſt error iſtorum magiſtrorum, ad quos liberos noſtros mittimus: non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, ſed tamen ut uideatis, quam ſit genus hoc eorum, qui ſibi eruditi uidentur, hebes, atque impolitum. Conſtituunt enim in partiendis orationum modis duo genera cauſſarum. unum appellant, in quo ſine perſonis, atque temporibus de uniuerſo genere quaeratur: alterum, quod perſonis certis, & temporibus definiatur: ignari omnes controuerſias ad uniuerſi generis uim, et naturam referri. nam in ea ipſa cauſſa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij perſona, nihil Decij. de ipſo enim uniuerſo genere infinita quaeſtio eſt; num poena uideatur eſſe afficiendus, qui ciuem ex S. C. patriae conſeruandae cauſſa interemerit, cum id per leges non liceret. Nulla denique eſt cauſſa, in qua id, quod in iudicium uenit, ex reorum perſonis, ac non generum ipſorum uniuerſa diſputatione, quaeratur. Quin etiam in ijs ipſis, ubi de facto ambigitur, ceperit ne contra leges pecunias P. Decius, argumenta & criminum, & defenſionis reuocentur oportet ad genus, & ad naturam uniuerſam; quod ſumptuoſus, de luxuria; quod alieni appetens, de auaritia; quod ſeditioſus, de turbulentis, & malis ciuibus; quod a multis arguitur, de genere teſtium: contraq. quae pro reo dicentur, omnia neceſſario a tempore, atque homine ad communes rerum, & generum ſummas reuoluentur. Atque haec forſitan homini non omnia, quae ſunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, permulta uideantur, quae ueniant in iudicium tum, cum de facto quaeratur: ſed tamen criminum eſt multitudo, non defenſionum, aut locorum, infinita. Quae uero, cum de facto non ambigitur, quaeruntur qualia ſint; ea, ſi ex reis numerus, & innumerabilia ſunt, & obſcura; ſi ex rebus, ualde & modica, & illuſtria. nam, ſi Mancini cauſſam in uno Mancino ponimus; quotieſcumque is, quem Paterpatratus dediderit, receptus non erit, toties cauſſa noua naſcetur. ſin illa controuerſia cauſſam facit, uideatur ne ei, quem Paterpatratus dediderit, ſi is non ſit receptus, poſtliminium eſſe: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defenſionis Mancini nomen pertinet. ac ſi quid affert praeterea hominis aut dignitas, aut indignitas; extra quaeſtionem eſt; & ea tamen ipſa oratio ad uniuerſi generis diſputationem referatur neceſſe eſt. Haec ego non eo conſilio diſputo, ut homines eruditos redarguam: quamquam reprehendendi ſunt, qui in genere definiendo iſtas cauſſas deſcribunt in perſonis, & in temporibus poſitas eſſe. nam, etſi incurrunt tempora, & perſonae: tamen intelligendum eſt, non ex ijs, ſed ex genere quaeſtionis pendere cauſſas. ſed hoc nihil ad me. nullum enim nobis certamen cum iſtis eſſe debet. tantum ſatis eſt intelligi, ne hoc quidem

dem

dem eos conſeeutos, quod in tanto otio etiam ſine
hac forenſi exercitatione efficere potuerunt, ut gene-
ra rerum diſcernerent, eaq. paullo ſubtilius expli-
carent. uerum hoc, ut dixi, nihil ad me: illud ad me,
ac multo etiam magis ad uos, Cotta noſter, & Sul-
pici: quo modo nunc ſe iſtorum artes habent, perti-
meſcenda eſt multitudo caußarum: eſt enim infinita.
ſi in perſonis ponitur, quot homines, tot caußae; ſin
ad generum uniuerſas quaeſtiones referuntur, ita
modicae, & paucae ſunt, ut omnes eas diligentes,
& memores, & ſobrij oratores percurſas animo, &
prope decantatas habere debeant. niſi forte exiſtima
tis a M'. Curio cauſſam didiciße L. Craſſum, & ea re
multum attuliſſe, quamobrem, poſtumo non nato,
Curium tamen heredem Coponij eſſe oporteret. nihil
ad copiam argumentorum, neque ad cauſſae uim, ac
naturam nomen Coponij, ac Curij pertinuit. in gene-
re erat uniuerſo rei, negotijque, non in tempore, ac
nominibus, omnis quaeſtio; cum ſcriptum ita ſit: Si
mihi filius gignitur, isq. prius moritur, & cetera;
tum ut mihi ille ſit heres: ſi natus filius non ſit; ui-
deatur ne is, qui filio mortuo inſtitutus heres ſit, he-
res eſſe. perpetui iuris, & uniuerſi generis quaeſtio
non hominum nomina, ſed rationem dicendi, & ar-
gumentorum fontes deſiderat. in quo etiam iſti nos
iuriſconſulti impediunt, a diſcendoq. deterrent. ui-
deo enim in Catonis, & Bruti libris nominatim fere
referri, quid alicui de iure uiro, aut mulieri reſpon-
derint: credo ut putaremus, in hominibus, non in re,
conſultationis, aut dubitationis cauſſam aliquam
fuiſſe; ut, quod homines eſſent innumerabiles, debi-
litati a iure cognoſcendo uoluntatem diſcendi ſimul
cum ſpe perdiſcendi abijceremus. Sed haec Craſ-
ſus aliquando nobis expediet, & exponet deſcripta
generatim. eſt enim, ne forte neſcias, heri nobis ille
hoc, Catule, pollicitus, ſe ius ciuile, quod nunc diffu-
ſum, & diſſipatum eſt, in certa genera coacturum,
& ad artem facile redacturum. Et quidem, inquit
Catulus, haudquaquam eſt difficile Craßo: qui &,
quod diſci potuit de iure, didicit; & quod ijs, qui
eum docuerunt, defuit, ipſe afferet; ut, quae ſint in
iure, uel acute deſcribere, uel ornate illuſtrare poſ-
ſit. Ergo iſta, inquit Antonius, tum a Craßo di-
ſcemus, cum ſe de turba, & a ſubſellijs in otium, ut
cogitat, ſolitudinemq. contulerit. Iam id quidem
ſaepe, inquit Catulus, ex eo audiui, cum diceret ſi-
bi certum eſſe a iudicijs, cauſſisq. diſcedere: ſed, ut
ipſi ſoleo dicere, non licebit. neque enim ipſe auxi-
lium ſuum ſaepe a uiris bonis fruſtra implorari pa-
tietur: neque id aequo animo feret ciuitas: quae ſi uo-
ce L. Craſſi carebit, ornamento quodam ſeſe ſpolia-
tam putabit. Nam hercle, inquit Antonius, ſi haec
uere a Catulo dicta ſunt, tibi mecum in eodem eſt pi-
ſtrino, Craße, uiuendum: & iſtam oſcitantem, & dor
mitantem ſapientiam, Scaeuolarum, & ceterorum
beatorum otio concedamus. Arriſit hic Craſſus le-
uiter, &, Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exor-
ſus es: me tamen iſta oſcitans ſapientia, ſimul atque
ad eam confugero, in libertatem uindicabit. Huius
quidem loci, quem modo ſum exorſus, hic eſt finis,
inquit Antonius: quoniam intelligitur, non in homi-
num innumerabilibus perſonis, neque in infinita tem-
porum uarietate, ſed in generum cauſſis, atque na-
turis omnia ſita eſſe, quae in dubium uocarentur;
genera autem eſſe definita non ſolum numero, ſed
etiam paucitate; ut eam materiem orationis, quae
cuiuſque eſſet generis, ſtudioſi qui eßent dicendi, om-
nibus locis deſcriptam, inſtructam, ornatamq. com-
prehenderent, rebus dico, & ſententijs. ea ui ſua
uerba parient: quae ſemper ſatis ornata mihi qui-
dem uideri ſolent, ſi eiuſmodi ſunt, ut ea res ipſa pe-
periße uideatur.

EXPLANATIO

QVIN *tu, inquit,* ʒ Craſſus indicat aſſenſum ſuum, non tam aperte annuendo, quam Antonium cohor-
tando ad aggrediendam priorem partem muneris in proxima diſtributione propoſiti, ut exponat
Antonius, quid orator dicturus ſit: quibus uerbis tres partes prudentiae ſignificantur, inuentio, diſpoſitio, &
memoria: atque hic Cicero (ſicut antea fecit in perſona Craſſi, & Antonij) uideri uult non tritas, & commu-
nes rhetorum artes dialogis oratorijs celebrare, ſed nouas potius & inauditas ex uſu forenſi depromere, quem
ex multis, magnisq. cauſſis ipſe conſecutus erat: ut initio lib. I. de ſeipſo teſtatur. MEAE *totius orationis,* ʒ
Partitio inuentionis in tria genera, fidei, motus, & delectationis, iteratur, quam partitionem diximus inele-
gantem & ineruditam eſſe, quia motus & delectatio communiter ex omnibus eloquentiae partibus ſumun-
tur: nec ſolam inuentionem requirunt, nec alijs argumentorum locis, quam fidei tractantur. SED *quoniam* ʒ
Propoſitio eſt de prima inuentione fidei, in qua promittit Antonius generalem argumentorum doctrinam,
damnatis ſpecialibus inuentionibus, quas rhetores accommodant ad ſingula genera cauſſarum: atque illam
generalem topicae inuentionis doctrinam comprobat Grammatica litterarum ſimilitudine: quod argumen-
tum non ſolum ueriſſimum eſt, ſed etiam ad rem ipſam declarandam maxime idoneum: nam utraque ars to-
ta communis eſt: ut igitur grammatica orthographia communes omnium dictionum ſcribendarum, ſic dia-
lectica inuentio communes omnium argumentorum inueniendorum leges profeſſione ſua complecti debet.
SED *hi loci* ʒ Locos appellat ex Graecorum conſuetudine generalia praecepta de argumentis, cuiuſmodi ſunt
definitiones, & diuiſiones ſummae, & primae argumentorum, quas Graeci τόπους dixerunt, & eam diſcipli-
nam τοπικὴν, metaphora ſumpta a rebus abſconditis, quae notato & demonſtrato loco facile inueniuntur, non
quod haec ſcientia protinus nobis argumentum, quod de re propoſita dici poſſit, adferat & ſuppeditet, ſed
quod deſcripta rationum ſumma genera doceat, quae nobis inueniendae ſunt, atque iccirco haec ars non tam
pueris prodeſt rudibus & ignaris, quam adultis hominibus, qui magnam rerum ſcientiam, & uſum tenent:
ex hac arte pueri primum diſcunt, quae ſint argumentorum genera, & cum aliquod argumentum occurrit in
bonis auctoribus legendis, intelligunt quale ſit, & ad quod genus referri debeat: deinde ab hac parte monen-
tur,

tur, ut ad explicandam rem quampiam quaerant, & inueniant argumenta ex omnibus locis: argumentorum autem copia, & facultate non donantur, ſed eam ex alijs artibus, & diſciplinis ſumunt. ut ſi de uirtute diſſerendum ſit, philoſophia moralis tibi ſuppeditabit rationes, & probationes, topica uero diſciplina te docebit, cuius generis quaeque ratio ſit, quam uim ad docendum habeat. Doctis itaque & expertis hominibus tanto utilior erit haec topica inuentio, quam pueris, quanto utilius eſt mentem, &c. uſu & magna rerum uarietate refertam habere, quam leges artis nudas, & uſu uacuas tantum percipere. Svbacto *mihi* ⁒ Alludit per allegoricam ſimilitudinem ad agros, qui ut fertilitatis augendae gratia non ſolum ſemel, ſed ſaepius arantur: ſic hominis ingenium ad pariendam rerum prudentiam, & copiam, uaria & multiplici exercitatione excolendum eſt. Ac *primum* ⁒ Digreditur Antonius in quaeſtionem, & inculcat rurſus praeceptum de percipiendo genere quaeſtionis, & ſtatu caſu, quo referuntur omnia: nihil tamen admodum intereſt ad inuentionis uſum ſcire, quo genere quaeſtio contineatur: quia una eſt generalis omnium quaeſtionum inuentio: rhetores autem genera quaeſtionis iccirco diſtinguunt, quod non unam & communem doctrinam inuentionis eſſe arbitrantur, ſed imperite ſingulis quaeſtionibus ſuos locos attribuunt in cauſſis ciuilibus. Conflictionum formula fere talis eſt, ut prima ſit actoris intentio, ſecunda depulſio a reo facta, depulſionisq. protinus addita ratio, quam Graeci αἴτιον uocant: tum ad labefactandam rationem ab actore oppoſitam argumentum, quod Graece συνέχον, Latine continens & firmamentum appellatur. Ex rationis autem, & firmamenti conflictione exoritur κρινόμενον, iudicatio & diſceptatio, in qua quid deueniat in iudicium, & de quo diſceptetur, quaeri ſolet. lege Ciceronem in Partitionibus. Atqve *hic* ⁒ Alterum caput digreſſionis eſt, ubi reprehendit Antonius rhetoras, non quod uitioſe quaeſtionem partiantur in duo genera, unum infinitum, alterum finitum: ſed quod non doceant in ſcholis & libris ſuis quaeſtionem finitam, detractis circumſtantijs ad infinitam eſſe reuocandam, ut res ipſa generatim quaeratur & diſceptetur, ex cuius conſideratione & diſputatione dependet omne iudicium finitae quaeſtionis, quod quidem iudex in omnibus litium diſceptationibus facit, nec prius (ut proximo exemplo utar) iudicat ab Opimio ſeditioſum ciuem Gracchum, licet indemnatum, ſibi iure caeſum uideri, quam iudicauerit omnem ſeditioſum ciuem reipub. cauſſa licet indemnatum, ex ſenatuſconſulto, a conſule iure interfici: quod cum generatim probatur, quaeſtio eſt infinita, cum uero approbatum & iudicatum eſt, migrat in propoſitionem ſyllogiſmi, ex cuius abundanti lumine finita quaeſtio probatur & concluditur hoc modo,

Omnis ſeditioſus ciuis reipub. gratia, licet indemnatus, ex ſenatuſconſulto, iure caeditur a conſule:

Caius Gracchus fuit ſeditioſus ciuis:

Iure igitur C. Cracchus reip. gratia, licet indemnatus, ex ſenatuſconſulto, caeditur a conſule. Atque etiam orator cum apud ſe de cauſſa iudicat, utitur iſta reuocatione, ſed cum in foro cauſſam agit & diſputat, non ſemper abit in communes locos, ſed multis argumentis ſpecialibus, ex perſona, aut tempore, aut loco, aut alia huiuſmodi circunſtantia natis, propoſitam quaeſtionem tractat. Nam *in ea ipſa* ⁒ Antonius approbat reuocationem quaeſtionis finitae ad infinitam, exemplis per ſingula quaeſtionum ciuilium genera, an ſit, quale ſit, & quid ſit: in quibus exemplis res ipſa nimis ſimpliciter & nude dicitur. nam & Opimij & Decij cauſſae, & facta, & reliqua argumenta quaeri poſſunt, & quaeſtiones finitae ſpecialibus argumentis, ſine ulla generali diſputatione nonnumquam tractantur: nec conſequens eſt, ſi ad probandam ſpecialem quaeſtionem generalis oratio adhibeatur, iccirco ſpeciales quaeſtionis finitae circumſtantias nihil ad artis uſum pertinere. Qvin *etiam* ⁒ Exemplum eſt de ſtatu coniecturali in cauſſa P. Decij, qui praeuaricationis poſtulatus eſt, quod accepta pecunia praeuaricatus eſſet in accuſatione Opimij: quo in genere communes quidem loci ad illuſtrandum & probandum ualent, ut ſi reus ſit ſumptuoſus, de luxuria: ſi auarus, de auaritia: ſi ſeditioſus, de ſeditione: communiter & in genere dicamus: ſed tamen ſine his etiam quaeſtio facti demonſtrari & probari poteſt ex cauſſis, factis, circumſtantijſq. perſonae. Atqve *haec* ⁒ Exempla de quaeſtionibus facti poſſunt eſſe, ſed ars ipſa certis & finitis praeceptis comprehenſa eſt, ut conſtat ex rhetoricis libris Ariſtotelis & Ciceronis. Qvae *uero cum* ⁒ Exemplum eſt de ſtatu nominis & definitionis ad Theſim reuocando, quae quidem reuocatio ad faciendum iudicium, & ad tollendam controuerſiam propriam, magnam habet momentum: ſed tamen intelligendum eſt argumenta etiam ex ſingulis circumſtantijs erui, ſicut modo dicebamus de ſtatu coniecturae & facti: & Cicero in alijs rhetoricis libris oſtendit: quin etiam quaeſtiones infinitae ſpecialibus argumentis interdum diſputantur. Itaque, licet iudicium litis maxime pendeat ex uniuerſi generis cognitione & diſceptatione, litis tamen ipſius tractatio & explicatio cauſſis, effectis, circumſtantijs, diſſentaneis, ſimilibus, notatione, coniugatis, diuiſione, definitione, & teſtimonijs indiget: ijſq. modo generatim, modo ſpeciatim, prout res ipſa poſtulat, explicatis, ut indicant orationes Demoſthenis & Ciceronis. Ac *ſi quid* ⁒ Digreſſiones, quae ſunt extra cauſſam de hominum laude aut uituperatione utuntur interdum communibus locis: ſic enim Cicero ad laudandum Archiam tractauit communem laudem poetarum, & in oratione in Piſonem communi loco uſus eſt, quod omnes improbi ſunt mente capti, ut demonſtraret Piſonem, & Gabinium furioſos eſſe, & dementes, & uaeſanos, ſed tamen non eſt ſemper neceſſaria iſta reuocatio, nec a Cicerone facta ſemper fuit, quoties in hominum dignitatem aut indignitatem digreſſus eſt. Haec *ego non* ⁒ Prolepſis eſt ad declinandam ſuſpicionem affectatae contentionis, & tamen continuatur rherorum reprehenſio, qui cauſſas certis circumſtantijs definiunt: ſed argumentum refutationis perleue eſt: nam quamuis ex diſputatione generali ſpecialis quaeſtio dijudicetur, poteſt tamen citra generis diſputationem probari (ut ante dictum eſt) &, quod reprehendit Antonius, tam multas artes quaeſtionum tractandarum, recte & uere meo quidem iudicio reprehendit, quemadmodum alias docuimus plane, & facile: quod uero damnat partitionem quaeſtionum, quia hypotheſis ad

theſim

theſim referatur, in hoc falli & decipi uidetur: non enim impedit iſta relatio, quo minus duo genera quaeſtionis, & ratione, & re diſtingui, & ſeparari poſſint. ILLVD *ad me*, Hoc argumentum contradictionis nihil eſſe admodum arguit: ſit enim cauſſarum infinita multitudo, quid tum? ſingulis enim rebus, quae ſunt infinitae numero, certus & finitus generum numerus datur, quia omnes forenſes controuerſiae rerum ſingularum tribus concludantur generibus, an ſit, quid ſit, & quale ſit: atque etiam hic labitur Antonius: aliud enim eſt loqui de generibus quaeſtionum, aliud de rebus his, quae quaeruntur: & quamuis ſpeciales quaeſtiones interdum ad generales referantur, non ſequitur tamen non eſſe duo genera quaeſtionis, unum finitum, & alterum infinitum, itemq. duobus iſtis generibus certas, & paucas eſſe ſpecies ſubiectas: haec enim reuocatio rationes duorum generum minime confundit, aut impedit. NISI *forte* Approbat reuocationem finitae quaeſtionis ad infinitam exemplo Craſſi in cauſſa Curiana, ubi ex teſtamento patrisfamilias de iure hereditatis generatim diſputatum fuit. IN *quo etiam* Antonius digreditur a rhetoribus ad ſimilem reprehenſionem iuriſperitorum: nam, ut illi de ſingulis, non de uniuerſis cauſſis, & rerum generibus praecipiunt, ſic hi nominatim & ſpeciatim de iure cauent, cum potius generales iuris & actionum leges, & formulas praeſcribere debeant: haec tamen ſimilitudinis illatio parum cum antecedentibus cohaeret, quia rhetores non ſcribunt nominatim de hac uel illa lite, ſicut M. Cato, & Brutus in ſuis libris nominatim retulerunt, quid alicui de iure uiro, aut mulieri reſpondiſſent: Rhetorica enim forenſis forenſes controuerſias non ſigillatim (quod infinitum eſſet) ſed generatim deſcribit. EST *enim*, Heſternum Craſſi promiſſum de explicando iure ciuili repetitur: hoc enim Craſſus ſe facturum, ſi uita ſupereſſet, heri pollicitus fuerat, uel potius Cicero in perſona Craſſi: conſtituerat enim in libris de legibus deſcribere uniuerſam artem iuris ciuilis, & libellum quendam de iure in artem reuocando ſcripſerat, quem citat Gellius cap. uiceſimo ſecundo libri primi. ET *quidem*, Craſſo non deeſt (ait Catulus) facultas explicandi iuris ciuilis, quia iuriſperitus eſt, quia dialecticus, quia orator: hae ſi quidem tres ſunt cauſſae principes ad artificioſam & legitimam, & ornatam iuris ciuilis deſcriptionem, quarum prima materiem praebet, ſecunda ordinem & diſpoſitionem rerum, tertia lumen & ornatum orationis. CVM *ſe de turba*, Sic Craſſus heſterno ſermone ait: Si aut mihi facere licuerit, quod iamdiu cogito, aut alius quiſpiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut primum omne ius in genera digerat, quae perpauca ſunt, deinde eorum generum quaſi quaedam membra diſpertiat, tum propriam cuiuſque uim definitione declaret, perfectam iuris ciuilis artem habebitis magis magnam atque uberem, quam difficilem, & oſcuram. ET *iſtam oſcitationem* Iecus eſt in iureconſultos, qui in ſenectute ſedentes in hexedris, oſcitantes & dormitantes (qui mos eſt ſenum) conſultoribus ſuis de iure reſpondent: atque hic Antonius oſcitantem & dormitantem ſapientiam dixit per metonymiam pro iureconſultis oſcitantibus, & dormitantibus. PERTEXE *modo*, Antonius facit duplicem concluſionem: unam digreſſionis de iure ciuili, alteram ſuperioris diſputationis, ubi duo capita repetuntur, & concluduntur: unum, ut ad iudicandum de quaeſtione finita, prius infinitam cognoſcamus, & dijudicemus: alterum, ut generales inuentionis locos, unde manat omne argumentum, deſcriptos & meditatos habeamus. HVIVS *quidem loci*, Metaphora a textoribus, qui primo telam ordiuntur, & orſam deinde texunt, & abſoluunt.

C I C E R O

AC, ſi uerum quaeritis, quod mihi quidem uideatur: (nihil enim aliud affirmare poſſum, niſi ſententiam, & opinionem meam) hoc inſtrumentum caußarum, & generum uniuerſorum in forum deferre debemus, neque, ut quaeque res delata ad nos erit, tum denique ſcrutari locos, ex quibus argumenta eruamus: quae quidem omnibus, qui ea mediocriter modo conſiderauit, ſtudio adhibito, & uſu, pertractata eße poſſunt. ſed tamen animus referendus eſt ad ea capita, & ad illos, quos ſaepe iam appellaui, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inuenta ducuntur. Atque hoc totum eſt ſiue artis, ſiue animaduerſionis, ſiue conſuetudinis, noße regiones, intra quas uenere; ut peruestiges, quod quaeras. ubi eum locum omnē cogitatione ſaepſeris; ſi modo uſum rerum percallueris; nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret, atque incidet. Et ſic, cum ad inueniendum in dicendo tria ſint, acumen, deinde ratio, quam licet, ſi uolumus, appellemus artem, tertium diligentia; non poſſum equidem non ingenio primas concedere; ſed tamen ipſum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. diligentia, inquam cum omnibus in rebus, tum in cauſſis defendēdis plurimum ualet. haec praecipue colenda eſt nobis, haec ſemper adhibenda: haec, nihil eſt, quod non aſſequatur. caußa, ut penitus, quod initio dixi, nota ſit, diligentia eſt. ut, aduerſarium attente audiamus; atque ut eius non ſolum ſententias, ſed etiam uerba omnia excipiamus; uultus denique perſpiciamus omnes, qui ſenſus animi plerumque indicant; diligentia eſt. id tamen diſſimulentur facere, ne ſibi ille aliquid proficere uideatur; prudentia eſt. deinde, ut in ijs locis, quos proponam paullo poſt, peruoluatur animus, ut ſe penitus inſinuet in caußam, ut ſit cura & cogitatione intentus; diligentia eſt. ut, his rebus adhibeat, tamquam lumen aliquod, memoriam, ut uocem, ut uires, haec magna ſunt. Inter ingenium quidem, & diligentiam perpaullulum loci reliquum eſt arti, ars demonſtrat tantum ubi quaeras, atque ubi ſit illud, quod ſtudeas inuenire: reliqua ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, uigilantia, aſſiduitate, labore, complectar uno uerbo, quo ſaepe iam uſi ſumus, diligentia; qua una uirtute omnes uirtutes reliquae continentur. Nam orationis quidem copia uidemus, ut abundent philoſophi: qui, ut opinor, (ſed tu haec, Catule, melius) nulla dant praecepta dicendi; nec iccirco minus, quaecumque res propoſita eſt, ſuſcipiunt, de qua copioſe & abun-

danter

danter loquantur. Tum Catulus, Eſt, inquit, ut dicis, Antoni, ut plerique philoſophi nulla tradant praecepta dicendi, & habeant paratum tamen quid de quaque re dicant. ſed Ariſtoteles, is, quem maxime ego admiror, propoſuit quoſdam locos, ex quibus omnis argumentatio non modo ad philoſophorum diſputationem, ſed etiam ad hanc, qua in cauſſis utimur, inueniretur. a quo quidem homine iamdudum, Antoni, non aberrat oratio tua: ſiue tu ſimilitudine illius diuini ingenij in eadem incurris ueſtigia; ſiue etiam illa ipſa legiſti, atque didiciſti: quod quidem mihi magis ueriſimile uidetur: plus enim te operae Graecis dediße rebus uideo, quam putaram. Tum ille, Verum, inquit, ex me audies, Catule. ſemper ego exiſtimaui iucundiorem, & probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quamminimam artificij alicuius, deinde nullam Graecarum rerum ſignificationem daret. atque ego idem exiſtimaui, pecudis eße, non hominis, cum tantas res Graeci ſuſciperent, profiterentur, agerent, ſeſeq. & uidendi res obſcuriſſimas, & bene uiuendi, & copioſe dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admouere aurem; &, ſi palam audire eos non auderes, ne minueres apud tuos ciues auctoritatem tuam, ſubauſcultando tamen excipere uoces eorum, & procul, quid narrarent, attendere: itaque feci, Catule, & iſtorum omnium ſummatim caußas, & genera ipſa guſtaui. Valde hercule, inquit Catulus, timide, tamquam ad aliquem libidinis ſcopulum, ſic tuam mentem ad philoſophiam appuliſti: quam haec ciuitas aſpernata numquam eſt. nam & referta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum, cum erat in hac gente magna Graecia; ex quo etiam quidam Numam Pompilium, regem noſtrum, fuiſſe Pythagoreum ferunt, qui annis permultis ante fuit, quam ipſe Pythagoras; quo etiam maior uir habendus eſt, cum illam ſapientiam conſtituendae ciuitatis duobus prope ſaeculis ante cognouit, quam eam Graeci natam eße ſenſerunt: & certe non tulit ullos haec ciuitas aut gloria clariores, aut auctoritate grauiores, aut humanitate politiores P. Africano, C. Laelio, L. Furio; qui ſecum erudituſſimos homines ex Graecia palam ſemper habuerunt. Atque ego ex iſtis ſaepe audiui, cum dicerent, pergratum Athenienſes & ſibi feciße, & multis principibus ciuitatis, quod, cum ad ſenatum legatos de ſuis maximis rebus mitterent, tres illius aetatis nobilißimos philoſophos miſiſſent, Carneadem, & Critolaum, & Diogenem: itaque eos, dum Romae eßent, & a ſe, & ab alijs frequenter auditos. quos tu cum haberes auctores, Antoni; miror, cur philoſophiae, ſicut Zethus ille Pacuuianus, probe bellum indixeris. Minime, inquit Antonius: ac ſic decreui, philoſophari potius, ut Neoptolemus, apud Ennium, paucis. nam, omnino, haud placet. Sed tamen haec eſt mea ſententia, quam uidebar expoſuiſſe. ego iſta ſtudia non improbo, moderata modo ſint: opinionem iſtorum ſtudiorum, & ſuſpicionem artificij apud eos, qui res iudicent, oratori aduerſariam eße arbitror: imminuit enim & oratoris auctoritatem, & orationis fidem. Sed, ut eo reuocetur, unde huc declinauit oratio; ex tribus iſtis clarißimis philoſophis, quos Romam ueniſſe dixiſti, uides ne Diogenem fuiße, qui diceret, artem ſe tradere bene diſſerendi, & uera, ac falſa dijudicandi, quam uerbo Graeco διαλεκτικὴν appellaret? in hac arte, ſi modo eſt haec ars, nullum eſt praeceptum, quo modo uerum inueniatur; ſed tantum eſt, quomodo iudicetur. nam & omne, quod eloquimur, ſic ut aut eße dicamus id, aut non eße; & ſi ſimpliciter dictum ſit, ſuſcipiunt dialectici, ut iudicent uerum ne ſit, an falſum; & ſi coniuncte ſit elatum, & adiuncta ſint alia, iudicent recte ne adiuncta ſint, & uera ne ſumma ſit uniuſcuiuſque rationis: & ad extremum ipſi ſe compungunt ſuis acuminibus, & multa quaerendo reperiunt, non modo ea, quae iam non poſſint ipſi dißoluere, ſed etiam quibus ante exorſa, & potius detexta prope retexantur. Hic nos igitur Stoicus iſte nihil adiuuat, quoniam, quemadmodum inueniam quid dicam, non docet: atque idem etiam impedit; quod & multa reperit, quae neget ullo modo poſſe diſſolui; & genus ſermonis affert non liquidum; non fuſum ac profluens, ſed exſile, aridum, conciſum, ac minutum: quod ſi quis probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non eſſe fateatur. haec enim noſtra oratio multitudinis eſt auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non artificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinantur. quare iſtam artem totam dimittamus, quae in excogitandis argumentis muta nimium eſt, in iudicandis nimium loquax, Critolaum iſtum, quem ſimul cum Diogene ueniſſe commemoras, puto plus huic ſtudio noſtro prodeſſe potuiſſe. erat enim ab iſto Ariſtotele, a cuius inuentis tibi ego uideor non longe aberrare. atque inter hunc Ariſtotelem, cuius & illum legi librum, in quo expoſuit dicendi artes omnium ſuperiorum, & illos, in quibus ipſe ſua quaedam de eadem arte dixit, & hos germanos huius artis magiſtros hoc mihi uiſum eſt intereße, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium uim, naturamq. uiderat, haec quoque adſpexit, quae ad dicendi artem, quam ille deſpiciebat, pertinebat: illi autem, qui hoc ſolum colendum ducebant, habitarunt in hac una ratione tractanda, non eadem prudentia, qua ille, ſed uſu in hoc uno genere ſtudioq. maiore. Carneadis uero uis incredibilis illa dicendi, & uarietas perquam eßet optanda nobis: qui nullam umquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnauit, quam non euerterit. ſed hoc maius eſt quiddã, quã ab ijs, qui haec tradunt, et docent, poſtulandũ ſit.

EXPLANATIO

AC *ſi uerum* ? Antonius rurſus approbat generalem inuentionis artem, & arti coniunctam exercitationẽ, quae ſententia ueriſſima eſt, ſed tamen in doctrina diſpoſitionis ſpeciales cauſſarum ciuilium locos rhetorum more trades, quaſi oblitus, & immemor huius inſtituti ſui. NOSSE *regiones* ? Allegoria a uenatoribus, qui per ueſtigia regiones, in quibus ferae latent, notas habent: ſic orator debet habere notos inuentionis

M locos,

locos,unde requirat argumentum. Et *ſic cum ad* ʒ Facultas inueniendi tribus rebus conſtat, & perficitur natura, doctrina, & exercitatione: quod commune eſt omnium uirtutum, quae ad humanitatem pertinent: & de tribus illis rebus exercitatio, & exercitationis utilitas magno, & illuſtri praeconio laudatur inductione earum rerum, quas in cauſſis agendis oratori parit induſtria,& diligentia, quae ſunt cognitio cauſſae, intelligentia rerum, quae ab aduerſario dicuntur, perluſtratio argumentorum, memoria, & dignitas actionis. Inter *ingenium* ʒ Cum in oratore natura, & diligentia plurimum ualent, perpaullulum loci reliquum eſt arti, ideſt, ars non multum adiuuat, nec eſt in magno pretio: tum enim natura, & diligentia primas obtinent. Fabius lib. 2. in conſummatis oratoribus plus tribuit arti, quam naturae: ſed artis nomine doctrinam,& exercitationem comprehendit. Nam *orationis* ʒ Confirmat diligentiae laudem exemplo ſpeciali philoſophorum, qui ſine arte, adhibita exercitatione, optime, & ornatiſſime dicunt: ergo ad res magnas diligentia per ſe multum ualet. Tvm *Catulus*, ʒ Catulus uidetur Antonius leuiter reſiſtere exemplo item ſpeciali: Ariſtoteles philoſophus, & orator inuentionis loco propoſuit, quos Antonius ſequitur: ergo philoſophi etiam praecepta dicendi docuerũt: Ariſtoteles quos locos in topicis expoſuit ad philoſophorum diſputationem, eoſdem fere adhibuit lib. 2. ad Theodecten: & appellat communes locos ciuilium cauſſarum: hi autem ſunt in rhetoricis, contrarium, ſimile, relatio, maiora, minora, paria, tempus, dicta retorta, definitio, ambiguum, partitio, inductio, iudicatum, partes, conſequens, proportio, diſſimile, fines, repugnans, cauſſae, poſſibile melius, perperam facta, nomen: in quibus locis ſunt quaedam uera, & generalia nomina topicae doctrinae, ſed tamen generatim: neque dialectice definiuntur, neque ad omnem omnium quaeſtionum uſum accommodantur: quaedam uero dialecticum nihil habent. A. qvo *quidem* ʒ Hic locus indicat topicam Ciceronis doctrinam ex Ariſtoteleis libris ſumptam eſſe: quod etiam Cicero teſtatur in epiſt. ad Lentulum: Scripſit Ariſtotelico more, quemadmodum quidem uolui, tres libros in diſputatione & dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim a communibus praeceptis,& omnem antiquorum & Ariſtotelicam, & Iſocraticam dicendi rationem complectuntur. Tvm *ille*, ʒ Hoc initium eſt nouae digreſſionis, ubi Antonius detegit conſilium ſuum, cur in uulgus diſſimulare ſoleat Graecarum artium ſcientiam: ſumma totius digreſſionis haec eſt, eloquentiam & philoſophiam,& ceteras artes in foro quidem diſſimulandas, ſed tamẽ oratori cognoſcendas eſſe, uel ſaltem deguſtandas. Valde *hercule*, ʒ Catulus iocatur in Antonium ex ſimilibus: ut nautae ad ſcopulos Sirenum timide accedunt, metuunt enim naufragium: ſic Antonius philoſophiã uix audet attingere: hunc igitur Craſſus uehementius hortatur ad philoſophiae ſtudium, propoſitis domeſticis exemplis,& per gradus uariorum temporum deductis: Multi in Italia philoſophiam coluerunt: ut Pythagoraei regnante Numa Pompilio, & exinde Romani, quo tempore Carneades, Diogenes, & Critolaus legati Romam uenerunt. horum igitur adductus exemplo philoſophiam colito. Pythagoras: ʒ Pythagoras Samius floruit in ea parte Italiae, quae Magna Graecia dicta eſt, regnante Tarquinio Superbo, ut ait Cicero in 1. Tuſcul. Fuit alius Pythagoras Spartanus, qui temporibus Numae (ut quidam aiunt) uenit in Italiam, multaq. Numam docuit, quae ad religionem pertinebant. lege Plutarchum in uita Numae. Atqve *ego* ʒ Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, & Diogenes Stoicus philoſophi legati Romã uenerunt, ut Athenienſium ciuitatem quingentis talentis, quibus Cecropiorum poſtulatione a Sicyonis indicta cauſſa multata fuerat, liberarent: quo tempore magnus principum Romanarum concurſus ad eos audiẽdos quotidie fiebat, e quibus hic nominantur Pub. Africanus minor, C. Laelius,& L. Furius. lege Plutar. in Catone Cenſorio, & Aul. Gell. cap. 14. lib. vii. Zethvs *ille* ʒ Zethus, Iouis,& Antiopes filius, apud Pacuuium diſputat cum Amphione fratre de Muſica, ut homo ab omnibus artibus alieniſſimus: atque haec diſputatio in ſapientiae rationem,& uirtutis utilitatem conſumitur, ut ait Cicero lib. 2. de Inuent. Minime, *inquit*, ʒ Antonius probat in oratore moderatum philoſophiae ſtudium requiri exemplo ſimili: Vt Neoptolemus apud Ennium ait philoſophandum eſſe imperatori, ſed paucis: ſic oratori faciendum eſt. Eadem ſententia diſputatur a Craſſo lib. 3. de Orat. In cauſſis uero ciuilibus diſſimulandum eſſe eloquentiae,& philoſophiae ſtudium putat Antonius, quia opinio doctrinae apud iudices, & populum oratoribus obeſt. Sed *ut eo* ʒ Antonius, ſumpta ex tribus philoſophis occaſione, diſputat quae philoſophorum doctrina minus oratori conueniat,& quae magis apta, conuenienſq. ſit: ac primum dialecticam Stoicorum ſummatim ita percurrit, ut neget eam ad oratoris uſum pertinere: quod etiam tertio libro de Oratore, & in lib. de Claris oratoribus confirmatur: ars tamen dialectica eadem paene tradebatur a Stoicis,& a reliquis philoſophis ſaltem ea, quae continet iudicandi leges, ſed exercitationis ratio diſsimilis erat: Stoici enim aridus,& ieiunius diſputabant, reliqui copioſius, & ornatius: non ergo dialecticam artem Stoicorum prorſus aſpernabitur orator: nam & Cicero ipſe hanc ex Diodoro Stoico didicit: ſed Stoicam ieiune diſſerendi conſuetudinem fugiet. Artem *ſe tradere* ʒ Dialecticae definitio redundans eſt: quia uocabulo diſſerendi reliqua ſequentia comprehenduntur: uitioſum autem eſt in definitione aliquid ſuperuacuum ponere, quo detracto, nihilo minus maneat integra definitio. In *hac arte*, ʒ Eludit dialecticam artem Stoicorum primum ut mancam & imperfectam, quia nihil ab illis traditur de inuentione argumentorum: deinde in altera parte, quae docet iudicandi uias, ſuperuacuam & redundantem: non enim ſolum Stoici de enunciatis, & ſyllogiſmis praecipiunt, ſed etiam de quibuſdam uanis, & ineptis enunciatorum,& ſyllogiſmorum fallaciis, cuiuſmodi ſunt ἀδιάλυτον, σωρείτης, ψευδόμενον, & alia multa, de quibus Laertius in Zenonis,& Chryſippi uita. Se *compungunt* ʒ Metaphora eſt ab apibus, quae ſe ſuis aculeis minutis,& acutis compungunt: ſic Stoici in diſputando,& altercando breuibus,& acutis argumẽtis, quibus ſeſe mutuo feriunt, utuntur. Et *multa quaerendo*, ʒ Chryſippus Stoicus ait quaedam eſſe enunciata ἀδιάλυτα, ideſt inexplicabilia, & cum in dialecticis praecipiatur omne enunciatum uerum eſſe, aut fal-

ſum,

ſum, poſtulat exceptionem dari in eiuſmodi enunciatis, ex quibus cum ſyllogiſmus contexitur, ut exempli gratia,

Si te mentiri dicis, uerumq. dicis, mentiri te, uerum dicis:
Sed mentiri te dicis, uerumq. dicis:
Ergo mentiri te, uerum dicis.

Chryſippus metuens repugnantium confeſſionem, ſyllogiſmum retexit, ut propoſitionem, quam putat eſſe inſolubilem, tollat. Quam Chryſippaeam artem de inſolubilibus, & de retexendis ob eam cauſſam ſyllogiſmis, Cicero, ut hic, ſic in Lucullo merito deriſit. Et *genus ſermonis*, § Antonius non improbat omnino philoſophiam Stoicorum, ſed oratori parum prodeſſe probat ad eloquentiam forenſem, & popularem: idq. tribus argumentis, quod artes inuentionis non doceat, quod obſcura ſit, quod ieiuna, & arida: Syllogiſmus ex duobus poſtremis argumentis ita fit:

Philoſophia Stoicorum obſcura eſt, & arida:
Eloquentia forenſis nihil amat obſcurum, & aridum:
Eloquentia igitur forenſis Stoicorum philoſophiam non amat.

In *excogitandis* § Ars dialectica Stoicorum in excogitandis argumentis nimium muta eſt, quia quomodo argumentum inueniatur, nihil omnino docet: in iudicandis nimium loquax, quia nimis multa de enunciatis, ſyllogiſmis, & fallacibus argutiis praecipit: de his enim Chryſippus edidit 310. uolumina, ut ait Laertius. Critolavm *iuſtum* § Philoſophia Peripateticorum, & Academicorum eſt uberior, & ornatior, maioremq. habet cognitionis uſum cum oratore: quod Craſſus docet libro tertio de Oratore. Atqve *inter hunc* § Comparat Ariſtotelem philoſophum cum rhetoribus, qui ſolam rhetoricam tenent, & profitentur, quod ille maiorem prudentiam, quam uſum, hi maiorem uſum, quam prudentiam ad explicationem eius artis adhibuerunt. Librvm, *in quo* § Librum illum Ariſtotelis, de quo hic agitur, etiam Cicero laudat lib. 2. de inuentione: Ac ueteres quidem (ait) ſcriptores artis uſque ab principe illo, atque inuentore Tiſia repetitos unum in locum conduxit Ariſtoteles: & nominatim magna conquiſita cura perſpicue conſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit, ac tantum inuentoribus ipſis ſuauitate, & breuitate dicendi praeſtitit, ut nemo illorum praecepta ex ipſorum libris cognoſcat, ſed omnes, qui quod illi praecipiunt, uelint intelligere, ad hunc quaſi ad quendam multo commodiorem explicatorem reuertantur. Carneadis *uero* § Cicero in lib. 3. de Orat. Si illam (inquit) praeclaram, & eximiam ſpeciem oratoris perfecti, & pulchritudinem adamaſtis, aut uobis haec Carneadaea, aut illa Ariſtotelaea uis comprehendenda eſt: Carneades (ut ait Laertius) tantum ualuit in philoſophia, tantamq. dicendi uim eſt conſecutus, ut oratores quoque ad eum audiendum conuenirent: erat illi uox grandis, & canora, acriterq. inuehebatur, & in quaeſtionibus uinci non poterat.

PAVLLVS. MANVTIVS. Haec *magna ſunt*. § Quis non uidet, hoc aut mendoſum eſſe, aut perperam diſtinctum? mihi autem eo maior de mendo oritur ſuſpicio, quia in altero Borromaei libro haec tria uerba, Haec magna ſunt, non leguntur. quod ſi diuinare liceat; quod ego equidem mihi non aſſumo: hoc ordine locum reſtituerem. Vt ſit cura, & cogitatione intentus; ut his rebus adhibeat, tamquam lumen aliquod, memoriam, ut uocem, ut uires; diligentia eſt, inter ingenium quidem &c.

CICERO

Ego autem, ſi quem nunc plane rudem inſtitui ad dicendum uelim, his potius tradam aſſiduis uno opere eandem incudem diem, noctemq. tundentibus, qui omnes tenuiſſimas particulas, atque omnia minima manſa, ut nutrices infantibus pueris, in os inferant. ſin ſit is, qui & doctrina mihi liberaliter inſtitutus, & aliquo iam imbutus uſu, & ſatis acri ingenio eſſe uideatur: illuc eum rapiam, ubi non ſecluſa aliqua aquula teneatur, ſed unde uniuerſum flumen erumpat; ut illi ſedes, & tamquam domicilia omnium argumentorum commonſtrem; & ea breuiter illuſtrem, uerbisq. definiam. quid enim eſt, in quo haereat, qui uiderit, omne, quod ſumatur in oratione aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex ſua ſumi ui, atque natura, aut aſſumi, foris? ex ſua ui, cum aut, res quae ſit tota, quaeritur, aut pars eius, aut uocabulum quod habeat; aut quippiam, rem illam quod attingat: extrinſecus autem, cum ea, quae ſunt foris, neque haerent in rei natura, colliguntur. Si res tota quaeritur, definitione uniuerſa uis explicanda eſt, ſic: Si maieſtas eſt amplitudo, ac dignitas ciuitatis, is eam minuit, qui exercitum hoſtibus populi R. tradidit, non qui eum, qui id feciſſet, populi R. poteſtati tradidit. Sin pars, partitione, hoc modo: Aut ſenatui parendum de ſalute reip. fuit, aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum: aliud conſilium, ſuperbum; ſuum, arrogans: utendum igitur fuit conſilio ſenatus. Sin ex uocabulo, ut Carbo: Si conſul eſt, qui conſulit Patriae: quid aliud fecit Opimius? Sin ab eo, quod rem attingat; plures ſunt argumentorum ſedes, ac loci. nam & coniuncta quaerimus, & genera, & partes generibus ſubiectas, & ſimilitudines, & diſſimilitudines: & contraria, & conſequentia, & conſentanea, & quaſi praecurrentia, & repugnantia: & cauſſas rerum ueſtigabimus, & ea, quae ex cauſſis orta ſunt: & maiora, paria, minora quaeremus. Ex coniunctis ſic argumenta ducuntur: Si pietati ſumma tribuenda laus eſt; debetis moueri, cum Q. Metellum tam pie lugere uideatis. Ex genere autem: Si magiſtratus in populi R. poteſtate eſſe debent; quid Norbanum accuſas, cuius tribunatus uoluntati paruit ciuitatis? Ex parte autem ea, quae eſt ſubiecta generi: Si omnes, qui reip. conſu-

M 2 *lunt,*

lunt, cari nobis eſſe debent; certe in primis imperatores, quorum conſilijs, uirtute, periculis retinemus & noſtram ſalutem, & imperij dignitatem. Ex ſimilitudine autem: Si ferae partos ſuos diligunt; qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? At ex diſſimilitudine: Si barbarorum eſt in diem uiuere; noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent. Atque utroque in genere & ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, exempla ſunt ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis, & fictae narrationes ſaepe ponendae. Iam ex contrario: Si Gracchus nefarie, praeclare Opimius. Ex conſequentibus: Si & ferro interfectus ille, & tu inimicus eius cum gladio cruento comprehenſus es in illo ipſo loco; & nemo praeter te ibi uiſus eſt; & caußa nemini; & tu ſemper audax; quid eſt, quod de facinore dubitare poſſimus? Ex conſentaneis, & praecurrentibus, & repugnantibus, ut olim Craſſus adoleſcens: Non, ſi Opimium defendiſti Carbo, iccirco te iſti bonum ciuem putabunt: ſimulaße te, & aliud quid quaeſiße perſpicuũ eſt. quod Ti. Gracchi mortem ſaepe in concionibus deplorasti; Quod P. Africani necis ſocius fuiſti; quod eam legem in tribunatu tuliſti; quod ſemper a bonis diſſenſiſti. Ex cauſſis autem rerum ſic: Auaritiam ſi tollere uultis, mater eius eſt tollenda luxuries. ijs autem, quae ſunt orta de cauſſis: Si aerarij copijs & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis utimur; uectigalibus ſeruiamus. Maiora autem, & minora, & paria comparabimus ſic. Ex maiore: Si bona exiſtimatio diuitijs praeſtat, & pecunia tantopere expetitur; quanto gloria magis eſt expetenda? Ex minore ſic:

„ *—— hic paruae conſuetudinis*
„ *Cauſſa huius mortem fert tam familiariter:*
„ *Quid, ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri?*

Ex pari ſic: Eſt eiuſdem & eripere contra remp. & largiri pecunias. Foris autem aſſumuntur ea, quae non ſua ui, ſed extranea ſubleuantur, ut haec: Hoc uerum eſt; dixit enim Q. Lutatius: hoc falſum eſt; habita enim quaeſtio eſt: hoc ſequi neceſſe eſt; recito enim tabulas. de quo genere toto paullo ante dixi. Haec ut breuiſſime dici potuerunt, ita a me dicta ſunt. ut enim, ſi aurum cui, quod eſſe multifariam defoßum, commonſtrare uellem, ſatis eſſe deberet, ſi ſigna, & notas oſtenderem locorum, quibus cognitis ille ſibi ipſe foderet, & id, quod uellet, paruulo labore, nullo errore inueniret: ſic has ego argumentorum noui notas, quae illa mihi quaerenti demonſtrat ubi ſint: reliqua, cura, & cogitatione eruuntur. Quod autem argumentorum genus cuique cauſſarum generi maxime conueniat, non eſt artis exquiſitae praeſcribere, ſed eſt mediocris ingenij iudicare. neque enim nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus, ſed ut doctiſſimis hominibus uſus noſtri quaſi quaedam monita tradamus. His igitur locis in mente, & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum poſita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere poſſit, non modo in forenſibus diſceptationibus, ſed omnino in ullo genere dicendi. ſi uero aſſequetur, ut talis uideatur, qualem ſe uideri uelit; & animos eorũ ita afficiat, apud quos aget, ut eos, quocumque uelit, uel trahere, uel rapere poſſit: nihil profecte praeterea ad dicendum requiret. Iam illud uidemus nequaquam ſatis eße, reperire quid dicas, niſi id inuentum tractare poſſis. Tractatio autem uaria eße debet, ne aut cognoſcat artem qui audiat, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate. Proponi oportet quid afferas; &, id quare ita ſit, oſtendere; & ex ijſdem illis locis interdum concludere; relinpuere alias, alioq. tranſire; ſaepe non proponere, ac ratione ipſa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare; ſi cui quid ſimile dicas, prius ut ſimile confirmes; deinde, quod agitur, adiungas; puncta argumentorum plerumque, ut occulas, ne quis ea numerare poßit; ut re diſtinguantur, uerbis confuſa eße uideantur.

EXPLANATIO

EGo *autem* ꝫ Antonij ſententia eſt, quam antea quoque expoſuit, inſtituendis pueris magis aptos eſſe ſpeciales quaeſtionum ciuilium locos: uiris autem, id eſt doctis, & iam uſu confirmatis, generales & uniuerſos argumentorum fontes potius inſpiciendos eſſe: ac primum illud declarat allegorica ſimilitudine ſumpta a nutricibus, quae ut minutos & praemanſos cibos pueris in os ingerunt, ſic rudibus doctrinam conciſam & minutam & ſpecialem, quaſi haec facilius percipiatur, tradendam eſſe putat, ubi fallitur Antonius: quia generalis argumentorum doctrina non tantummodo facillime & enucleatiſſime poteſt a magiſtris edoceri, ſed etiam a pueris percipi & cognoſci, eaq. tota facilius a pueris ad uſum diſſerendi accommodabitur, quam confuſa & moleſta ſpecialium inuentionum multitudo: longe enim facilius pueri pauca argumentorum genera percipient, & cum diſſerendum de quaeſtione erit, animo & cogitatione peragrabunt, quam conciſas & minutas & multas & perplexas artes de ſtatibus, de ſingulis generibus cauſſarum, deq. ſingulis partibus orationis uel animo tenere, uel mente percurrere, & ad uſum orationis transferre poſſint. Itaque, ſi mihi puer inſtituendus ſit, malim eum ad fontes uniuerſos argumentorum deducere, quam ei riuulos illos minus uberes indicare. INCVDEM, ꝫ Allegoria a fabris ferrum ſub incude tundentibus & elaborantibus, quibus ſimiles ſunt magiſtri, qui aſſidue pueris aliquid inculcant, ut rude ingenium & impolitum aſſiduitate laboris quaſi ſub incude formetur & expoliatur. ATQVE *omnia*, ꝫ Prouerbium a nutricibus ſumptum ſignificat rem quampiam enucleate & minutim pueris tradere, quo facilius animo percipiatur & quaſi digeratur: ut enim pueris nutrices praemanſos cibos, ſic magiſtri rudibus facilem & explanatam, & quaſi multa in fruſtra diuiſam ſcientiam doctrinae porrigunt. VBI *non ſecluſa* ꝫ Comparat Allegorice ſpeciales artes inuentionum aqulis multis per riuulos deductis, & generalem doctrinam fonti, unde magnum flumen aquarum exſilit: quae comparatio longe ueriſſima eſt: ex communibus enim locis copia nobis argumentorum ad omnem diſputationem ſuppetit, & ſpeciales loci manant a generalibus, ſubijciunturq. uel cauſſis, uel effectis, uel ſubiectis, uel adiũctis,

uel

uel diſſentaneis, uel cõparatis, uel notationi, uel coniugatis, uel diuiſioni, uel definitioni, uel teſtimonijs: itaque qui deſcribit in forenſibus cauſſis proprias quaſdem artes inuentionum, perinde facit, acſi non contentus communibus Grammaticae regulis grammaticam aliquam legalem & forenſem componeret. QVID *enim eſt* § Deſcribit generales locos inuentionis, id eſt, genera & differentias argumentorum, idq. ſtrictim & breuiter: nam maximã topicae doctrinae partem omittit, & ſingula nomina definitionibus nuda tantum exemplis explanat, & quidem plerumque uitioſis, neque dialecticas partitiones ſingulorum generum perſequitur, neque eorum uſum (quod tamen longe maximum eſt) demonſtrat: argumentorum autem prima partitio in inſita & aſſumpta Ariſtotelica quidem eſt, (ſicut ante diximus) & ex Ariſtotelis lib. I. ad Theod. ſumpta, ſed reliquae diuiſiones, quae ſequuntur, neutiquam ſunt Ariſtotelis. Ex *ſua ui,* § Inſitum argumentum diuiditur in quattuor ſpecies, definitionem, diuiſionem, etymologiam, & argumentum affectum, quae praepoſtero ordine proponi & explicari uidentur, praeſertim cum definitionis doctrina reliquorum argumentorum doctrina poſterior eſſe debeat. nam cum definitio ex reliquis argumentis conficiatur, cauſſis, factis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, comparatis, certe definiendi lex & norma, niſi prius cognitis, & explicatis alijs argumentis, intelligi non poteſt: & quod dialectica methodus iubet, ut a definitione ordiamur, idipſum contra nos non eſt, qui ſtatuimus aliud eſſe rem quampiam definire, aliud doctrinam res omnes definiendi tradere: hoc enim loco agimus de arte faciendarum definitionum, non de rerum definitionibus. EXTRINSECVS *autem,* § Antonius multo melius, & uerius nunc argumenta aſſumpta definit, quam ante definierat: nam ſuperiorem definitionem falſam eſſe probauimus: aſſumpta igitur recte dicuntur, quae non haerent in natura rei, de qua agitur, id eſt, quae non eruuntur ex altera parte quaeſtionis antecedente, uel conſequente, ſed foris colliguntur ex aliqua auctoritate diuina uel humana, ipſam quaeſtionem affirmante, uel negante: ut ſi dicam Socratem fuiſſe omnium ſapientiſſimum, quia ita Apollinis oraculum affirmauit: aut uoluptatem non eſſe in bonis annumerandum, quia idipſum Socrates negauit, neutrum argumentum ex partibus quaeſtionis ſumitur, ſed ex auctoritate extrinſecus aſſumpta, in qua ineſt pondus teſtimonij, id eſt, affirmationis uel negationis auctoritas. SI *res tota* § In Topicis & Partitionibus tria ponuntur argumentorum genera ex toto, definitio, diuiſio, & etymologia: hic uero ſola definitio adhibetur ad totum probandum: ſed quid ſibi uelit Antonius, id eſt Cicero, non ſatis aperte & dilucide conſtat: explicare enim & arguere totam quaeſtionem, commune eſt omnium argumentorum, non proprium definitionis: neque uero definitio totam quaeſtionis naturam comprehendit, ſed tantum partis alterius in quaeſtione poſita: ut ſi quaeratur, an Q. Seruilius Caepio maieſtatem minuit, & definiatur maieſtas, ipſa definitio totam quidem quaeſtionem explicabit, quaeſtionem uero totam non definiet, ſed ſolum maieſtatem, quae eſt pars quaeſtionis: ceterum Antonius nullam definiendi legem, & regulam deſcribit: non enim id agit, ut topicam artem praeceptis ſuis inſtruat, ſed ut quaſi per tranſennam ſumma genera topicae artis demonſtret. exemplum definitionis ſumitur ex illa oratione, quam pro Norbano dixit: atque ita concluſum eſt:

Amplitudo, & dignitas ciuitatis eſt maieſtas:
Qui exercitum hoſtibus pop. Rom. tradidit, is minuit amplitudinem & dignitatem:
Ergo qui exercitum hoſtibus pop. Rom. tradidit, is minuit maieſtatem.

SIN *pars,* § Exemplum de partitione non eſt idoneum, quia argumentum ex partitione dicitur, cum ex toto partem unam, uel plures, uel ex una parte, uel pluribus totum concludimus, quod hic non fit, ſed ex negatione duarum partium tertia, quae ſub eodem diuiſionis capite poſita eſt, affirmate concluditur: quod argumenti genus eſt ex diſſentaneis, uel contrarijs, uel repugnantibus: ut cum ſic argumentaris, omne animal uel hominem eſſe uel beſtiam, atque equum hominem eſſe negas, ut beſtiam eſſe confirmes, ex negatione unius contrarij concluditur alterius affirmatio. SIN *ab eo* § Argumenta, quae rem attingunt, dicuntur eſſe affecta, id eſt, non plene & integre rem ullam in quaeſtione poſitam comprehendentia, ut coniugatum, genus, ſpecies, ſimile, diſſimile, contrarium, adiunctum, cauſſa, effectum ſignificant, & declarant aliquid rei de qua agitur: totam uero ſubiectae, uel attributae rei uim, & naturam plene & abſolute non declarant: ea diuiduntur in tredecim ſpecies: quae diuiſio non eſt in topicis, & rhetoricis Ariſtotelis: & uериſimile eſt eam ex cuiuſdam Peripatetici libris deſumptam fuiſſe, qui haec topicae doctrinae genera apud Ariſtotelem diſperſa, & diſſipata unum in locum coegerat, & ratione quadam conſtrinxerat. Ex *coniunctis* § Coniuncta in Topicis, & Partitionibus Coniugata uocantur, quae ab uno orta uarie commutantur, ut ſapiens, ſapientia, ſapienter. exemplum eſt de Q. Metello Pio, qui patrem precibus & lacrymis ab exſilio reuocauit,

Pietas eſt laudanda:
Quinctus ergo Metellus pie lugens patrem, laudandus eſt.

Ex *genere* § Exemplum de genere uſurpauit Antonius in cauſſa Norbani:

Omnis magiſtratus parere debet uoluntati populi:
Tribunatus magiſtratus eſt:
Tribunatus igitur parere debet uoluntati populi.

Magiſtratus genus eſt, ex quo demonſtratur, & concluditur ſpecies.

Ex *parte* § Exemplum de ſpecie non conuenit: nam, cum ita diſſerimus, Omnes ſtudioſi reip. ſunt amandi: ergo imperator ſtudioſus reip. eſt amandus: non probatur genus ex ſpecie, ſed contra, ſpecies ex genere: itaque aliud exemplum quaerendum nobis eſt: ut, Iuſtitia eſt laudabile, ergo uirtus eſt laudabilis. Ex *ſimilitudine* § Tractatio huius argumenti non eſt a ſimili, ſed a minori ad maius. ATQVE *utroque* § Comparantur inter ſe ſimilia facta, ut Paullus Aemilius domuit Macedoniam, ut Scipio Africam: & diſſimilia, ut Brutus

occidit

occidit liberos proditionem molientes: Manlius Torquatus uirtutem filij morte multauit, & ſimilia dicta: ut, Ennio licuit uetera contemnenti dicere,

Verſibus quos olim Fauni, uatesq. canebant:

Mihi de Antiquis eodem modo non licebit? & diſſimilia dicta. ut, Plato dicebat uoluptatem eſſe eſcam malorum, Ariſtippus contra, eſcam bonorum. Item ſimiles euentus, ut Saturninus tribunus plebis ſeditioſus miſere perijt, ſicut Tiberius Gracchus: & diſſimiles, ut Obitus Tiberij Gracchi patris fuit honeſtus, Tiberij filij turpis & ignominioſus: Itemq. fictae narrationes ſaepe ſunt ponendae, ut Apologi, qui ad docendum populum multum ualent, de quibus quaere exempla apud Aeſopum. IAM *ex contrario:*] Hic ſenſus eſt aliquis ex cauſſis contrarijs contrarius: contraria autem uere non ſunt, quae apertius tractantur hoc modo:

Caius Gracchus contra rempublicam egit nefarie:

Ergo Opimius praeclare.

Ex *conſequentibus:*] Conſequentia uſurpantur pro his, quae in Topicis adiuncta, in Partitionibus coniuncta uocantur: quae cum aliquo, nulla tamen neceſſitate, cohaerent: ut Gladius cruentus, tempus, locus, cauſſa, mores ſunt conſequentia, & ſigna quaedam patrati facinoris. Ex *conſentaneis,*] In Topicis uidentur haec argumenta uocari conſequentia, antecedentia, & repugnantia, ex quibus tamen duo prima non ſunt argumentorum nomina, ſed ſyllogiſmorum, & ad ſecundam partem dialecticae pertinent: repugnantia autem ſunt ex genere diſſentaneorum, quibus Craſſus eſt uſus contra Carbonem, quem probat ciuem bonum non eſſe: nam deplorare Tiberium Gracchum mortuum, ſocium eſſe necis Africani, legem pro Tiberio Graccho tuliſſe, a bonis ciuibus ſemper diſſenſiſſe, & bonum ciuem eſſe, repugnant. Ex *cauſſis*] Senſus argumenti eſt, Si tollatur luxuries, tolletur & auaritia: luxuries enim auaritiae cauſſa eſt. Cicero, In urbe luxuries creatur, ex luxuria exſiſtat auaritia neceſſe eſt, ex auaritia erumpat audacia. Ouidius,

Quaerere ut abſumant, abſumpta requirere certant:

Atque ipſe uitijs ſunt alimenta uices.

Ex *ijs autem*] Vectigalibus eſt ſeruiendum, quia aerarij copiae ſunt utiles: copiae aerarij ſunt effecta uectigalium, quia proueniunt ex uectigalibus prouinciarum. Ex *maiore*] Exemplum de maiore non eſt idoneum, quia duo minora ſunt, ex quibus tertium maius demonſtratur, & concluditur: Bona fama, & pecunia tantopere expetuntur, quanto magis gloria? Ex *minore*] Simo in Andria Terentij ita ratiocinatur de Pamphilo, Pamphilus uehementer lugebat in funere Chryſidem mortuam parum ſibi in uita familiarem: quanto igitur uehementer ploraſſet, ſi illam amaſſet? aut quanto magis patris mortem lugebit? ex uno minore duo maiora concluduntur. Ex *pari ſic:*] Duo uitia inter ſe paria conferuntur, unum repetundarum, alterum ambitus. FORIS *autem*] Teſtimonium, quia non haeret in aliqua parte quaeſtionis, neque ſuapte natura quidquam eſt huius, uel illius partis, neque cauſſa, neque effectum, neque ſubiectum, neque adiunctum, neque diſſentaneum, neque ulla uel quantitate, uel qualitate comparatum, neque notatio, neque coniugatum, neque totum, neque pars, iccirco aliena, & extranea ui ſubleuatur, ut pondus habeat, id eſt, externa auctoritate, uel diuina, uel humana rem ipſam, de qua agitur, negante uel affirmante, ut Socrates eſt omnium ſapientiſſimus, quia Apollo dixit, Socrates non eſt uir bonus, quia Anytus & Melitus dicunt. Verres Siciliam praedatus eſt: hoc enim tabulae, & teſtes confirmant. HAEC *ut breuiſſime*] Concludit compendium topicae artis, & quis ſit communis uſus locorum, demonſtrat comparatione aurifodinarum, in qua tamen non omnia ſimilia dici poſſunt: locum enim auri notatum habueris, aurum iam inuentum eſt, ſed eruendum labore: omnes autem locos, & artes argumentorum noueris, niſi fueris in exemplis, in conſuetudine uitae, in bonarum artium ſtudiis diu multumq. uerſatus, locos quidem habebis, ſed inanes & uacuos. QVOD *autem*] Cicero in Topicis, & Partitionibus docuit uſum argumentorum ſingulis quaeſtionum generibus accommodatum. quam accommodationis doctrinam docuimus in Topicis inutilem, & ſuperuacuam eſſe: quia propoſita qualibet quaeſtione, ſi locos generales percurreris, facile uidebis, quae argumenta quaeſtioni conueniant, & non conueniant. Itaque nihil opus fuit nouam artem de uſu argumentorum gignere, praeſertim cum ipſa locorum perluſtratio huic muneri negotioq. ſufficiat, longeq. ſit, & facilior & utilior, quam doctrina, quae a rhetoribus traditur de accommodandis locis argumentorum ad hanc uel illam quaeſtionem. HIS *igitur*] Topica doctrina generaliter admonet, ut in omni diſputatione cuiuſcumque generis ſit, definitio, diuiſio, notatio, coniugatum, genus, ſpecies, ſimile, diſſimile, adiunctum, contrarium, repugnans, cauſſae, effecta, comparata, teſtimonia quaerantur, & ad explicationem quaeſtionis, aut omnia, aut quam plurima ſumantur. IAM *illud*] Argumentandi uarietas commendatur a duplici fine, & ne ars appareat, cuius oſtentatio ſuſpecta eſt auditoribus, & ut faſtidium ſimilitudinis uitetur: Argumentationem duobus modis uariari poſſe docet Antonius: Primus modus eſt directus ad fidem, cum initio ponitur quaeſtio, deinde argumenta, & rationes afferuntur, quibus explicatis concluditur, ut Anima eſt immortalis: nam quidquid ex ſeipſo mouetur, immortale eſt: Anima autem ex ſeipſa mouetur: Immortalis igitur eſt anima: Secundus eſt inflexus, & quodam modo obliquus, cum quaeſtio initio non ponitur, ſed incipimus confirmare ea, quae uolumus, & multis argumentis illuſtrare, tandemq. id, quod proponendum fuit, permotis animis iacimus ad extremum: cuius generis exempla ſumi poſſunt ex orationibus Ciceronis.

C I C E R O

HAec ut & properans, & apud doctos, & ſemidoctus ipſe percurro, ut aliquando ad illa maiora ueniamus. Nihil eſt enim in dicendo, Catule; maius, quam ut faueat orator ijs, qui audiet, utq. ipſe ſic moueatur, ut impetu quodam animi, & perturbatione magis, quam iudicio, aut conſilio, regatur. plura enim multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam ueritate, aut praeſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. quare, niſi quid uobis aliud placet, ad illa pergamus. Paullum, inquit Catulus, etiam nunc deeſſe uidetur ijs rebus, Antoni, quas expoſuiſti, quod ſit tibi ante explicandum, quam illuc proficiſcare, quo te dicis intendere. Quidnam, inquit? Qui ordo tibi placet, inquit Catulus, & quae diſpoſitio argumentorum: in qua tu mihi ſemper deus uideri ſoles. Vide, quam ſim in iſto genere, inquit, Catule, deus. non mehercule mihi, niſi admonito, ueniſset in mentem: ut poſſis exiſtimare, me in ea, in quibus nonnumquam aliquid efficere uideor, uſu ſolere in dicendo, uel caſu potius incurrere. ac res quidem iſta, quam ego, quia non noram, ſic, tamquam ignotum hominem, praeteribam, tantum pōteſt in dicendo, ut ad uincendum nulla plus poſſit. ſed tamen mihi uideris ante tempus a me rationem ordinis, & diſponendarum rerum requiſiſſe. nam, ſi ego omnem uim oratoris in argumentis, & in re ipſa per ſe comprobanda poſuiſſem; tempus eſset iam de ordine argumentorum, & collocatione aliquid dicere: ſed, cum tria ſint a me propoſita, de uno dictum; cum de duobus reliquis dixero, tum erit denique de diſponeuda tota oratione quaerendum. Valet igitur multum ad uincendum, probari mores, inſtituta, & facta, & uitam eorum, qui agent cauſſas, & eorum, pro quibus: & item improbari aduerſarium, animosq. eorum, apud quos agitur, conciliari quammaxime ad beneuolentiam cum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator. Conciliātur autem animi dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione uitae: quae facilius ornari poſſunt, ſi modo ſunt, quam fingi, ſi nulla ſunt. ſed haec adiuuant in oratore, lenitas uocis, uultus, pudoris ſignificatio, uerborum comitas. ſi quid perſequare acrius, ut inuitus & coactus facere uideare, facilitatis, liberalitatis, manſuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi, ſigna proferri perutile eſt: eaq. omnia, quae proborum, demiſſorum, non acrium, non pertinacium, non litigioſorum, non acerborum ſunt, ualde beneuolentiam conciliant, abalienantq. ab ijs, in quibus haec non ſunt. itaque eadem ſunt in aduerſarios ex contrario conferenda. Sed genus hoc totum orationis in ijs cauſſis excellet, in quibus minus poteſt inflammari animus iudicis acri, & uehementi quadam incitatione. non enim ſemper fortis oratio quaeritur, ſed ſaepe placida, ſummiſſa, lenis, quae maxime commendat reos. reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, ſed omnes, quorum de re diſceptatur. ſic enim olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratione, iuſtos, integros, religioſos, timidos perferentes iniuriarum, mirum quiddam ualet, & hoc uel in principijs, uel in re narranda, uel in peroranda tantam habet uim, ſi eſt ſuauiter & cum ſenſu tractatum, ut ſaepe plus, quam cauſſa, ualeat. Tantum autem efficitur ſenſu quodam, ac ratione dicendi, ut quaſi mores oratoris effingat oratio. genere enim quodam ſententiarum, & genere uerborum, adhibita etiam actione leni, facultateq. ſignificandi, efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni uiri eſſe uideantur. Huic autem eſt illa diſpar adiuncta ratio orationis, quae alio quodam genere mentes iudicum permouet, impellitque, ut aut oderint, aut diligant; aut inuideant, aut ſaluum uelint; aut metuant, aut ſpernant; aut cupiant, aut abhorreant; aut laetentur, aut maereant; aut miſereantur, aut punire uelint; aut ad eos motus adducantur, ſi qui finitimi ſunt & propinqui his, ac talibus animi perturbationibus. Atque illud optandum eſt oratori, ut aliquam permotionem animorum ſua ſponte ipſi afferant ad cauſsam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam. facilius eſt enim currentem, ut aiunt, incitare, quam commouere languentem. ſin id aut non erit, aut erit obſcurius: ſicut medico diligenti, prius quam conetur aegro adhibere medicinam, non ſolum morbus eius, cui mederi uolet, ſed etiam conſuetudo ualentis, & natura corporis cognoſcenda eſt; ſic equidem, cum aggredior ancipitem cauſſam, & grauem ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaq. uerſor, ut odorer quam ſagaciſſime poſſim, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid exſpectent, quid uelint, quo deduci oratione facillime poſse uideantur. ſi ſe dant, &, ut ante dixi, ſua ſponte, quo impellimus, inclinant, atque propendent: accipio, quod datur; & ad id, unde aliquid flatus oſtenditur, uela do. ſin eſt integer, quietuſq. iudex: plus eſt operis. ſunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adiuuante natura. Sed tantam uim habet illa, quae recte a bono poeta dicta eſt flexanima, atque omnium regina rerum oratio, ut non modo inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem, & repugnantem, ut imperator bonns, ac fortis, capere poſſit. Haec ſunt illa, quae me ludens Craſsus modo flagitabat, quae a me diuinitus tractari ſolere diceret, & in cauſſa M'. Aquillij, Caijq. Norbani, nonnulliſq. alijs quaſi praeclare acta laudaret: quae mehercule ego, Craſſe, cum a te tractantur in cauſſis, horrere ſoleo: tanta uis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, uultu, geſtu, digito denique iſto tuo ſignificari ſolet: tantum eſt flumen grauiſſimorum optimorumq. uerborum, tam integrae ſententiae, tam uerae, tam nouae, tam ſine pigmentis, fucoq. puerili, ut mihi non ſolum tu incendere iudicem, ſed ipſe ardere uidearis. Neque fieri pōt, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut inuideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum, miſericordiamq. deducatur, niſi omnes ij motus, quos orator adhibere uolet iudici. in ipſo oratore impreſſi eſſe, atque inuſti uidebuntur. Quod ſi fictus aliquis dolor ſuſcipiendus

dus

dus eßet ; & ſi in eiuſmodi genere orationis nihil eſſet, niſi falſum, atque imitatione ſimulatum: maior ars aliqua forſitan eſſet requirenda. nunc ego, quid tibi, Craße, quid ceteris accidat, neſcio: de me autem, caußa nulla eſt, cur apud homines prudentiſſimos, atque amiciſſimos mentiar. non mehercule umquam apud iudices aut dolorem, aut miſericordiam; aut inuidiam, aut odium excitare dicendo uolui, quin ipſe in commouendis iudicibus, ipſis ſenſibus, ad quos illos adducere uellem, permouerer. neque enim facile eſt perficere, ut iraſcatur cui tu uelis iudex, ſi tu ipſe id lente ferre uideare; neque ut oderit eum, quem tu uelis, niſi te ipſum flagrantem odio ante uiderit: neque ad miſericordiam adducetur, niſi ei tu ſigna doloris tui uerbis, ſententijs, uoce, uultu, collacrumatione denique oſtenderis. ut enim nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quae, niſi admoto igni, ignem concipere poßit: ſic nulla mens eſt tam ad comprehēdendam uim oratoris parata, quae poſſit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam, et ardens acceßeris. Ac, ne forte hoc magnum, ac mirabile eſſe uideatur, hominem toties iraſci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, praeſertim in rebus alienis; magna uis eſt earum ſententiarum, atque eorum locorum, quo agas, tractesq. dicendo, ut nihil opus ſit ſimulatione, & fallacijs. ipſa enim natura orationis eius, quae ſuſcipitur ad aliorum animos permouendos, oratorem ipſum magis etiam, quam quemquam eorum, qui audiunt, permouet. Et, ne hoc in cauſſis, in iudicijs, in amicorum periculis, in concurſu hominum, in ciuitate, in foro accidere miremur, cum agitur non ſolum ingenij noſtri exiſtimatio; (nam id eßet leuius: quamquam, cum profeſſus ſis te id poße facere, quod pauci, ne id quidem negligendum eſt) ſed alia ſunt maiora multo, fides, officium, diligentia; quibus rebus adducti, etiam cum alieniſſimos defendimus, tamen eos alienos, ſi ipſi uiri boni uolumus haberi, exiſtimare non poßumus: ſed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum eſſe uideatur: quid poteſt eße tam fictum, quam uerſus, quam ſcena, quam fabulae? tamen in hoc genere ſaepe ipſe uidi, cum ex perſona mihi ardere oculi hominis hiſtrionis uiderentur, ſpondalia illa dicentis:

„ Segregare abs te auſus, aut ſine illo Salamina ingredi.

„ Neque paternum adſpectum es ueritus? -

numquam illum adſpectum dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filij uideretur. Ut idem inflexa ad miſerabilem ſonum uoce:

„ - Quem aetate exacta, indigem

„ Liberum, laceraſti, orbaſti, exſtinxti; neque fratris necis,

„ Neque gnati eius parui, qui tibi in tutelam eſt traditus.

flens, ac lugens dicere uidebatur. quae ſi ille hiſtrio, quotidie cum ageret, tamen recte agere ſine dolore non poterat: quid Pacuuium putatis in ſcribendo leni animo, ac remiſſo fuiſſe? fieri nullo modo potuit. ſaepe enim audiui, poetam bonum neminem, id quod a Democrito, & Platone in ſcriptis relictum eſſe dicunt, ſine inflammatione animorum exſiſtere poſſe, & ſine quodam afflatu quaſi furoris. Quare noli te exiſtimare, me ipſum, qui non heroum ueteres caſus, fictosq. luctus uellem imitari, atque adumbrare dicendo, neque actor eſſem alienae perſonae, ſed auctor meae; cum mihi M'. Aquillius in ciuitate retinendus eſſet, quae in illa caußa peroranda fecerim, ſine magno dolore feciſſe. quem enim ego conſulem fuiße, imperatorem ornatum a ſenatu, ouantem in Capitolium adſcendiſſe meminißem, hunc cum afflictum, debilitatum, maerentem, in ſummum diſcrimen adductum uiderem, non prius ſum conatus miſericordiam alijs commouere, quam miſericordia ſum ipſe captus. ſenſi equidem tum magnopere moueri iudices, cum excitaui maeſtum, ac ſorditatum ſenem, & cum iſta feci, quae tu, Craſſe, laudas, non arte, de qua quid loquar neſcio, ſed motu magno animi, ac dolore, ut diſcinderem tunicam, ut cicatrices oſtenderem; Cum C. Marius maerorem orationis meae praeſens ac ſedens multum lacrumis ſuis adiuuaret; cumq. ego illum crebro appellans, collegam ei ſuum commendarem, atque ipſum aduocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam inuocarem. non fuit haec ſine meis lacrumis, non ſine dolore magno miſeratio, omniumq. deorum, & hominum, & ciuium, & ſociorum imploratio. quibus omnibus uerbis, quae a me tum ſunt habita, ſi dolor abfuißet meus, non modo non miſerabilis, ſed etiam irridenda fuißet oratio mea. Quamobrem hoc uos doceo, Sulpici, bonus ego uidelicet, atque eruditus magiſter, ut in dicendo iraſci, ut dolere, ut flere poſſitis. quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accuſando ſodali, & quaeſtore meo tantum incendium non oratione ſolum, ſed multo etiam magis ui, & dolore, & ardore animi concitaras, ut ego ad id reſtinguendum uix conarer accedere? habueras enim tum omnia in cauſſa ſuperiora, uim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Caepionis graui, miſerabiliq. caſu, in iudicium uocabas: deinde principem & ſenatus, & ciuitatis M. Aemilium lapide percuſſum eße conſtabat: ui pulſum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cum intercedere uellent rogationi, nemo poterat negare. Accedebat, ut haec tu adoleſcens pro rep. quaeri ſumma cum dignitate exiſtimare-re, ego, homo cenſorius, uix ſatis honeſte uiderer ſeditioſum ciuem, & in hominis conſularis calamitate crudelem poſſe defendere. Erant optimi ciues iudices, bonorum uirorum plenum forum; uix ut mihi tenuis quaedam uenia daretur excuſationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaeſtor fuißet. Hic ego quid dicam me artem aliquam adhibuiße? quid fecerim, narrabo: ſi placuerit, uos meam defenſionem in aliquo artis loco reponetis. Omnium ſeditionum genera, uitia, pericula collegi; eamq. orationem ex omni reip. noſtrae temporum uarietate repetiui; concluſiq. ita, ut dicerem, etſi omnes moleſtae ſemper ſeditiones fuiſſent, iuſtas tamen fuiſſe nonnullas, & prope neceſſarias. Tum illa, quae modo Craßus commemorabat, egi, neque reges ex hac ciuitate exigi, neque tribunos pl. creari, neque plebiſcitis toties conſularem poteſtatem minui, neque prouocationem, patronam illam ciuitatis, ac uindicem libertatis populi R. dari ſine nobilium diſſenſione potuiſſe: ac ſi illae ſeditiones ſaluti huic ciuitati

fuißent,

fuißent, non continuo, ſi quis motus populi factus eßet, id C. Norbano in nefario crimine, atque in fraude capitali eſſe ponendum: quod ſi umquam populo R. conceßum eßet, ut iure concitatus uideretur, id quod docebam ſaepe eſſe conceßum; nullam illa cauſſam iuſtiorem fuiße. Tum omnem orationem traduxi, & conuerti in increpandum Caepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus. ſic & eorum dolorem, qui lugebant ſuos, oratione refricabam: & animos equitum R. apud quos tum iudices caußa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipſi propter iudicia abalienati renouabam, atque reuocabam. Quod ubi ſenſi me in poſſeſſione iudicij, ac defenſionis meae conſtitiſſe, quod & populi beneuolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum ſeditionis coniunctione defenderam; & iudicum animos totos uel calamitate ciuitatis, uel luctu, ac deſiderio propinquorum, uel odio proprio in Caepionem ad caußam ueſtram conuerteram: tunc admiſcere huic generi orationis uehementi, atque atroci genus illud alterum, de quo ante diſputaui, lenitatis, & manſuetudinis coepi; me pro meo ſodali, qui mihi in liberum loco more maiorum eſſe deberet, & pro mea omni fama, prope fortunisq. decernere; nihil mihi ad exiſtimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere poſſe, quam ſi is, qui ſaepe alieniſſimis a me, ſed meis tamen ciuibus ſaluti exiſtimarer fuiſſe, ſodali meo auxilium ferre non potuiſſem. Petebam a iudicibus, ut illud aetati meae, ut honoribus, ut rebus geſtis, ſi iuſto, ſi pio dolore me eſſe affectum uiderent, concederent; praeſertim ſi in alijs cauſſis intellexißent, omnia me ſemper pro amicorum periculis, nihil umquam pro me ipſo deprecatum. Sic in illa omni defenſione, atque cauſſa, quod eſſe in arte poſitum uidebatur, ut de lege Appuleia dicerem, ut, quid eßet minuere maieſtatem, explicarem, per quam breuiter perſtrinxi, atque attigi. His duabus partibus orationis, quarum altera concitationem habet, altera commendationem, quae minime praeceptis artium ſunt perpolitae, omnis eſt a me illa cauſſa tractata; ut & acerrimus in Caepionis inuidia renouanda, & in meis moribus erga meos neceſſarios declarandis manſuetiſſimus uiderer. ita, magis affectis animis iudicum, quam doctis, tua, Sulpici, eſt a nobis tum accuſatio uicta. Hic Sulpicius, Vere hercule, inquit, Antoni, iſta commemoras. nam ego nihil umquam uidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum eſt elapſa illa cauſſa. Cum enim, quemadmodum dixiſti, tibi ego non iudicium, ſed incendium tradidißem; quod tuum principium, dij immortales, fuit? qui timor? quae dubitatio? quanta haeſitatio, tractusq. uerborum? ut illud initio, quod tibi unum ad ignoſcendum homines dabant, tenuiſti, te pro homine perneceßario, quaeſtore tuo, dicere? quam tibi primum muniſti ad te audiendum uiam? Ecce autem, cum te nihil aliud profeciße arbitrarer, niſi ut homines tibi ciuem improbum defendenti ignoſcendum propter neceſſitudinem arbitrarentur, ſerpere occulte coepiſti, nihil dum alijs ſuſpicantibus, me uero iam pertimeſcente, ut illam non Norbani ſeditionem, ſed populi R. iracundiam, neque eam iniuſtam, ſed meritam, ac debitam fuiße defenderes. Deinde, qui locus abs te praetermißus eſt in Capitonem? ut tu illa omnia odio, inuidia, miſericordia miſcuiſti? Neque haec ſolum in defenſione, ſed etiam in Scauro, ceterisq. meis teſtibus; quorum teſtimonia, non refellendo, ſed ad eundem impetum populi confugiendo, refutaſti. Quae cum abs te modo commemorarentur, equidem nulla praecepta deſiderabam. iſtam enim ipſam demonſtrationem defenſionum tuarum, abs te ipſo commemoratam, doctrinam eße non mediocrem puto. Atqui, ſi ita placet, inquit Antonius, trademus etiam quae nos ſequi in dicendo, quaeq. maxime ſpectare ſolemus: docuit enim iam nos longa uita, uſusq. rerum maximarum, ut, quibus rebus animi hominum mouerentur, teneremus. Equidem primum conſiderare ſoleo, poſtuletne cauſſa. nam neque paruis in rebus adhibendae ſunt hae dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſſimus; ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut tragoedias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea, quae non poſſint commoueri. Nam, quoniam haec fere maxime ſunt in iudicum animis, aut quicumque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, inuidia, miſericordia, ſpes, laetitia, timor, moleſtia; ſentimus amorem conciliari, ſi id uelle uideare, quod ſit utile ipſis, apud quos agas, defendere; ſi aut pro bonis uiris, aut certe pro ijs, qui illis boni, atque utiles ſint, laborare. namque haec res amorem magis conciliat, illa uirtutis defenſio caritatem: plusq. proficit, ſi proponitur ſpes utilitatis futurae, quam praeteriti beneficij commemoratio. Enitendum eſt, ut oſtendas in ea re, quam defendas, aut dignitatem ineße, aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amorem, ſignifices nihil ad utilitatem ſuam retuliße, ac nihil omnino feciße caußa ſua. inuidetur enim commodis hominum ipſorum; ſtudijs autem eorum ceteris commodandi fauetur. Videndumq. hoc loco eſt, ne, quos ob benefacta diligi uolemus, eorum laudem, atque gloriam, cui maxime inuideri ſolet, nimis efferre uideamur. Atque ijſdem his ex locis, & odium in alios ſtruere diſcemus, & a nobis, ac noſtris demouere: eademq. haec genera tractanda ſunt in iracundia uel excitanda, uel ſedanda. Nam, ſi, quod ipſis, qui audiunt, pernicioſum, aut inutile ſit, id factum augeas; odium creatur: ſin, quod aut in bonos uiros, aut in eos, quos quiſque minime debuerit, aut in remp. tum excitatur ſi non tam acerbum odium, tamen aut inuidiae, aut odij non dißimilis offenſio. Item timor incutitur, aut ex ipſorum periculis, aut ex communibus. interior eſt ille proprius; ſed hic quoque communis ad eandem ſimilitudinem eſt perducendus. Par, atque una ratio eſt ſpei, laetitiae, moleſtiae. Sed haud ſciam, an acerrimus longe ſit omnium motus inuidiae, nec minus uirium opus ſit in ea comprimenda, quam in excitanda. Inuident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent euolaſſe: ſed etiam ſuperioribus inuidetur ſaepe uehementer, & eo magis, ſi intolerantius ſe iactant, & aequabilitatem communis iuris, praeſtantia dignitatis, aut fortunae ſuae, tranſeunt. Quae ſi inflammanda ſunt,

maxime dicendum eſt, non eſſe uirtute parta, deinde etiam uitijs, atque peccatis. tum ſi erunt honeſtiora, atque grauiora, tamen non eſſe tanti ulla merita, quanta inſolentia hominis, quantumq. faſtidium. Ad ſedandum autem, magno illa labore magnis, periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eßе collocata, ſeſeque, ſi quam gloriam peperiſſe uideatur, tametſi ea non ſit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamq. abijcere, atque deponere. omninoq. perficiendum eſt, (quoniam plerique ſunt inuidi, maximeq. eſt hoc commune uitium, & peruagatum: inuidetur autem praeſtanti florentiq. fortunae) ut haec opinio minuatur, & illa excellens opinione fortuna cum laboribus, & miſerijs permixta eſſe uideatur. Iam miſericordia mouetur, ſi is, qui audit, adduci poteſt, ut illa, quae de altero deplorentur, ad ſuas res reuocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat; ut intuens alium crebro, ad ſe ipſum reuertatur. Ita cum ſinguli caſus humanarum miſeriarum grauiter accipiuntur, ſi dicuntur dolenter; tum afflicta & proſtrata uirtus maxime luctuoſa eſt. &, ut illa altera pars orationis, quae probitatis commendatione boni uiri debet ſpeciem tueri, lenis, ut ſaepe iam dixi, atque ſummiſſa; ſic haec, quae ſuſcipitur ab oratore ad commutandos animos, atque omni ratione flectendos, intenta, ac uehemens eſſe debet. Sed eſt quaedam in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum uehemens eſſe uolumus, difficilis ad diſtinguendum ſimilitudo. nam ex illa lenitate, qua conciliamur ijs, qui audiunt, ad hanc uim acerrimam; qua eoſdem excitamus, influat oportet aliquid; & ex hac ui nonnumquam animi aliquid influendum eſt illi lenitati: neque eſt ulla temperatior oratio, quam illa, in qua aſperitas contentionis oratoris ipſius humanitate conditur, remiſſio autem lenitatis quadam grauitate, & contentione firmatur. In utroque autem genere dicendi, & illo, in quo uis atque contentio quaeritur, & hoc, quod ad uitam & mores accommodatur, & principia tarda ſint, & exitus tamen ſpiſſi, & producti eſſe debent. nam neque aſſiliendum ſtatim eſt ad illud genus orationis, (abeſt enim totum a cauſſa) & homines prius ipſum illud, quod proprium ſui iudicij eſt, audire deſiderant, nec, cum in eam rationem ingreſſus ſis, celeriter diſcedendum eſt. non enim, ſicut argumentum, ſimul atque poſitum eſt, arripitur, alterumq. & tertium poſcitur; ita miſericordiam, aut inuidiam, aut iracundiam, ſimul atque intuleris, poſſis commouere. argumentum enim ratio ipſa confirmat: quae ſimul atque emiſſa eſt, adhaereſcit. illud autem genus orationis non cognitionem iudicis, ſed magis perturbationem requirit: quam conſequi niſi multa, & uaria, & copioſa oratione, & ſimili contentione actionis nemo poteſt. quare, qui aut breuiter, aut ſummiſſe dicunt, docere iudicem poſſunt, commouere non poſſunt; in quo ſunt omnia. Iam illud perſpicuum eſt, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex ijſdem ſuppeditari locis. Sed argumento reſiſtendum eſt, aut ijs, quae comprobandi eius cauſſa ſumuntur, reprehendendis; aut demonſtrando id, quod concludere illi uelint, non effici ex propoſitis, nec eſſe conſequens: aut, ſi ita non refellas, afferendum eſt in contrariam partem, quod ſit aut grauius, aut aeque graue. Illa autem, quae aut conciliationis cauſſa leuiter, aut permotionis uehementer aguntur, contrarijs commotionibus inferenda ſunt, ut odio beneuolentia, miſericordia inuidia tollatur.

EXPLANATIO

HAEC *ut & properans,* ʒ Hactenus dictum eſt de inuentione fidei: ſequitur doctrina affectuum, in quibus commouendis aut ſedandis magna uis oratoris, id eſt, cauſſidici & politici hominis exſiſtit, & hoc opus eſt de oratoris, de omnibus eius operibus longe maximum maximeq. colendum: omnis enim oratoris actio eſt accommodanda ad mores, nutus, & uoluntates eorum qui audiunt, qui cum affectum ducem potius, quam rationem magiſtram ſequantur, afficiendi magis quam docendi uidentur: Catulus autem interloquitur, ut moneat diſpoſitionis doctrinam inuentioni argumentorum ſubijciendam eſſe, non doctrinam affectuum: quae admonitio apte & decore fingitur, partim ad relaxandam continuationem ſermonis, & reficiendos audientium animos: partim, ad laudandam Antonij dialecticam prudentiam proſequentis res eo loco & ordine, quo propoſitae ſunt. VIDE *quam ſim* ʒ Antonius ſimulat obliuionis culpam, quaſi doctrina diſpoſitionis ex animo excidiſſet: quae εἰρώνεια decet in primis Antonium hominem Socraticum & permodeſtum: is tamen admonet nondum eſſe opportunum, ut de diſpoſitione dicatur, quia de tribus inuentionis partibus duae adhuc explicādae reſtant, motus & iocus: uitioſum autē eſt in docendo non continenter, & deinceps ea tractare, quae in generali partitione propoſueris. VALET *igitur* ʒ Affectus quid ſit non definitur, neque genera orationis, in quibus affectus regnat, proponuntur: ſed ſublatis duobus maximis luminibus, definitione & diuiſione, quaedam ab Antonio de mouendis animis auditorum praeſcribuntur. Duo ſunt (ait Cicero) quae bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciunt, quorum alterum eſt, quod Graeci ἠθικὸν uocant, ad naturam & ad mores, & ad omnem naturae conſuetudinem accommodatum: alterum, quod ijdem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat oratio: illud ſuperius come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum: hoc uehemens, incenſum, incitatum, quo cauſſae eripiuntur: quod cum rapide fertur, ſuſtineri nullo pacto poteſt. de utroque genere deinceps praecipit Antonius: ac primum indicat locos lenium affectuum, quibus conciliatur auditoris beneuolentia, & eos quidem locos indicat ex tribus partibus eloquentiae, inuentione in blandis & amabilibus ſententijs uſurpandis, elocutione in ſtylo placido, & actione in lenitate uocis & geſtus: unde conſtat mouendorum affectuum non eſſe unicam artem, ſed idipſum uariis artibus effici, & Antonium cum inuentionem affectuum pollicetur, huic elocutionem & actionem miſcere, & eo ueritate rerum deduci, quo conſilii ratione deduci non potuit, ut

exiſti-

exiſtimaret facultatem affectuum mouendorum non eſſe proprie referendam ad locos rhetoricae inuentionis, ſed opus eſſe multarum artium. Reos *autem* ⁊ Reus definitur ex etymologia nominis, ut is ſit, cuius de re, id eſt cauſſa diſceptatur: conſuetudo tamen obtinuit, ut reus tantum uocetur is, qui arguitur, non qui arguit. Hvic *autem* ⁊ Antonius docuit lenes ad conciliandam beneuolentiam affectus lenitate ſententiarum, elocutionis & actionis tractari: deinceps agit de grauioribus affectibus, quorum quidem naturam non explicat ſubtiliter & acute, ſicut Ariſtoteles lib. 2. ad Theode. hoc enim intereſt inter Ariſtotelem & Ciceronem, quod ille affectuum uim & originẽ & proprietatem, hic affectuum uſum magis docere uoluit, & in his dialogis ſaepe in Craſſi & Antonii perſona profitetur, ſe non tam rerum doctorem, quam ſui uſus admonitorem eſſe. Genera igitur grauiorum affectuum enumeratione quadam colligit, odium, amorem, inuidiam, beneuolentiam, metum, contemptum, reiectionem, laetitiam, maerorem, miſericordiam, ſeueritatem: deinde ſubiicit primum praeceptum ſuae experientiae & obſeruationis, ut primo loco uideamus qualis ſit auditor, quem uolumus uehementius commouere: qui aut ſua ſponte incitatus eſt ad id, quod uolumus, aut incitatus non eſt: illic affectus augendus, hic etiam excitandus eſt. Bono *poeta* ⁊ Fabius hunc poetam non ignobilem tragicum appellat, quem alii Ennium, alii Pacuuium arbitrantur: ſed quiſquis fuit ille, ex Euripide tranſtulit hoc elogium orationis: ſic enim ait Hecuba,

Τί δῆτα θνητοὶ τ' ἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν, ὡς χρὴ, πάντα καὶ μαθεύομεν
Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην
Οὐδὲν τὶ μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν
Μισθοὺς διδόντες μανθάνειν, ἵν' ᾖ ποτὲ
Πείθειν, ἅ τις βούλοιτο, τυγχάνειν θ' ἅμα.

Cur mortales in aliis quidem diſciplinis
Laboramus omnibus, ut decet, & inquirimus?
Suadelam autem reginam hominibus ſolam
Pluſquam aliud quidquam uſque ad finem diſcimus?
Mercedem dantes ad diſcendum, ut aliquando liceat
Perſuadere, quae quis uelit, & conſequi ſimul.

Haec *ſunt illa* ⁊ Antonius modeſtiae gratia reijcit a ſe in Craſſum laudem huius facultatis: eamq. Craſſi ipſius exemplo declarat, qui in maioribus cauſſis agendis, & actione, & elocutione, & inuentione ad mouendos affectus potentiſſimus erat. Digito *denique* ⁊ Fabius cap. 2. lib. 11. Cum tres (ait) contracti pollice premuntur, tum digitus ille, quo uſum optime Craſſum Cicero dicit, explicari ſolet; is in exprobrando & indicando, unde ei nomen eſt, ualet. Neqve *fieri* ⁊ Subiungit exemplo praeceptum generale de mouendis affectibus, ut orator ipſe in primis moueatur. Fab. lib. 7. Summa (inquit) circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, ut moueantur, ipſi. Horatius in Arte poetica,

-ſi uis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi, tum tua me infortunia laedent:

quod praeceptum illuſtratur ex diſſimilibus:

Si fictus dolor ab oratore eſſet ſuſcipiendus, maior ars requireretur:
Sed non illud: Neque hoc igitur.

aſſumptio declaratur exemplo Antonij ſoliti induere illum affectum, quem uult in animis iudicum imprimere, & argumento a diſſimilibus,

Vt nulla materies inflammatur, niſi ignem admoueas:
Sic auditor non mouetur, niſi ad inflammandum orator ardens, & inflammatus acceſſerit.

Ac *ne forte* ⁊ Antonius occupat hanc obiectionem: difficile eſt in alienis cauſſis, & caſibus tam ualde, & tam uarie commoueri: quam diluit ex quattuor cauſſis, quibus orator adducitur, ut affectum uerum, & naturalem induat, quae ſunt exiſtimatio ingenij, de qua Craſſus lib. 1. & Cic. in diuinatione contra Caecilium, fides, officium, diligentia. Cicero pro Cluentio, Semper equidem, ait, magno cum metu incipio dicere: quotieſcumque dico, toties mihi uideor in iudicium uenire, non ingenij ſolum, ſed etiam uirtutis, atque officij, ne aut id profiteri uidear, quod non poſſim implere, quod eſt impudentiae: aut id non efficere, quod poſſim, quod eſt aut perfidiae, aut negligentiae. Sed, *ut dixi*, ⁊ Comparatio eſt minorum cum maioribus: hiſtrio tantopere fictis in rebus commouetur, ergo in cauſſis ueris orator multo magis commoueri debet: prior pars comparationis declaratur exemplo ex tragoedia Pacuuij ſumpto: & citantur quattuor uerſus trochaici, tetrametri, catalectici, crebris onuſti ſpondaeis, quibus Telamon rex Salaminis inſulae Teucrum filium obiurgat ſine Aiace fratre a bello Troiano reuerſum. Fab. lib. vi. Vidi (inquit) ego ſaepe hiſtriones, atque comoedos, cum ex aliquo grauiore actu perſonam depoſuiſſent, flentes adhuc egredi: quod ſi in alienis ſcriptis ſola pronunciatio ita falſis accedit affectibus, quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, ut moueri periclitantium uice poſſimus? Qvae *ſi ille hiſtrio* ⁊ Ex antecedente quaſi minore maius quiddam concluditur, Hiſtrio in agendo commouetur, quanto magis in ſcribendo poeta? hoc poſtremum comprobatur teſtimonio Democriti, & Platonis affirmantium poetas diuino quodam ſpiritu afflari: hoc enim legitur apud Platonem lib. 3. & 4. de legibus, & in Apologia Socratis, & in primis in Ione, unde haec tranſcribenda duximus: Οὕτω δὲ καὶ ἡ μοῦσα ἐνθουσιαζόντων ὁρμαθὸς ἐξαρτᾶται· πάντες γὰρ οἵτε τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες, καὶ κατεχόμενοι πάντα ταῦτα τὰ καλὰ λέγουσι ποιήματα· καὶ οἱ μελοποιοὶ οἱ ἀγαθοὶ ὡσαύτως· ὥσπερ κορυμβαντιῶντες οὐκ ἔμφρονες ὄντες ὀρχοῦνται, οὕτω καὶ οἱ μελοποιοὶ οὐκ ἔμφρονες ὄντες τὰ καλὰ μέλη ταῦτα ποιοῦσιν,

ἀλλ᾽ἐπειδὰν ἐμβῶσιν εἰς τὴν ἁρμονίαν καὶ εἰς τὸν ῥυθμὸν, βακχεύουσι, καὶ κατεχόμενοι, ὥσπερ αἱ βάκχαι, ἀρύττονται ἐκ τῶν ποταμῶν μέλι καὶ γάλα κατεχόμεναι, ἔμφρονες δὲ οὖσαι· καὶ τῶν μελοποιῶν ἡ ψυχὴ τοῦτο ἐργάζεται, ὅπερ αὐτοὶ λέγουσι· λέγουσι γὰρ δήπου πρὸς ἡμᾶς οἱ ποιηταὶ, ὅτι ἀπὸ κρηνῶν μελιῤῥύτων, ἐκ μουσῶν κήπων τινῶν, καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσιν, ὥσπερ αἱ μέλιτται· καὶ αὐτοὶ οὕτω πετόμενοι καὶ ἀληθῆ λέγουσι. κοῦφον γὰρ χρῆμα ποιητής ἐστιν, καὶ πτηνὸν, καὶ ἱερὸν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται, καὶ ἔκφρων, καὶ ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ἦ.

Id eſt, Ita & muſa ipſa diuino ſpiritu afflatos efficit: per eos autem afflatos, qui alios diuino ſpiritu corripiunt, ſeries adaptatur: omnes enim epici poetae boni non arte, ſed diuino afflatu capti omnia iſta praeclara poemata dicunt: & melici boni ſimiliter, quemadmodum Corymbantes non ſana mente ſaltant, & tripudiant, ita melici poetae non ſana mente hos praeclaros cantus, & inſignes efficiunt: ſed cum incidunt in harmoniam, & rhythmum, bacchantur ſpiritu correpti, ueluti Bacchae mulieres mel, & lac hauriunt ex fluuiis, non autem cum ſanae mentis ſunt: & melicorum animus id efficit, quod ipſi dicunt: dicunt enim nobis poetae ſe ex fontibus mellifluis, & ex muſarum uiridariis, collibuſq. decerpentes carmina nobis afferre, quemadmodum apes: & ſeipſos apũ more uolitare: & uera quidem dicunt: eſt enim poeta res leuis, & uolatilis, & ſacra, neque prius poteſt carmen facere, quam deo plenus ſit, & extra ſe poſitus, & a mente alienatus. QVAE *nolite* ꝫ Principalis redditio primae comparationis ſequitur, & illuſtratur facto Antonii in M'. Aquillii cauſſa: quod quidem exemplũ uice cuiuſdam generalis praecepti traditur, ut quod Antonius nominatim ait ſe in cauſſa M'. Aquillii feciſſe, idipſum generatim iudicemus oratori ſimilibus in cauſſis eſſe faciendum: induit igitur Antonius φαντασίαν, ideſt uiſionem: & miſerabilem caſum M'. Aquillij prius ſibi ipſi repraeſentauit, quam iudicibus repraeſentare conatus fuerit: has φαντασίας qui bene conceperit, is erit (ut ait Fabius) in affectibus potentiſſimus: hunc quidam dicunt εὐφαντασίωτον, qui ſibi res, uoces, actus ſecundum uerum optime fingit. QVAMQVAM *te* ꝫ Alterum item exemplum Antonii uim quandam generalis doctrinae habet, ut hic diſcamus quomodo oporteat in periculoſa, difficiliq. cauſſa maximam inuidiam reo conflatam ſenſim & paullatim dicendo reſtinguere: Antonius igitur exponit ſummã defenſionis ſuae pro C. Norbano, quemadmodum ſe inſinuauerit in ipſam cauſſam ab honeſta officii ſui excuſatione, quemadmodum diſputauerit de ſeditionibus ciuitatis, quemadmodum per digreſſionem deplorauerit interitum exercitus Romani, & Caepionem in odium iudicum adduxerit, quemadmodum in peroratione C. Norbanum iudicibus conciliarit, & ad eos flectendos preces & lacrymas adhibuerit: quae defenſionis commemoratio, ut ipſe admonet, in artis loco reponenda eſt, ut intelligamus, quid in ſimili cauſſa ſequi nos oporteat. QVID *fecerim,* ꝫ Diſputatio Antonii breuiter ita concluditur:

Siquando populus Romanus iure concitatus fuit, in primis iuſtam cauſſam ſeditionis aduerſus Caepionem habuit:

Sed populus Romanus ſaepiſſime iuſtiſſima de cauſſa concitatus fuit:

Itaque multo iuſtiore de cauſſa in Caepionem fuit concitatus.

Aſſumptio primo loco declaratur multis exemplis ſeditionum ciuilium, quae reip. utiles, & ſalutares fuerunt, ut cum reges exacti, cum tribuni pleb. creati, cum poteſtas a magiſtratibus ad populum prouocandi, populo data eſt: deinde propoſitio amplificatur inuidioſe ex factis Caepionis ad creandum illi odium iudicum. HIC *Sulpicius,* ꝫ Sulpicius magna cum admiratione laudat prudentiam Antonij in defendendo Norbano, & totum eius artificium per ſingulas partes cauſſae, & orationis indicat: quae demonſtratio inſtar generalis doctrinae habetur. imitatus eſt Antonius Demoſthenem in illa oratione pro Cteſiphonte longe optima: nam exorſus eſt ſummiſsius: deinde ut ille de legibus, ſic hic de ſeditionibus preſsius diſputauit: poſt ſenſim, & occulte ſerpens, ut uidit pacatiores iudices, in reliquo genere commiſerationis uerſatus eſt multo liberius. ATQVI, *ſi ita* ꝫ Quale eſſet ἠθικὸν, καὶ παθητικὸν genus orationis, Antonius partim praeceptis, partim exemplis expoſuit: deinceps pollicetur artem quandam obſeruationum ſuarum de mouendis, aut placandis affectibus: quae tamen neque dialectica, neque rhetorica eſt, ſed moralis: quia ex ethicis praeceptis uirtutum, & uitiorum deducitur. NAM *neque paruis* ꝫ Duae ſunt cautiones de non mouendis affectibus, uel cum cauſſae paruitas non requirit, ut cum agitur de ſtillicidiis, de finibus regundis: uel cum ita obſtinatus eſt auditor, ut a ſententia nullo poſſit affectu dimoueri, ut ſi uelles Catoni ſuadere, ut remp. Caeſari proderet. SENTIMVS *amorem* ꝫ Praecepta conciliandi amoris ſumuntur ex duabus principibus cauſſis amicitiae, quae ſunt, uirtus, & utilitas. fere enim hominem diligimus, aut quia bonus eſt, aut quia de nobis bene meritus, aut meriturus: ſic Cicero in oratione de prouinciis conſularibus conciliat amorem ſenatus Caeſari ex eius benemeritis in patriam, & rebus in Gallia bene, & feliciter geſtis. ATQVE *iiſdem* ꝫ Praecepta creandi, uel augendi in aduerſarium odij duo item ſunt duobus ſuperioribus contraria, uitium & damnum: fere enim odimus improbos, uel eos, qui nobis, aut aliis, aut reip. pernicioſi, & infeſti ſunt: ex quo genere ſunt Ciceronis orationes in Catilinam, Clodium, Piſonem, Gabinium, Antonium. Praecepta autem amoris ualebunt ad reſtinguendã iracundiam, quando commendabimus iudicibus iratis hominem bonum, uel ipſis, aut reip. utilem: & praecepta creandi odij ualebunt ad inflammandam iracundiam, cum inuehemur in hominem malum, & pernicioſum cum reip. tum iis, qui audiunt. ITEM *timor* ꝫ Duo ſunt praecepta de incutiendo metu, unum ex propriis eorum, qui audiunt, periculis, alterum ex communibus: ut pro lege Manilia, Sic etiam ſpes iniicitur ex aduenientibus bonis, ut in eadem oratione deliberatio de Pompeio mittendo ad bellum Mithridaticum: & laetitia ex praeſentibus commodis, uel priuatis, uel publicis, ut gratulatio ad Caeſarem de reſtituto Marcello: & moleſtia ex praeſentibus malis uel propriis, uel communibus, ut oratio aliqua funebris. SED *haud ſciam* ꝫ Inuidia, eſt aegritudo ex alterius felicitate concepta: & motus animi longe omnium acerrimus, ſicut ait Horatius,

Inuidia

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Et quemadmodum inuidemus uel paribus, uel inferioribus, uel ſuperioribus, ita orationem ad excitandam, uel ſedandam inuidiam in partes, aut ſuperiores, aut inferiores inſtruimus. duo praecepta inflammandae inuidiae ſumuntur ex duobus cauſſis, propter quas alteri quis inuidet, quae ſunt dignitas uirtutis, & excellentia fortunae, ſi commemoremus aut honorem, aut opes non eſſe uirtute partas, aut eum, qui ſibi eas honeſte peperit, arroganter, & ſuperbe, & faſtidioſe ſe gerere, partiſq. rebus intemperanter abuti. Sic Cicero in Philippicis diſputat, M. Antonium non eſſe ferendum, quia maiorem dominatum affectet, quam libera ciuitas ferre poſſit, eoq. adducit animos ciuium, ut M. Antonio tamquam ſuperbo tyranno inuideant: loci uero reſtinguendae inuidiae praecipui ſunt duo: unus, cum ſignificamus praeſtantiam dignitatis, aut fortunae non ad noſtram, ſed ad publicam utilitatem conferri: ſic Cicero ſignificat ſe eloquentiam expetiiſſe ad reip. dignitatem, & ſalutem ciuium: alter, cum nos modeſte extenuamus: cuius generis exempla ſunt in principiis orationum Ciceronis. IAM *miſericordia* § Duo ſunt praecepta commiſerationis: unum, cum deploramus eiuſmodi caſum, qualis acciderit, uel accidere poſſit iudicibus: alterum, cum lugemus afflictam hominis uirtutem: ut Cicero facit in oratione pro Rabirio Poſt. SED *eſt quaedam* § Vtrumque orationis genus ἠθικὸν καὶ παθητικὸν nonnumquam in eadem oratione miſcetur. IN *utroque autem* § Ingreſſus ad affectum tardus, & lentus eſſe debet, ut ſenſim, & paullatim oratio irrepat in ſenſum iudicis: ſic Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte loquitur ſummiſſius in principio, deinde de legibus diſputat preſsius: poſt ſenſim incedens, iudices ut uidit ardentes, in reliquis exſultat audacius. NAM *neque* § Vt longo tractu ueniendum eſt ad patheticon orationis genus, ita in eo diutius commorandum eſt, & affectus elocutionis, & actionis uiribus eſt excitandus in his, qui audiunt: quod praeceptum Antonius declarat diſſimili ratione docendi, & mouendi: argumentum enim rem, & cauſſam ſtatim docet, oratio uehemens non ſtatim iudicem commouet, ſed uariam, & copioſam elocutionem, & contentionem actionis requirit. IAM *illud perſpicuum* § Antonius breuiter praecipit de duplici refutatione, una fidei, altera motus: & prioris quidem generis triplicem modum tradit: unum, cum antecedens argumentum refellitur: ut cum Coelius arguitur ueneficij, quod Licinium adoleſcentem quendam ſubornauerit ad porrigendum Clodiae uenenum in balneis: Cicero huic argumento, ut falſo, reſiſtit: alterum, cum negatur ex antecedentibus effici conſequens: ut in ſyllogiſmo fallaci, & captioſo, qualem refellit Cotta lib. 3. de nat. deorum contra Stoicos: tertium, cum affertur aliquid aut grauius, aut aeque graue: ut Cicero non negat Ligarium fuiſſe in armis contra Caeſarem, ſed aeque graue obiicit accuſatori Tuberoni, qui arma quoque in Caeſarem ſumpſiſſet. Affectus autem, id éſt, locus patheticus refutatur uno modo, nempe ut affectus iam in animis audientium impreſſus affectu contrario tollatur, ut odium beneuolentia, inuidia miſeratione: contraria enim contrariorum ſunt remedia: itaque Cicero Caeſaris iram in Ligarium beneuolentiae locis mitigauit, & beneuolentiam populi Romani in Rullum locis inuidiae, & odij depulit.

PAVLLVS. MANVTIVS. VT *boni uiri eſſe uideantur.* § ſic libri ſcripti. Videamur, magis placeret.

CICERO

*S*VAVIS *autem eſt, & uehementer ſaepe utilis iocus, & facetiae: quae, etiam ſi alia omnia tradi arte poſſunt, naturae ſunt propria certe, neque ullam artem deſiderant. in quibus tu longe alijs mea ſententia, Caeſar, excellis. quo magis mihi etiam teſtis eſſe potes, aut nullam eſſe artem ſalis; aut, ſi qua eſt, eam nos tu potiſſimum docebis. Ego uero, inquit Caeſar, omni de re facetius puto poſſe ab homine non inurbano, quam de ipſis facetijs, diſputari. itaque cum quoſdam Graecos inſcriptos libros eſſe uidiſſem de ridiculis; nonnullam in ſpem ueneram poſſe me aliquid ex iſtis diſcere; inueni autem ridicula & ſalſa multa Graecorum: nam & Siculi in eo genere, & Rhodij, & Byzantij, & praeter ceteros Attici excellunt: ſed qui eius rei rationem quandam conati ſunt, artemq. tradere, ſic inſulſi exſtiterunt, ut nihil aliud eorum, niſi ipſa inſulſitas, rideatur. quare mihi nullo uidetur modo doctrina iſta res poſſe tradi. Etenim, cum duo genera ſint facetiarum, alterum aequabiliter in omni ſermone fuſum, alterum peracutum, & breue: illa a ueteribus ſuperior cauillatio, haec altera dicacitas nominata eſt. leue nomen habet utraque res: quippe: leue enim eſt totum hoc, riſum mouere. uerum tamen, ut dicis Antoni, multum in cauſſis perſaepe lepore, & facetijs profici uidi. Sed, cum in illo genere perpetua feſtiuitatis ars non deſideretur; natura enim fingit homines, & creat imitatores, & narratores facetos, & uultu adiuuante, & uoce, & ipſo genere ſermonis: tum uero in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, cum ante illud facetum dictum emiſſum haerere debeat, quam cogitari potuiſſe uideatur? Quid enim hic meus frater ab arte adiuuari potuit, cum a Philippo interrogatus quid latraret, Furem ſe uidere reſpondit? quid in omni oratione Craſſus, uel apud centumuiros contra Scaeuolam, uel contra accuſatorem Brutum, cum pro Cn. Plancio diceret? nam id, quod tu mihi tribuis, Antoni, Craſſo eſt omnium ſententia concedendum. non enim fere quiſquam reperietur, praeter hunc, in utroque genere leporis excellens, & illo, quod in perpetuitate ſermonis, & hoc, quod in celeritate, atque dicto eſt. nata haec perpetua contra Scaeuolam Curiana defenſio tota redundauit hilaritate quadam, & ioco, dicta illa breuia non habuit. parcebat enim aduerſarij dignitati: in quo ipſo ſeruabat ſuam: quod eſt hominibus facetis, & dicacibus difficillimum, habere*

habere

*bere hominum rationem, & temporum, & ea, quae
occurrant, cum ſalſiſſime dici poſſint, tenere. itaque
nonnulli ridiculi homines hoc ipſum non inſulſe inter
pretantur. dicere enim aiunt Ennium, flammā a ſapiē
te facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta te
neat: haec ſc ili cet bona dicta, quae ſalſa ſint: nam
ea dicta appellantur proprio iam nomine. Sed, ut
in Scaeuolam continuit ea Craßus; atque illo alte-
ro genere, in quo nulli aculei contumeliarum in-
erant, caußam illam, diſputationemq. luſit: ſic in Bru-
tum, quem oderat, & quem dignum contumelia iudi-
cabat, utroque genere pugnauit. quam multa de bal-
neis, quas nuper ille uēdiderat, quam multa de amißo
patrimonio dixit? atque illa breuia, cum ille diceret
ſe ſine cauſſa ſudare, Minime mirum, inquit: modo
enim exiſti de balneis. innumerabilia huiuſcemodi fue
runt: ſed non minus illa iucunda perpetua. Cum enim
Brutus duos lectores excitaſſet; & alteri de colonia
Norbanenſi Craſſi orationem legendam dediſſet, al-
teri de lege Seruilia; & cum contraria inter ſeſe de
rep. capita contuliſſet: noſter hic facetiſſime tres pa-
tris Bruti de iure ciuili libellos tribus legendos dedit.
ex libro primo:* Forte euenit, ut in Priuernati eſſemus.
*Brute, teſtificatur pater ſe tibi Priuernatem fundum
reliquiße. Deinde in libro ſecundo:* In Albano era-
mus ego, & Marcus filius. *Sapiēs uidelicet homo cum
primis noſtrae ciuitatis norat hūc gurgitē; metuebat,
ne, cum is nihil haberet, nihil eße ei relictū putaretur.
Tum ex libro tertio, in quo finem ſcribendi fecit: (tot
enim, ut audiui Scaeuolam dicere, ſunt ueri Bruti li
bri)* In Tiburti forte aſſedimus ego, & Marcus filius.
*Ubi ſunt ij fundi, Brute, quos tibi pater publicis com-
mentarijs conſignatos reliquit? quod niſi puberem
te, inquit, iam haberet; quartum librum compoſuiſ-
ſet, & ſe etiam in balneis locutum cum filio ſcri-
ptum reliquiſſet. Quis eſt igitur, qui non fateatur,
hoc lepore, atque his facetijs non minus refutatum
eſſe Brutum, quam illis tragoedijs, quas egit idem,
cum caſu in eadem cauſſa efferretur anus Iunia? pro
dij immortales, quae fuit illa, quanta uis, quam in ex-
ſpectata, quam repentina? cum, coniectis oculis, ge-
ſtu omni imminenti, ſumma grauitate, & celerita-
te uerborum, Brute, quid ſedes? quid illam anum
patri nunciare uis tuo? quid illis omnibus, quorum
imagines duci uides? quid maioribus tuis? quid L.
Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberauit?
quid tu facere? cui rei, cui gloriae, cui uirtuti ſtudere?
patrimonio ne augendo? ad id non eſt nobilitatis. ſed
faceße: nihil ſupereſt: libidines totum diſſipauerunt.
an iuri ciuili? eſt paternum: ſed dicet, te, cum aedes
uenderes, ne in rutis quidem, & caeſis ſolium tibi pa
ternum recepiſſe. an rei militari? qui numquam ca-
ſtra uideris. an eloquentiae? quae nulla eſt in te:
quidquid eſt uocis, ac linguae, omne in iſtum turpiſſi-
mum calumniae quaeſtum contuliſti. Tu lucem adſpi
cere audes? tu hos intueris? tu in foro, tu in urbe, tu in
ciuium eſſe conſpectu? tu illam mortuam, tu imagines
ipſas non perhorreſcis? quibus non modo imitandis,
ſed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliqui-
ſti. Sed haec tragica, atque diuina: faceta autem, &
urbana innumerabilia ex una concione meminiſtis:
nec enim concio maior umquam fuit, nec apud po-
pulum grauior oratio, quam huius contra collegam
in cenſura nuper, neque lepore, & feſtiuitate con-
ditior. Quare tibi, Antoni, utrumque aſſentior, &
multum facetias in dicendo prodeße ſaepe, & eas
arte nullo modo poße tradi: & illud quidem admi-
ror, te nobis in eo genere tribuiſſe tantum, & non
huius rei quoque palmam, ut ceterarum, Craſſo de-
tuliſſe. Tum Antonius, Ego uero ita fecißem, in-
quit, niſi interdum in hoc Craßo paullulum inuide-
rem. nam eſſe quamuis facetum, atque ſalſum, non
nimis eſt per ſeipſum inuidendum: ſed, cū omnium ſis
uenuſtiſſimus, & urbaniſſimus, omnium grauiſſi-
mum, & ſeueriſſimum & eſſe, & uideri, quod iſti
contigit uni, id mihi uix ferendum uidebatur. Hic
cum arriſißet ipſe Craſſus, Attamen, inquit An-
tonius, cum artem eße facetiarum, Iuli, negares,
aperuiſti quiddam, quod praecipiendum uideretur.
haberi enim dixiſti rationem oportere hominum,
rei, temporis, ne quid iocus de grauitate decerpe-
ret: quod quidem in primis a Craſſo obſeruari ſo-
let. Sed hoc praeceptum praetermittendum eſt
facetiarum, quod his nihil opus ſit: nos autem, quo
modo utamur, cum opus ſit, quaerimus; ut in ad-
uerſarium, & maxime ſi eius ſtultitia poterit agi-
tari; in teſtem ſtultum, cupidum, leuem, ſi faci-
le homines audituri uidebuntur. Omnino proba-
biliora ſunt, quae laceſſiti dicimus, quam quae prio-
res. nam & ingenij celeritas maior eſt, quae appa-
ret in reſpondendo: & humanitatis eſt reſponſio: ui-
demur enim quieturi fuiſſe, niſi eßemus laceſſiti: ut
in iſta ipſa concione nihil fere dictum eſt ab hoc,
quod quidem facetius dictum uideretur, quod non
prouocatus reſponderit. Erat autem tanta grauitas
in Domitio, tanta auctoritas, ut, quod eßet ab eo
abiectum, lepore magis eleuandum, quam conten-
tione frangendum uideretur. Tum Sulpicius,
Quid igitur, inquit, patiemur Caeſarem, qui
quamquam Craßo facetias concedit, tamen mul-
to in eo ſtudio magis ipſe elaborat, non explicare
totum nobis genus hoc iocandi quale ſit, & unde
deducatur, praeſertim cum tantam uim, & utili-
tatem ſalis, & urbanitatis eße fateamur? Quid,
ſi inquit Iulius, aßentior Antonio, dicenti nullam
eſſe artem ſalis? Hic cum Sulpicius reticuiſſet,
Quaſi uero, inquit Craſſus, horum ipſorum, de
quibus Antonius tamdiu loquitur, ars ulla ſit:
obſeruatio quaedam eſt, ut ipſe dixit, earum rerum,
quae in dicendo ualent: quae, ſi eloquentes face-
re poßent, quis eſſet non eloquens? quis enim haec
uel non facile, uel certe aliquo modo poſſet edi-
ſcere? Sed ego in his praeceptis hanc uim, &
hanc utilitatem eſſe arbitror, non ut ad reperien-
dum, quid dicamus, arte ducamur. ſed, ut ea, quae
natura, quae ſtudio, quae exercitatione conſequi-
mur, aut recta eße confidamus, aut praua intel-
ligamus, cum, quo referenda ſunt, didicerimus.
quare, Caeſar, ego quoque a te hoc peto, ut, ſi ti-
bi uidetur, diſputes de hoc toto iocandi genere quid
ſentias: ne qua forte dicendi pars, quoniam ita
uoluiſtis, in hoc tali coetu, atque in tam accura-
to ſermone praeterita eſſe uideatur. Ego uero, in-
quit ille, quoniam collectam a conuiua, Craſſe,
exigis,*

exigis, non committam, ut, ſi defugerim, tibi caußam aliquam dem recuſandi: quamquam ſoleo ſaepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in ſcena geſtum ſpectante Roſcio. quis enim ſeſe commouere poteſt, cuius ille uitia non uideat? ſic ego nunc Craſſo audiente primum loquar de facetijs, & docebo ſus, ut aiunt, oratorem eum, quem cum Catulus nuper audißet, fenum alios aiebat eße oportere. Tum ille, Iocabatur, inquit, Catulus praeſertim cum ita dicat ipſe, ut ambroſia alendus eſſe uideatur. uerum te, Caeſar, audiamus, ut ad Antonij reliqua redeamus. Et Antonius, Perpauca quidem mihi reſtant, inquit: ſed tamen defeßus iam labore, atque itinere diſputationis, requieſcam in Caeſaris ſermone, quaſi in aliquo peropportuno diuerſorio. Atqui, inquit Iulius, non nimium liberale hoſpitium meum dices: nam te in uiam, ſimul ac perpaullulum guſtaris, extrudam, & eijciam.

EXPLANATIO

SVAVIS *autem* } Expoſitis duabus inuentionibus, una argumentorum ad docendum cauſſam, altera grauiorum rationum ad mouendus affectus, ſupereſt tertia delectationis inuentio, ideſt, ars riſus, & iocorum, quam Antonius nullam eſſe dicit, aut, ſi qua eſt, explicationē eius a Caeſare petit: Caeſar igitur primum diſputat, nullam artem uideri iocorum, deinde tamen eum docebit: quae re uera nihil rhetoricae proprium habet, neque dialecticae, ſed communiter ex ambabus, atque etiam ex aliis artibus ſumitur, quemadmodum ſequentia praecepta de iocis iudicabunt: iocos igitur minime conſtare arte, & praeceptis Caeſar probare conatur ex libris Graecorum rhetorum de hac re conſcriptis, qui tantum abeſt, ut artem facetiarum habeant, ut nihil illis uideatur inſulſius, & ineptius. ETENIM *cum duo* } Secundum argumentum eſt a diſtributione facetiarum in duas ſpecies, cauillationem, & dicacitatem, quibus negatis, totum negate concluditur, hoc modo:

Cauillatio non deſiderat artem, neque item dicacitas:
Nullae igitur facetiae artem requirunt.

Antecedentis ratio ſumitur ex captioſo diſſentaneo: Vtrumque genus natura conſtat, non igitur arte: uitioſum eſt conſectarium: nam quaecumque arte conſtant, etiam conſtant natura. QVID *enim hic* } Iocus eſt Catuli in Philippum conſulem rapacem, & ex occaſione metaphorae, & ſubiecti ad illam metaphoram relati ſumitur: nam canes allatrant furibus. QVID *in omni* } Exempla deinceps proponuntur ex duabus nobiliſſimis orationibus Craſſi, quibus Caeſar probare nititur Craſſum natura facetum fuiſſe, & in hoc genere ceteris excelluiſſe, & in iocando rationem perſonarum habuiſſe: ut in oratione pro Curio iocatus eſt in Scaeuolam iucunde, & feſtiue, ſalua tamen dignitate hominis, quia non decebat famam hominis ſibi amiciſſimi ullis moleſtis aculeis ſcommatum pungi, & lacerari. SED *ut in Scaeuolam* } Exempla quae ſequuntur, acerbiores iocos habuerunt in M. Brutum aduerſarium Licinij Craſſi, & prodigum hominem, dignumque, qui acutioribus, & grauioribus aculeis contumeliarum per iocum uexaretur. MODO *enim* } Iocus arreptus eſt ex ſubiecti & adiuncti ratione: nam in balneis ſudatur: & delectat ſermonis ambiguitas. Exire autem de balneis ſignificat alias egredi, alias autem balnearum poſſeſſionem amittere. CVM *enim Brutus* } Craſſus fuerat irriſus a M. Bruto, quod in diſſuaſione legis, quae contra coloniam Narbonenſem ferebatur, quantum potuit de auctoritate ſenatus detraxit: in ſuaſione autem legis Seruiliae, quae partem iudiciorum equitibus auferebat, & ſenatoribus dabat, ſummis ſenatum laudibus ornauit: ex quibus contrarijs capitibus Brutus Craſſi deriſit inconſtantiam. Ex *lib.* I. } Craſſus quaeſiuit feſtiuam narrationem, qua laceſſitus in Brutum iocaretur, qui tres paternos fundos uendiderat, & patrimonium decoxerat: de quo Fabius, Illud quoque genus eſt poſitum non in hac uelut iaculatione uerborum, & incluſa breuiter urbanitate, ſed in quodam longiore actu: quod de Craſſo contra Brutum, in ſecundo de orat. libro, & alijs quibuſdam locis narrat: nam cum Brutus in accuſatione Cn. Planci ex duobus lectoribus oſtendiſſet contraria L. Craſſum patronum eius in oratione, quam de colonia Narbonenſi habuerat, ſuaſiſſe eis, quae de lege Seruilia dixerat, tres excitauit & ipſe lectores, hisq. patris eius dialogos dedit legendos, quorum cum in Priuernati unus, alter in Albino, tertius in Tiburti ſermonem habitum complecteretur, requirebat, ubi eſſent eae poſſeſſiones: omnes autem Brutus uendiderat, &, cum paterna mancip aret praedia, turpis habebatur. QVIS *eſt igitur* } Caeſar approbat uim Craſſi in facetijs & iocis, comparatione grauiorum affectuum, quibus tragice inuectus eſt in Brutum: in quibus etſi magnus fuit, non magis tamen excelluit, quam in lepore & ſalibus. BRVTE *quid ſedes?* } Videntur haec uerba ſumpta eſſe ex oratione Craſſi pro Planco, quibus Licinius Craſſus M. Brutum accuſatorem hominem nequam, & maiorum ſuorum diſſimilem uehementer obiurgauit, ſumpta occaſione obiurgationis ex Iunia Bruti propinqua. quae tum forte Craſſo dicente, per medium forum efferebatur ad rogum. Collegit itaque Craſſus longa inductione honeſta, & utilia hominum ſtudia, quae Brutus hic contempſit. NE *in rutis* } Hyperbolicus eſt modus extenuandi cauſſa, & iocus ex formula iuris ſumptus in M. Brutum, qui ſic decoxerat, ut nil ex ea effuſione reliqui feciſſet, ne ſolium quidem, id eſt, ſellam, & hexedram, in qua pater ſedens de iure reſpondebat. TV *imagines* } In atrijs nobilium cereae imagines familiae diſpoſitae erant ſingulae in ſuis armarijs: Brutus autem & domum & atrium, & armaria uendiderat. NEC *enim concio* } Cn. Domitius cenſor accuſauit pro roſtris L. Craſſum collegam ſuum, quod nimis ſumptuoſe aedificaſſet, & in porticu domus columnas Hymettias haberet: cui Craſſus in concione reſpondit, & parem, atque etiam maiorem luxum obiecit, qui decem arbuſculas tricies HS emiſſet. lege Valerium lib. 9. QVARE *tibi Antoni* } Epilogus eſt ad laudem Craſſi, & tria diſputationis capita complectitur. TVM *Antonius*, } Haec dicuntur ab Antonio per

iocum:

iocum: mos enim eſt in dialogis, ut homines inter ſe familiariter rideant: atque hic iocus ſpectat ad ſummam laudem Craſſi ex admirabili coniunctione duarum diſſimilium uirtutum, ſeueritatis & comitatis. Cicero in Bruto, Erat ſumma grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum, & urbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos. Ibidem, Craſſus in ſumma comitate habebat etiam ſeueritatis ſatis. ATTAMEN, *inquit*, ʒ Iocus ſi non ueram & certam artem, qualis autea definiebatur ab Antonio, at ſpeciem quandam artis habet, ex probabilibus obſeruationibus, & animaduerſionibus collectam: quales ſunt hae regulae:

> In iocando habenda eſt ratio loci, perſonae, temporis:
> Irridendus eſt aduerſarius aut teſtis, ſi auditor facile pati uidebitur:
> Iocus in reſpondendo gratior, quam in laceſſendo:

& multae aliae leges, quae a Caeſare tradentur.

TVM *Sulpicius*, ʒ Antonius primus fuit hortator Caeſaris, ut de iocis diceret: ſecundus adeſt Sulpicius, qui hortatur duobus argumentis: Caeſar in hoc genere praecipue uerſatur: & iocus eſt oratori perutilis: Itaque nos cupimus de iocis audire de Caeſare. QVASI *uero*, ʒ Tertius hortator eſt Craſſus, qui non artem, ſed quaſi artem, id eſt, probabilem doctrinam facetiarum requirit: & ſyllogiſmum ſic inſtruit:

> Praecepta artis ſunt utilia, & cognoſcenda, quia docent, quid rectum, prauumq. ſit in re, quae explicatur:
> Obſeruationes de iocis ſunt artis quaedam praecepta:
> Obſeruationes igitur de iocis ſunt utiles, & cognoſcendae, quia docent, quid in iocando rectum, prauumq. ſit.

In natura, & exercitatione praecipua uis eſt: in arte conſilium: ars tantum demonſtrat, ut ante dixit Antonius, ubi quaeras, atque ubi ſit illud, quod ſtudeas inuenire: reliqua ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, uigilantia, aſſiduitate, labore.

EGO *uero*, ʒ Prooemium de iocis totum iocoſum, & feſtiuum eſt, ubi Caeſar, Craſſus & Antonius perbelle inter ſe iocantur ex metaphoris, ſimilitudinibus, & prouerbijs feſtiuiſſimis, & elegantiſſimis: prima metaphora eſt a conuiuis, qui pecuniam colligunt, & conferunt ad apparatum menſae, quae pecunia dicitur a Latinis collecta, a Graecis σύμβολον: ita in hoc diſputationis conuiuio Antonius Caeſar, & Craſſus aliquid conferunt, Antonius duas inuentiones fidei, & motus, artem diſpoſitionis & memoriae, Caeſar locos facetiarum, Craſſus praecepta elocutionis, & actionis. QVAMQVAM *ſoleo* ʒ Modeſta eſt ſui ipſius extenuatio collaudata perſona Craſſi ex ſimilibus: Vt impudentia eſt agere ſpectante Roſcio, ſic dicere audiente Craſſo. DOCEBO *ſus* ʒ Caeſar alludit ad prouerbium (Sus Mineruam) cum doctus indoctum uult aliquid docere: eſt enim ſus, animal ignauum, & ſtupidum, & ſtolidum. FENVM *alios* ʒ Vide num potius legendum ſit, Coenum, ut ſit alluſio ad ſubiectum proprium ſuis, quae coeno lutoq. gaudet. TVM *ille*, ʒ Craſſus eleuat dictum Catuli exemplo, & laude ipſius Catuli: qui locus habet uim quandam repugnantiae: Catulus ſummus eſt orator: non igitur ceteri a Craſſo uiles ſunt. Haec laus exornatur poetica metaphora: poetae enim fingunt deos ambroſia ueſci, & ex eo cibo immortalitatem conſequi. PERPAVCA ʒ Lepos hic quaeſitus eſt ex ſimilitudine uiatorum, & habet magnam elegantiam in metaphoris, quae ſignificant & longam Antonij diſputationem fuiſſe, & proximum Caeſaris ſermonem plenum fore cuiuſdam ſuauitatis, & Antonium ad reliquam τεχνολογίαν ſtatim reuerſurum eſſe.

CICERO

AC, ne diutius uos demorer; de omni iſto genere quid ſentiam, perbreuiter exponam. De riſu quinque ſunt, quae quaerantur; unum, quid ſit; alterum, unde ſit; tertium, ſit ne oratoris uelle riſum mouere; quartum, quatenus; quinctum, quae ſint genera ridiculi. Atque illud primum, quid ſit ipſe riſus, quo pacto concitetur, ubi ſit, quo modo exſiſtat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, & quo modo ſimul latera, os, uenas, uultum, oculos occupet, uiderit Democritus: neque enim ad hunc ſermonem hoc pertinet; &, ſi pertineret, neſcire me tamen id non puderet, quod ne ipſi quidem illi ſcirent, qui pollicentur. Locus autem, & regio quaſi ridiculi (nam id proxime quaeritur) turpitudine, & deformitate quadam continetur. haec enim ridentur uel ſola, uel maxime, quae notant, & deſignant turpitudinem aliquam non turpiter. Eſt autem, ut ad illud tertium ueniam, eſt plane oratoris mouere riſum: uel quod ipſa hilaritas beneuolentiam conciliat ei, per quem excitata eſt: uel quod admirantur omnes acumen uno ſaepe in uerbo poſitum, maxime reſpondentis, nonnumquam etiam laceſſentis: uel quod frangit aduerſarium, quod impedit, quod eleuat, quod deterret, quod refutat: uel quod ipſum oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quod eruditum, quod urbanum: maximeq. quod triſtitiam, ac ſeueritatem mitigat, & relaxat, odioſasq. res ſaepe, quas argumentis dilui non facile eſt, ioco, riſuq. diſſoluit. Quatenus autem ſunt ridicula tractanda oratori, per quam diligenter uidendum eſt: id quod in quarto loco quaerendi poſueramus. nam nec inſignis improbitas, & ſcelere iuncta, nec rurſus miſeria inſignis agitata ridetur. facinoroſos maiore quadam ui, quam ridiculi, uulnerari uolunt: miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe forte iactant. Parcendum eſt autem maxime caritati hominum; ne temere in eos dicas, qui diliguntur. Haec igitur adhibenda eſt primum in iocando moderatio. itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno, nec miſericordia maxima digna ſunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum eſt in iſtis uitijs, quae ſunt in uita hominum neque carorum, neque calamitoſorum, neque eorum, qui ob

facinus

facinus ad ſupplicium rapiendi uidentur: eaq. belle agitata ridentur. Eſt etiam deformitatis, & corporis uitiorum ſatis bella materies ad iocandum. Sed quaerimus idem, quod in ceteris rebus maxime quaerendum eſt, quatenus. In quo non modo illud praecipitur, ne quid inſulſe: ſed etiam, ſi quid perridicule poſſis, uitandum eſt oratori utrumque, ne aut ſcurrilis iocus ſit, aut mimicus. quae cuiuſmodi ſint, facilius iam intelligemus, cum ad ipſa ridiculorum genera uenerimus. Duo enim ſunt genera facetiarum: quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, ſi quando quid tamquam aliqua fabella narratur, ut olim tu, Craſſe, in Memmium, comediße eum lacertum Largij, cum eſſet cum eo Tarracinae de amicula rixatus: falſa, attamen a te ipſo ficta tota narratio. addidiſti clauſulam, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inſcriptas fuiße litteras, tria LLL, duo MM: cum quaereres id quid eßet, ſenem tibi quendam opidanum dixiße, Lacerat lacertum Largij mordax Memmius. Perſpicitis, hoc genus quam ſit facetum, quam elegans, quam oratorium, ſiue habeas uere, quod narrare poſſis, quod tamen eſt mendaciunculis adſpergendum; ſiue fingas. Eſt autem haec huius generis uirtus, ut ita facta demonſtres, ut mores eius, de quo narres, ut ſermo; ut uultus omnes exprimantur; ut ijs, qui audiunt, tum geri illa, fieriq. uideantur. In re eſt item ridiculum, quod ex quadam deprauata imitatione ſumi ſolet, ut idem Craſſus: Per tuam nobilitatem, per ueſtram familiam. Quid aliud fuit, in quo concio rideret, niſi illa uultus, & uocis imitatio? Per tuas ſtatuas uero, cum dixit, & extento brachio paullulum etiam de geſtu addidit, uehementius riſimus. Ex hoc genere eſt illa Roſciana imitatio ſenis:

„ Tibi ego, Antipho, has ſero:

inquit. ſenium eſt, cum audio. Atque ita eſt totum hoc ipſo genere ridiculum, ut cautiſſime tractandum ſit. Mimorum eſt enim ethologorum, ſi nimia eſt imitatio, ſicut obſcenitas. orator ſurripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat, cogitet plura, quam uideat: praeſtet idem ingenuitatem, & ruborem ſuum, uerborum turpitudine, & rerum obſcenitate uitanda. Ergo haec duo genera ſunt eius ridiculi, quod in re poſitum eſt: quae ſunt propria perpetuarum facetiarum; in quibus deſcribuntur hominum mores, & ita effinguntur, ut aut re narrata aliqua, quales ſunt, intelligantur, aut, imitatione breui iniecta, in aliquo inſigni ad irridendum uitio reperiantur. In dicto autem ridiculum eſt id, quod uerbi, aut ſententiae quodam acumine mouetur. ſed ut illo ſuperiore genere, uel narrationis, uel imitationis, uitanda eſt mimorum ethologorum ſimilitudo: ſic in hoc ſcurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda eſt. Qui igitur diſtinguemus a Craſſo, a Catulo, a ceteris familiarem ueſtrum Granium, aut Vargulam, amicum meum? non mehercule in mentem mihi quidem uenit: ſunt enim dicaces: Granio quidem nemo dicacior. hoc opinor primum, ne, quotieſcumque potuerit dictum dici, neceſſe habeamus dicere. Puſillus teſtis proceſſit: Licet, inquit, rogare, Philippus? Tum quaeſitor properans, Modo breuiter. Hic ille: Non accuſabis, perpuſillum rogabo. Ridicule: ſed ſedebat iudex L. Aurifex, breuior etiam, quam ipſe teſtis. omnis eſt riſus in iudicem conuerſus: uiſum eſt totum ſcurrile iudicium. Ergo haec, quae cadere poßunt in quos nolis, quamuis ſint bella, ſunt tamen ipſa genere ſcurrilia: ut iſte, qui ſe uult dicacem, & mehercule eſt, Appius, ſed nonnumquam in hoc uitium ſcurrile delabitur. Cenabo, inquit, apud te, huic luſco, familiari meo, C. Sextio: uni enim locum eſſe uideo. Eſt hoc ſcurrile: & quod ſine cauſſa laceſſiuit; & tamen id dixit, quod in omnes luſcos cõueniret. ea quia meditata putantur eße, minus ridentur. Illud egregium Sextij, & ex tempore: Manus laua, inquit, & cena. Temporis igitur ratio, & ipſius dicacitatis moderatio, et tẽperantia, & raritas dictorum diſtinguet oratorem a ſcurra: & quod nos cum caußa dicimus, non ut ridiculi uideamur, ſed, ut proficiamus aliquid, illi totum diem, & ſine cauſſa. Quid enim eſt Vargula aſſecutus, cum eum candidatus A. Sempronius cum Marco ſuo fratre complexus eßet, Puer abige muſcas? riſum quaeſiuit: qui eſt mea ſententia uel tenuiſſimus ingenij fructus. Tempus igitur dicendi prudentia, & grauitate moderabimur: quarum utinam artem aliquam haberemus; ſed domina natura eſt. Nunc exponamus genera ipſa ſummatim, quae riſum maxime moueant. Haec igitur ſit prima partitio: quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in uerbo facetias; maxime autem homines delectari, ſi quando riſus coniuncte re, uerboq. moueatur. Sed hoc mementote, quoſcumque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex ijſdem locis fere etiam graues ſententias poſſe duci. tantum intereſt, quod grauitas honeſtis in rebus ſeuere, iocus in turpiculis, & quaſi deformibus ponitur: uelut in ijſdem uerbis & laudare frugi ſeruum poſſumus, &, ſi eſt nequam, iocari. Ridiculum eſt illud Neronianum uetus ut in furace ſeruo, Solum eße, cui domi nihil ſit nec obſignatum, nec occluſum: quod idem in bono ſeruo dici ſolet, & hoc ijſdem etiam uerbis. Ex ijſdem autem locis omnia naſcuntur. Nam quod Sp. Caruilio, grauiter claudicanti ex uulnere ob remp. accepto, & ob eam caußam uerecundanti in publicum prodire, mater dixit; Quin prodis, mi Spuri, ut, quotieſcumque gradum facies, toties tibi tuarum uirtutum ueniat in mentem: praeclarum, & graue eſt. Quod Caluino Glaucia claudicanti: Vbi uetus illud? num claudicat? at hic clodicat. hoc ridiculum eſt: & utrumque ex eo, quod in claudicatione animaduerti potuit, eſt ductum. Quid hoc Naeuio ignauius? ſeuere Scipio. At in male olentem, uideo me a te circumueniri, ſubridicule Philippus. at utrumque genus continet uerbi ad litteram immutati ſimilitudo. Ex ambiguo dicta, uel argutiſſima putantur; ſed non ſemper in ioco, ſaepe etiam in grauitate uerſantur. Africano illi maiori, coronam ſibi in conuiuio ad caput accommodanti, cum ea ſaepius rumperetur, P. Licinius Varus, Noli mirari, inquit, ſi non conuenit: caput enim magnum eſt. laudabile, & honeſtum. At ex eodem genere eſt. Caluus ſatis eſt: quod dicit, parum. Ne multa; nullum genus eſt ioci, quo non ex eodem ſeuera, & grauia ſumantur. Atque hoc etiam animaduertendum, non eſ-

ſe omnia ridicula faceta. quid enim poteſt tam ridiculum, quam ſannio eſt? ſed ore, uultu, imitandis moribus, uoce, denique corpore ridetur ipſo. ſalſum hunc poſſum dicere, atque ita, non ut eiuſmodi oratorem eſſe uelim, ſed ut mimum. Quare primum genus hoc, quod riſum uel maxime mouet, non eſt noſtrum, moroſum, ſuperſtitioſum, ſuſpicioſum, glorioſum, ſtultum. naturae ridentur ipſae: quas perſonas agitare ſolemus, non ſuſtinere. Alterum genus eſt imitatione admodum ridiculum, ſed nobis tantum licet furtim, ſi quando, & curſim: aliter enim minime eſt liberale. Tertium, oris deprauatio, non digna nobis. Quartum, obſcenitas, non ſolum non foro digna, ſed uix conuiuio liberorum.

EXPLANATIO

AC *ne diutius*] Caeſar Graecorum, quos ſequitur, more & inſtituto quinque quaeſtiones de riſu, & facetiis proponit, in quarum explicatione tota ars de iocis conſiſtit, quam Cicero ex Graecorum libris Latine expreſſit, & Romanis exemplis illuſtrauit, quae magna ex parte ſumpta ſunt ex originibus Catonis: prima quaeſtio de definitione riſus non explicatur, quod tota ſit phyſicorum, & obſcuritatem magnam habeat: phyſici riſum definiunt motum animi ad hilaritatem: cauſſam riſus ſtatuunt rem iucundum, a qua pulſus animus ſanguinem, & ſpiritus pellit, atque exinde latera, uultus, oculi iucunde permouentur: Iidem riſum dicunt habitare in praecordiis, id eſt diaphragmate, atque ita repente erumpere, ut a nobis uel cupientibus cohiberi nō poſſit, praeſertim ubi facta eſt magna impreſſio rei ſuauiter afficientis animum, & corpus ipſum eſt ſua ſponte praeparatum ad hilaritatem. Locvs *autem*] Locus & regio ridiculi intelligitur materies, quae facit, ut rideamus: eaq. ponitur in rebus turpiculis, ut, cum ſalſe, & feſtiue irridetur aliquod uitium uel corporis, uel animi, uel fortunae, quod ſequentibus exemplis planius intelligetur. Fab. lib. 6. Habet riſus, ut Cicero dicit, ſedem in deformitate aliqua, & turpitudine, quae cum in aliis demonſtrantur, urbanitas; cum in ipſum dicentem recidunt, ſtultitia uocatur. Est *autem,*] Caeſar probat quinque de cauſſis munus eſſe oratoris mouere riſum, de quibus Fabius lib. VI. Qvatenvs *autem*] Oratoris modus in iocando definitur, & qualitate hominum, & genere rerum, quae irriſionem merentur. hic igitur regula traditur a Caeſare, & declaratur a contrariis, hoc modo,

Inſignis improbitas, aut miſeria, uel auctoritas in perſonis irridenda non eſt:

Leuis igitur improbitas, aut miſeria, uel auctoritas ab oratore irrideri poteſt.

Cicero in Orat. Illud (inquit) admonemus ridiculo ſic uſurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit: nec ſub obſceno, ne mimicum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odij locum occupet riſus: neque aut perſona ſua, aut iudicum, aut tempore alienum: parcet amicitiis, & dignitatibus, uitabit inſanabiles contumelias. Dvo *enim ſunt*] Priuſquam de facetiarum generibus dicere aggrediar, praefandum illud eſſe arbitror, facetias in oratione duobus modis cum uoluptate percipi, alias ſine riſu, alias cum riſu: nam ſermo Atticorum uel in ſumma grauitate ſalſus, & facetus appellatur, non quod riſum habeat, ſed quod genere quodam leporis, & elegantiae, & urbanitatis iucundus ſit: de altero autem genere facetiarum, quod riſum mouet, haec Caeſaris doctrina inſtituitur, atque iccirco paſſim tales facetiae ridicula nominabuntur, quia riſum moueant. Partitio autem facetiarum ſumitur ex communi partitione orationis in res & uerba, ex quibus captatur riſus: quae diuiſio ut uera ſit, nullam tamen propriam artis inſtitutionem requirebat: quia ut ad grauiter, & ſententioſe dicendum, ſic ad feſtiue, & ſalſe iocandum communia dialecticae, & rhetoricae praecepta ſufficiebant, nec in hac arte, quae de iocis tradetur, alij loci fere nominabuntur, quam dialectici, & rhetorici: itaque uniuerſa facetiarum doctrina tam ſuperuacua eſt, quam ſiquis ad grauiter dicendum artem quandam ex dialecticae, & rhetoricae praeceptis permiſtis inter ſe, & coaceruatis componere uellet: hoc enim totum opus eſſet inutile, & inane, praeſertim cum dialectica, & rhetorica id ipſum praeſtarent, & ſatis abunde facerent. Re, *ſiquando*] Facetiae in rebus ſunt, ut iucunda, & feſtiua narratio, qualem Craſſus finxit, ut illuderet feſtiue C. Mummij acerbos mores, & accuſatoriam mordacitatem: & imitatio quaedam ridicula, quae duplex eſt, altera mimica, & ſcurrilis indigna oratore, altera ingenua, & oratoria: facetiae autem rerum, plura genera duobus habent, ut poſtea Caeſar indicabit: ſed haec duo illuſtrandae diuiſionis gratia ponuntur, non perficiendae, & abſoluendae. Per *tuam nobilitatem,*] Deprecatio eſt ludicra, quae Craſſus uocem flebilem, & geſtum quendam uaſtum C. Domitij irriſionis gratia in concione repraeſentabat. Tibi *ego Antipho*] Q. Roſcius in ſcena imitabatur ſenem quendam audiendo defatigatum, & uultu, ſermoneq. riſum mouebat. Atqve *ita eſt*] Praeceptum oratoriae imitationis declaratur diſſimilibus: Mimus eſt nimius in geſtu, & nimis obſcene imitatur alienos mores: orator autem in imitatione erit moderatus, & pudens. Ergo *haec duo*] Tranſit a primo genere facetiarum ad ſecundum breue, & acutum, quod dicterium, & dicacitas, & dictum, & ſcomma uocari ſolet: definitur igitur primum, quod uerbi, aut ſententiae quodam acumine mouetur: quale fuit illud Catuli in Philippum: deinde diſtinguitur a ſcurrilitate, quo facilius eius natura, & modus, & uſus intelligatur: contra enim iuxta ſe poſita ſibi mutuam lucem doctrinae, & intelligentiae impertinent: atque huius loci haec ſumma eſt, ut is dicax appelletur, qui in iucundo modum quendam habet, & perſonae, loci, rei, temporis, ut Craſſus, Catulus, & multi oratores: ſcurra uero, qui nihil horum habet, ſed riſu, & facetiis ultra modum prodit: qualis fuit Philippus, & Appius, & Vargula. Pvsillvs *teſtis*] Philippus iocus eſt utilis, & inurbanus, quia non decet iudicem ſedentem in tribunali a patrono irrideri: & ſumitur ex ambiguitate uerbi (perpuſillum) quod alias nomen eſt,

& ad

& ad breuem ſtaturam corporis refertur, alias aduerbium. VT *iſte qui ſe* ꝫ Appius ſcurriliter eſt iocatus in Caium Sextium Luſcum, ex ambiguo ſenſu orationis: ambigue enim dicitur, uni locum eſſe uideo, uel uni oculo, uel uni conniuae: atque hoc ſcomma damnatur tribus argumentis, quod intempeſtiuum, quod commune, quod praemeditatum fuerit. ILLVD *egregium* ꝫ C. Sextius feſtiue ſcomma retorſit in Appium, & moderato ioco notauit hominis furacitatem: furaces enim homines uulgo dicuntur habere manus immundas, & illitas pice, propter tenacitatem. Manus igitur laua, id eſt, abſtine a furtis, & cenabis apud me. QVID *enim eſt* ꝫ Vargula item uiſus eſt ſcurra petulans in duos Sempronios: eſt enim ſcurrile, cum quis te blande, & amice ſalutat, eum ioco leui, & puerili contumelioſe abiicere. HAEC *igitur ſit* ꝫ Iterat diuiſionem facetiarum, ut ad artis deſcriptionem ueniat, in cuius ueſtibulo admonemur communes eſſe locos ſeriae, & ridiculae orationis, & ex iiſdem locis modo graues ſententias, modo iocos erui, idq. declaratur inductione exemplorum. RIDICVLOSVM *eſt* ꝫ Neronis iocus uidetur eſſe ſumptus ex libris Catonis in ſeruum nequam, & furacem, cui domi nihil eſſet obſignatum, nec occluſum: quia quoduis hoſtium reſignabat: eadem ſententia poteſt de bono ſeruo dici, cui domus nihil occludere ſolet, ſed illi omnia aſſeruanda tradere. NAM, *quod Sp. Caruilio* ꝫ Exemplum de claudicatione ad diuerſas perſonas relatum modo ſerium eſt, modo ioculare. Serium ut in ſpurio, ioculare ut in Caluino claudicante, ideſt, uacillante in officio. QVID *hoc Naeuio* ꝫ Ex paronomaſia modo iocus, modo grauitas petitur, ut conſtat duobus exemplis, ſerio, Africani in Naeuium: ridiculo, Philippi in male olentem, qui taetro fetore halitus Philippum paene opprimebat. EX *ambiguo* ꝫ Ambiguum modo ad rem ſeriam adhibetur, modo ad iocum: & conſtat duobus exemplis. AFRICANO ꝫ Caput eſt magnum, ambigue dicitur, & grauiter ad laudem Africani, uel ut referatur ad partem corporis, uel ut ad magnitudinem nominis, & auctoritatis: & per caput Africani intelligatur ipſe Africanus, cui uirtus magnam laudem, & gloriam peperit. AT *ex eodem* ꝫ Caluus iocatus eſt ex ambiguo in quendam nugatorem, uel prolixum hominem: hoc enim utrumque ſignificat haec oratio, (ſatis eſt, quod dicir) & nugas, & loquacitatem. ATQVE *hoc etiam* ꝫ Non omne ridiculum eſt facetum, ideſt, decorum & elegans in cauſſis ciuilibus: quattuor igitur genera reiiciuntur ab oratore, quae ſunt infaceta, primum Sannionts, ſiue Morionis, qui uoce, & geſtu alienam perſonam ſuſtinens, riſum mouet, ut Demeae, Thraſonis, & Phaedriae: Secundum Mimi, qui nimis aperte, & hiſtrionice mores, & geſtus alienos imitatur: Tertium oris contortio, & deprauatio: Quartum obſcenitas: quae genera uitabit orator, quia ſint infaceta, & ingenuis hominibus indigna.

PAVLLVS. MANVTIVS. ALITER *enim minime eſt liberale.* ꝫ omnes antiqui libri, Alterum minime eſt liberale. repoſui olim, pro Alterum, Aliter enim. neque nunc ſententiam muto. tria enim exponuntur ridiculi genera: quorum duo, primum, & tertium oratorum non ſunt, medium ita licet, ſi furtim, & curſim uſurpetur: aliter illiberale eſt.

C I C E R O

DETRACTIS *igitur tot rebus ex hoc oratorio loco, facetiae reliquae ſunt, quae aut in re, ut ante diuiſi, poſitae uidentur eſſe, aut in uerbo. nam, quod quibuſcumque uerbis dixeris, facetum tamen eſt, re continetur: quod mutatis uerbis ſalem amittit, in uerbis habet leporem omnem. Ambigua ſunt in primis acuta, eaq. in uerbo poſita, non in re: ſed non ſaepe magnum riſum mouent, magis ut belle, & litterate dicta laudatur: ut illud in Titium: qui cum ſtudioſe pila luderet; & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur; gregalesque, cur in campum non ueniſſet, requirerent; excuſauit Veſpa Terentius, quod eum brachium fregiſſe diceret. Vt illud Africani, quod eſt apud Lucilium,*

„ *Quid Decius? Nuculam, an confixum uis facere? inquit.*

Vt tuus amicus Craſſe Granius, Non eſſe ſextantis. Et ſi quaeritis, is, qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellit: ſed riſus mouent alia maiores. Ambiguum per ſe ipſum probatur id quidem, ut ante dixi, uel maxime: ingenioſi enim uidetur, uim uerbi in aliud, atque ceteri accipiant, poſſe ducere; ſed admirationem magis, quã riſum mouet: niſi ſi quando incidit in aliud genus ridiculi. quae genera percurram equidem; ſed ſcitis eſſe notiſſimum ridiculi genus, cum aliud exſpectemus, aliud dicitur. hic nobiſmet ipſis noſter error riſum mouet: quod, ſi admixtum eſt etiam ambiguum, fit falſius: ut apud Naeuium uidetur eſſe miſericors ille, qui iudicatum duci uidens, percunctatur ita:

„ *Quanti addictus? mille nummum.*

Si addidiſſet tantummodo, Ducas licet; eſſet illud genus ridiculi praeter exſpectationẽ: ſed quia addidit:

„ *Nihil addo; ducas licet,*

addito ambiguo, altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem uidetur, ſalſiſſimus. Hoc tum eſt uenuſtiſſimum, cum in altercatione arripitur ab aduerſario uerbum, & ex eo, ut a Catulo in Philippum, in eum ipſum aliquid, qui laceſſiuit, infligitur. Sed, cum plura ſint ambigui genera, de quibus eſt doctrina quaedam ſubtilior; attendere, & aucupari uerba oportebit: in quo, ut ea, quae ſint frigidiora, uitemus, (etenim cauẽdum eſt, ne accerſitum dictum putetur) permulta tamen acute dicemus. Alterum genus eſt, quod habet paruam uerbi immutationem, quod in littera poſitum Graeci uocant παρονομασίαν: *ut Nobiliorem Mobiliorem Cato: aut ut idem, cum cuidã dixiſſet, Eamus deambulatum; & ille; Quid opus fuit de? immo uero, inquit, quid opus fuit te? aut eiuſdem reſponſio illa: Si tu & aduerſus, & auerſus impudicus es. Etiam interpretatio nominis habet acumen, cum ad ridiculum conuertas, quamobrẽ ita quis uocetur, ut ego nuper Nummium diuiſorem, ut Neoptolemum ad Troiam, ſic illum in campo Martio*

nomen inueniſſe. Atque haec omnia uerbo continentur. Saepe etiam uerſus facete interponitur, uel ut eſt, uel paullulū immutatus, aut aliqua pars uerſus, ut ſocius Scauro ſtomachanti; ex quo ſunt nonnulli, qui tuam legem de ciuitate natam, Craße, dicant:

„ St, tacete; quid hoc clamoris eſt? quibus nec pater, nec mater ſit,
„ Tanta confidentia eſtis? auferte iſtam enim ſuperbiam.

Nam in Coelio ſane etiam ad caußam utile fuit tuum illud, Antoni; cum ille a ſe pecuniam profectam diceret tectis, & haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo,

Sentin' ſenem eße tactum triginta minis?

In hoc genus conijciuntur prouerbia: ut illud Scipionis, cum Aſellus omnes prouincias ſtipendia merentem ſe peragraße gloriaretur, Agas aſellum. & cetera. Quare ea quoque, quoniam mutatis uerbis non poßunt retinere eandem uenuſtatem, non in re, ſed in uerbis poſita ducantur. Eſt enim in uerbo poſitum non inſulſum genus ex eo, cum ad uerbum, non ad ſententiam, rem accipere uideare. ex quo uno genere totus eſt Tutor, mimus uetus, opido ridiculus. Sed ab eo a mimis: tantum genus huius ridiculi inſigni aliqua & nota re notari uolo. Eſt autem ex hoc genere illud, quod tu, Craße, nuper ei, qui te rogaſſet. num tibi moleſtus eſſet futurus, ſi ad te bene ante lucem ueniſſet: Tu uero, inquiſti, moleſtus non eris: Iubebis igitur te, inquit, ſuſcitari? & tu: Certe negaras te moleſtum futurū. Ex eodem hoc uetus illud eſt, quod aiunt Maluginenſem illum Scipionem cum ex centuria ſua renunciaret Acidinum conſulem; praecoq. dixißet, Dic de L. Manlio: uirum bonum, inquit, egregiumq. ciuem eſſe arbitror. Ridicule etiam illud L. Porcius Naſica cenſori Catoni, cum ille, Ex tui animi ſententia tu uxorem habes? Non hercule, inquit, ex animi tui ſententia. Haec aut frigida ſunt, aut tum ſalſa, cum aliud eſt exſpectatum. natura enim nos, ut ante dixi, noſter delectat error: ex quo cum quaſi decepti ſumus exſpectatione, ridemus. In uerbis etiam illa ſunt, quae aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex unius uerbi translatione, aut ex inuerſione uerborum: Ex immutatione, ut olim Ruſca cum legem ferret annalem, diſſuaſor M. Seruilius, Dic mihi, inquit, M. Pinari, num, ſi contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris feciſti? Vt ſementem feceris, ita metes, inquit. Ex translatione autem, ut cum Scipio ille maior, Corinthijs ſtatuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum eſſent imperatorum, turmales dixit diſplicere. Inuertuntur autem uerba, ut Craßum apud M. Perpernam iudicem pro Aculeone cum diceret. aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Aelius Lamia deformis, ut noſtis: qui cum interpellaret odioſe, Audiamus, inquit, pulchellum puerum, Craſſus. Cum eſſet arriſum, Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipſe fingere, ingenium potui. Tum hic Audiamus, inquit, diſertum: multo etiam arriſum eſt uehementius. Sunt etiam illa uenuſta, ut in grauibus ſententijs, ſic in facetijs. dixi enim dudum, materiam aliam eſſe ioci, aliam ſeueritatis, grauium autem, & iocorum unam eſſe rationem. Ornant igitur in primis orationem uerba relata contrarie: quod idem genus ſaepe eſt etiam facetum: ut Seruius ille Galba, cum iudices L. Scribonio tribuno pl. ferret familiares ſuos, & dixißet Libo, Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? Cum tu, inquit, de cubiculo alieno. A quo genere ne illud quidem plurimum diſtat, quod Glaucia Metello, Villam in Tiburte habes, cohortem in Palatio. Ac uerborum quidem genera, quae eßent faceta, dixiſſe me puto: rerum plura ſunt, eaq. magis, ut dixi ante, ridentur, in quibus eſt narratio. res ſane difficilis. exprimenda enim ſunt, & ponenda ante oculos ea, quae uideantur & ueriſimilia, quod eſt proprium narrationis, & quae ſint, quod ridiculi proprium eſt, ſubturpia: cuius exemplum, ut breues ſimus, ſit ſane illud, quod ante poſui, Craſſi de Memmio. Et ad hoc genus adſcribamus etiam narrationes apologorum. Trahitur etiam aliquid ex hiſtoria: ut cum Sex. Titius ſe Caßandram eſſe diceret, Multas, inquit Antonius, poſſum tuos Aiaces Oileos nominare. Eſt etiam ex ſimilitudine: quae aut collationem habet, aut tamquam imaginem: collationem, ut ille Gallus olim teſtis in Piſonem, cum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixiſſet datam, idq. Scaurus tenuitate Magij redargueret, Erras, inquit, Scaure: ego enim Magium non conſeruaſſe dico, ſed, tamquam nudus nuces legeret, in uentrem abſtuliſſe. Vt illud M. Cicero ſenex, huius uiri optimi, noſtri familiaris, pater; noſtros homines ſimiles eſſe Syrorum uenalium; ut quiſque optime Graece ſciret, ita eſſe nequiſſimum. Valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem, aut in aliquod uitium corporis ducuntur cum ſimilitudine turpioris: ut meum illud in Heluium Manciam, Iam oſtendam cuiuſmodi ſis: cum ille, Oſtende, quaeſo; demonſtraui digito pictum Gallum in Mariano ſcuto Cimbrico ſub Nouis, diſtortum, eiecta lingua, buccis fluentibus: riſus eſt commotus: nihil tam Manciae ſimile uiſum eſt: ut cum Teſtio Penario mentum in dicendo intorquenti, tum ut diceret ſi quid uellet, ſi nucem fregiſſet. Etiam illa, quae minuendi aut augendi cauſſa ad incredibilem admirationem efferuntur, uelut tu, Craſſe, in concione, ita ſibi ipſum magnum uideri Memmium, ut in forum deſcendens caput ad fornicem Fabij demitteret. Ex quo genere etiam illud, quod Scipio apud Numantiam, cum ſtomacharetur cum C. Metello, dixiſſe dicitur: Si quid tum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram. Arguta etiam ſignificatio eſt, cum parua re, & ſaepe uerbo res obſcura, & latens illuſtratur: ut cum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut exiſtimabatur, auarus, & furax, ſed egregie fortis, & bonus imperator, gratias ageret, quod ſe homo inimicus conſulem feciſſet, bello praeſertim magno, & graui; Nihil eſt, quod mihi gratias agas, inquit, ſi malui compilari, quam uenire. Vt Aſello Africanus obijcienti luſtrum illud infelix, Noli, inquit, mirari: is enim, qui te ex aerarijs exemit, luſtrum condidit, & taurum immolauit. Tanta ſuſpicio eſt, ut religione ciuitatem obſtrinxiſſe uideatur Mummius, quod Aſellum ignominia leuarit. Vrbana etiam diſſimulatio eſt, cum alia dicuntur, ac ſentias; non illo genere, de quo ante dixi, cum contraria dicas, ut Lamiae Craßus; ſed cum

toto

toto genere orationis ſeuere ludas, cum aliter ſentias, ac loquare; ut noſter Scaeuola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repenſum, roganti, ut ſe in Aſiam praefectum duceret, Quid tibi uis, inquit, inſane? tanta malorum eſt multitudo ciuium, ut tibi ego haec confirmem, ſi Romae manſeris, te paucis annis ad maximas pecunias eße uenturum. In hoc genere Fannius in annalibus ſuis Africanum hunc Aemilianum dicit fuiße; & eum Graeco uerbo appellat εἴρωνα: ſed uti ferunt, qui melius haec norunt, Socratem opinor in hac ironia, diſſimulantiaq. longe lepore, & humanitate omnibus praeſtitiſſe. genus eſt perelegans, & cum grauitate ſalſum, cumq. oratorijs dictionibus, tum urbanis ſermonibus accommodatum. Et hercule omnia haec, quae a me de facetijs diſputantur, non maiora forenſium actionum, quam omnium ſermonum condimenta ſunt. Nam, quod apud Catonem eſt, qui multa retulit, ex quibus a me exempli caußa multa ponuntur, per mihi ſcitum uidetur, C. Publicium ſolitum dicere, P. Mummium cuiuis tempori hominem eſſe. Sic profecto res ſe habet, nullum ut ſit uitae tempus, in quo non deceat leporem, humanitatemq. uerſari. Sed redeo ad cetera. Eſt huic finitimum diſſimulationi, cum honeſto uerbo uitioſa res appellatur: ut cum Africanus cenſor tribu mouebat eum centurionem, qui in Paulli pugna non affuerat: cum ille ſe cuſtodiae cauſſa diceret in caſtris remanſiße, quaereretq. cur ab eo notaretur: Non amo, inquit, nimium diligentes. Acutum etiam illud eſt, cum ex alterius oratione aliud excipias, atque ille uult: ut Salinatori Maximus, cum, Tarento amiſſo, arcem tamen Liuius retinuiſſet, multaq. ex ea proelia praeclara fecißet; cum aliquot poſt annis Maximus id opidum recepiſſet; rogaretq. eum Salinator, ut meminißet opera ſua ſe Tarentum recepiſſe; Quid ni, inquit, meminerim? numquam ego recepiſſem, niſi tu perdidiſſes. Sunt etiam illa ſubabſurda, ſed eo ipſo nomine ſaepe ridicula, non ſolum mimis perappoſita, ſed etiam quodam modo nobis: Homo fatuus, poſtquam rem habere coepit, eſt mortuus. Quid eſt tibi iſta mulier? uxor? ſimilis mediusfidius. Quam diu ad aquas fuit, numquam eſt mortuus. Genus hoc leuius, &, ut dixi, mimicum: ſed habet nonnumquam aliquid etiam apud nos loci, ut uel non ſtultus quaſi ſtulte cum ſale dicat aliquid: ut tibi, Antoni, Mancia, cum audiſſet te cenſorem a M. Duronio de ambitu poſtulatum, Aliquando, inquit, tibi tuum negotium agere licebit. Valde haec ridentur, & hercule omnia, quae a prudentibus quaſi per diſſimulationem non intelligendi ſubabſurde, ſalſeq. dicuntur. Ex quo genere eſt etiam, non uideri intelligere quod intelligas, ut Pontidius: Qualem exiſtimas, qui in adulterio deprehenditur? tardum. Vt ego, qui in delectu Metello, cum excuſationem oculorum a me non acciperet, & dixiſſet, Tu igitur nihil uides? Ego uero inquam a porta Eſquilina uideo uillam tuam. Vt illud Naſicae, qui cum ad poetam Ennium ueniſſet; eiq. ab oſtio quaerenti Ennium, ancilla dixißet domi non eſſe; Naſica ſenſit illam domini iußu dixiße, & illum intus eſſe. paucis poſt diebus cum ad Naſicam ueniſſet Ennius, & eum a ianua quaereret; exclamat Naſica, ſe domi non eße. tum Ennius, Quid? ego non cognoſco uocem, inquit, tuam? hic Naſica, Homo es impudens: ego, cum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non eße; tu mihi non credis ipſi? Eſt bellum illud quoque, ex quo is, qui dixit, irridetur in eo ipſo genere, quod dixit: ut cum Q. Opimius conſularis, qui adoleſcentulus male audißet, feſtiuo homini Aegilio, qui uideretur mollior, nec eßet, dixißet;

„ Quid tu, Aegilia mea, quando ad me uenis
„ Cum tua colu, & lana? Non pol, inquit, audeo:
„ Nam me ad famoſas uetuit mater accedere:

Salſa ſunt etiam, quae habent ſuſpicionem ridiculi abſconditam: quo in genere eſt illud Siculi; qui, cum familiaris quidam quaereretur, quod diceret uxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu, Amabo te, inquit, da mihi ex iſta arbore quos inſeram ſurculos. In eodem genere eſt, quod Catulus dixit cuidam oratori malo: qui, cum in epilogo miſericordiam ſe mouiße putaret, poſtquam aßedit, rogauit hunc, uideretur ne miſericordiam mouiße: ac magnam quidem, inquit: neminem enim puto eße tam durum, cui non oratio tua miſeranda uiſa ſit, Me quidem hercule ualde illa mouent ſtomachoſa, & quaſi ſubmoroſa ridicula, non cum a moroſo dicuntur: tum enim non ſal, ſed natura ridetur. in quo, ut mihi uidetur, perſalſum illud eſt apud Naeuium:

„ Quid ploras, pater? mirum, ni cantem: condemnatus ſum.

Huic generi quaſi contrarium eſt ridiculi genus patientis, ac lenti: ut cum Cato percußus eßet ab eo, qui arcam ferebat, cum ille diceret, Caue; rogauit, numquid aliud ferret praeter arcam. Etiam ſtultitiae ſalſa reprehenſio: ut ille Siculus, cui praetor Scipio patronum cauſſae dabat hoſpitem ſuum, hominem nobilem, ſed admodum ſtultum: Quaeſo, inquit, praetor aduerſario meo da iſtum patronum; deinde mihi neminem dederis. Mouent illa etiam, quae coniectura explanantur longe aliter, atque ſunt, ſed acute, atque concinne: ut cum Scaurus accuſaret Rutilium ambitus, cum ipſe conſul eßet factus, ille repulſam tulißet; & in eius tabulis oſtenderet litteras, A. F. P. R. idq. diceret eße, Actum fide P. Rutilij; Rutilius autem, Ante factum, poſt relatum; C. Canius, eques R. cum Rufo adeſſet, exclamat neutrum illis litteris declarari. Quid ergo, inquit Scaurus? Aemilius fecit, plectitur Rutilius. Ridentur etiam diſcrepantia: Quid huic abeſt, niſi res, & uirtus? Bella etiam eſt familiaris reprehenſio quaſi errantis: ut cum obiurgauit Albucium Granius, quod, cum eius tabulis quiddam Albucio probatum uideretur, & ualde abſoluto Scaeuola gauderet, neque intelligeret contra ſuas tabulas eſſe iudicatum. Huic ſimilis eſt etiam admonitio in conſilio dando familiaris: ut cum patrono malo, cum uocem in dicendo obtuliſſet, ſuadebat Granius, ut mulſum frigidum biberet ſimulac domum redijſſet: Perdam, inquit uocem, ſi id fecero: melius eſt, inquit, quam reum. Bellum etiam eſt, cum, quid cuique ſit conſentaneum, dicitur: ut cum Scaurus nonnullam haberet inuidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeij, locupletis hominis, bona ſine teſtamento poſſederat; ſederetq. aduocatus

tus reo Beſtiae; cum funus quoddam duceretur, accu-
ſator C. Memmius, Vide, inquit, Scaure, mortuus ra-
pitur, ſi potes eſſe poßeßor. Sed ex his omnibus ni-
hil magis ridetur, quam quod eſt praeter exſpectatio-
nem: cuius innumerabilia ſunt exempla, uel Appij
maioris illius, qui in ſenatu, cum ageretur de agris
publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius
ab ijs, qui a pecore eius depaſci agros publicos dice-
rent, Non eſt, inquit, Lucilij pecus illud, erratis: (de-
fendere Lucilium uidebatur) ego liberum puto eſſe:
qua lubet paſcitur. Placet etiam mihi illud Scipio-
nis illius, qui Ti. Gracchum perculit. cum ei M. Flac-
cus, multis probris obiectis, P. Mucium iudicem tu-
liſſet, Eiero, inquit, iniquus eſt. cum eſſet admurmu-
ratum, Ah, inquit, P. C. non ego mihi illum iniquum
eiero, uerum omnibus. Ab hoc uero Craſſo nihil fa-
cetius: cum laeſißet teſtis Silus Piſonem, quod ſe in
eum audiſſe dixißet; Poteſt fieri, inquit, Si le, ut is,
unde te audiſſe dicis, iratus dixerit: annuit Silus. po-
teſt etiam, ut tu non recte intellexeris: id quoque to-
to capite annuit, ut ſe Craßo daret: poteſt etiam fie-
ri, inquit, ut omnino, quod te audiſſe dicis, numquam
audieris. hoc ita praeter exſpectationem accidit, ut
teſtem omnium riſus obrueret. Huius generis eſt ple-
nus Naeuius, & iocus eſt familiaris.
„ *- Sapiens ſi algebis, tremes. & alia permulta.*
Saepe etiam facete concedas aduerſario id ipſum,
quod tibi ille detrahit, ut C. Laelius, cum ei quidam
malo genere natus diceret, indignum eſſe ſuis maio-
ribus. At hercule, inquit, tu tuis dignus. Saepe et-
iam ſententioſe ridicula dicuntur: ut M. Cincius,
quo die legem de donis & muneribus tulit, cum C.
Centho prodijßet, & ſatis contumelioſe, Quid fers,
Cinciole, quaeſiſſet: Vt emas, inquit, Cai, ſi uti ue-
lis. Saepe etiam ſalſe, quae fieri non poſſunt, optan-
tur: ut M. Lepidus, cum, ceteris in campo exercen-
tibus, in herba ipſe recubuißet, Vellem hoc eſſet, in-
quit, laborare. Salſum eſt etiam, quaerentibus, &
quaſi percunctantibus, lente reſpondere quod nollent:
ut cenſor Lepidus, cum M. Antiſtio Pyrgenſi equum
ademiſſet; amiciq. cum uociferarentur, & quaere-
rent, quid ille patri ſuo reſponderet, cur ademptum
ſibi equum diceret, cum optimus colonus, parciſſi-
mus, modeſtiſſimus, frugaliſſimus eſſet; Me iſtorum,
inquit, nihil credere. Colliguntur a Graecis alia non-
nulla, exſecrationes, admirationes, minationes. Sed
haec ipſa nimis mihi uideor multa in genera deſcri-
pſiſſe. nam illa, quae uerbi ratione, & ui continentur,
certa fere, ac definita ſunt; quae plerumque, ut ante
dixi, laudari magis, quam rideri ſolent: haec autem,
quae ſunt in re, & in ipſa ſententia, partibus ſunt
innumerabilia, generibus pauca. exſpectationibus
enim decipiendis, & naturis aliorum irridendis, ip-
ſorum ridicule indicandis, & ſimilitudine turpioris,
& diſſimulatione, & ſubabſurda dicendo, & ſtulta
reprehendendo, riſus mouentur. itaque imbuendus
eſt is, qui iocoſe uult dicere, quaſi natura quadam
apta ad genera, & moribus; ut ad cuiuſque modi ge-
nus ridiculi uultus etiam accommodetur: qui qui-
dem quo ſeuerior eſt, & triſtior, ut in te Craße, hoc
illa, quae dicuntur, ſalſiora uideri ſolent. Sed iam
tu, Antoni, qui in hoc diuerſorio ſermonis mei liben-
ter acquieturum te eſſe dixiſti; tamquam in Pontinum
diuerteris, neque amoenum, neque ſalubrem locum,
cenſeo, ut ſatis diu te putes requieße, & iter reli-
quum conficere pergas.

EXPLANATIO

DETRACTIS *igitur* ꝭ Eadem diuiſio facetiarum iam antea bis dicta fuit, ac deinceps tertio repetitur & in-
culcatur, ut meminerimus facetias oratorias & ingenuas, quae riſum mouent, duorum generum eſſe, &
alias ſpectari in re & ſententia, alias in uerbo & genere ſermonis: cuius diuiſionis genera ὕστερον πρότερον dein-
ceps explicabuntur, quia primo loco deſcribentur facetiae uerborum: ſecundo, facetiae ſententiarum. Illae igi-
tur, quae in uerbis retinent ſuum leporem, locos habent nouem, id eſt modos & quaſi ſpecies: primus locus
& modus eſt ἀμφιβολογία uel in uerbis ſingulis, uel coniunctis: nam dictum illud Terentij eſt ambiguum in
coniunctis uerbis: ambigitur enim ſibi ne Titius, an ſtatuae brachium fregerit: dictũ uero Granij, in uerbo am
biguo ſpectatur (Sextantis) quod ſi integrum eſt, ſignificat uenalem ſeruum non eſſe aeſtimandum ſextante,
id eſt, ſexta parte eius ſummae qua aeſtimabatur. ſi uero diuiſum, ut (ſex tantis) ſignificat eum non eſſe pa-
rem ſex alijs ſeruis tanto pretio aeſtimatis. QVOD *ſi admiſtum* ꝭ In ioco Naeuij (nihil addo) dicitur ambi-
gue, uel nihil addo uerborum, id eſt, nihil amplius dico, uel nihil addo ad ſummam pecuniae: & (ducas licet)
dicitur praeter exſpectationẽ: aliud enim ab homine exſpectabatur, ut addictũ uidelicet liberaret: hoc itaque
genus ridiculi mixtum eſt ex ambiguo & inopinato. ALTERVM *genus eſt,* ꝭ Secundus modus iocandi ex uer-
bo incidit in παρωνομασίαν, id eſt, ſimilitudinem nominum, & declaratur tribus Catonis exemplis. NOBI-
LIOREM ꝭ Cato dixit M. Fuluium Nobiliorem Mobiliorem, propter leuiſſimam affectationem popularis glo-
riae. VT *ego nuper* ꝭ Tertius modus ſumitur ex etymologia nominis: exemplum autem habet interpoſitam
ſimilitudinem, ut Pyrrhus Achillis filius ad Troiam Neoptolemus dictus eſt: quia iuuenis miles ad bellum
Troianum eſt ductus, ita Nummius habuit in campo Martio diuiſoris cognomentum, per ludibrium, & con-
tumeliam, quia conducebatur a candidatis ad corrumpenda ſuffragia, & ad diuidendas in campo Martio ui-
ritim pecunias. SAEPE *etiam* ꝭ Quartus modus ridiculi fit per recitationem uerſus ex alicuius auctoris poe
mate deprompti: uerſus autem citatur aut omnino idem, aut paullulum immutatus, aut aliqua pars uerſus:
hic locus declaratur tribus exemplis: primum eſt in Aemilium Scaurum, ad quem irridendum duo uerſus
uſurpantur, & indicant ridicule, Aemilium Scaurum, cum ſit parentibus obſcuris & inopibus natus, nimium
arrogantem & ſuperbum uideri. SENTIN' *ſenem* ꝭ Alterum exemplum eſt Antonij in Coelium nimis indul-
gentem ſuo filio, eiq. multum pecuniae ad delicias & uoluptates ſtulte largientem. CVM *Aſellus* ꝭ Ter-
tium exemplum eſt prouerbii cuiuſdam parum his temporibus intellecti: alii putant legendum eſſe (Agaſo

aſellum)

aſellum) idq. ſignificari unumquemque agere, quae ſe digna ſunt. Alii Agas aſellum curſum non docebitur: ut irrideatur Aſellus a Scipione, qui, cum ſit tardus, & iners, tamen glorietur ſe omnes peragraſſe prouincias. EST *etiam* ʒ Quinctus modus eſt, cum ita iocamur ex alterius oratione, quaſi non eam totam & integram, ſed partem dumtaxat illius attendiſſe uideamur: & illuſtratur tribus exemplis. IN *uerbis etiam* ʒ Sextus modus ducitur ex allegoria, & ita iocatus eſt M. Pinnarius in Seruilium, Vt ſementem feceris, ita metes: allegoria ſumpta eſt ab agricolis, qui ex bona ſemente bonam, ex mala malã frugem metunt: & hoc ſignificat, Si bene dixeris, bene ex me audies, ſi male dixeris, male audies. Ex *tranſlatione* ʒ Septimus modus ex metaphora nominis, ut, Scipio per iocum dixit turmales ſtatuas ſibi diſplicere, id eſt, gregales, & in turba collocatas, uſus nomine tranſlato a propria ſignificatione in aliam: negabat autem Scipio ſe in turba laudari uelle, & communiter cum aliis imperatoribus, ſed cupere proprias & diſtinctas laudes, & a ceteris ſeparatas. INVERTVNTVR *autem* ʒ Octauus modus fit per ironiam in uno uerbo poſitam, cum ex contrario contrarium intelligitur, ut Craſſus εἰρωνικῶς appellauit L. Heluium Lamiam pulchellum, ſignificans ex contrario hominis deformitatem: eundemq. diſertum, ſignificans ex contrario hominis in dicendo infantiam. ORNANT *igitur* ʒ Nonus modus eſt in antithetis, id eſt, uerbis contrarie relatis, ut Galba interrogatus a Libone, Quando tandem de triclinio tuo exibis? Quando tu, inquit, de cubiculo alieno. id eſt, Quando ceſſabis mihi ferre & legere iudices combibones & conuiuas tuos? Cum (inquit) tu deſines moechari. antitheſis eſt in uerbis (tuo & alieno.) A *quo genere* ʒ Glaucia iocatus eſt in Metellum quaſi ex repugnantibus: haec enim uidentur inter ſe repugnare, habere uillã in Tiburte, & cortẽ Romae, cum in medio uillae cors ſita ſit: ſed μεταφορικῶς intelligit hominũ multitudinẽ, qui ad defendendum Metellum in Palatium conuenerant: iocus igitur ſumptus eſt ex his, quae in ſpeciem pugnant. AC *uerborum* ʒ Tranſitus eſt a facetiis uerborum ad eas, quae in ſententiis ſpectantur, quarũ uiginti tres modi deſcribuntur a Caeſare, & exemplis illuſtrantur: & multo plures etiam poſſent annotari ex locis dialecticae inuentionis & rhetoricae elocutionis. Ceterum haec deſcriptio duobus modis uitioſa & inartificioſa eſt, quod nimis multae ſpecies numerantur, quae ad certam generum paucitatem reuocari potuerant & debuerant, & quod multae ſpecies in genere numerantur: quod utrumque in legitima deſcriptione uitio non caret. EAQ. *magis* ʒ Primus modus eſt facetae narrationis, quae ὑποτύπωσιν requirit, ut ea, quae narrando ridere uolumus, ante oculos poſita eſſe uideantur, cuiuſmodi eſt exemplum Ciceronis pro Cluentio de Cepaſiis fratribus, & pro Roſcio Comoedo de Fannio Chaerea. MVLTOS, (inquit Antonius) poſſum nominare, qui tuam pudicitiam conſtuprarunt. iocus eſt ex hiſtoria Aiacis Oilei, qui Caſſandram uatem, Priami filiã in templo Mineruae uiolauit. EST *etiam ex* ʒ Secundus modus ex ſimilitudine, quae duplex eſt, collatio & imago: collationis duo ſunt exempla, unum Galli in Magium heluonem & gurgitem, quem comparat nudis hominibus, qui collectas nuces in uentrem auferunt: alterum M. Ciceronis patris, qui per iocum comparabat. Italos Graece doctos Syris uenalicis ſeruis Graece ſcientibus, tamquam illorum & horum ſimilis eſſet improbitas. Imaginis autem duo ſunt exempla, unum in Helmium Manciam deformem ex ſimili ſpecie picta in ſcuto Mariano, alterum in Seſtiam Penarium, cuius praua oris in dicendo diſtortio comparatur homini frangenti nuces. ETIAM *illa quae* ʒ Tertius modus ſumitur ex hyperbole, cum aliquid ſupra ueritatem ridicule dicimus augendi, aut minuendi gratia, ut Craſſus iocatus eſt in Memmium, uel, ut alij legunt, Menemium, hominem praelongum, per hyperbolicam amplificationem, quod ad arcum Fabianum, qui tamen erat altiſſimus, caput demitteret: hic arcus Fabianus fuit in uia ſacra a Fabio cenſore, qui deuicit Allobroges, excitatus, ut ait Aſconius. Ex *quo genere* ʒ De quattuor Metellis fratribus, ut quiſque erat aetatis ordine poſterior, ita ſtolidior, & ſtupidior: itaque Scipio ſtomachoſe dixit, ſi Metelli mater quinctum filium pareret, hunc aſinum fore. iocus hyperbolicus fuit ad extenuandum C. Metelli, qui quartus erat de fratribus, ingenium. ARGVTA *etiam* ʒ Quartus modus fit per ἔμφασιν, cum plus intelligitur, quam dicitur, quale eſt illud Fabricij in P. Cornelium, Non eſt quod mihi gratias agas, ſi malui compilari, quam uenire. id eſt, ſi malui abs te homine auaro diripi, quam a Pyrrho hoſte capi, & ſub corona uendi. Gellius hoc dictum citat cap. 8. lib. 4. VT *Aſello* ʒ Africanus iocatus eſt in Aſellum per ἔμφασιν, Noli mirari infelix fuiſſe luſtrum, quia Mummius qui te ex aerarijs exemit, id eſt, qui tibi multam condonauit, luſtrum illud condidit. quam ἔμφασιν Caeſar interpretatur, & luſtrum illud ait infelix fuiſſe, quod Mummius cenſor Aſellum hominem nefarium ignominia multae leuauerit. VRBANA *etiam* ʒ Quinctus modus fit per εἰρωνείαν, quae non eſt in uno uerbo, ſed in continuatione ſermonis, quam Fabius imperite poſuit inter figuras ſententiarum: nihil enim intereſt ad artis rationem, an Ironia ſit in uerbo, an in contextu ſermonis multae ſententiae coniungantur, & quemadmodum ſi multae eiuſdem generis figurae continuentur, non mutatur figurae genus, ita de Tropis ſtatuendum eſt: ſic Scaeuola iocatus eſt in auaritiam, & crudelitatem Septumuleij, in cuius oratione contrarium ei quod dicitur, intelligendum eſt. SED *uti ferunt* ʒ Fannius εἰρωνείαν in Africano fuiſſe ait, idq. propterea uitioſum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate. Cic. in Lucullo, Socrates dictus eſt εἴρων, id eſt, agens imperitum & admirator aliorum tamquam ſapientum. Fab. lib. 9. Ironiam illam quam in Socrate dicunt fuiſſe, qua ille in Platonis & Xenophontis, & Aeſchinis libris utitur, facetam & elegantem puto: eſt enim & minime inepti, & eiuſdem etiam faceti, cum de ſapientia diſceptetur, hanc ſibi ipſum detrahere, illis tribuere illudentem, qui eam ſibi arrogant, ut apud Platonem Socrates in caelum effert Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, & ceteros, ſe autem omnium rerum inſcium fingit, & rudem: decet hoc neſcio quo modo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, aſſentior. Cicero in Bruto. EST *huic finitimum* ʒ Sextus modus ſub quincto continetur, nec quidquam nouae praeceptionis habet, ut cum Scipio dixit, Non amo nimium diligentes: εἰρωνεία eſt in utroque uerbo (nimium, diligentes) & contra-

rius

rius ſenſus intelligitur, ut notetur ignauia centurionis. ACVTVM *etiam* ʒ Septimus modus eſt inuerſio alienae ſententiae. & exemplum hoc etiam memoratur in Catone Maiore. SVNT *etiam illa* ʒ Octauus modus eſt ex his, quae ſubabſurdum quandam repugnantiam uidentur habere, & declaratur tribus uerſibus mimicis: in primo iocus eſt in hominem mortuum, in quo haec pugnare uidentur, eum ex paupere diuitem factum eſſe, & ſtatim perijſſe, cum in diuitijs ſalus poſita eſſe uideatur: in ſecundo iocus eſt in mulierem marito ſuo forma perſimilem, quod ſubabſurdum eſt: in tertio iocus eſt in piſcatorem, qui diues factus, cum liberalius paullo uiueret, ſtatim eſt mortuus. EX *quo genere* ʒ Nonus modus eſt in quaſi ſtulte dictis, cum quis quaſi non intelligenter uidetur dicere, quod tamen intelligit: qui locus declaratur quattuor exemplis. EGO *uero,* ʒ Caeſar iocatur quaſi aliud agens in luxum Metelli, qui altiſſimas, & ſumptuoſiſſimas aedes aedificauerat, quae procul adſpicerentur. EST *bellum illud* ʒ Decimus modus eſt, cum par pari ex eodem genere refertur, ut cum Opimius mollitiem obieciſſet Aegilio, iocus eſt in eum ex eodem genere retortus. SALSA *ſunt etiam* ʒ Vndecimus modus uidetur quarto ſubiectus eſſe, quia habet quandam ἔμφασιν, ut cum Siculus per iocum dixit, Da mihi ex iſta arbore, quos feram ſurculos: plus intelligi uoluit, quam dixit, ſe uidelicet optare, ut ſua uxor ſe hac de ficu ſuſpendat. ME *quidem* ʒ Duodecimus modus eſt ex adiunctis perſonae praeſeferentis neſcio quid moroſum, ut pater ſubmoroſe reſpondit ſuo filio, Mirum ni cantem: quaſi uero damnatus cantare debuiſſet: irriſit igitur ſtultam filij interrogationem: quid ploras pater? HVIC *generi* ʒ Decimus tertius modus item naſcitur ex adiunctis perſonae praeſeferentis patientiam & modeſtiam, ut Cato, percuſſus a baiulo, cum ille clamaret, Caue, lente & placabiliter illuſit hominem his uerbis, Nunquid aliud fers praeter arcam? ETIAM *ſtultitiae* ʒ Decimus quartus modus poni non debuit, uel alioqui alij innumerabiles ponendi eſſent, ut cum arrogantiam, cum intemperantiam, cum auaritiam, cum leuitatem, cum timiditatem, cum audaciam, cum effuſionem, multaq. alia uitia animi: item cum deformitatem, cum paruitatem, cum nimiam proceritatem, cum gibbum, aliaq. uitia corporis, & fortunae ridemus. quae ſi ſpeciales monitiones non requirunt, neque item ſpeciale praeceptum de irridenda ſtultitia tradi debuit. MOVENT *illa* ʒ Decimus quinctus modus fit ex arguta interpretatione earum rerum, quae in probabili coniectura poſitae ſunt: & ſic Cincius in Aemilium iocatus eſt, obijcientem Rutilio ſua crimina, feſtiue interpretatus quattuor litteras, A. F. P. R. repertas in tabulis Rutilij. A. Aemilius, F. fecit. id eſt, commiſit ambitum, P. plectitur, R. Rutilius, qui nihil commiſit. RIDENTVR *etiam* ʒ Decimus ſextus modus idem fere eſt cum octauo, quia fit ex collatione pugnantium. BELLA *etiam* ʒ Decimus ſeptimus modus eſt ridicula reprehenſio quaſi errantis, uel familiaris admonitio. BELLVM *etiam eſt* ʒ Decimus octauus ex conſentaneis moribus perſonae, quae ridetur: ſic Memmius iocatus eſt in Scaurum ſolitum inuolare in poſſeſſiones mortuorum expulſis heredibus ueris. SED *ex his omnibus* ʒ Decimus nonus modus ſuperioribus multis admixtus eſt, cum aliquid ſalſe dicitur praeter eius qui audit, exſpectationem, & quatuor exemplis illuſtratur. NON *eſt, inquit,* ʒ Iocus eſt ex definitione liberi, & inopinatus, quia ſenatus aliud ab Appio exſpectabat, nempe ut Lucilium defenderet, quem tamen feſtiue irriſit. EIERO, *inquit,* ʒ Scipio eierauit P. Mucium Scaeuolam omnibus iniquum eſſe, quia Tiberium Gracchum armis perſequi noluit, &, dum iuris ordinem ſequeretur, id egit, ut cum omnibus legibus Romanum imperium prope corrueret. Lege Valerium lib. 3. POTEST *fieri,* ʒ Hac gradatione Craſſus Silum teſtem ad id deduxit, quod non animaduertebat, & de eo ſuſpicionem corruptelae iudicibus iniecit. SAPIENS, *ſi* ʒ Cum ita dicitur, Sapiens ſi algebis, exſpectatur magnum aliquid contra frigus: at praeter exſpectationem ſubiicitur, tremes, ad irridendos Stoicos, qui ab omni affectu uindicant ſapientem. SAEPE *etiam* ʒ Viceſimus modus eſt ridicula conceſſio eius, quod aduerſarius nobis detrahit, ut Laelius ab improbo homine laceſſitus, quod indignus eſſet ſuis maioribus: Atqui, inquit, tuis dignus es: quia non minus es improbus & ſceleratus, quam illi fuerunt. SAEPE *etiam ſententioſe* ʒ Viceſimus primus modus, cum quid ſententioſe ridetur. M. Cincius legem tulit, ne patroni ullum munus praeter aduocationis ſtipem caperent, qui, cum irrideretur a C. Centone, quid fers Cinciole? ut emas (inquit) ſi uti uelis. alluſit Cincius ad mercatores, qui merces ferunt in forum, quibus nemini licet uti, niſi prius emat: & irriſit Centonem cauſſidicum, quaſi diceret, antea domi nihil emebas: at nunc fero legem, quae uetat te a clientibus omnia gratis accipere. SAEPE *etiam ſalſe* ʒ Viceſimus ſecundus modus fit per optationem τῶν ἀδυνάτων, id eſt, eorum, quae fieri non poſſunt, ut cum M. Lepidus dixit, Vellem, ut in herba requieſcere, eſſet laborare, ridicule optauit ea, quae ſimul eſſe non poſſunt, quietem uidelicet & laborem. SALSVM *eſt etiam* ʒ Viceſimus tertius modus eſt lenta reſponſio, & praeter exſpectationem interrogantis. COLLIGVNTVR *a Graecis* ʒ Epilogus admonet diſciplinam Caeſaris de iocis Graecam eſſe, & a Graecis acceptam, eamq. nimium minute conciſam, quia paucioribus generibus comprehendi poterat: eſt autem artis, & diſciplinae, ea, quae ſunt latius diffuſa, ad certam generum paucitatem reuocare: quod Cicero uidit: itaque Graecam illam ſpecialium modorum deſcriptionem, quaſi a ſe damnatam ad extremum in pauca genera contulit: Illud autem perpetuo tenendum eſt orationem facetam, & ridiculam non egere propria, & ſingulari arte, ſed communibus Grammaticae, Rhetoricae, & Dialecticae legibus, & praeceptis tractari: hae enim tres artes ad omnem orationem pertinent, ſiue ſeriam & grauem, ſiue facetam & hilarem: & certe omnia, quae praecipiuntur de iocis, ex illarum artium locis, & praeceptis deducta ſunt: itaque, ſi quis erit recte inſtructus apparatu trium illarum diſciplinarum, nullam praeterea ad iocandum artem deſiderabit, ſed intelliget, ut ad ſerio dicendum, ſic ad iocandum inſpiciendos eſſe locos Grammaticae dictionis in ἐτυμολογίᾳ, συντάξει, & προσῳδίᾳ, Rhetoricae elocutionis, aut pronunciationis ut tropos, figuras, & modum uocis & geſtus, itemq. dialecticae inuentionis diſpoſitioniſque, ut genera argumentorum, & ſyllogiſmorum. SED *etiam, Antoni,* ʒ Caeſar alludit ad al-

legoriam

legoriam Antonij, qui diſputationem de iocis diuerſorio lauto, & liberali contulerat: quae extenuatur a ſimilibus, ut Pontinae paludes nec gratae, nec ſalubres ſunt: ita totus hic locus diſputationis meae, (inquit Caeſar) nec ſuauis, nec utilis fuit. Pontinae paludes (ut ait Plin. lib. 3. cap. 5.) ſunt in Volſcorum finibus Campaniam uerſus, non procul a portu Caietano: hunc locum uiginti trium urbium fuiſſe Mucianus ter conſul prodidit.

PAVLLVS. MANVTIVS. Socivs *Scauro ſtomachanti*; antiqui libri omnes, Satius, non Socius. ex eo tamen, quod ſequitur, legendum, Socius, putaui. ex eo enim L. Craſſus conſul in ſocios legem tulit, ut ab urbe Roma diſcederent, & in ſuas ciuitates redirent, quia moleſte tulerat, principem ſenatus M. Aemilium Craſſum a ſocio contumelioſe tractatum. hac de lege Pedianus, & alij. Asellvs opinor hunc eſſe Claudium Aſellum, Aemiliani Scipionis inimicum, de quo ſic Gellius lib. 3. cap. 4. In libris, quos de uita P. Scipionis Africani compoſitos legimus, ſcriptum eſſe animaduerti, P. Scipioni, Paulli filio, poſtquam de Poenis triumphauerat, cenſorq. fuerat, diem dictum eſſe ad populum a Claudio Aſello tribuno pl. cui equum in cenſura ademerat: eumq. cum eſſet reus, neque barbam deſiſſe radi, neque non candida ueſte uti, neque fuiſſe cultu ſolito reorum. Fortaſſe igitur, cum Scipio cenſor equum adimeret Aſello; & ille quereretur, iniuriam ſibi fieri, quoniam pro rep. diu militaſſet; reſpondit Scipio, Agas aſellum. quod prouerbium in uiles homines, quorum opera eſſet inutilis, uſurpari ſolebat. hoc ſcilicet Scipio ſignificabat: diu eques militaſti: nūc, adempto tibi equo, aſellum agis. de hoc Aſello ignominia leuato ab altero cenſore, L. Mummio, infra. Svb *Nouis* erant in foro tabernae nouae, & ueteres. Caeſar orator agebat ſub Veteribus. ex aduerſo erat ſub Nouis Marianum ſcutum Cimbricum. Varro lib. 5. Sub Nouis, dicta pars in foro aedificiorum, & Plin. lib. 35. cap. 4. hac ipſa de re ſic: Hinc ille L. Craſſi oratoris lepos, agentis ſub Veteribus, cum teſtis compellatus inſtaret: Dic ergo Craſſe, qualem mereris? Talem, inquit, oſtendens in tabula pictum inficetiſſime Gallum exerentem linguam. Quo loco memoria lapſus Plinius Craſſum nominauit pro Caeſare. is enim ea recitat in hoc lib. 2. de Orat. Cvm *obiurgaret Albucium Granius*, omnes antiqui libri, quos ego uiderim, Albius Granius. placet tamen, Albucium. is enim Q. Scaeuolam augurem de repetundis accuſauit. in Bruto, & libro 1. de Fin. Cvm *eius tabulis* unus Fuluij Vrſini liber, Cum, non habet. utroque modo recte. Lege *Thoria*, quae agrum publicum uectigali leuauerat, ut in Bruto.

C I C E R O

Ego uero, atque hilare quidem a te exceptus, inquit: & cum doctior per te, tum etiam audacior factus ſum ad iocandum. non enim uereor, ne quis me in iſto genere leuiorem iam putet; quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, & Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protuliſti. Sed habetis ea, quae uoluiſtis ex me audire: de quibus quidem accuratius dicendum, & cogitandum fuit: nam cetera faciliora ſunt, atque ex ijs, quae iam dicta ſunt, reliqua naſcuntur omnia. Ego enim cum ad cauſſam ſum aggreſſus, atque omnia cogitando, quoad facere potui, perſecutus, cum & argumenta cauſſae, & eos locos, quibus animi iudicum concilientur, & illos, quibus permouentur, uidi, atque cognoui; tum conſtituo, quid habeat quaeque cauſſa boni, quid mali. nulla enim fere res poteſt in dicendi diſceptationem, aut controuerſiam uocari, quae non habeat utrumque; ſed, quantum habeat, id refert. mea autem ratio in dicendo haec eſſe ſolet, ut, boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem, ubi commorer, ibi habitem, ibi haeream; a malo autem uitioq. cauſſae ita recedam, non ut id me defugere appareat, ſed ut totum bono illo ornando, & augendo diſſimulatum obruatur. &, ſi cauſſa eſt in argumentis: firmiſſima quaeque maxima tueor, ſiue plura ſunt, ſiue aliquod unum. ſin autem in conciliatione, aut permotione cauſſa eſt: ad eam me potiſſimum partem, quae maxime commouere animos hominum poteſt, confero. Summa denique huius generis haec eſt, ut, ſi in refellendo aduerſario firmior eſſe oratio, quam in confirmandis noſtris rebus, poteſt, omnia in illum conferam tela: ſin noſtra facilius probari, quā illa redargui poſſunt; & abducere animos a contraria defenſione, & ad noſtram conor traducere. Duo denique illa, quae facillima uidentur, quoniam, quae difficiliora ſunt, non poſſum, mihi pro meo iure ſumo: unum, ut moleſto, aut difficili argumento, aut loco nonnumquam omnino nihil reſpondeam: quod forſitan aliquis iure irriſerit: quis enim eſt, qui id facere non poſſit? ſed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate diſputo; confiteorq. me, ſi quae premat res uehementius, ita cedere ſolere, ut non modo non abiecto, ſed ne reiecto quidem ſcuto fugere uidear; ſed adhibere quandam in dicendo ſpeciem, atque pompam, & pugnae ſimilem fugam; conſiſtere uero in meo praeſidio, ſic ut non fugiendi hoſtis, ſed capiendi loci cauſſa ceſſiſſe uidear. Alterum eſt illud, quod ego oratori maxime cauendum, & prouidendum puto, quodq. me ſolicitare ſumme ſolet. nō tam ut proſim cauſſis, elaborare ſoleo, quam ut ne quid obſim: non quin enitendum ſit in utroque: ſed tamen multo eſt turpius oratori, nocuiſſe uideri cauſſae, quam non profuiſſe. Sed, quid hoc loco uos inter uos, Catule? an haec, ut ſunt contemnenda, contemnitis. Minime, inquit, ille: ſed Caeſar de iſto ipſo quiddam uelle dicere uidebatur. Me uero lubente, inquit Antonius, dixerit, ſiue refellendi cauſſa, ſiue quaerendi. Tum Iulius, Ego mehercule, inquit, Antoni, ſemper is fui, qui de te oratore ſic praedicarem; unum te in dicēdo mihi uideri tectiſſimum; propriumq. hoc eſſe laudis tuae, nihil a te umquam eſſe dictum, quod obeſſet ei, pro quo diceres: idq. memoria teneo, cum mihi ſermo cum hoc ipſo Craſſo multis audientibus eſſet de te inſtitutus, Craſſusq. pluri-

mis uerbis eloquentiam laudaret tuam, dixiße me, cum ceteris tuis laudibus hanc eſſe uel maximam, quod non ſolum, quod opus eßet, diceres, ſed etiam, quod non opus eſſet, non diceres: tum illum mihi reſpondere memini; cetera in te ſumme eſſe laudanda, illud uero improbi eße hominis, & perfidioſi, dicere quod alienum eſſet, & noceret ei, pro quo quiſque diceret; quare non ſibi eum diſertum, qui id non faceret, uideri, ſed improbum, qui faceret. Nunc, ſi tibi uidetur, Antoni, demonſtres, uelim, quare tu hoc ita magnum putes, nihil in cauſſa mali facere, ut nihil tibi in oratore maius eße uideatur. Dicam equidem, Caeſar, inquit, quid intelligam: ſed & tu, & uos omnes hoc, inquit, mementote, non me de perfecti oratoris diuinitate quadam loqui, ſed de exercitationis, & conſuetudinis meae mediocritate. Craſſi quidem reſponſum excellentis cuiuſdam eſt ingenij, ac ſingularis: cui quidem portenti ſimile eße uiſum eſt, poſſe aliquem inueniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obeßetq. ei, quem defenderet. facit enim de ſe coniecturam: cuius tanta uis ingenij eſt, ut neminem niſi conſulto putet, quod contra ſe ipſum ſit dicere. ſed ego non de praeſtanti quadam, & eximia, ſed prope de uulgari, & communi prudentia diſputo. ut apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine conſilij, atque ingenij Athenienſis ille fuiſſe Themiſtocles: ad quem quidam doctus homo, atque in primis eruditus acceſſiße dicitur, eiq. artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus eße ſe traditurum. cum ille quaeſißet, quid nam illa ars efficere poßet; dixiſſe illum doctorem, ut omnia meminiſſet: & ei Themiſtoclem reſpondiſſe, gratius ſibi illum eſſe facturum, ſi ſe obliuiſci quae uellet, quam meminiſſe docuiſſet. Vides ne, quae uis in homine acerrimi ingenij, quam potens, & quanta mens fuerit? qui ita reſponderit, ut intelligere poßemus, nihil ex illius animo, quod ſemel eſſet infuſum, umquam effluere potuiſſe: cum quidem ei fuerit optabilius obliuiſci poße potius, quod meminiſſe nollet, quam, quod ſemel audiſſet, uidißet ue, meminiſſe. Sed neque propter hoc Themiſtoclis reſponſum memoriae nobis opera danda non eſt: neque illa mea cautio, & timiditas in cauſſis propter praeſtantem prudentiam Craſſi negligenda eſt. uterque enim iſtorum non mihi attulit aliquam, ſed ſuam ſignificauit facultatem. etenim permulta ſunt in cauſſis, in omni parte orationis circumſpicienda, ne quid offendas, ne quo irruas. Saepe aliquis teſtis aut non laedit aut minus laedit, niſi laceßitur: orat reus, urgent aduocati, ut inuehamur, ut male dicamus, denique ut interrogemus: non moueor, non obtempero, non ſatisfacio, neque tamen ullam aßequor laudem. homines enim imperiti facilius, quod ſtulte dixeris, reprehendere, quam, quod ſapienter tacueris, laudare poſſunt. Hic quantum fit mali, ſi iratum, ſi non ſtultum, ſi non leuem teſtem laeſeris: habet enim & uoluntatem nocendi in iracundia, & uim in ingenio, & pondus in uita. nec, ſi hoc Craſſus non committit, ideo non multi, & ſaepe committunt. quo quidem mihi uideri turpius nihil ſolet, quam cum ex oratoris dicto aliquo, aut reſponſo, aut rogato, ſermo ille ſequitur, Occidit ille? aduerſarium ne? immo uero, aiunt, ſe & eum, quem defendit. Hoc Craßus non putat niſi perfidia accidere poße: ego autem ſaepiſſime uideo in cauſſis aliquid mali facere homines minime malos. Quid illud, quod ſupra dixi, ſolere me cedere, &, ut planius dicam, fugere ea, quae ualde cauſſam meam premerent? cum id non faciunt alij, uerſanturq. in hoſtium caſtris, ac ſua praeſidia dimittunt, mediocriter ne cauſſis nocent? cum aut aduerſariorum adiumenta confirmant, aut ea, quae ſanare nequeũt, exulcerant. Quid, cũ perſonarum, quas defendunt, rationem non habent? ſi, quae ſunt in his inuidioſa, non mitigant extenuando; ſed laudando, & efferendo inuidioſiora faciũt; quantum eſt in eo tandem mali? Quid, ſi in homines caros, iudicibusq. iucundos ſine ulla praemunitione orationis acerbius, & contumelioſius inuehare; non ne abs te iudices abalienes? Quid, ſi, quae uitia, aut incommoda ſunt in aliquo iudice uno, aut pluribus, ea tu in aduerſarijs exprobrando non intelligas te in iudices inuehi; mediocre peccatum eſt? Quid, ſi cum pro altero dicas, litem tuam facias, aut laeſus efferare iracundia, caußam relinquas; nihil ne noceas? in quo ego, non quo libenter male audiam, ſed quia ego cauſſam non libenter relinquo, nimium patiens & lentus exiſtimor: ut cum te ipſum, Sulpici, obiurgabam, quod miniſtratorem peteres, non aduerſarium. ex quo etiam illud aßequor, ut, ſi quis mihi male dicat, petulans, aut plane inſanus eße uideatur. In ipſis autem argumentis ſi quid poſuerimus aut aperte falſum, aut ei, quod dixeris, dicturus ue ſis, contrarium, aut genere ipſo remotum ab uſu iudiciorum, ac foro; nihil ne noceas? Quid multa? omnis cura mea ſolet in hoc uerſari ſemper, (dicam enim ſaepius?) ſi poſſim, ut boni aliquid efficiam dicendo: ſin id minus, ut certe ne quid mali. Itaque nunc illuc redeo, Catule, in quo tu me paullo ante laudabas, ad ordinem, collationemq. rerum, ac locorum. Cuius ratio eſt duplex: altera, quam affert natura caußarum; altera, quae oratorum iudicio, & prudentia comparatur. Nam, ut aliquid ante rem dicamus; deinde ut rem exponamus; poſt ut eam probemus; noſtris praeſidijs confirmandis, cõtrarijs refutandis; deinde ut concludamus, atque ita peroremus; hoc dicendi genus natura ipſa praeſcribit. ut uero ſtatuamus, ea, quae probandi, docendi, perſuadendi cauſſa dicenda ſunt, quemadmodum componamus, id eſt uel maxime proprium oratoris prudentiae. multa enim occurrũt argumenta, multa, quae in dicendo profutura uideantur: ſed eorum partim ita leuia ſunt, ut contemnenda ſint; partim, etiam ſi quid habent adiumenti, ſunt nõnumquam eiuſmodi, ut inſit in ijs aliquid uitij; neque tanti ſit illud, quod prodeſſe uideatur, ut cũ aliquo modo coniungatur. quae autem ſunt utilia, atque firma, ſi ea tamen, ut ſaepe fit, ualde multa ſunt, ea, quae ex ijs aut leuiſſima ſunt, aut alijs grauioribus conſimilia, ſecerni arbitror oportere, atque ex oratione remoueri. Equidem, cum colligo argumenta cauſſarum, non tam ea numerare ſoleo, quam expendere. Et, quoniam, quod ſaepe iam dixi, tribus rebus omnes ad noſtram ſententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo: una ex tribus his rebus res prae nobis eſt ferenda, ut nihil aliud niſi docere uelle uideamur: reliquae duae,

ſicuti

ſicuti ſanguis in corporibus, ſic illae in perpetuis orationibus fuſae eſſe debebunt. nam & principia, & ceterae partes orationis, de quibus paullo poſt pauca dicemus, habere hanc uim magnopere debent, ut ad earum mentes, apud quos agetur, mouendas permanare poſſint. Sed his partibus orationis, quae etſi nihil docent augmentando, perſuadendo tamen, & commouendo proficiunt plurimum, quamquam maxime proprius eſt locus & in exordiendo, & in perorando: digredi tamen ab eo, quod propoſueris, atque agas, permouendorum animorum cauſſa, ſaepe utile eſt. itaque uel, narratione expoſita, ſaepe datur ad commouendos animos digrediendi locus: uel argumentis noſtris confirmatis, uel contrarijs refutatis, uel utroque loco, uel omnibus, ſi habet eam cauſſa dignitatem, atque copiam, recte id fieri poteſt: eaeq. cauſſae ſunt ad agendum, & ad ornandum grauiſſime, atque pleniſſimae, quae plurimos exitus dant ad eiuſmodi digreſſionem, ut ijs locis uti liceat, quibus animorum impetus eorum, qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur. Atque etiam in illo reprehendo eos, qui, quae minime firma ſint, ea prima collocãt. in quo illos quoque errare arbitror; qui ſi quando, id quod mihi numquam placuit, plures adhibent patronos, ut in quoque eorum minimum putant eſſe, ita eum primum nolunt dicere. res enim hoc poſtulat, ut eorum exſpectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur; cui ſi initio ſatisfactũ non ſit, multo plus ſit in reliqua cauſſa laborandum. male enim ſe res habet, quae non ſtatim, ut dici cepta eſt, melior fieri uidetur. Ergo ut moratore optimus quiſque, ſic & in oratione firmiſſimum quidque ſit primum: dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quae excellant, ſeruentur etiam ad perorandum; ſi quae erunt mediocra, (nam uitioſis nuſquam eſſe oportet locum) in mediam turbam, atque in gregem conijciantur.

EXPLANATIO

EGo *uero* ʒ Antonius iucunde quaſi diſcedit a conuiuio Caeſaris, & tranſitum facit ab inuentionis tripertita doctrina ad diſpoſitionis doctrinam forenſem in tractandis cauſſis ciuilibus: una autem generalis, & uniuerſa eſt diſpoſitionis doctrina omnibus rebus diſponendis, & collocandis conueniens, & in regulis ſyllogiſmi & methodi poſita, eaq. pars eſt propria dialecticae, non rhetoricae: qua tamen non contenti Rhetores excogitarunt quaſdam diſponendi leges ad genera ciuilium cauſſarum ſingulariter adſtrictas, non omnino quidem inutiliter, ſed tamen imperite: nam, ut una Grammatica ad quiduis loquendum & ſcribendum ſatis eſt, nec opus eſt Grammaticam facere aliam ciuilem, aliam philoſophicam, ſic una doctrina diſpoſitionis Dialecticae ad omnes res diſponendas ſatis eſt, nec opus eſt ſingularem diſpoſitionis artem ad cauſſas ciuiles adſtringere. Mea *autem ratio* ʒ Prima diſpoſitionis prudentia (ut ait Antonius) eſt, ut ea maxime dicantur, quae proſint, & quae obſint, magis diſſimulentur: ſic Scipio a Petillijs accuſatus, criminibus non reſpondit, ſed de ſuis erga remp. meritis copioſiſſime diſputauit: quia commemoratio meritorum magis ſuae cauſſae proderat, quam depulſio criminum. Hoc tamen diſpoſitionis praeceptum proprium non eſt, ſed potius ad uniuerſae cauſſae conſiderationem pertinet: nec enim docet, quo modo res inuentae docendae ſint, ſed quid in cauſſis dicendum, & non dicendum ſit: atque hoc etiam latius patet extra ciuilem, & forenſem dicendi prudentiam: nam in omni uita haec cautio perpetuo adhibenda eſt, ut nihil umquam uel a nobis dicatur, uel agatur, quod nobis, aut his, quorum agimus cauſſam, obſit, & noceat. Dvo *denique illa,* ʒ Hae duae leges obſeruationis ex ſuperiore pendent, & eam interpretantur: una, ut argumento difficili interdum nihil reſpondeamus, praeſertim cum difficilis ſit eius ſolutio, & refutatio. Quod Antonius in cauſſa Norbani recte praeſtitit: altera, ut non tam conſideremus, ne proſimus cauſſae, quam ne quid obſimus: quia offenſio uel minima plus affert detrimenti cauſſae, quam commodum magnum proſit. Qvae *premat res* ʒ Allegoria eſt a ſtrenuis militibus, qui, cum ab hoſte premuntur, nec clypeum abijciunt in terram, nec poſt tergum reijciunt, ſed ſimulant ſe uelle pugnare, ut pedetentim cedendo commodiorem locum occupent. Sed *quid hoc* ʒ Haec quaſi eſt reuocatio ſuijpſius: ut alijs, qui diſputationi interſunt, quaerendi locus, & facultas detur. Caeſar igitur aſſumit ex generali praecepto argumentum laudandi Antonij, & confirmat teſtimonio Craſſi. Dicam *equidem,* ʒ Quia Craſſus ſupra Antonium addiderat oratorem eſſe improbum, qui aliquid mali in cauſſa diceret, Craſſi dictum ab Antonij dicto diſtinguitur: quod ille de oratore perfecto, hic de mediocri ſentiat: ut perfectus orator ſit improbus, ſi quid mali faciat: mediocris autem parum cautus, & prudens exiſtimetur, ſi quid dicat, quod obſit ſuae cauſſae. Vt *apud Graecos* ʒ Similitudo ex apophthegmate Themiſtoclis inducitur ad illuſtrandam proximam diſtinctionem. Quemadmodum propter Themiſtoclis reſponſum non eſt negligenda memoriae cura & doctrina: ſic neque propter admirabilem Craſſi prudentiam contemnenda eſt haec cautio, Nequid obſis. De Themiſtocle idem eſt in Lucullo Ciceronis. Nihil *ex illius* ʒ Metaphora a uaſis, quae infuſum liquorem ita retinent, ut nihil hinc effluat: ſic homini nil effluere dicitur, qui tam fideliter apprehenſas, & cognitas res continet, ut ex eius mente nihil excidat. Etenim *permulta* ʒ Declarat ſeptem modos, quibus per imprudentiam poſſit orator obeſſe cauſſae: quae inductio pertinet ad illuſtrandum generale praeceptum prius poſitum. Saepe *aliquis* ʒ Primus offenſionis locus eſt circa teſtem, ne temere eum laceſſat orator, qui niſi laceſſitus non laeſiſſet. Occidit *ille?* ʒ Exprimit per μίμησιν ſermonem uulgi de oratore, qui per imprudentiam dicendi cauſſam amiſerit. Qvid? *illud* ʒ Secundus offenſionis modus tractatur diſſimili collatione: Soleo cedere argumento moleſto, & difficili: at multi non cedendo cauſſam perdunt, & produnt. Ea *quae ſanare* ʒ Metaphora ab imperitis chirurgis, qui, ſi ſaepe uulnus attingunt, faciunt deterius, & acerbius. Qvid? *cum ſunt* ʒ Tertius modus eſt, cum cliens nimis laudatur, qui

potius ad eleuandam inuidiam extenuari debuerat. QVID? *ſi in* ≷ Quartus modus, cum acerbe inuehitur in eos orator, qui a iudicibus diliguntur. QVID? *ſi, quae uitia* ≷ Quinctus, cum in aduerſarijs ea uitia exprobrantur, quae ſunt in aliquo iudice: quo modo peccauit Philippus irridens teſtem puſillum: tum enim ſedebat Aurifex iudex, breuior etiam, quam ipſe teſtis. QVID? *ſi cum pro* ≷ Sextus, cum orator ſuam magis quam litigatoris cauſſam agit: in quod uitium Cicero uidetur incidiſſe in oratione pro Sextio. IN *ipſis autem* ≷ Septimus eſt in argumenti uitio, cum aut aperte mentitur orator, aut pugnantia dicit: aut ea, quae abhorrent ab uſu, & conſuetudine iudiciorum. ITAQVE *nunc illuc* ≷ Diſpoſitio forenſis diuiditur in duo genera, unum artis, alterum prudentiae, non quod in arte non ſit prudentia (omnis enim regula artis, regula prudentiae eſt) ſed quod contra communem artem nonnumquam prudentiae uiribus tantum nitamur. Diſpoſitio artis definitur ex ordine partium orationis, ut primum ſit exordium, ſecunda narratio, tertia confirmatio, quarta refutatio, poſtrema peroratio: qui ordo, ut naturae conſentaneus, ſic artificioſus eſt: diſpoſitio prudentiae in collocandis argumentis, & affectibus maxime cernitur, nec omnino artis expers eſt: nam & monitiones habet generales, ſed appellatur diſpoſitio prudentiae, quia in delectu argumentorum, & affectuum maxima hominis prudentia conſiſtit: nec illa prior artis regula ſemper adhibetur. Prima igitur admonitio de argumentis eſt, ut leuia & uitioſa reijciantur, grauia & utilia ſumantur: qui delectus ſyllogiſmi eſt, & iudicij, non methodi, cuius proprium eſt uidere, quae primo, quae medio, quae poſtremo loco diſponenda ſint. ET *quoniam,* ≷ Secunda prudentiae monitio eſt de affectibus, qui comparantur ſanguini: ut enim ſanguis uim ſuam communicat omnibus partibus, nec tamen multum apparet: ſic affectus poſſunt eſſe in omni parte orationis, ita tamen, ut orator iudicem tantum docere, non etiam mouere uelle uideatur. SED *his partibus* ≷ Tertia monitio eſt de praecipuis locis affectuum, qui ſunt exordium, peroratio, & digreſſio a narratione, uel confirmatione, uel refutatione: idem praecipit Cicero in Partitionibus. ATQVE *etiam* ≷ Quarta monitio duplex eſt, Ne leuiſſima quaeque argumenta primo loco ſunto, Ne infimus quiſque patronus primus cauſſam agito. ERGO *ut in oratore* ≷ Acceſſio eſt ad interpretandam quartam monitionem, ut argumenta firma in primo, & ultimo loco diſponantur, mediocria in medio: Fabius tamen hunc ordinem non omnino probat, cenſetq. argumenta, prout ratio cauſſae poſtulabit, eſſe ordinanda, uno excepto, ne a potentiſſimis decreſcat oratio.

C I C E R O

HISCE omnibus rebus conſideratis, tum denique id, quod primum eſt dicendum, poſtremo ſoleo cogitare, quo utar exordio. nam, ſi quando id primum inuenire uolui, nullum mihi occurrit, niſi aut exſile, aut nugatorium, aut uulgare, atque commune. principia autem dicendi ſemper cum accurata, & acuta, & inſtructa ſententia, apta uerbis, tum uero cauſſarum propria eſſe debent. prima eſt enim quaſi cognitio, & commendatio orationis in principio, quae continuo eum, qui audit, permulcere, atque allicere debet, In quo admirari ſoleo non equidem iſtos, qui nullam huic rei operam dederunt, ſed hominem in primis diſertum, atque eruditum Philippum; qui ita ſolet ad dicendum ſurgere, ut, quod primum uerbum habiturus ſit, neſciat: & ait idem, cum brachium concalefecerit, tum ſe ſolere pugnare: neque attendit, eos ipſos, unde hoc ſimile ducat, illas primas haſtas ita iactare leniter, ut & uenuſtati uel maxime ſeruiant, & reliquis uiribus ſuis conſulant.

Neque eſt dubium, quin exordium dicendi uehemẽs, & pugnax non ſaepe eſſe debeat: ſed, ſi in ipſo illo gladiatorio uitae certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congreſſum multa fiunt, quae non ad uulnus, ſed ad ſpeciem ualere uideantur; quanto hoc magis in oratione exſpectandum eſt, in qua non uis potius, ſed delectatio poſtulatur? nihil eſt denique in natura rerum omnium, quod ſe uniuerſum profundat, & quod totum repente euolet. ſic omnia, quae fiunt, quaeq. aguntur acerrime, lenioribus principiis natura ipſa praetexuit. Haec autem in dicendo non extrinſecus alicunde quaerenda, ſed ex ipſis uiſceribus cauſſae ſumenda ſunt. iccirco, tota cauſſa pertentata, atque perſpecta, locis omnibus inuentis, atque inſtruſtis, conſiderandum eſt, quo principio ſit utendũ. ſic enim facile reperietur. ſumentur enim ex ijs rebus, quae erunt uberrimae; uel in argumentis, uel in ijs partibus, ad quas dixi digredi ſaepe oportere. ita & momenti aliquid afferent, cum erunt paene ex intima defenſione deprompta; & apparebit ea non modo non eſſe cõmunia, nec in alias cauſſas poſſe transferri, ſed penitus ex ea cauſſa, quae tum agatur, defluxiſſe. Omne autem principium aut rei totius, quae agetur, ſignificationem habere debebit, aut auditum ad cauſſam, & munitionem, aut quoddam ornamentum, & dignitatem. Sed oportet, ut aedibus, ac templis ueſtibula, & aditus, ſic cauſſis principia proportione rerum praeponere. itaque in paruis, atque in frequẽtibus cauſſis ab ipſa re eſt exordiri ſaepe commodius. Sed, cum erit utendum principio, quod plerumque erit; aut ex reo, aut ex aduerſario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, ſententias duci licebit. Ex reo (reos appello, quorum res eſt) quae ſignificent uirum bonum, quae liberalem, quae calamitoſum, quae miſericordia dignum, quae ualeant contra falſam criminationem. Ex aduerſario, ijſdem ex locis fere contraria. Ex re, ſi crudelis, ſi infanda, ſi praeter opinionem, ſi immerito, ſi miſera, ſi ingrata, ſi indigna, ſi noua, ſi quae reſtitui, ſanariq. non poſſit. Ex ijs autem, apud quos agetur, ut beneuolos, beneq. exiſtimantes efficiamus; quod agendo efficitur melius, quam rogando. eſt id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam; ſed tamẽ multa principia ex eo genere gignuntur. nam & attentum, monent Graeci, ut principio faciamus iudicem, & docilem: quae ſunt utilia, ſed non principij magis propria, quam reliquarum partium; faciliora etiã in

principijs,

principijs, quod & attenti tum maxime ſunt, cum omnia exſpectant, & dociles magis initijs eße poſſunt. illuſtriora enim ſunt, quae in principijs, quam quae in medijs cauſſis dicũtur, aut arguendo, aut refellendo. Maxima autem copia principiorum, ad iudicem aut alliciendum, aut incitandum, ex ijs locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in cauſſa: quos tamen totos in principio explicari non oportebit, ſed tantum impelli primo iudicẽ leuiter, ut iam inclinato reliqua incumbat oratio.

Connexum autem ita ſit principium conſequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium affictũ aliquod, ſed cohaerens cum omni corpore membrum eße uideatur. nam nonnulli cum illud meditati ediderunt, ſic ad reliqua tranſeunt, ut audientiam ſibi fieri uelle uideantur. Atque eiuſmodi illa proluſio debet eße, non ut Samnitum, qui uibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur, ſed ut ipſis ſententijs, quibus proluſerunt, uel pugnare poſſint. Narrare uero rem, quod breuiter iubent: ſi breuitas appellanda eſt, cum uerbum nullum redundet; breuis eſt L. Craſſi oratio: ſin tum eſt breuitas, cum tantum uerborum eſt, quantum neceße eſt; aliquando id opus eſt, ſad ſaepe obeſt uel maxime in narrando, non ſolum quod obſcuritatem affert, ſed etiam quod eam uirtutem, quae narrationis eſt maxima, ut iucunda, & ad perſuadendum accommodata ſit, tollit: uidelicet illa:

Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis:

quam longa eſt narratio? mores adoleſcentis ipſius, & ſeruilis percunctatio, mors Chryſidis, uultus, & forma, & lamentatio ſororis: reliqua peruarie, iucundeq. narrantur. quod ſi hanc breuitatem quaeſißet:

Effertur, imus, ad ſepulcrum uenimus;
In ignem poſita eſt: ——

in his fere decem uerſiculis totum conficere potuiſſet: quamquam hoc ipſum, Effertur, imus, conciſum eſt ita, ut non breuitati ſeruitum ſit, ſed magis uenuſtati. Quod ſi nihil fuißet, niſi, In ignem poſita eſt; tamen res tota cognoſci facile potuiſſet. ſed & feſtiuitatem habet narratio diſtincta perſonis, & interpuncta ſermonibus; & eſt probabilius, quod geſtum eße dicas, cum, quemadmodum actum ſit, exponas: & multo apertius ad intelligendum eſt, ſi ſic conſiſtitur aliquando, ac non iſta breuitate percurritur. apertam enim narrationem tam eße oportet, quam cetera: ſed hoc magis in hac elaborandum eſt, quod & difficilius eſt, non eſſe obſcurum in re narranda, quam aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut perorando; & maiore etiam periculo haec pars orationis obſcura eſt, quam ceterae: uel quia, ſi quo alio in loco eſt dictum quid obſcurius, tantum id perit, quod ita dictum eſt; narratio obſcura totam obcaecat orationem: uel quod alia poſſis, ſemel ſi obſcurius dixeris, dicere alio loco planius; narrationis unus eſt in cauſſa locus. Erit autem perſpicua narratio, ſi uerbis uſitatis, ſi ordine temporum conſeruato, ſi non interrupte narrabitur. Sed, quando utendum ſit, aut non ſit narratione, id eſt conſilij. neque enim, ſi nota res eſt, nec ſi dubium ſit quid geſtum ſit, narrari oportet, nec ſi aduerſarius narrauit, niſi ſi refellemus. ac, ſi quando erit narrandum, ne illa, quae ſuſpicionem, & crimen efficient, contraq. nos erunt, acriter perſequamur, &, quidquid poterit, detrahamus: ne illud, quod Craſſus, ſi quando fiat, perfidia, non ſtultitia, fieri putat, ut caußae noceamus, accidat. nam ad ſummam totius cauſſae pertinet, caute, an contra demonſtrata res ſit; quod omnis orationis reliquae fons eſt narratio. Sequitur, ut caußa ponatur: in quo uidendum eſt, quid in controuerſiam ueniat. Tunc ſuggerenda ſunt firmamenta caußae coniuncte, & infirmandis contrarijs, & tuis confirmandis. namque una in cauſſis ratio quaedam eſt eius orationis, quae ad probandam argumentationem ualet. ea autem & confirmationem, & reprehenſionem quaerit. ſed, quia neque reprehendi, quae contra dicuntur, poſſunt, niſi tua confirmes; neque haec confirmari, niſi illa reprehendas: iccirco haec & natura, & utilitate, & tractatione coniuncta ſunt. Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, uel inflammaudo iudice, uel mitigando: omniaq. cum ſuperioribus orationis locis, tum maxime extremo, ad mentes iudicum quammaxime permouendas, & ad utilitatem noſtram uocandas, conferenda ſunt. Neque ſane iam cauſſa uidetur eſſe, cur ſecernamus ea praecepta, quae de ſuaſionibus tradenda ſunt, aut laudationibus; ſunt enim pleraque communia: ſed tamen ſuadere aliquid, aut dißuadere, grauiſſimae mihi uidetur eſſe perſonae. nam & ſapientis eſt, conſilium explicare ſuum de maximis rebus; & honeſti, & diſerti, ut mente prouidere, auctoritate probare, oratione perſuadere poſſit. Atque haec in ſenatu minore apparatu agenda ſunt. ſapiens enim eſt conſilium; multisq. alijs dicendi relinquendus locus; uitanda etiam ingenij oſtentationis ſuſpicio. Concio capit omnem uim orationis, & grauitatem, uarietatẽq. deſiderat. Ergo in ſuadendo nihil eſt optabilius, quã dignitas. nam, qui utilitatem putat, non quid maxime uelit ſuaſor, ſed quid interdum magis ſequatur, uidet. nemo eſt enim, praeſertim in clara ciuitate, quin putet expetendam maxime dignitatem: ſed uincit utilitas plerumque, cum ſubeſt ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem poße retineri. Controuerſia autem inter hominum ſentẽtias aut in illo eſt, utrum ſit utilius: aut etiam, cum id conuenit, certatur, utrum honeſtati potius, an utilitati conſulendum ſit. quae quia pugnare ſaepe inter ſe uidentur; qui utilitatem defendet, enumerabit commoda pacis, opum, potentiae, pecuniae, uectigalium, praeſidij; militum, utilitates ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemq. incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellet; maiorum exempla, quae erunt uel cum periculo glorioſa, colliget; poſteritatis immortalem memoriam augebit; utilitatem ex laude naſci defendet, ſemperq. eam cum dignitate eße coniunctam. Sed, quid fieri poſſit, aut non poſſit, quidq. etiam ſit neceße, aut non ſit, in utraque re maxime eſt quaerendum. inciditur enim omnis iam deliberatio, ſi intelligitur non poſſe fieri, aut ſi neceſſitas affertur: & qui id docuit non uidentibus alijs; is plurimum uidit. Ad conſilium autem de rep. dandum caput eſt, noße remp. ad dicendum uero probabiliter, noße mores ciuitatis:

tis: qui quia crebro mutantur, genus quoque oratio·
nis eſt ſaepe mutandum. &, quamquam una fere uis
eſt eloquentiae, tamen, quia ſumma dignitas eſt po-
puli, grauiſſima cauſſa reip. maximi motus multitudi
nis, genus quoque dicendi grandius quoddam & il-
luſtrius eſſe adhibendum uidetur: maximaq. pars ora
tionis admouenda eſt ad animorum motus nonnum-
quam aut cohortatione, aut commemoratione ali-
qua, aut in ſpem, aut in metum, aut ad cupidita-
tem, aut ad gloriam concitandos; ſaepe etiam a
temeritate, iracundia, ſpe, iniuria, inuidia, crudelita-
te reuocandos. Fit autem, ut, quia maxima quaſi
oratori ſcena uideatur concio, natura ipſa ad orna-
tius dicendi genus excitetur. habet enim multitudo
uim quandam talem, ut, quemadmodum tibicen ſine
tibijs canere, ſic orator ſine ſimilitudine audientem
eloquens eßе non poſſit. Et, cum ſint populares mul-
ti, uarijq. lapſus; uitanda eſt acclamatio aduerſa po-
puli, quae aut orationis peccato aliquo excitatur, ſi
aſpere, ſi arroganter, ſi turpiter, ſi ſordide, ſi quoquo
animi initio dictum eßе aliquid uideatur, aut ho-
minum offenſione, uel inuidia, quae aut iuſta eſt, aut
ex criminatione, atque fama; aut res ſi diſplicet; aut ſi
eſt in aliquo motu ſuae cupiditatis, aut metus mul-
titudo: hiſq. quattuor cauſſis totidem medicinae
opponuntur; tum obiurgatio, ſi eſt auctoritas; tum
admonitio, quaſi lenior obiurgatio; tum promiſſio,
ſi audierint, probaturos; tum deprecatio, quod eſt
infirmum, ſed nonnumquam utile. Nullo autem
loco plus facetiae proſunt, & celeritas, & breue
aliquod dictum nec ſine dignitate, & cum lepore. ni-
hil enim tam facile, quam multitudo, a triſtitia, &
ſaepe acerbitate, commode, ac breuiter, & acute,
& hilare dicto deducitur. Expoſui fere, ut potui, uo-
bis, in utroque genere cauſſarum, quae ſequi ſole-
rem, quae fugere, quae ſpectare, qua omnino in
cauſſis ratione uerſari. Nec illud tertium laudatio-
num genus eſt difficile; quod ego initio quaſi a prae-
ceptis noſtris ſecreueram: ſed & quia multa ſunt ora
tionum genera, & grauiora, & maioris copiae, de
quibus nemo ferre praeciperet; & quod nos lau-
dationibus non ita multum uti ſoleremus; totum hunc
ſegregabam locum. ipſi enim Graeci legendi: qui ma-
gis delectationis, aut hominis alicuius ornandi, quam
utilitatis huius forenſis cauſſa, laudatione ſcriptita-
uerunt; quorum ſunt libri, quibus Themiſtocles,
Ariſtides, Ageſilaus, Epaminondas, Philippus,
Alexander, alijq. laudantur. noſtrae laudationes,
quibus in foro utimur, aut teſtimonij breuitatem
habent nudam, atque inornatam; aut ſcribuntur ad
funebrem concionem; quae ad orationis laudem mi-
nime accommodata eſt. ſed tamen, quoniam eſt uten-
dum aliquando, nonnumquam etiam ſcribendum,
uelut Q. Tuberoni, Africanum auunculum laudan-
ti, ſcripſit C. Laelius: uel ut noſmet ipſi ornandi cauſ-
ſa Graecorum more, ſi quos uelimus, laudare
poſſimus: ſit a nobis quoque tractatus hic locus.
Perſpicuum eſt igitur, alia eſſe in homine optanda,
alia laudanda. Genus, forma, uires, opes, diuitiae, ce
teraque, quae fortuna det aut extrinſecus, aut cor-
pori, non habent in ſe ueram laudem, quae deberi uir-
tuti uni putatur: ſed tamen, quae ipſa uirtus in ea-
rum rerum uſu, ac moderatione maxime cernitur,
tractanda etiam in laudationibus haec ſunt naturae
& fortunae bona: in quibus eſt ſumma laus, non ex-
tuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecu-
nia, non ſe praetuliſſe alijs propter abundantiam for
tunae; ut opes, & copiae non ſuperbiae uideantur, ac
libidini, ſed bonitati, ac moderationi facultatem, &
materiam dediſſe. Virtus autem, quae eſt per ſe ip-
ſa laudabilis, & ſine qua nihil laudari poteſt, tamen
habet plures partes, quarum alia eſt alia ad laudatio
nem aptior. Sunt enim aliae uirtutes, quae uidentur
in moribus hominum, & quadam comitate, ac bene-
ficentia poſitae: aliae, quae in ingenij aliqua faculta-
te, aut animi magnitudine ac robore. nam clementia,
iuſtitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis com-
munibus; iucunda eſt auditu in laudationibus: (om-
nes enim hae uirtutes non tam ipſis, qui eas in ſe ha-
bent, quam generi hominum fructuoſae putantur)
ſapientia, & magnitudo animi, quam omnes res hu-
manae tenues & pro nihilo putantur; & in excogi-
tando uis quaedam ingenij, & ipſa eloquentia ad-
mirationis habet non minus, iucunditatis minus. ip-
ſos enim magis uidetur, quos laudamus, quam illos,
apud quos laudamus, ornare, ac tueri: ſed tamen in
laudando iungenda ſunt etiam haec genera uirtutum.
fuerunt enim aures hominum, cum illa, quae iucunda
& grata, tum etiam illa, quae mirabilia ſunt, in uir-
tute laudari. Et, quoniam ſingularum uirtutum ſunt
certa quaedam officia, ac munera, & ſua cuique uirtu
ti laus propria debetur: erit explicandum in laude iu-
ſtitiae, quid cum fide, quid cum aequabilitate, quid
cum eiuſmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fece-
rit. itemq. in ceteris res geſtae ad cuiuſque uirtutis
genus, & uim, & nomen accommodabuntur. Gratiſſi
ma autem laus eorum factorum habetur, quae ſuſce-
pta uidentur a uiris fortibus ſine emolumento, ac
praemio: quae uero etiam cum labore, & periculo
ipſorum, haec habent uberrimam copiam ad laudan-
dum; quod & dici ornatiſſime poßunt, & audiri fa-
cillime. ea enim denique uirtus eſſe uidetur praeſtan-
tis uiri, quae eſt fructuoſa alijs, ipſi autem laborioſa,
aut periculoſa, aut certe gratuita. Magna etiam il-
la laus, & admirabilis uideri ſolet, tuliſſe caſus ſa-
pienter aduerſos, non fractum eßе fortuna, retinuiſ-
ſe in rebus aſperis dignitatem. Neque tamen illa non
ornant, habiti honores, decreta uirtutis praemia, res
geſtae iudicijs hominum comprobatae: in quibus,
etiam felicitatem ipſam deorum immortalium iudi-
cio tribui, laudationis eſt. Sumendae autem res
erunt aut magnitudine praeſtabiles, aut nouitate pri
mae, aut genere ipſo ſingulares: neque enim paruae,
neque uſitatae, neque uulgares admiratione, aut
omnino laude dignae uideri ſolent. Eſt etiam cum ce-
teris praeſtantibus uiris comparatio in laudatione
praeclara. De quo genere libitum eſt mihi paullo plu-
ra, quam oſtenderam, dicere, non tam propter uſum
forenſem, qui eſt a me in omni hoc ſermone tractatus,
quam ut hoc uideretis, ſi laudationes eſſent in orato-
ris officio, quod nemo negat, oratori uirtutum omnium
cognitionem, ſine qua laudatio effici non poſſit, eßе ne
ceßariam. iam, uituperandi praecepta contrarijs ex
uitijs ſumenda eſſe perſpicuum eſt. Simul eſt illud an-

te

te oculos, nec bonum uirum proprie, & copioſe laudari ſine uirtutum, nec improbum notari, ac uituperari ſine uitiorum cognitione ſatis inſigniter, atque aſpere poſſe. Atque his locis, & laudandi, & uituperandi ſaepe nobis eſt utendum in omni genere cauſſarum.

EXPLANATIO

HISCE *omnibus* ℥ De diſpoſitione prudentiae dictum eſt in argumentis, & affectibus, quae duo ſummam oratoris ad dicendum prudentiam requirunt: ſequitur artificioſa diſpoſitio ſecundum partes orationis, exordium, narrationem, probationem, & perorationem: ubi Antonius non tantummodo uiam tractationis indicat, ſed etiam generales locos inuentionis antea deſcriptos, nonnihil immutatos, & alienatos in partibus orationis & generibus cauſſarum repetit, & confundit. ID *quod primum* ℥ Exordium orationis in cauſſis ciuilibus cogitatione poſtremum, & tractatione primum eſſe debet: Fab. lib. 3. Verum (ait) ex his, quas conſtitui, partibus, non ut quidq. primum dicendum, ita primum cogitandum eſt: ſed ante omnia intueri oportet, quod ſit genus cauſſae, quid in ea quaeratur, quid proſit, quid obſit: deinde quid confirmandum ſit, atque refellendum, tum quo modo narrandum: expoſitio enim probationum eſt praeparatio, nec eſſe utilis poteſt, niſi prius conſtiterit, quid debeat de probatione promittere: poſtremo intuendum quo modo iudex ſit conciliandus: nec enim niſi totis cauſſae partibus diligenter inſpectis ſcire poſſumus, qualem nobis facere animum cognoſcentis expediat, ſeuerum, an mitem, concitatum, an remiſſum, aduerſum gratiae, an obnoxium. Haec Fabius. Argumentum autem Antonij eſt eiuſmodi. Si principium primum ab oratore cogitatur, occurrit uitioſum: aut uitioſum principium fugiendum eſt, ut exſile, nugatorium, uulgare, commune: non igitur primo loco principium cogitandum eſt, ſed poſtremo. SED *hominem* ℥ Principia cauſſarum ciuilium diligentiam oratoris requirunt: qua de cauſſa reprehenditur Philippus, qui ſine ulla meditatione magno impetu cauſſam aggrediebatur, & eius allegoricum dictum (cum brachium concalefecerit, tum ſe ſolere pugnare) eleuatur ex eodem genere ſimilitudinis: Vt gladiatores certamen leniter, & moderate auſpicantur, ſic in cauſſis ciuilibus exordia parua, ſummiſſa, & moderata eſſe debent. NIHIL *eſt denique* ℥ Hic latet argumentum ſimilitudinis. Vt omnia, quae natura fiunt, ab exiguis initijs profecta ſenſim, & paullatim augentur: ſic ea, quae tractantur oratione, ex paruis principijs leniter, & moderate excitanda, & augenda ſunt, nec omnia ſtatim profundenda ſunt. OMNE *autem* ℥ In principijs eſt propoſitio cauſſae ad docilitatem, & aditus fauorabilis ad cauſſam, ad conciliandam beneuolentiam eorum, qui audiunt, & amplificatio rei, de qua agitur ad augendam attentionem: quaere exempla in orationibus Ciceronis. SED *cum erit* ℥ Explicantur loci exordij, qui omnes ſunt ex adiunctorum loco, id eſt, ex adiunctis qualitatibus perſonarum, uel cauſſae: & quidem generalis doctrina argumentorum tam ſufficiebat ad exordiorum inuentionem, quam generalis nominum etymologia ad nominum ciuilium, & forenſium diſquiſitionem, & tractationem: neque nouis iſtis, & commenticijs locis opus erat. ceterum haec partitio eſt apud Ariſtotelem capitulo quarto decimo, libro tertio Rhetor. NAM *& attentum* ℥ Hoc ex Ariſtotele ſumptum eſt cap. 14. libro tertio ad Theodecten: ἔστι τὸ προσεκτικὸν ποιεῖν, πάντων τῶν μερῶν κοινὸν, ἐὰν δὴ, πανταχοῦ γὰρ ἀνιᾶσι μᾶλλον ἢ ἀρχόμενοι, διὸ γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάττειν ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες ἀκροῶνται: ὥστε ὅπου ἂν ᾖ καιρὸς, λεκτέον, καί μοι προσέχετε τὸν νοῦν, οὐδὲ γὰρ μᾶλλον ἐμὸν, ἢ ὑμέτερον: καὶ ἐρῶ γὰρ ὑμῖν οἷον οὐδέπω ποτὲ ἀκηκόατε δεινὸν, ἢ οὕτω θαυμαστὸν, τοῦτο δ' ἐστὶν ὥσπερ ἔφη Πρόδικος, ὅτε νυστάζειν οἱ ἀκροαταὶ παρεμβάλλειν τῆς πεντήκοντα δραχμοῦ αὐτοῖς. Id eſt, Attentum autem facere omnium partium commune eſt, cum opus fuerit: ubique enim magis remittuntur auditores, quam cum incipiunt: ridiculum igitur eſt in principio collocare, cum omnes maxime attenti audiunt: itaque, ubi occaſio erit, dicendum eſt: animaduertite quaeſo: nam haec res non magis mea eſt, quam ueſtra: &, dicam uobis rem inauditam, uel ita mirabilem: id uero eſt (ut ait Prodicus) cum auditores uergunt ad ſomnum, uelut inter ipſos ſpargere pretium quinquaginta drachmarum. NARRARE *uero* ℥ Narratio ſecunda pars eſt orationis ciuilis, quam rhetores definiunt rei geſtae, uel tamquam geſtae expoſitionem: & ei uirtutes attribuunt breuitatem, claritatem, ueriſimilitudinem, & ſuauitatem: ſed irridet Antonius Graecum de breuitate narrandi praeceptum, quod etiam facit Ariſtoteles lib. 3. ad Theodecten, capit. 16. his uerbis: νῦν δὲ γελοίως τὴν διήγησίν φασι δεῖν εἶναι ταχεῖαν, καί τοι ὥσπερ ὁ τῷ μάττοντι ἐρρωμένως σκληρὰν δὲ μαλακὴν μάξει, τί δ' εὖ ἔφη. ἀδύνατον; καὶ ἐν ταῦθα ὁμοίως: δεῖ γὰρ μὴ μακρῶς διηγεῖσθαι, ὥσπερ οὐδὲ προοιμιάζεσθαι μακρῶς, οὐδὲ τὰς, πίστεις λέγειν, οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα ἐστὶ τὸ εὖ ἢ τῷ ταχὺ ἢ τὸ συντόμως, ἀλλὰ τῷ μετρίως. id eſt, Qui uero breuem eſſe oportere narrationem dicunt, ridiculi ſunt, uelut qui interroganti piſtori, durumne an mollem panem pinſet, quid, ait, eſtne impoſſibile bene pinſere? Oportet autem non eſſe longam narrationem, nec exordium, nec ea, quae fidem faciunt: & idipſum bene, nec in longo, nec in breui eſt, ſed in mediocri. Haec Ariſtoteles. Ceterum breuitas duobus modis definitur: uno, cum nihil in oratione redundat, & haec in omni parte orationis laudatur: altero, cum paucis uerbis res tota ſummatim perſtringitur, qualem breuitatem Antonius a narratione cenſet eſſe remouendam tribus argumentis, quia perſpicuitati, quia ſuauitati, quia probabilitati cauſſae plerumque nocet, quae tamen tres ſunt praecipuae uirtutes narrationis. NAM *is poſtquam* ℥ Simo ſenex apud Terentium in Andria narrat uitam, & mores Pamphili, non ea breuitate, quae rem ſtrictim & curſim comprehendat, ſed ea potius, quae iucunda uarietate diſtinguat, & explanet: eodemq. modo ſtatuendum eſt de narratione ciuilium cauſſarum. APERTAM *enim* ℥ Perſpicuitas in narratione praecipue commendatur duobus de cauſſis, & quia difficile eſt perſpicue narrare, & quia periculoſum eſt obſcure narrare quippiam, quod poſterius illuſtratur duplici collatione diſſimilium. VEL *quia ſi quo* ℥ Idem argumentum poteſt iterari: narratio eadem non debet: nec tamen ſaepius in eadem cauſſa narrare eſt nefas, quod Ci-

ero in oratione pro Cluentio fecit, eſtq. non conceſſum modo, ſed aliquando etiam neceſſarium, ut in cauſſis
repetundarum, omnibuſq. quae ſimplices non ſunt: ut ait Fabius. ERIT *autem* ℥ Tres ſunt loci perſpicue
narrandi: primus ex Grammatica dicendi ratione, ut uerba ſint uſitata: ſecundus & tertius ex dialecticae me-
thodi legibus, ut ſeruetur ordo temporis, & ne ſermo interrumpatur longis egreſſionibus: nam, ſi quando
egreſſio incidat in narratione, breuis eſſe debet, ut pro Cluentio: plures autem loci perſpicuitatis eſſe poſſunt:
haec enim communiter efficitur ex omnibus Grammaticae, Rhetoricae, & Dialecticae uirtutibus, quae ſunt
quamplurimae. SED *quando* ℥ Cicero in ueteri rhetorico pluribus uerbis docet, quando narrationi locus
non ſit: Illud autem, ait, conſiderare oportebit, ne, cum aut obſit narratio, aut cum nihil proſit, tunc interpo-
natur, aut non loco, aut non quemadmodum cauſſa poſtulat, narretur: Obeſt tum, cum ipſius rei geſtae ex-
poſitio magnam excipit offenſionem, quam argumentando, & cauſſam agendo leniri oportebit: quod cum
acciderit, membratim oportebit partes rei geſtae diſpergere in cauſſam, & ad unumquemque confeſtim ra-
tiones accommodare, ut uulneri praeſto medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget: Nil prodeſt
narratio tunc, cum ab aduerſarijs re expoſita noſtra nihil intereſt iterum, an alio modo narrare, aut cum ab ijs,
qui audiunt, ita tenetur negotium, ut noſtra nihil interſit, eos alio pacto docere: quod cum acciderit, omnino
narratione ſuperſedendum eſt. SEQVITVR, *ut* ℥ Narrationi propoſitio annexa eſt, quae continet principa-
lem quaeſtionem, & ſummam totius controuerſiae: eſtq. initium confirmationis & refutationis, quia propo-
nere primum nos oportet, quae confirmare aut refellere uelimus, ut intelligant auditores, quo referantur ar-
gumenta omnia: ceterum confirmatio, & refutatio communem habent artem, quia argumenta ad proban-
dum, & refellendum ex ijſdem locis prius expoſitis communiter aſſumuntur. NEQVE *ſane iam* ℥ Tranſitus
eſt, per quam iudicialibus praeceptis attexuntur praecepta quaedam de reliquis duobus generibus cauſſa-
rum, deliberatiuo & demonſtratiuo, quae tamen nihil habent diſpoſitionis: non enim docent, quo ordine
res diſponendae ſint, ſed explicant quaedam conſilia ſuadendi, & diſſuadendi, laudandi & uituperandi ex ge-
neralibus dialecticae, prudentiae, & rhetoricae diſciplinae praeceptis deprompta: itaque in arte diſpoſitio-
nis poſuit Antonius ea, quae diſpoſitionis non ſunt. ERGO *in ſuadendo* ℥ Praecepta deliberationis referun-
tur, uel ad honeſtatem, cum apud honeſtos homines dicimus; uel ad utilitatem, cum indoctis hominibus
conſilium damus: illic loci uirtutum, & uitiorum, hic loci bonorum fortunae, & corporis, contrariorumq.
incommodorum ad ſuadendum, aut diſſuadendum ualent: atque ita traditur prima inuentio generis delibera-
tiui ex duplici finium diſtinctione, & accommodatione propriorum argumentorum ad ſingulos fines. SED
quid fieri ℥ Reliqui ad deliberandum loci ſunt, poſſibile, impoſſibile, neceſſariũ, non neceſſarium, e quibus im-
poſſibile, & neceſſarium ad diſſuaſionẽ, & ſuaſionẽ poſſunt afferri, ut ſuadeamus aliquid eſſe faciendũ, quia ſit
neceſſariũ; uel non faciendum, quia fieri non poſſit: at cũ utrumque eſt nobis cognitum, tollit omnem delibera-
tionẽ: fruſtra.n. deliberaremus de his, quae fieri non poſſunt, aut aliter fieri non poſſunt: Haec ergo duo interdũ
ab oratoribus tractantur: at deliberãtibus occludunt omnem conſultandi, & deliberandi uiam. AD *conſilium* ℥
Fabius hũc locum ſic interpretatur lib. 3. Graecorum quidem plurimi omne hoc officium concionale eſſe iudi-
cauerunt, & in ſola rei p. adminiſtratione poſuerunt: quin & Cicero in hac maxime parte uerſatur: ideoq. ſuaſu-
ris de pace, bello, copiis, opibus, uectigalibus, haec duo praecipue nota eſſe uoluit, uires ciuitatis & mores, ut ex
natura tum ipſarum rerum, tum audientium, ratio ſuadendi duceretur. ET *quamquam una* ℥ Deliberatiua
materia, ut cenſet Antonius, tractatur uel in ſenatu, uel in foro ad populum: illic minus accuratum genus elo
cutionis & actionis, hic grandior & ſublimior eloquentia quaeritur: nam & populus magis affectu, quam ra-
tione ducitur, & orator frequentia & multitudine audientium excitatur, grãdiuſque ſonat, cum apud populum
dicit, quam ſi apud paucos cauſſam aliquam agat: Similitudo a tibicine, & tibiis declaratur planius in Bruto
Ciceronis. ET *cum ſint* ℥ Quattuor modis offenditur popularis multitudo, & quattuor modis offenſio il-
la ſedatur. EXPOSVI *fere*, ℥ Antonius tranſit a iudiciis, & deliberationibus ad topicam artem lauda-
tionum, quam initio contempſerat, quod eſſet perfacilis, & uſum in negotiis ciuilibus rariorem haberet: Grae-
ci hoc genus ad oſtentationem eloquentiae, & delectationem aurium excoluerũt in celebrandis illuſtrium ui-
rorum uirtutibus: Latini minus excoluerunt, uel in laudandis nude & inornate teſtibus, uel concionibus fune-
bribus, quae plus lacrymarum capiunt, quam eloquentiae, & oſtentationis. SED *tamen* ℥ Antonius tribus
de cauſſis inſtituit artem laudationum: quae ut recta & utilis ſit, alieno tamen loco traditur, ſicut proxime ar-
tes iudicij, & ſuaſionis: quia nil diſpoſitionis docet: rationes autem laudandi, & uituperãdi eaedem fere ſunt,
quae ſuadendi, & diſſuadendi, & ex tribus generibus bonorum, & malorum ducuntur: at uero nihil iſtis prae-
ceptis in arte Rhetorica opus erat, ſed ad laudandum aut uituperandum, tum generales loci dialecticae inuen
tionis, tum moralis philoſophia, quae genera uirtutum, & uitiorum deſcribit, tum hiſtoria perſonae, quam lau
dare aut uituperare uolumus, conſulenda eſt. Itaque hic nihil de laude, atque uituperatione dicitur, quod nõ
multo melius & uberius philoſophia moralis explicet, cuius praecepta in Rhetorica arte confundere tam inu-
tile eſt & abſurdum, quam in eadem arte de re militari, de legibus, de repub. praecipere: quarum rerum artes
oratori, ideſt uiro politico, & actori cauſſarum ciuilium apprime utiles eſſe fateor, ſed ut Rhetoricis praece-
ptis admiſceantus, minime aſſentior. PERSPICVVM *eſt* ℥ Ex tribus generibus bonorum ea proprie, & ue-
re laudabilia ſunt, quae in animis noſtris exſiſtunt: reliqua non ideo laudantur, quod quis ea poſſideat, ſed
quod iis honeſte ſit uſus. & ſic Chremes apud Terentium loquitur:

Quid reliqui eſt, quin habeat, quae quidem, in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias?
Atque haec perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet:

Qui

Qui uti ſcit,ei bona; illi,qui non utitur recte,mala.

SVNT *enim aliae*] Vitutum aliae ſunt illuſtres & populares, quarum uſus eſt humano generi maxime fructuoſus,atque iccirco iucundus,& amabilis,ut iuſtitia,fides,clementia,liberalitas,fortitudo publica: aliae minus illuſtres,ut quae magis proſunt iis,qui eas habent,quam aliis: Ex quo genere ſunt multae artes, & fortitudo priuata,& temperantia: illarum laudatio, & admirabilior, & auditu iucundior. EST *etiam cum*] Laus hominum duobus modis tractatur,& exornatur:ſimpliciter,cum quempiã ex recte factis laudamus, non cum aliis comparamus: & comparate,cum pari uel impari, ſimili uel diſſimili collatione uirtutes hominum conferuntur: Ex quo genere eſt apud Plutarchum Theſei comparatio,& Romuli,Numae & Lycurgi, Valerij Publicolae & Solonis, Alcibiadis & Coriolani, Periclis & Fabij Maximi,Marcelli & Pelopidae, Hannibalis & Scipionis, T. Flaminij & Philopaemenis,Ariſtidis & Catonis, Timoleonis & Paulli Aemilij, Lyſandri & Sullae,Eumenis & Sertorij,Cimonis & Luculli,Ageſilai & Pompeij, Dionis & Bruti, Demoſthenis & Ciceronis, Demetrij & Antonij. DE *quo genere*] Conſectarium eſt de philoſophia morali oratori, ideſt actori cauſſarum ciuilium neceſſaria: nec tamen iccirco Rhetoricae pars eſt,non magis quam Grammatica, quae non minus oratori eſt neceſſaria: neque hoc neceſſitatis argumento concludi antea oportuit inuentionem, diſpoſitionem & memoriam partes eſſe Rhetoricae,quod oratori eſſent neceſſariae.

PAVLLVS. MANVTIVS. DECEM *uerſiculis*] aut, Verſiculis, dixit, prouerbis; quod mihi nouum eſt: aut, Verbis, legendum, non Verſiculis. SI *ſic conſiſtitur aliquando*,] libri ſcripti omnes,Conſtituitur,pro Conſiſtitur. magis tamen placet,Conſiſtitur; quia ſequitur, Percurritur? ut alterum alteri opponatur. FERVNT *enim aures hominum*,] antea, Feriunt,non recte. Ferunt,ex ingenio repoſuerat Victorius,homo eruditus,beneq. de litteris meritus. ſed quia ſignificauit,locum a ſe, coniectura tantum, nulla ueterum librorum ope,reſtitutum: nos,ut eius opinio magis probetur,nec uocari iam in dubium poſſit, iudicandum putauimus,in antiquis libris,uno Borromaei,altero Fuluij Vrſini libro diſerte legi,Ferunt.

CICERO.

HABETIS, *de inueniendis rebus,diſponendisq. quid ſentiam: adiungam etiam de memoria,ut laborem Craßum leuem,neque ei quidquam aliud,de quo dißerat, relinquam, niſi ea,quibus haec exornentur. Perge uero,inquit Craſſus: libenter enim te,cognitum iam artificem, aliquandoq. euolutum illis integumentis diſſimulationis tuae, nudatumq. perſpicio: & quod mihi nihil, aut quod non multum relinquis, percommode facis, eſtq. mihi gratum. Iam iſtuc,quantum tibi ego reliquerim, inquit Antonius, erit in tua poteſtate. ſi enim uere agere uolueris, omnia tibi relinquo: ſin diſſimulare,tu,quemadmodũ his ſatisfacias,uideris. Sed,ut ad rem redeam, non ſum tanto ego, inquit, ingenio, quanto Themiſtocles fuit,ut obliuionis artem,quam memoriae,malim: gratiamq. habeo Simonidi illi Chio,quem primum ferunt artem memoriae protuliße. Dicunt enim,cum cenaret Cranone in Theſſalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem,& nobilem; cecinißetq. id carmen, quod in eum ſcripſißet; in quo multa, ornandi caußa poetarum more, in Caſtorem ſcripta & Pollucem fuißent; nimis illum ſordide Simonidi dixiſſe; ſe dimidium eius ei,quod pactus eßet pro illo carmine, daturum: reliquum a ſuis Tyndaridis, quos aeque laudaßet, peteret, ſi ei uideretur. Paullo poſt eſſe ferunt nunciatum Simonidi, ut prodiret: iuuenes ſtare ad ianuam duos quoſdam,qui eum magnopere euocarent: ſurrexiße illum ipſum, prodiße,uidiſſe neminem: hoc interim ſpatio conclaue illud,ubi epularetur Scopas, concidiſſe: ea ruina ipſum oppreſſum cum ſuis interiſſe: quos cum humare uellent ſui, neque poßent obtritos internoſcere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminiſſet, quo eorum loco quiſque cubuiſſet, demonſtrator uniuſcuiuſque ſepeliendi fuiße. Hac tum re admonitus inueniſſe fertur, ordinem eße maxime, qui memoriae lumen afferret: itaque ijs, qui hanc partem ingenij exercerent, locos eſse capiendos, &, quae memoria tenere uellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda: ſic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conſeruaret, res autem ipſas rerum effigies notaret, atque ut locis pro cera, ſimulacris pro litteris uteremur. Quid ſit autem oratori memoriae fructus, quanta utilitas, quanta uis, quid me attinet dicere? tenere, quae didiceris in accipienda cauſsa, quae ipſe cogitaris; omnes fixas eſse in animo ſententias, omnem deſcriptum uerborum apparatum; ita audire uel eum,unde dicas,uel eum, cui reſpondendum ſit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, ſed in animo uideantur inſcribere. Itaque ſoli qui memoria uigent, ſciunt quid, & quatenus, & quo modo dicturi ſint, quid reſponderint, quid ſuperſit: ijdemq. multa ab alijs cauſſis aliquando a ſe acta, multa ab alijs audita meminerunt. Quare confiteor equidem, huius boni naturam eſse principem, ſicut earum rerum, de quibus ante locutus ſum,omnium: ſed haec ars tota dicendi, ſiue artis imago quaedam & ſimilitudo eſt, habet hanc uim, non ut totum aliquid, cuius in ingenijs noſtris pars nulla ſit, pariat,& procreet; uerum ut ea,quae ſunt orta iam in nobis, & procreata, educet, atque confirmet. uerumtamen neque tam acri memoria fere quiſquam eſt,ut non diſpoſitis,notatisq. rebus, ordinem uerborum, aut ſententiarum complectatur; neque uero tam hebeti, ut nihil hac conſuetudine, & exercitatione adiuuetur. uidit enim hoc prudenter ſiue Simonides, ſiue alius quis inuenit, ea maxime animis effingi noſtris, quae eſsent a ſenſu tradita, atque impreſsa: acerrimum autem ex omnibus noſtris ſenſibus eſse ſenſum uidendi: quare facillime animo teneri poſse ea,quae perciperẽtur auribus, aut cogitatione, ſi etiam oculorum cõmendatione animis*

traderentur, ut res caecas, et ab adſpectus iudicio remotas conformatio quaedam, & imago, & figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti uix poſſemus, intuendo quaſi teneremus. His autem formis, atque corporibus, ſicut omnibus, quae ſub adſpectum ueniunt, ſede opus eſt. etenim corpus intelligi ſine loco non poteſt. quare, ne in re nota, & peruulgata multus, & inſolens ſim, locis eſt utendum multis, illuſtribus, explicatis, modicis interuallis, imaginibus autem agentibus, acribus inſignitis, quae occurrere, celeriterq. percutere animum poſſint: quam facultatem & exercitatio dabit, ex qua conſuetudo gignitur; & ſimilium uerborum conſeruata, & immutata caſibus, aut traducta ex parte ad genus notatio, & unius uerbi imagine totius ſententiae informatio, pictoris cuiuſdam ſummi ratione, & modo, formarum uarietate locos diſtinguentis. Sed uerborum memoria, quae minus eſt nobis neceſſaria, maiore imaginum uarietate diſtinguitur. multa enim ſunt uerba, quae quaſi articuli connectunt membra orationis, quae formari ſimilitudine nulla poßunt. eorum fingendae nobis ſunt imagines, quibus ſemper utamur. Rerum memoria propria eſt oratoris. eam ſingulis perſonis bene poſitis notare poßumus, ut ſententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque uerum eſt, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, & obſcurari etiam id, quod per ſe natura tenere potuiſſet. uidi enim ego ſummos homines, & diuina prope memoria, Athenis Carneadem, in Aſia, quem uiuere hodie aiunt, Scepſium Metrodorum, quorum uterque, tamquam litteris in cera, ſic ſe aiebat imaginibus in ijs locis, quos haberet, quae meminiße uellet, perſcribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria eſt, ſi eſt ulla naturalis, ſed certe, ſi latet, euocanda eſt. Habetis ſermonem bene longum hominis utinam non impudentis. illud quidem certe, non nimis uerecundi; qui quidem, cum te, Catule, tum etiam L. Craßo audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. nam iſtorum aetas minus me fortaſſe mouere debuit: ſed mihi ignoſcetis profecto, ſi modo, quae caußa me ad hanc inſolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis. Nos uero, inquit Catulus, (etenim pro me hoc, & pro meo fratre reſpondeo) non modo tibi ignoſcemus, ſed & diligimus, magnamq. habemus gratiam, & cum humanitatem, & facilitatem agnoſcimus tuam; tum admiramur iſtam ſcientiam, & copiam. Equidem etiam hoc me aßecutum puto, quod magno ſum leuatus errore, & illa admiratione liberatus, quod multis cum alijs ſemper admirari ſolebam, unde eßet illa tanta tua in cauſſis diuinitas. nec enim te iſta attigiſſe arbitrabar, quae diligentiſſime cognoße, & undique collegiſſe, uſuq. doctum partim correxiſſe uideo, partim comprobaſſe. Neque eo minus eloquentiam tuam, & multo magis uirtutem, & diligentiam admiror: & ſimul gaudeo iudicium animi mei comprobari; quod ſemper ſtatui, neminem ſapientiae laudem & eloquentiae ſine ſummo ſtudio, & labore, & doctrina conſequi poße. Sed tamen quidnam eſt id, quod dixiſti, fore ut tibi ignoſceremus, ſi cognoſſemus, quae te cauſſa in ſermonem impulißet? quae eſt enim alia caußa, niſi quod nobis, & horum adoleſcentium ſtudio, qui te attentiſſime audierunt, morem gerere uoluiſti? Tum ille, Adimere, inquit, omnem recuſationem Craſſo uolui; quem ego paullo ſciebam uel pudentius, uel inuitius (nolo enim dicere de tam ſuaui homine, faſtidioſius) ad hoc genus ſermonis accedere. quid enim poterit dicere? conſularem ſe ſe eße hominem, & cenſorium? eadem noſtra caußa eſt. an aetatem afferet? triennio minor eſt. an ſe neſcire? quae ego ſero, quae curſim arripui, quae ſubſeciuis operis, ut aiunt, iſte a puero, ſummo ſtudio, ſummis doctoribus. nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit: etenim me dicentem qui audierit, nemo umquam tam ſui deſpiciens fuit, quin ſperaret, aut melius, aut eodem modo ſe poſſe dicere: Craßo dicente, nemo tam arrogans, qui ſimiliter ſe umquam dicturum eße confideret. Quamobrem, ne fruſtra hi tales uiri uenerint, te aliquando Craße audiamus. Tum ille, Vt ita iſta eſſe concedam, inquit, Antoni, quae ſunt longe ſecus; quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici poſſit, reliquiſti? dicam enim uere, amiciſſimi homines, quod ſentio. ſaepe ego doctos homines, quid dico ſaepe? immo nonnumquam: ſaepe enim qui potui. qui puer in forum uenerim, neque inde umquam diutius, quam quaeſtor, abfuerim? ſed tamen audiui, ut heri dicebam, & Athenis cum eßem, doctiſſimos uiros, & in Aſia iſtum ipſum Scepſium Metrodorum, cum de his ipſis rebus diſputaret: neque uero mihi quiſquam copioſius umquam uiſus eſt, neque ſubtilius in hoc genere dicendi, quam iſte hodie, eße uerſatus. quod ſi eßet aliter; & aliquid intelligerem ab Antonio praetermiſſum: non eßem tam inurbanus, ac paene inhumanus, ut in eo grauarer, quod uos cupere ſentirem. Tum Sulpicius, An ergo, inquit, oblitus es, Craſſe, Antonium ita partitum eſſe tecum, ut ipſe inſtrumentum oratoris exponeret, tibi eius diſtinctionem, atque ornatum relinqueret? Hic ille, Primum quis Antonio permiſit, inquit, ut & partes faceret; & utram uellet prior ipſe ſumeret? deinde, ſi ego recte intellexi, cum ualde libenter audirem, mihi coniuncte eſt uiſus de utraque re dicere. Ille uero, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit, neque eam laudem, ex qua eloquentia nomen ipſum inuenit. Verba igitur, inquit Craſſus, mihi reliquit Antonius; rem ipſe ſumpſit. Tum Caeſar, Si, quod difficilius eſt, id tibi reliquit; eſt nobis, inquit, cauſſa, cur te audire cupiamus: ſin, quod facilius, tibi caußa non eſt, cur recuſes. Et Catulus, Quid quod dixiſti, inquit, Craſſe, ſi hic hodie apud te maneremus, te morem nobis eße geſturum; nihil ne ad fidem tuam putas pertinere? Tum Cotta ridens, Poßem tibi, inquit, Craße, concedere; ſed uide, ne quid Catulus attulerit religionis. opus hoc cenſorium eſt: id autem committere; uide quam ſit homini turpe cenſorio. Agite uero, ille inquit, ut uultis: ſed nunc quidem, quoniam id temporis eſt, ſurgendum cenſeo, & requieſcendum: poſt meridiem, ſi ita uobis eſt commodum, loquemur aliquid: niſi forte in craſtinum differre mauultis. Omnes ſe uel ſtatim, uel, ſi ipſe poſt meridiem mallet, quamprimum tamen audire uelle dixerunt.

EXPLA-

EXPLANATIO

HABETIS *de* } Tranſit Antonius a duabus primis, ut putat, Rhetoricae partibus ad doctrinam memoriae, quae ſi talis, qualis traditur, uera & legitima eſſet, Rhetoricae tamen non magis eſſet, quam Grammaticae, & reliquarum artium, quae non minus ediſcendae ſunt, quam actiones forenſes: ac potius ars quaedam ſingularis, & a ceteris artibus diſtincta eſſet, ſicut Grammatica, Arithmetica, & aliae diſciplinae ſuis propriis finibus, & praeceptis comprehenduntur: at uero locorum & imaginum, quam a Graecis acceptam tradit Antonius, ars memoriae non eſt, quia inutilis & nimis operoſa eſt ad quippiam ediſcendum, ut paullo poſt dicemus. Primum autem Antonius originem huius artis a Simonide repetit, ſecutus Callimachum, ut ait Fabius lib. II. ORDINEM *eſſe* } Simonides recte animaduertit, ordinem eſſe magnum memoriae adiumentum: nam ad res ediſcendas nil tam prodeſt, quam ipſas in partes diſtribuere, & earum ordinem uidere: ſed ordinem in externis locis & imaginibus ad ſubſidium memoriae parum utiliter Simonides inuenit: & ex eo artem memoriae compoſuit, quia memoria propriis rerum ipſarum, quae ediſcuntur, imaginibus non alienis & externis ſimulacris proprie efficitur. QVARE *confiteor* } Memoria, quae eſt uirtus & facultas, res perceptas & cognitas aſſeruandi, & earum ſimulacra, & imagines animo repraeſentandi, tribus rebus adiuuatur, natura, doctrina, & exercitatione, quae ita comparantur inter ſe, ut primas natura habeat, ſecundas exercitatio, poſtremas doctrina, atque ut natura memoriā tamquam procreet, doctrina nutriat, exercitatio confirmet. VERVMTAMEN *neque* } Antonius ſummatim exponit Graecam artem memoriae in commenticiis externorum locorum, & imaginum diſpoſitionibus: quam artem Fabius lib. XI. uere meritoq. reprehendit & irridet, quia non ſolum uanum & inutile ſit, ſed etiam perquam laborioſum, cum aliquid uolumus ediſcere, locos & imagines extrinſecus fingere & diſponere: tum enim labor ipſe ediſcendi geminatur & ediſcendo locos, & imagines, & ſententias, & uoces huc reuocādo: adde etiam, quod ſenſus non eandem ſemper imaginem habeant, quam res ipſae quae ediſcuntur: & ſiquis imagines omnium uerborum, quae ſunt in actionibus in Verrem, conſtituere uelit, nonne, inquit Fabius, impediri eorum, quae dicit, decurſum neceſſe eſt duplici memoriae cura? nam, quomodo poterunt copulata fluere, ſi propter ſingula uerba ad ſingulas formas reſpiciendū erit? Cenſet igitur Fabius memoriam actionum forenſium duabus rebus magnopere iuuari, diuiſione & compoſitione: nam qui recte diuiſerit, numquam poterit in rerum ordine errare, &, quae bene compoſita erunt, memoriam ſua ſerie ducent. Diuiſio autem, & compoſitio nil aliud fere ſunt, niſi uia, & ratio dialecticae diſpoſitionis, quae ſola eſt uera & naturalis & legitima doctrina iuuandae, & confirmandae memoriae: ut cum orationem aliquam aut partem orationis ſyllogiſmo comprehenſam memoriae mandare uolumus, ordinem partis ſyllogiſmi inſpiciamus: aut cum orationem methodo diſpoſitam, & a generalibus principiis ad partes illis ſubiectas uia, & ordine deſcriptam uolumus ediſcere, uiam & ordinem partium perſpiciamus & ſequamur: ſiqua ſunt uera & utilia memoriae praecepta, ea profecto ſunt, quae de ſyllogiſmis & methodo traduntur a dialecticis: nam quae Graeci repererunt, memoriae plus negotij faceſſunt, quam prodeſſe poſſint. VIDI *enim* } Hoc Graecorum teſtimonium Fabius lib. XI. irridet. Quare (inquit) Carneades & Scepſius, de quo modo dixi, Metrodorus, quos Cicero dicit uſos eſſe exercitatione, ſibi habeant ſua: nos ſimplici ora tradamus. HABETIS *ſermonem* } Peroratio ſecundi libri duas habet partes: unam, qua cum gratiarum actione laudatur Antonius; alteram, qua inuitatur Craſſus ad pomeridianam diſputationem de reliquis duabus eloquentiae partibus, elocutione & actione: Antonius igitur deprecatur impudentiae ueniam, ut modeſtiam retineat, & anſam Catulo tribuat laudandae diſputationis. NEQVE *enim te* } Haec laus Antonij ad Ciceronem referenda eſt, quoniam haec Cicero fecit, non Antonius. QVAE *eſt enim* } Altera pars huius perorationis ſequitur, qua Craſſus inuitatur ad ſuſcipiendas partes oratoriae diſputationis ſibi relictas ab Antonio: Antonius igitur occurrit argumentis recuſationis, & ea diſſoluit ex uariis rationibus perſonae ad laudem Craſſi, ubi Antonius plus Craſſo, quam ſibiipſi tribuit, & in eo, de quo Craſſum rogat, ipſum reliquis praeſtare docet. TVM *ille*, } Craſſus reiicit a ſe laudem in Antonium, & utitur comparatione a minori ad maius: Multos, ait, audiui homines doctiſſimos in Graecia, & Aſia de hac re diſputantes: ſed neminem Antonio copioſiorem, & ſubtiliorem uidi. QVOD *ſi eſſet* } Syllogiſmus eſt connexus primi modi: Siquid eſſet ab Antonio praetermiſſum: cui Craſſus reſiſtit non tam pugnando, quam iocando, ut paullatim ſe a tribus adoleſcentibus, & a Catulo ſane uinci, & exorari patiatur.

PAVLLVS. MANVTIVS. HANC *partem ingenij* } partem ingenij uocat memoriam: quod paullo ante ſignificauit, in eo: Non ſum tanto ingenio, quanto Themiſtocles fuit, ut obliuionis artem, quam memoriae, malim. Et in Bruto: Qui hac, inquit, parte animi, quae cuſtos eſt ceterarum ingenij partium, tam debilis eſſet, ut ne in ſcripto quidem meminiſſet, quia paullo ante poſuiſſet, huic minime mirum eſt ex tempore dicendi ſolitam effluere mentem.

IN
M. TVLLII . CICERONIS
LIBRVM . TERTIVM
DE . ORATORE

Argumentum Audomari Talaei

AD
CAROLVM . LOTHARINGVM
CARDINALEM . ILLVSTRISSIMVM

TERTIVS *liber (Carole Lotharinge Cardinalis) ſolus uere, & proprie Rhetoricus eſt, quia Rhetoricam doctrinam in elocutione, & actione, quae duae ſolae, & uerae partes ſunt eloquentiae, ſolus habet, qualem Rhetoricis inſtitutionibus tibi nuncupatis breuiore quidem, ſed tamen accuratiore, & faciliore compendio informare conati ſumus: hoc autem tertio libro multo plura ad ornatum, & elegantiam huiuſce ſcriptionis extra artem adhibentur, quam de arte ipſa dicuntur. Eſt enim, & praefatio de morte Craſſi, & congreſſus perſonarum pomeridianus, & exordium Craſſi, de uniuerſa eloquentia, & excellentibus, licet in diſpari genere, oratoribus. Cumq. quattuor elocutionis uirtutes proponantur, Latinitas, perſpicuitas, ornatus, decorum, duabus primis, quae Rhetoricae artis propriae non ſunt, celerrime, breuiſſimeq. demonſtratis, Craſſus, antequam praecepta ornatae orationis doceat, longiſſimam digreſſionem facit in laudem perfectae eloquentiae, cuius haec capita ſunt:*

1 *Eloquentiam a philoſophia petendam eſſe:*

2 *Oratorem adiuuari non ab Epicureis quidem aut Stoicis, ſed ab Academicis & Peripateticis:*

3 *Oratori philoſophandum eße, ſed paucis:*

4 *Eloquentiae apparatum eße in rebus & uerbis:*

5 *Summam eloquentiae eße, rem quampiam amplificare dicendo, & finitam quaeſtionem ad infinitam reuocare, ut diſputatio ſit latior: qua quidem occaſione Craſſus artem de generibus quaeſtionum exponit, & hanc reuocationis exercitationem oratoriam exemplis Graecorum, & Latinorum illuſtrat. Poſt hanc igitur tam longam, & Rhetoricae artis alienam excurſionem, ubi eloquentiae cum philoſophia coniunctio, & apparatus, & amplitudo magnificentiſſime, & ornatiſſime laudata eſt, Craſſus uenit ad doctrinam de ornatu, quam ponit in uerbis ſingulis, & coniunctis: & ſingula quidem ornari putat tribus modis, nouitate, uetuſtate, tranſlatione: coniuncta uero totidem etiam alijs, coagmentatione, numero, & figura. Quartam quoque elocutionis oratoriae uirtutem, ſi tamen elocutionis uirtus propria eſt, quae eſt* τὸ πρέπον, *breuiter attingit. Craſſus igitur de elocutione ita ſibi dicendum putauit, ut eloquentiae uim, quae maxima eßet,*

plurimis

plurimis uerbis ornaret, artem ipſam, quae trita, & peruulgata eſſet, paucis, & breuibus praeceptis perſtringeret. Actio, quae ſequitur, duas habet partes, uocem, & geſtum: ac uocis quidem uaria ſunt genera, acutum, graue, citum, tardum, magnum, paruum, itemq. lene, aſperum, contractum, diffuſum, continenti ſpiritu, intermiſſo, fractum, ſciſſum, flexo ſono, attenuatum, inflatum, quibus uarie pro uarijs animorum motionibus utimur. De geſtu autem politici oratoris haec pauca praecipiuntur a Craſſo, ut ne ſit hiſtrionicus: ut ſit laterum inflexio uirilis, manus minus argutae, brachium procerius proiectum, ſupploſio pedum in contentionibus incipiendis, aut finiendis, oris, uultus, & oculorum magna moderatio. His igitur praeceptis elocutionem, & actionem Craſſus informat, ex quibus quae uera, propria, conſentanea, quae item falſa, aliena, minuſq. legitima ſint, in explicandis ſingulis partibus diſputationis multo commodius, & opportunius, quam hic, examinare poterimus.

M. TVLLII. CICERONIS
DE. ORATORE
AD. Q. FRATREM
LIBER. III

CICERO

INSTITVENTI mihi, Quincte frater, eum ſermonem referre, & mandare huic tertio libro, quem poſt Antonij diſputationem Craſſus habuiſſet, acerba ſane recordatio ueterem animi curã, moleſtiamq. renouauit. nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa uirtus L. Craſſi morte exſtincta ſubita eſt, uix diebus decem poſt eum diem, qui hoc & ſuperiore libro continetur. ut enim Romam redijt extremo ſcenicorum ludorum die, uehementer commotus ea oratione, quae ferebatur habita eſſe in concione a Philippo; quem dixiſſe conſtabat, uidendum ſibi aliud eſſe conſilium, illo ſenatu ſe rempub. gerere non poße: mane idibus Septembris & ille, & ſenatus frequens uocatu Druſi in curiam uenit. ibi, cum Druſus multa de Philippo queſtus eßet, retulit ad ſenatum de illo ipſo, quod conſul in eum ordinem tam grauiter in concione eßet inuectus. hic, ut ſaepe inter homines ſapientiſſimos conſtare uidi; quamquam hoc Craſſo, cum aliquid accuratius dixiſſet, ſemper fere contigiſſet, ut numquam dixiße melius putaretur: tamen omnium conſenſu ſic eſſe tum iudicatum, ceteros a Craßo ſemper omnes, illo autem die etiam ipſum a ſeſe ſuperatum. deplorauit enim caſum, atque orbitatem ſenatus; cuius ordinis a conſule, qui quaſi parens bonus, aut tutor fidelis eſſe deberet, tamquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis: neque uero eße mirandum, ſi, cum ſuis conſilijs rempub. profligaßet, conſilium ſenatus reip. repudiaret. Hic cum homini & uehementi, & diſerto, & in primis forti ad reſiſtendum Philippo quaſi quaſdam uerborum faces admouiſſet; non tulit ille, & grauiter exarſit, pignoribusq. oblatis Craſſum inſtitit coercere. quo quidem ipſo in loco multa a Craßo diuinitus dicta efferebantur; cum ſibi illum conſulem eſſe negaret, cui ſenator ipſe non eſſet. An tu, cum omnem auctoritatem uniuerſi ordinis pro pignore putaris, eamq. in conſpectu populi R. concideris, me his pignoribus exiſtimas poſſe terreri? non tibi illa ſunt caedenda, ſi Craſſum uis coercere: haec tibi eſt excidenda lingua; qua uel caußa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit. Permulta tum uehementiſſima contentione animi, ingenij, uirium ab eo dicta eße conſtabat; ſententiamq. eam, quam ſenatus frequens ſecutus eſt, ornatiſſimis, & grauiſſimis uerbis, ut populo R. ſatisfieret, numquam ſenatus neque conſilium reip. nec fidem defuiſſe, ab eo dictam; & eundem, id quod in auctoritatibus praeſcriptis exſtat, ſcribendo affuiſſe. Illa tamquam cygnea fuit diuini hominis uox, & oratio; quam quaſi exſpectantes, poſt eius interitum ueniebamus in curiam, ut ueſtigium illud ipſum, in quo ipſe poſtremum inſtitiſſet, contueremur. namque tum latus ei dicenti condoluiße; ſudoremq. multum conſecutum eße audiebamus: ex quo cum cohorruiſſet, cum febri domum redijt, dieq. ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus. O fallacem hominum ſpem, fragilemq. fortunam, & inanes noſtras contentiones; quae in medio ſpatio ſaepe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur; quam portum conſpicere potuerunt. nam, quam diu Craſſi fuit ambitionis labore uita diſtricta, tam diu priuatis magis officijs, & ingenij laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut reipub. dignitate. qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum omnium conceſſu ad ſummam auctoritatem dabat, is eius omnem ſpem, atque omnia uitae conſilia morte peruertit. fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbum patriae, graue bonis omnibus: ſed ij tamen remp. caſus ſecuti ſunt, ut mihi non erepta L. Craßo a dijs immortalibus uita, ſed donata mors eſſe uideatur. non uidit flagrantem bello Italiam, non ardentem inuidia ſenatum, non ſceleris nefarij principes ciuitatis reos, non luctum filiae, non exſulium

generi,

generi, non acerbiſſimam C. Marij fugam, non illam poſt reditum eius caedem omnium crudeliſſimam, non denique in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipſe florentiſſima multum omnibus gloria praeſtitiſſet. Sed, quoniam attigi cogitatione uim, uarietatemq. fortunae; non uagabitur oratio mea longius, atque eis ipſis definietur uiris, qui hoc ſermone, quem referre coepimus, continētur. Quis enim non iure beatam L. Craſſi mortem illam, quae eſt a multis ſaepe defleta, dixerit, cum horum ipſorum ſit, qui tum cum illo poſtremum fere collocuti ſunt, euentum recordatus? tenemus enim memoria, Q. Catulum, uirum omni laude praeſtantem, cum ſibi non incolumem fortunam, ſed exſulium, & fugam deprecaretur, eſſe coactum, ut uita ſe ipſe priuaret. iam M. Antonij in eis ipſis Roſtris, in quibus ille rempub. conſtantiſsime conſul defenderat, quaeq. cenſor imperatorijs manubijs ornarat, poſitum caput illud fuit, a quo erant multorum ciuium capita ſeruata. neque uero longe ab eo C. Iulii caput, hoſpitis Etruſci, ſcelere proditum, cum L. Iulii fratris capite iacuit. ut ille, qui haec non uidit, & uixiſse cum rep. pariter, & cum illa ſimul exſtinctus eſse uideatur. neque enim propinquum ſuum, maximi animi uirum, P. Craſſum ſuapte interfectum manu, neque collegae ſui, pontificis maximi, ſanguine ſimulacrum Veſtae reſperſum eſse uidit: cui, maerori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis, inimiciſſimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuiſſet, non uidit eorum ipſorum, qui tum adoleſcentes Craſso ſe dicarant, horribiles, miſeroſq. caſus. ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus poſt mortem Craſſi depulſus per inuidiam tribunatu, non multis ab eo tempore menſibus eiectus eſt e ciuitate. Sulpicius autem, qui in eadem inuidiae flamma fuiſset, quibuſcum priuatus coniunctiſſime uixerat, hos in tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate: cui quidem ad ſummam gloriam eloquentiae floreſcenti, ferro erepta uita eſt, & poena temeritati non ſine magno reip. malo conſtituta. Ego uero te, Craſse, cum uitae flore, tum mortis opportunitate, diuino conſilio & ortum, & exſtinctum eſse arbitror. nam tibi aut pro uirtute animi, conſtantiaq. tua ciuilis ferri ſubeunda fuit crudelitas: aut, ſi qua te fortuna ab atrocitate mortis uindicaſset, eadem eſſe te funerum patriae ſpectatorem coegiſset: neque ſolum tibi improborum dominatus, ſed etiam, propter admixtam ciuium caedem, bonorum uictoria maerori fuiſſet. Mihi quidem, Quincte frater, & eorum caſus, de quibus ante dixi, & ea, quae noſmet ipſi ob amorem in remp. incredibilem, & ſingularem pertulimus, ac ſenſimus, cogitanti, ſententia ſaepe tua uera, ac ſapiens uideri ſolet; qui propter tot, tantos, tamq. praecipites caſus clariſſimorum hominum, atque optimorum uirorum, me ſemper ab omni contentione, ac dimicatione reuocaſti. ſed, quoniam haec iam neque in integro nobis eſse poſsunt; & ſummi labores noſtri magna compenſati gloria mitigantur: pergamus ad ea ſolatia, quae non modo, ſedatis moleſtijs, iucunda, ſed etiam, haerentibus, ſalutaria nobis eſſe poſsunt; ſermonemq. L. Craſſi reliquum, ae paene poſtremum, memoriae prodamus; atque ei, etſi nequaquam parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam, debitamq. referamus. neque enim quiſquam noſtrum, cum libros Platonis mirabiliter ſcriptos legit, in quibus fere Socrates exprimitur, non quamquam illa ſcripta ſunt diuinitus, tamen maius quiddam de illo, de quo ſcripta ſunt, ſuſpicatur. quod item nos poſtulamus, non a te quidem, qui nobis ſumma omnia tribuis, ſed a ceteris, qui haec in manu ſument, ut maius quiddam de L. Craſso, quam quantum a nobis exprimetur, ſuſpicetur. nos enim, qui ipſi ſermoni non interfuiſſemus, & quibus C. Cotta tantummodo locos, ac ſententias huius diſputationis tradidiſſet, quo in genere orationis utrumque oratorem cognoueramus, id ipſum ſumus in eorum ſermone adumbrare conati. quod ſi quis erit, qui, ductus opinione uulgi, aut Antonium ieiuniorem, aut Craſſum fuiſse pleniorem putet, quam quo modo a nobis uterque inductus eſt; is erit ex ijs, qui aut illos non audierit, aut iudicare non poſſit. nam fuit uterque, ut expoſui antea, cum ſtudio, atque ingenio, & doctrina praeſtans omnibus, tum in ſuo genere perfectus: ut neque in Antonio deeſſet hic ornatus orationis, neque in Craſſo redundaret.

EXPLANATIO

INSTITVENTI *mihi*, } Hoc exordio Cicero inſtituit quaſi funebrem laudationem L. Craſſi, cui primas dabit in tertio dialogo: duae uero ſunt exordij partes, quarum una deplorat cauſſam, & genus mortis, altera reuocat a luctu ad conſolationem. Cauſſae mortis tres potiſſimum narrantur: uehemens in ſenatu contentio, & altercatio L. Craſſi contra L. Marcium Philippum conſulem, magnus in dicendo ſudor, & ſudorem conſecuta πλευρῖτις. SCENICORVM *ludorum* } Ludi Romani etiam ſcenici dicti ſunt, quod tum hiſtriones in ſcena uarias fabulas agerent, ut comoedi, tragoedi, mimi, pantomimi, ethologi. Hi Tito Sulpicio Paetico, & C. Licinio Stolone conſulibus, cum magna eſſet in urbe peſtis, inter alia caeleſtis irae placamina primum inſtituti dicuntur, ut ait Liuius. Ceterum, parua quoque (ut ferme principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit, ſine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Tuſco dabant, &c. Idem Liuius alibi, Ludi (ait) Romani ſcenici eo anno magnifice, apparateq. facti ab aedilibus curulibus, L. Valerio Flacco, & T. Quinctio Flaminino biduum inſtaurati ſunt. A PHILIPPO, } L. Marcius Philippus conſul, habuerat in concione orationem pro equitibus Romanis aduerſus ſenatum, quod auctore Liuio Druſo trib. pleb. poteſtatem iudicandi ab equeſtri ordine ad ſe transferre, aut ſaltem ſibi cum eo communicare conaretur. In hanc igi-

tur

tur ambitionem ſenatoriam Philippus uehementer inuectus eſt. VOCATV *Druſi* ʒ Vt conſuli, ita trib. pleb. ius erat edicendi, & uocandi ſenatum. Itaque uocatu Liuij Druſi, qui tribunus plebis erat, ſenatus in curiam uenit. ILLO *autem die* ʒ Craſſus eſt a ſeſe ſuperatus, id eſt, melius tum in ſenatu dixit, quam umquam antea: modus eſt loquendi hyperbolicus, ut in oratione pro Marcello: Ceteros quidem omnes uictores bellorum ciuilium iam antea aequitate & miſericordia uiceras: hodierno autem die teipſum uiciſti. DEPLORAVIT *enim* ʒ Haec capita ſunt & illuſtres aliquot ſententiae illius orationis, quam Craſſus habuit in ſenatu aduerſus Philippum conſulem: prima γνώμη acute concluſa eſt ex repugnantibus: Philippum conſulem non eſſe, quia oppugnet, dignitatem ſenatus: duae uero ſimilitudines inſtar duarum ſtellarum interpoſitae ſunt, quibus conſul bono parenti aut tutori confertur, & Philippus nefario praedoni. NEQVE *uero* ʒ Altera γνώμη eſt a maiori ad minus: Philippus remp. ſuis conſilijs profligauit: non eſt igitur mirum, ſi conſilium ſenatus a repub. reijciat, id eſt, ſenatum a iudiciis repellat. QVAS *quaſdam* ʒ Similitudo ſumpta eſt ab his rebus, quae admoto igne facile exardeſcunt: ſic Philippus uehemens & iracundus a Craſſo prouocatus ſtatim excanduit, & quaſi flammam iracundiae concepit. PIGNORIBVSQ. ʒ Philippus conſul Craſſo multam dixit, quod ab eo fuiſſet acerbe reprehenſus, & contumelioſe uexatus in ſenatu, iuſſitq. auferri pignora, id eſt, capi bona in aedibus Craſſi, ut hanc licentiam dicendi contra conſulem coerceret. CVM *ſibi illum* ʒ Tertia γνώμη eſt a paribus, Non ſum tibi ſenator: nec tu mihi igitur conſul. Philippus tum iuſſerat manum in Craſſum inijci: at Craſſus reiecto lictore, Non es (inquit) mihi Philippe conſul, quia nec ego tibi ſenator ſum. Valerius lib. 6. AN *tu cum* ʒ Quarta γνώμη habet prolepſim & comparationem a maiori ad minus: Non ſum territus, cum auctoritatem ſenatus, quae tibi tamquam in pignus erat tradita, uiolaſti: an tu igitur me putas ablatis domeſticis pignoribus poſſe terreri? NON *tibi illa* ʒ Solutio proximae προλήψεως ex cauſſa diſſimili. Craſſus coerceri non poteſt, fracta auctoritate ſenatus, aut ablatis pignoribus, ſed exciſione linguae. Hoc uero etiam poſterius ſtatim corrigitur ad augendam conſtantiam ipſius Craſſi, qui ne euulſa quidem lingua a Philippo coerceri poſſit. AVCTORITATIBVS ʒ Auctoritates perſcriptae dicuntur pro Senatuſconſultis in publicas tabulas relatis. Nam, ut in populo Romano poteſtas, ſic in ſenatu auctoritas ineſt, ut ait Cicero libro 3. de Legibus. ILLA *tamquam* ʒ Alluſit ad Graecum prouerbium κύκνειον ᾆσμα, id eſt, cygnea cantio. Socrates ait cygnos in morte ſuauius canere, quam antea conſueuerint,

καὶ ὡς ἔοικε, τῶν κύκνων δοκῶ φαυλότερος ἡμῖν εἶναι τὴν μαντικήν· οἳ ἐπειδὰν αἴσθωνται, ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ᾄδοντας καὶ ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ, τότε δεῖ πλεῖστα, καὶ μάλιστα ᾄδουσι, γεγηθότες, ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν ἀπιέναι, οὗπέρ εἰσι θεράποντες. οἱ δ᾽ ἄνθρωποι, διὰ τὸ αὑτῶν δέος τοῦ θανάτου, καὶ τῶν κύκνων καταψεύδονται, καί φασιν αὐτοὺς θρηνοῦντας τὸν θάνατον, ὑπὸ λύπης ἐξᾴδειν· καὶ οὐ λογίζονται, ὅτι οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει, ὅταν πεινῇ ἢ ῥιγοῖ, ἤ τινα ἄλλην λύπην λυπεῖται· οὐδὲ αὐτὴ ἥ τε ἀηδών, καὶ χελιδών, καὶ ὁ ἔποψ, ἅ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν, ἀλλ᾽ οὔτε ταῦτά μοι φαίνεται λυπούμενα ᾄδειν, οὔτε οἱ κύκνοι, ἀλλ᾽ ἅτε οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες, μαντικοί τε εἰσὶ καὶ προειδότες τὰ ἐν ᾅδου ἀγαθά, ᾄδουσί τε καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως, ἢ ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ.

id eſt, Atque (ut apparet) uideor uobis eſſe cygnis in diuinatione inferior: hi namque ſibi neceſſario mortem inſtare, atque impendere ſentientes, cum antea canerent, tum plurimum & maxime modulantur, gaudentes ſe ad deum proficiſci, cui ſeruiunt. Homines uero ipſi, qui mortem metuunt, de cygnis mentiuntur, aiuntq. ipſos lugentes mortem, prae dolore cantum emittere, nec conſiderant nullam auem canere cum eſurit, aut friget, aut alio dolore afficitur, neque ipſam philomelam, & hirundinem, & upupam, quam dicunt in ſummo doloris luctu canere: ſed neque hae aues mihi uidentur ob dolorem canere, neque cygni, ſed (ut opinor) quia ſunt Phoebo ſacrati, ab eo diuinationem habent, ac prouident quid in morte boni ſit, eo die multo magis quam antea, cantant & laetantur. Haec Socrates. Vt igitur cygni cantus impendente morte ſuauiſſimus eſt, ſic extrema illa oratio Craſſi quaſi cygnea fuit, quia numquam uiſus eſt melius dixiſſe, quam illo ipſo die, quo in mortiferum dolorem lateris incidit. DIEQ. *ſeptimo* ʒ Septimus dies medicis criticus eſt in morbis acutis, ſed fere in bonam partem. Itaque eum Galenus regi comparat, ſicut diem ſextum tyranno, quod ille clementior tamquam bonus aliquis princeps his, quos iudicat, uel partem ſupplicij adimit, uel illuſtrat uictoriam: hic pernicie hominis gaudet, uel ſalute dolet, quaeritq. ubi aegrum male tractet, & longa punitione exerceat. Septimo tamen die L. Craſſus interijt dolore lateris: Graeci πλευρῖτιδα uocant, inflammationem membranulae coſtas cingentis ex uehementi contentione natam, cum aduerſus Philippum in ſenatu altercaretur, cuius doloris comites ſunt, primum ſudor, deinde horror, tum acuta febris, & tuſſis, & difficultas ſpiritus. QVAE *in medio* ʒ Allegoria ducitur a nautis in medio mari naufragio pereuntibus, quibus ſimiles ſunt hi, qui immatura aetate moriuntur, antequam legitimum curſum uitae, uel honoris, & dignitatis confecerint. NAM *quam diu* ʒ Proxima allegoria declaratur apertius inductione per gradus temporum. Craſſus in petendis honoribus mercedem ſuae induſtriae non eſt adeptus, nec item in gerendis, nec uero etiam poſtea: caruit igitur Craſſus fructu uirtutis, & amplitudinis ſuae, id eſt, otio cum ſumma dignitate coniuncto. FVIT *hoc luctuoſum* ʒ Tranſitus eſt a luctu de morte Craſſi ad conſolationem, quaſi tum ille feliciter, & beate uita functus fuerit: qui locus illuſtratur inductione, & enumeratione malorum mortem Craſſi conſecutorum. Nam paullo poſt exorta ſunt bella ciuilia, quae ſtatim reipub. peruertunt. NON *uidit* ʒ Liuius Druſus Italis ciuitatem promiſerat, quae cum poſt Druſi interitum non daretur, tota paene Italia Romanis bellum intulit, quod appellatum eſt ſociale, geſtumq. eſt anno urbis conditae 662. NON *ardentem* ʒ Q. Valerius trib. pleb. legem tulit, qua quaeſtiones & iudicia haberentur in Italos, qui a principibus ad perturbandam remp. ſollicitati fuiſſent, & habita concione in tantam inuidiam ſenatum adduxit, ut plerique homines ſenatorii ordinis metu perculſi ex urbe fugerint. Lege Appianum. NON *luctum filiae,* ʒ Scipio Craſſi gener, cum Caii Marii partes ſecutus eſſet, deſtitutus a copiis uenit in poteſtatem Sullae, a quo quidem interfectus

fectus non eſt,ſed exſulio multatus. Hic igitur filiae Craſſi,uxori ſuae,luctum ob calamitatem exſulii attulit. ACERBISSIMAM ʒ C. Marius lege Sulpicia prouinciam L. Cornelio Sullae cum eripere uellet,ut dux aduerſus Mithridatem regem Ponti crearetur,armis Sullanis uictus & urbe pulſus,primum iuxta Minturnas in palude latuit,deinde accepta nauicula in Africam traiecit. NON *illam caedem* ʒ C. Marius ope Cornelij Cinnae in Italiam reuocatus, foediſſimam ciuium ſtragem edidit,urbemq. diripuit. Sulla paullo poſt ex Aſia reuerſus,multo etiam crudelior exſtitit caeſis ciuibus,& Italis prope innumerabilibus, latis etiam legibus improbiſſimis, quo tempore non modo ſuccus & ſanguis,ſed etiam color, & ſpecies priſtina ciuitatis amiſſa eſt. SED, *quoniam* ʒ Craſſi familiares ſtatim poſt eius obitum in ciuili diſſenſione miſere trucidati ſunt, ut Catulus,Antonius,Scaeuola,Cotta,Sulpicius,&c. ex his igitur exemplis diſſimilibus Cicero concludit beatam fuiſſe mortem L. Craſſi, qui tantam calamitatem non uiderit. TENEMVS *enim* ʒ Q. Lutatius Catulus cum nihil ab hoſte Mario impetrare poſſet,ignitis carbonibus ſeipſum ſuffocauit, uel (ut ait Valerius) calcis & carbonum uapore ſe peremit. IAM *M. Antonij* ʒ M. Antonius,qui latitandi cauſſa in agrum fugerat, cauponis indicio proditus eſt, & a Publio Annio tribuno pl. interfectus. Caput eius primum C. Marij menſae appoſitum fuit,deinde in roſtris poſitum,cuius caſus deploratur a repugnantibus. M. Antonius cenſor roſtra manubiis ornauit, & multos hic ciues defendit. Non debuit igitur caput eius in roſtris ignomininiae cauſſa collocari. NEQVE *uero* ʒ Quinctilius Tarquinienſis C. Iulium Caeſarem patronum ſuum nefarie C. Mario prodidit,& ius hoſpitij ſcelerate uiolauit. Florus paullo ſecus,Caeſar (ait) & Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur. NEQVE *enim* ʒ P. Craſſus cum filio a Marianis militibus occiſus eſt, & alter in alterius mutuo adſpectu trucidatus. Pater,ne quid indignum ſua uirtute pateretur, gladio ſe transfixit. NEQVE *collegae* ʒ Q. Mucius Scaeuola collega fuit L. Craſſi in conſulatu anno urbis conditae *656*. Is pontifex maximus, quia partibus Sullae ſtuduerat, iuſſu C. Marij filij,amplexus ueſtales aras occiditur: de quo Lucanus lib. I.

Te quoque neglectum uiolatae Scaeuola dextrae
Ante ipſum penetrale deae,ſemperq. calentes
Mactauere focos,parum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit,iugulo,flammiſq. pepercit.

C. CARBONIS ʒ L. Craſſus adoleſcens C. Carbonem accuſauit: hinc odij cauſſae. Ceterum C. Carbo poſt mortem C. Marij captus a Sullanis, & ad Pompeium ductus, dum alium in cloaca exonerat, occiditur. Plutarchus in uita Sullae. EX *quibus C. Cotta*, ʒ C. Cotta,qui inuectus erat in equites Romanos,qui tum praeerant iudiciis,cauſſamq. principum defenderat,amiſſo tribunatu,priuſquam ab illis damnaretur, urbe egreſſus eſt. Appianus. SVLPICIVS *autem*, ʒ P. Sulpicius ciuilis belli auctor fuit,quia trib.pl. legem tulit de reuocando Sulla a Mithridatico bello,laborauitq. ſumma inuidia propter populares quaſdā leges, quas tulit,ut noui ciues,& libertini in tribus redigerentur,ut exſules reuocarentur: is,cum urbe fugeret, proditus a ſeruo,& a Sullanis militibus obtruncatus eſt. EGO *uero te,Craſſe*,ʒ Cicero concludit conſolationis locum de morte Craſſi,& amplificat rurſus a repugnantibus. Si Craſſus diutius uixiſſet, aut in bello ciuili interiiſſet,aut publicae calamitatis ſpectator fuiſſet. Peropportune igitur,& perbeate mortuus eſt Craſſus. SED, *quoniam* ʒ Deſcendit ad rationem huius inſtitutae ſcriptionis, & duas cauſſas proponit: unam, ſolatium ex litterarum ſtudiis; alteram, teſtificationem aliquam non prorſus ingrati erga Craſſum animi: poſterior exornatur argumento a ſimili. Quemadmodum Plato,Socratis ingenium & doctrinam ſcriptis ſuis omnino exprimere non potuit: ſic Craſſus multo fuit excellentior,quam ut hoc noſtro ſermone poſſit repraeſentari: quae ſimilitudo plus habet modeſtiae,quam ueritatis: neque enim Socrates tantus fuit,quantum Plato ipſe finxit, praeſertim in Mathematicis,& Phyſicis,neque Craſſus tantum doctrinae,& eloquentiae habuit, quantum ei Cicero attribuit. QVOD *ſi quis* ʒ Occurrit teſtimonio uulgi, Antonius habitus eſt in dicendo tenuior, & Craſſus plenior,quam quo modo uterque inducitur: ergo in his perſonis Cicero decorum non tenuit: quod teſtimonium tamquam falſum redarguitur,licet tamen uerum fuerit: neuter enim talis fuit,qualis fingitur: neque tamen hoc in dialogis praeſertim reprehēdendum eſt,ut his, quos in libris noſtris inducimus,maiorem ſapientiae, uel eloquentiae laudem tribuamus,quam ueritas ipſa patiatur.

PAVLLVS. MANVTIVS. SIC *eſſe tum iudicatum*, ʒ antiquus liber Fuluij Vrſini: Sic eſſe tum iudicatum audiui. quod probo. aut legendum: Sic eſt tum iudicatum. CRASSVM *inſtitit coercere*. ʒ ſic placet: quamquam libri ueteres omnes, Inſtituit, non Inſtitit. PRO *pignore* ʒ ſic puto legendum, uel Pro pignere, ut ſcribebant ueteres. antiqui tamen libri, Propugnare: quod plane mendoſum eſt. in uno Borromaei libro abraſas uideo duas litteras, & repoſitas totidem,ut ex Pignere factum ſit Pugnare. praeterea in eodem libro ſeparatum eſt illud, Pro, a ſequentibus litteris. quo maior fit ſuſpicio mutationis. CAEDENDA, ʒ pignora mihi ablata: quae caedi, & ſecari dicebantur, cum in auctione uenderentur: unde Sectio, & Sectores. AVCTORITATIBVS *praeſcriptis* ʒ antea, Perſcriptis: ego, Praeſcriptis, repoſui,ex antiquo Borromaei libro. quod ſententia comprobat, nam in ſenatuſconſultis praeſcribebantur nomina ſenatorum, qui affuerant: quae auctoritates praeſcriptae dicebantur. uide epiſt. 2. lib. 5. fam. & interpretationem noſtram. EXSVLIVM *generi* ʒ hic eſt P. Scipio Naſica, a Dione lib. 40. nominatus,pater eius Scipionis,qui Pompeij Magni ſocer fuit. conſulatum non geſſit. huius pater, auus, & proauus paternus, in Bruto nominatur. ijſdem autem alter Scipio temporibus exſulauit: ſed is Lucius fuit, & conſul cum Norbano, ſocer P. Sextij, pro quo exſtat Ciceronis oratio, ut ipſa oratio indicat. de eodem uide infra. HORVM *ipſorum*, ʒ non omnium: nam Scaeuola augur, Craſſi ſocer, interfectus non fuit: is autem Scaeuola, qui paullo poſt nominatur, non fuit ſo-

cer

cer Craſſi; ſed collega in conſulatu, nec augur, ſed pontifex max. P. Crassvm } a quibuſdam uideo dubitari, quis hic fuerit P. Craſſus. dubitationem tollit Aſconius: ait enim eum fuiſſe patrem eius Craſſi, qui aemulus potentiae Cn. Pompeij fuit. C. Carbonis, *inimiciſſimi hominis* } non eſt hic Carbo, ut non nulli putarunt, is, quem L. Craſſus adoleſcentulus accuſauit: nam ille, reus cum eſſet, ueneno ſumpto, deceſſit, ut eſt in Bruto, & in epiſt. 21. lib. 9. fam. ſed eſt eius filius, quem eodem die cum Scaeuola, pontifice max. & aliis nobilibus uiris praetor Damaſippus occidit, ut ex epitome Liuiana, & Appiano cognoſcitur. Fuit autem L. Craſſi inimiciſſimus, quia patrem ſuum accuſauerat. de hoc in Oratore ſic: Me ſtante, C. Carbo, C. F. tribunus pl. in concione dixit his uerbis: O M. Druſe: patrem appello. &c. Et in Bruto: In eodem numero eiuſdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentiſſimi uiri filius, non ſatis acutus orator, ſed tamen orator numeratus eſt. Nec dubito, quin legendam ſit Caius, non Cnaeus, in Valerio Max. lib. 3. cap. 7. ubi agit de L. Craſſo. quo loco foedus error Valerij deprehenditur: qui eius Carbonis patrem in exſulium a L. Craſſo miſſum putat: cum eum, ueneno ſumpto, reum obiiſſe, Cicero dicat in Bruto. & epiſt. 21. lib. 9. fam. in eodem, lib. 6. cap. 3. C. Carbo tribunus pl. legendum opinor, non Cn. Carbo. Qui uero hunc C. Carbonem a Craſſo accuſatum arbitrantur, in quo, ut oſtendit, falluntur; iidem in eo rurſus peccant, quod eum putant a Cn. Pompeio necatum: nam is non fuit C. Carbo, quem accuſauit Craſſus, ſed Cn. Carbo, qui ter conſul fuit: ut docet Valerius Max. lib. 6. cap. 2. Appianus, Plutarchus, Velleius, epitome, alij.

C I C E R O

VT igitur ante meridiem diſceſſerunt, paullulumq. requierunt; in primis hoc a ſe Cotta animaduerſum eſſe dicebat, omne illud tempus meridianum Craßum in acerrima, atque attentiſſima cogitatione poſuiße, ſeſeque, qui uultum eius, cum ei dicendum eßet, obtutumq. oculorum in cogitando prope noßet, atque in maximis cauſſis ſaepe uidiſſet, cum dedita opera, quieſcentibus alijs, in eam exedram uenißet, in qua Craſſus lectulo poſito recubuiſſet, cumq. eum in cogitatione defixum eße ſenſißet, ſtatim receſſiße, atque in eo ſilentio duas horas fere eſſe conſumptas: deinde cum omnes, inclinato iam in pomeridianum tempus die, ueniſſent ad Craßum, Quid eſt, Craſſe, inquit Iulius, imus ne ſeſſum? etſi admonitum uenimus te, non flagitatum. Tum Craſſus, An me tam impudentem eſſe exiſtimatis, ut uobis hoc praeſertim munus putem diutius poße debere? Quinam igitur, inquit ille, locus, an in media ſilua placet? eſt enim is maxime & opacus, & frigidus. Sane, inquit Craßus: etenim eſt in eo loco ſedes huic noſtro non inopportuna ſermoni. Cum placuiſſet idem ceteris, in ſiluam uenitur, & ibi magna cum audiendi exſpectatione conſiditur. Tum Craſsus, cum auctoritas, atque amicitia ueſtra, tum Antonij facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea cauſsa libertatem recuſandi: quamquam in partienda diſputatione noſtra, cum ſibi de ijs, quae dici ab oratore oporteret, ſumeret, mihi autem relinqueret ut explicarem quemadmodum illa ornari oporteret, ea diuiſit, quae ſeiuncta eſse nō poſsunt. nam, cum omnis ex re, atque uerbis conſtet oratio; neque uerba ſedem habere poſsunt, ſi rem ſubtraxeris; neque res lumen, ſi uerba ſemoueris. Ac mihi quidem ueteres illi, maius quiddam animo complexi, plus multo etiam uidiſse uidentur, quam quantum noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt: qui omnia haec, quae ſupra & ſubter, unum eſse, & una ui, atque una conſenſione naturae conſtricta eße dixerunt. nullum eſt enim genus rerum, quod aut auulſum a ceteris per ſe ipſum conſtare, aut, cetera ſi careat, uim ſuam, atque aeternitatem conſeruare poſſint. Sed haec maior eſse ratio uidetur, quam ut hominum poſſit ſenſu, aut cogitatione comprehendi. Eſt etiam illa Platonis uera, & tibi, Catule, certe non inaudita uox, Omnem doctrinam harum ingenuarum, & humanarum artium uno quodam ſocietatis uinculo contineri. ubi enim perſpecta uis eſt orationis eius, qua cauſsae rerum, atque exitus cognoſcuntur, mirus quidā omnium quaſi conſenſus doctrinarum conceptusq. reperitur. Sed, ſi hoc quoque uidetur eſse altius, quam ut id nos humi ſtrati ſuſpicere poſſimus; illud certe tamen, quod amplexi ſumus, quod profitemur, quod ſuſcepimus, noſſe, & tenere debemus. una eſt enim, quod & ego heſterna die dixi, & aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificauit Antonius, eloquentia, quaſcumque in oras diſputationis regiones ue delata eſt. nam, ſiue de caeli natura loquitur, ſiue de terrae; ſiue de diuina ui, ſiue de humana; ſiue ex inferiore loco, ſiue ex aequo, ſiue ex ſuperiore; ſiue ut impellat homines; ſiue ut doceat; ſiue ut deterreat; ſiue ut concitet; ſiue ut reflectat; ſiue ut incendat, ſiue ut leniat; ſiue ad paucos, ſiue ad multos; ſiue inter alienos; ſiue cum ſuis, ſiue ſecum; riuis eſt diducta oratio, non fontibus; & quocumque ingreditur, eodem eſt inſtructu ornatuq. comitata. Sed, quoniam oppreſſi iam ſumus opinionibus non modo uulgi, uerum etiā hominum leuiter eruditorum, qui, quae complecti tota nequeunt, haec facilius diuulſa & quaſi diſcerpta contrectant; &, qui tamquam ab animo corpus, ſic a ſententijs uerba ſeiungunt; quorum ſine interitu fieri neutrum poteſt: non ſuſcipiam oratione mea plus, quam mihi imponitur: tantum ſignificabo breui, neque uerborum ornatum inueniri poſse nō partitis, expreſſisq. ſententijs, neque eſse ullam ſententiam illuſtrem ſine luce uerborum. ſed, prius quam illa conor attingere, quibus orationem ornari, atque illuminari putem, proponam breuiter, quid ſentiam de uniuerſo genere dicendi. Natura nulla eſt, ut mihi uidetur, quae non habeat in ſuo genere res complures diſſimiles inter ſe, quae tamē conſimili laude dignentur. nam & auribus multa percipimus, quae etſi nos uocibus delectant, tamen ita ſunt uaria ſaepe, ut id, quod proximum audias, iucundiſſimum eſse uideatur: & oculis colliguntur paene innumerabiles

uoluptates, quae nos ita capiunt, ut unum ſenſum diſſimili genere delectent: & reliquos ſenſus uoluptates oblectant diſpares: ut ſit difficile iudicium excellentis maxime ſuauitatis. At hoc idem, quod eſt in naturis rerum, transferri poteſt etiam ad artes. Vna fingendi eſt ars, in qua praeſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus; qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt, ſed ita tamen, ut neminem ſui uelis eſſe diſſimilem. Vna eſt ars, ratioq. picturae, diſſimillimiq. tamen inter ſe Zeuſis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quiſquam eſt, cui quidquam in arte ſua deeſse uideatur. Et ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, & tamen uerum: quanto admirabilius in oratione, atque in lingua; quae cum in iJſdem ſententiJs, uerbisq. uerſetur, ſummas habet diſſimilitudines, non ſic, ut aliJ uituperandi ſint, ſed ut iJ, quos conſtet eſse laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primum in poetis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum oratoribus, quam ſint inter ſeſe Ennius, Pacuuius, Attiusq. diſſimiles, quam apud Graecos Aeſchylus, Sophocles, Euripides; quamquam omnibus par paene laus in diſſimili ſcribendi genere tribuatur. Adſpicite nunc eos homines, atque intuemini, quorum de facultate quaerimus, quid interſit inter oratorum ſtudia, atque naturas. ſuauitatem Iſocrates ſubtilitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Aeſchines, uim Demoſthenes habuit: quis eorum non egregius? tamen quis cuiuſquam, niſi ſui, ſimilis? grauitatem Africanus, lenitatem Laelius, aſperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo, & canorum. quis horum non princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen quiſque in genere princeps. Sed, quid ego uetera conquiram, cum mihi liceat uti praeſentibus exemplis, atque uiuis? Quid iucundius auribus noſtris umquam accidit huius oratione Catuli? quae eſt pura ſic, ut Latine loqui paene ſolus uideatur; ſic autem grauis, ut in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas, ac lepos. quid multa? iſtum audiens equidem ſic iudicare ſoleo, quidquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris, uitioſius, & deterius futurum. Quid noſter hic Caeſar, non ne nouam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit prope ſingulare? quis umquam res praeter hunc tragicas paene comice, triſtes remiſſe, ſeuera hilare, forenſes ſcenica prope uenuſtate tractauit, atque ita, ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetiJs minueretur? Ecce praeſentes duo, prope aequales, Sulpicius, & Cotta. quid tam inter ſe diſſimile? quid tam in ſuo genere praeſtans? limatus alter, & ſubtilis, rem explicans propriJs aptiſq. uerbis, haeret in cauſſa ſemper; &, quid iudici probandum ſit, cum acutiſſime uidit, omiſſis ceteris argumentis in eo mentem, orationemq. defigit. Sulpicius autem fortiſſimo quodam animi impetu, pleniſſima, & maxima uoce, ſumma contentione corporis, & dignitate motus, uerborum quoque ea grauitate, & copia eſt, ut unus ad dicendum inſtructiſſimus a natura eſſe uideatur. Ad noſmet ipſos iam reuertor: (quoniam ſic fuimus ſemper comparati, ut hominum ſermonibus quaſi in aliquod contentionis iudicium uocaremur) quid tam diſſimile, quam ego in dicendo, & Antonius? cum ille is ſit orator, ut nihil eo poſſit eſſe praeſtantius; ego autem, quamquam memet mei paenitet, cum hoc maxime tamen in comparatione coniungar. Videtis ne, genus hoc quod ſit AntoniJ? forte, uehemens, commotum in agendo, praemunitum, & ex omni parte cauſſae ſaeptum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans, honeſte cedens, acriter inſequens, terrens, ſupplicans, ſumma orationis uarietate, nulla noſtrarum aurium ſatietate. Nos autem, quicumque in dicendo ſumus, (quoniam eſſe aliquo in numero uobis uidemur) certe tamen ab huius multum genere diſtamus: quod quale ſit, non eſt meum dicere: propterea quod minime ſibi quiſque notus eſt, & difficillime de ſe quiſque ſentit: ſed tamen diſſimilitudo intelligi poteſt & ex motus mei mediocritate, & ex eo, quod, quibus ueſtigia primum inſtiti, in iJs fere ſoleo perorare; & quod aliquanto me maior in uerbis, & in ſententiJs eligendis, quam eum, labor & cura torquet, uerentem, ne, ſi paullo obſoletior fuerit oratio, non digna exſpectatione, & ſilentio fuiſſe uideatur. Quod ſi in nobis, qui adſumus, tantae diſſimilitudines, tam certae res cuiuſque propriae, & in ea uarietate fere melius a deteriore, facultate magis, quam genere distinguitur; atque omne laudatur, quod in ſuo genere perfectum eſt: quid cenſetis, ſi omnes, qui ubique ſunt, aut fuerunt, oratores amplecti uoluerimus, num ne fore, ut, quot oratores, totidem paene reperiantur genera dicendi? Ex qua mea diſputatione forſitan occurrat illud, ſi paene innumerabiles ſint quaſi formae, figuraeq. dicendi, ſpecie diſpares, genere laudabiles, non poſſe ea, quae inter ſe diſcrepant, iJſdem praeceptis, atque in una inſtitutione formari. quod non eſt ita; diligentiſſimeq. hoc eſt eis, qui inſtituunt aliquos, atque erudierunt, uidendum, quo ſua quemque natura maxime ferre uideatur: etenim uidemus ex eodem quaſi ludo ſummorum in ſuo cuiuſque genere artificum, & magiſtrorum exiſſe diſcipulos diſſimiles inter ſe, attamen laudandos, cum ad cuiuſque naturam inſtitutio doctoris accommodaretur. cuius eſt uel maxime inſigne illud exemplum, (ut ceteras artes omittamus) quod dicebat Iſocrates, doctor ſingularis, ſe calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti ſolere: alterum enim exſultandem uerborum audacia reprimebat, alterum cunctantem, & quaſi uerecundantem incitabat. neque eos ſimiles effecit inter ſe; ſed tantum alteri affinxit, de altero limauit; ut id conformaret in utroque, quod utriuſque natura pateretur. Haec eo mihi praedicenda fuerunt, ut, ſi non omnia, quae proponerentur a me ad omnium ueſtrum ſtudium, & ad genus id, quod quiſque ueſtrum in dicendo probaret, adhaereſcerent, id a me genus exprimi ſentiretis, quod maxime mihi ipſi probaretur.

EXPLANATIO

VT *igitur* ʒ Hactenus Cicero praefatus eſt de morte L.Craſſi, cuius primae partes ſunt in tertio dialogo, & de ratione huius ſcriptionis: ſequitur alterum exordium de apparatu dialogi, qui deſcribitur ex circumſtantia perſonae, & temporis, & loci. Nam diligens Craſſi meditatio fingitur, quia dicturus eſt de eloquentia, & tempus pomeridianum quaeritur inclinato iam ſole, & fracto aliqua ex parte aeſtu diei, & locus eligitur opacus, & frigidus in media ſilua. Cvm *auctoritas* ʒ Craſſus (qui ſummus eſt eius pudor) ad dicendum non tam ſponte ſua, quam impulſu aliorum accedit, itaque partitionem muneris ab Antonio mane factam reprehendit, ſed leuiſſimis argumentis: licet enim oratio conſtet ex rebus, & uerbis, non tamen ſequitur unam, & eandem artem eſſe rerum, & uerborum: hoc argumento Graeci decepti confuſionem artium in eloquentia genuerunt, & eloquentiae totam dialecticam uim inueniendi, diſponendi, recordandi ſubiectam eſſe uoluerunt: nec animaduerterunt aliam eſſe doctrinam ingenij, & rationis, per quam res ad dicendum inuenirentur, & diſponerentur, aliam elocutionis, & actionis, per quam oratio ornaretur, & apte pronunciaretur, atque illam dialecticam, hanc rhetoricam eſſe. Antonius igitur, id eſt, Cicero bonitate naturae, & ingenij fretus quodammodo in hanc artium diſtinctionem inciderat, easq. libris, & praeceptis ſeparauerat, ut dialecticam ſecundo, rhetoricam tertio libro traderet: ſed tamen neſcio quo modo auctoritate magiſtrorum perſuaſus, ex his duabus artibus unam fecit, eamq. rhetoricam, & oratoriam uocauit. Ac *mihi quidem* ʒ Alterum argumentum ducitur a teſtimonio ueterum philoſophorum, qui omnia unum eſſe dicebant, ut Parmenides apud Platonem, quem Ariſtoteles in phyſicis refellit: neque tamen conſequens eſt, ſi Parmenides dixerit omnia eſſe unum, ut una & eadem ſit rerum, & uerborum doctrina. Parmenides philoſophabatur de naturae operibus, ex quibus ſumma conſenſione inter ſe deuinctis, & coagmentatis mundus efficitur, non de artificio, & compoſitione orationis. Est *etiam illa* ʒ Tertium eſt ab auctoritate Platonis, qui in Epinomide de artibus ita ſcribit: δεσμὸς γὰρ πεφυκὸς πάντων εἷς ἀναφανήσεται διανουμένοις. id eſt, unum horum omnium naturale uinculum uidebatur his, qui animaduerterint. quae Platonis auctoritas nihil ad rem propoſitam facit: nunc enim quaerimus de praeceptis artium, quae ratione, & loco diſtincta eſſe debent. Quid enim eſſet ineptius, & abſurdius, quam doctrinam Ethicam cum Phyſica, cum Geometria, alijsq. artibus confundere, & petmiſcere? Platonis igitur locus intelligitur de artium uſu, qui eſt in uita humana coniunctus, quia artes ut ad dicendum, ſic ad agendum contemplandumq. ſe mutuo adiuuant. Vna *eſt enim,* ʒ Quartum uerum quidem eſt, ſi uerum eloquentiae naturam ſpectes: communibus enim elocutionis legibus quaelibet oratio poteſt ornari: qua de re dicatur, nihil intereſt: itemq. communibus pronunciationis legibus, quaeuis oratio poteſt apte pronunciari: qua de re dicatur, nihil intereſt: eaq. ratione una eſt eloquentia, quaſcumque in oras diſputationis, regiones ue delata ſit, ſed tamen ex eo Craſſus numquam efficiet, ut una ſit rhetorica doctrina rerum, & uerborum, quia dialectica & rhetorica diuerſae ſunt artes, quarum altera docet res inuenire, & diſponere, altera eloqui & agere. Sed *quoniam* ʒ Concludit res a uerbis in dicendo ſeiungendas non eſſe, quod quidem longe optimum eſt, & tamen ſe de uerborum ornatu ſeparatim eſſe dicturum, quod item maxime probandum eſt, ut Dialecticae praecepta a Rhetoricae praeceptis diſtinguantur: licet tamen ipſe Craſſus minime probare uideatur, non aliam (opinor) ob cauſſam, quam quod ſic a magiſtris doctus, & inſtitutus fuerat. Sed *prius quam* ʒ Craſſus nondum artis explicationem orditur, ſed prius diſputat locum communem de generibus dicendi, qui quidem in hanc concluſionis ſummam redigi poteſt. Vnaquaeque uirtus ſeu naturae, ſeu artis, in ſuo genere diſſimiles quidem res habet, ſed aeque laudabiles. Elocutionis ratio uirtus eſt, & naturae, & artis: haec igitur diſſimiles quidem res habet, ſed tamen aeque laudabiles, ut uaria dicendi genera: quot enim oratores ſunt, totidem paene diſſimilitudines orationis ſunt. Propoſitio ſyllogiſmi declaratur inductione per genera quaedam naturae, & artis naturam imitantis, & id quidem non ſolum de uniuerſa in unoquoque genere natura, ſed etiam de ſpeciali uere dici poteſt, ut uarie commutabilis ſit, & diſſimilia opera recte, & affabre moliatur. quod idem de arte, & artis exercitatione iudicandum eſt: atque iccirco Craſſus excurrit in hunc communem locum, ut tandem doceat non eſſe mirum, cum uariae ſint formae, & quaſi figurae dicendi in ſingulis oratoribus, unicam tamen eſſe artem elocutionis. Nam *& auribus* ʒ Exempla naturae ſumuntur ex ſenſibus, uiſu, auditu, olfactu, &c. quorum ſingulis res quidem uariae, ſed tamen aeque iucundae obijciuntur. At *hoc idem* ʒ Exempla ſunt de quibuſdam artibus, quarum aliae ſunt mutae, ut ars fingendi & picturae: aliae loquentes, ut poeſis, & eloquentia forenſis. In *qua praeſtantes* ʒ Myro ſtatuarius, Eleutheri filius, molliora opera fecit, quam ſuperiores, ut ait Fabius: Polycletus eximius diligentia fuit, & decore ſupra ceteros: Lyſippus item nobilis, & ad ueritatem proxime accedens: a quo tantum Alexander propter excellētiam artis ſe fingi paſſus eſt: hi tres egregie quidem fingebant, ſed tamen diſſimiliter. Vna *eſt ars* ʒ Zeuſis Heracleotes luminum, & umbrarum rationem in pictura primus inueniſſe dicitur: Aglaophon floruit olympiade nonageſima, Apelles Cous primas in pictura tulit. Horum tabulae nobiles quidem, & excellentes fuerunt, ſed tamen diſſimiles inter ſe, ac differentes. Et *ſi hoc* ʒ Tranſitus eſt a mutis artibus ad loquentes, quales ſunt poeſis, & eloquentia popularis, & exempla ſpecialia demonſtrant quantae ſint poetarum, & oratorum in diſſimili ſtylo laudes. citantur igitur ad eam rem tres Latini poetae, Q. Ennius, M. Pacuuius, L. Attius, totidemq. Graeci Aeſchylus, Sophocles, Euripides. Ennius floruit tempore Africani ſuperioris, ſcripſitq. uerſibus annales, ſatyras, & tragoedias. M. Pacuuius in tragoedia clarus fuit grauitate ſententiarum, pondere uerborum, & auctoritate perſonarum, ut ait Fabius lib. 10. Attius paullo iunior Pacuuio ingenium habuit acre, & ſcripſit gran-

dia,

dia,& ſonora, ſed duriuſcula,& ſubacida. Ergo tres illi tragici poetae, licet ex diſsimili ſtylo, tamen parem propemodum laudem conſecuti ſunt. Idem de tribus Graecis ſtatuitur: nam Aeſchylus, qui primus apud Graecos tragœdiam in lucem protulit, rudis in pleriſque fuit, & incompoſitus, ut ait Fabius lib. 10. Sophocles ut grandis ita elegans, Euripides multò demiſsior in ſermone, ſed in mouenda miſeratione facile princeps. ADSPICITE *nunc* ʒ Singuli oratores differunt non ſolum genere elocutionis, ſed etiam natura & moribus: quales enim ſunt hominum mores, talis fere eſſe ſolet oratio: Iſocrates ſuauis fuit, quia (ut ait Fabius) palaeſtrae magis, quam pugnae accommodatus, omnes dicendi ueneres ſectatus eſt: Lyſias ſubtilis,& elegans. Hyperides dulcis in primis,& acutus, Aeſchines paullo plenior,& magis diffuſus, Demoſthenes uiolentior,& neruoſior. Hae differentiae (quod tamen Craſſus non animaduertit) in ſingulis dicendi generibus magis ſunt rerum,& ſententiarum, quam verborum,& elocutionis, ut ſubtilitas, acumen, uis,& robur. Sic ex Latinis oratoribus Africanus grauis erat in dicendo, quia uita eius triſtior fuit,& ambitio maior: Laelius lenis, quia natura hilaris: Galba uehemens, & aſper, quia ingenium eius acre,& incitatum: Carbo profluens,& canorus, quia rapidum eius ingenium, & plena,& ſumma uocis modulatio. De his plura ſcribuntur in Bruto Ciceronis. SED *quid ego* ʒ Tranſitus eſt ab antiquis oratoribus ad praeſentes, qui huic diſputationi interſunt, ut Catulum, Iulium Caeſarem, Sulpicium, Cottam, Antonium, atque ipſum denique L. Craſſum, quorum differentiae non ſolum in genere elocutionis, ſed etiam in rebus,& ſententijs ſpectantur. QVID *iucundius* ʒ Q. Catulus (ut ait Cicero in Bruto) non antiquo illo more, ſed hoc noſtro (niſi quid fieri poteſt perfectius) eruditus: multae literae, ſumma non uitae ſolum,& naturae, ſed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini ſermonis integritas, quae perſpici cum ex orationibus eius poteſt, tum facillime ex eo libro, quem de conſulatu, & rebus geſtis ſuis conſcriptum molli, & Xenophonteio genere ſermonis miſit ad A. Furium poetam familiarem ſuum. QVID *noſter hic Caeſar* ʒ C. Iulius Caeſar & ſuperioribus & aequalibus ſuis omnibus praeſtitit, oratorque fuit minime ille quidem uehemens, ſed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitaſe conditior: ſunt eius aliquot orationes, ex quibus, ſicut ex eiuſdem tragœdijs, lenitas eius ſine neruis perſpici poteſt: Craſſus ait res tragicas paene comice ab hoc Caeſare tractari, quia ſcripſit tragoedias paene comico ſtylo, id eſt leni,& minus graui. ECCE *praeſentes* ʒ De Cotta,& Sulpicio Cicero in Bruto ad eundem modũ ſcribit, Inueniebat Cotta acute, dicebat pure & ſolute,& ut ad infirmitatem laterum perſcienter contentionem omnem remiſeras, ſic ad uirium imbecillitatẽ dicendi accõmodabat genus. Fuit Sulpicius uel maxime omnium, quos quidẽ ego audieram, grandis, (& ut ita dicam) tragicus orator: uox cum magna, tum ſuauis & ſplendida: geſtus,& motus corporis ita uenuſtus, ut tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus uideretur, incitata, & uolubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. AD *noſmetipſos* ʒ Diſſimilitudo Antonij,& Craſſi, maxime ex genere elocutionis,& actionis intelligitur, ut ἀνταπόδοσις indicat. Nam ut Craſſus actione lenior, ſic Antonius grauior fuit: & ut ille in uerbis, ita hic in ſententiis diligendis diligentior: In Craſſo (ut ait Cic. in Bruto) erat Latine loquendi accurata,& ſine moleſtia diligens elegantia: Antonius autem diligenter loquendi laude caruit, nec tamen eſt admodum inquinate locutus. QVOD *ſi in nobis* ʒ Inductionis quaeſtio concluditur more philoſophorum, qui ex ſpecialibus aliquot exemplis rem generalem concludũt. ſumma igitur concluſionis huius eſt, tot eſſe dicendi genera, quot ſunt oratores. Ex *qua mea* ʒ Haec prolepſis deducitur ex proxima concluſione:

Varia ſunt dicendi genera:

Ergo uariae ſunt elocutionis artes,& non unica.

Cui argumento Craſſus uarie,& inconſtanter reſpondet: Nam, etſi uidetur id recte infitiari, attamen, quod de uarietate ingeniorum dicit, nihil ad hanc quaeſtionem attinet: & poſtremo uidetur proponere, & polliceri ſe artem traditurum non omnium formarum dicendi & generum communem: ut igitur pro Craſſo planius, & facilius reſpondeamus, ars eſt quidem praeceptis communis & una, uſu uero & exemplis & experimentis infinita, & quodammodo diſſimilis. Itaque alius quidem ſtylus eſt L. Cottae, alius P. Sulpicij, alius Craſſi, alius Antonij: elocutio uero una & communis, quia ornamenta, quae ſunt in ſingulis eorum orationibus, ad certa & communia elocutionis genera reuocantur, ut tropi ad genera troporum, & figurae ad genera figurarum. CVIVS *eſt uel maxime* ʒ Praeceptum de naturis inſpiciendis confirmatur exemplo, & teſtimonio Iſocratis rhetoris, qui Theopompum, & Ephorum diſſimiliter pro utriuſque natura docuit. Idem locus citatur a Fabio: An uero (inquit) clariſſimus ille praeceptor Iſocrates, quem non magis libri bene dixiſſe, quam diſcipuli bene docuiſſe teſtantur, cum de Ephoro, atque Theopompo ſic indicaret, ut alteri frenis, alteri calcaribus opus eſſe diceret, aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc paene praecipiti concitationem adiuuandam docendo exiſtimauit, cum alterum alterius natura miſcendum arbitraretur? Cicero quoque in Bruto, Hoc (ait) doctoris intelligentis eſt, uidere, quo ferat natura ſua quemque,& ea duce utentem ſic inſtruere, ut Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & leniſſimo Ephori dixiſſe traditum eſt, alteri ſe calcaria adhibere, alteri frenos.

C I C E R O

ERGO haec & agenda ſunt ab oratore, quae explicauit Antonius, & dicenda quodam modo. quinam igitur dicendi eſt modus melior, (nam de actione poſt uidero) quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque agetur, apte, congruenterq. dicamus? Atque eorum quidem, quae duo pri-

ma

ma dixi, rationem non arbitror exſpectari a me, puri, dilucidiq. ſermonis. neque autem conamur docere eum dicere, qui loqui neſciat; nec ſperare, qui Latine non poſſit, hunc ornate eſse dicturum; neque uero, qui non dicat quod intelligamus, hunc poſſe, quod admiremur, dicere. linquamus igitur haec, quae cognitionem habent facilem, uſum neceſſarium. nam alterum traditur litteris, doctrinaq. puerili; alterum adhibetur ob eam cauſsam, ut intelligatur, quid quiſque dicat: quod uidemus ita eſse neceſſarium, ut tamen eo minus nihil eſſe poſſit. Sed omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur ſcientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus, & poetis. ſunt enim illi ueteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes prope praeclare locuti: quorum ſermone aſſuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui niſi Latine. Neque tamen erit utendum uerbis ijs, quibus iam conſuetudo noſtra non utitur, niſi quando ornandi cauſsa, parce, quod oſtendam: ſed uſitatis ita poterit uti, lectiſſimis ut utatur is, qui in ueteribus erit ſcriptis ſtudioſe, & multum uolutatus. Atque, ut Latine loquamur, non ſolum uidendum eſt, ut & uerba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat; & ea ſic & caſibus, & temporibus, & genere, & numero conſeruemus, ut ne quid perturbatum, ac diſcrepans, aut praepoſterum ſit: ſed etiam lingua, & ſpiritus, & uocis ſonus eſt ipſe moderandus. Nolo exprimi litteras putidius, nolo obſcurari negligentius: nolo uerba exſiliter examinata exire, nolo inflata, & quaſi anhelata grauius. nam de uoce non ea dico, quae ſunt actionis, ſed hoc, quod mihi cum ſermone quaſi coniunctum uidetur. ſunt enim certa uitia, quae nemo eſt quin effugere cupiat, mollis uox, ut muliebris, aut quaſi extra modum abſona, atque abſurda. eſt autem uitium, quod non nulli de induſtria conſectantur. Ruſtica uox, & agreſtis quoſdam delectat; quo magis antiquitatem, ſi ita ſonet, eorum ſermo retinere uideatur; ut tuus, Catule, ſodalis L. Cotta gaudere mihi uidetur grauitate linguae, ſonoq. uocis agreſti; & illud, quod loquitur, priſcum uiſum iri putat, ſi plane fuerit ruſticanum. me autem tuus ſonus, & ſuauitas iſta delectat, omitto uerborum; quamquam eſt caput; uerum id affert ratio, docent litterae, confirmat conſuetudo & legendi, et loquendi: ſed hanc dico ſuauitatem, quae exit ex ore; quae quidem, ut apud Graecos Atticorum, ſic in Latino ſermone huius eſt urbis maxime propria. Athenis iamdiu doctrina ipſorum Athenienſium interijt: domicilium tantum in illa urbe remanet ſtudiorum: quibus uacant ciues, peregrini fruuntur, capti quodam modo nomine urbis, & auctoritate: tamen eruditiſſimos homines Aſiaticos quiuis Athenienſis indoctus, non uerbis, ſed ſono uocis, nec tam bene, quam ſuauiter loquendo facile ſuperabit. Noſtri minus ſtudent litteris, quam Latini: tamen ex iſtis, quos noſtis, urbanis, in quibus minimum eſt litterarum, nemo eſt, quin litteratiſſimum togatorum omnium Q. Valerium Soranum leuitate uocis, atque ipſo oris preſsu, & ſono facile uincat. Quare, cum ſit quaedam certa uox Romani generis, urbisq. propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſsit, nihil ſonare, aut olere peregrinum; hanc ſequamur; neque ſolum ruſticam aſperitatem, ſed etiam peregrinam inſolentiam fugere diſcamus. Equidem, cum audio ſocrum meam Laeliam, (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conſeruant, quod multorum ſermonis expertes, ea tenent ſemper, quae prima didicerunt) ſed eam ſic audio, ut Plautum mihi, aut Naeuium uidear audire. ſono ipſo uocis ita recto, & ſimplici eſt, ut nihil oſtentationis, aut imitationis afferre uideatur: ex quo ſic locutum eſſe eius patrem iudico, ſic maiores, non aſpere, ut ille, quem dixi, non uaſte, non ruſtice, non hiulce, ſed preſſe, & aequabiliter, & leuiter. Quare Cotta noſter, cuius tu illa lata, Sulpici, non numquam imitaris, ut iotam litteram tollas, & e pleniſſimum dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores uidetur imitari. Hic cum arriſiſſet ipſe Sulpicius, Sic agam nobiſcum, inquit Craſſus, ut, quoniam me loqui uoluiſtis, aliquid de ueſtris uitijs audiatis. Utinam quidem, inquit ille: id enim ipſum uolumus: idq. ſi feceris, multa, ut arbitror, hic hodie uitia ponemus. At enim non ſine meo periculo, Craſſus inquit, poſsum, Sulpici, te reprehendere. quoniam Antonius mihi te ſimillimum dixit ſibi uideri. Tum ille, Tum eũ monuit idem, ut ea, quae in quoque maxima eſsent, imitaremur. ex quo uereor, ne nihil ſim tui, niſi ſupploſionem pedis, imitatus, & pauca quaedam uerba, & aliquem, ſi forte, motum. Ergo iſta, inquit Craſsus, quae habes a me, non reprehendo; ne me ipſum irrideam; ſunt autem mea multo & plura, & maiora, quam dicis: quae autem ſunt aut tua plane, aut imitatione ex aliquo expreſsa, de ijs te, ſi qui me forte locus admonuerit, commonebo. Praetereamus igitur praecepta Latine loquendi; quae puerilis doctrina tradit, & ſubtilior cognitio, ac ratio litterarum alit, aut conſuetudo ſermonis quotidiani, ac domeſtici, libri confirmant, & lectio ueterum oratorum, & poetarum.

Neque uero in illo altero diutius commoremur, ut diſputemus quibus rebus aſsequi poſſimus, ut ea, quae dicamus, intelliguntur, Latine ſcilicet dicendo uerbis uſitatis, ac proprie demonſtrantibus ea, quae ſignificari, ac declarari uolemus, ſine ambiguo uerbo, aut ſermone, non nimis longa continuatione uerborum, non ualde productis ijs, quae ſimilitudinis cauſsa ex alijs rebus transferuntur, non diſcerptis ſententijs, non praepoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine. quid multa? tam facilis eſt tota res, ut mihi permixtum ſaepe uideatur, cum difficilius intelligatur quid patronus uelit dicere, quam ſi ipſe ille, qui patronum adhibet, de re ſua doceret. iſti enim, qui ad nos cauſsas deferunt, ita nos plerumque ipſi docent, ut non deſideres planius dici. Eaſdem res autem ſimul ac Fuſius, aut ueſter aequalis Pomponius agere coepit, nõ aeque, quid dicant, niſi admodum attendi, intelligo. ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum: tantaq. inſolentia, ac turba uerborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem, & tenebras afferat, atque ut quodam modo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere uideantur.

EX-

EXPLANATIO

ERgo *haec* ʒ Haec uera, & germana eſt partitio Rhetoricae artis in elocutionem & actionem: nam tres aliae partes, quas matutino ſermone explicauit Antonius, inuentionem dico, & diſpoſitionem, & memoriam, Rhetoricae non ſunt, quia ornandae orationis artes non ſunt, & toto ſecundo libro nihil aliud traditur, quam dialectica quaedam ciuilis, id eſt, accommodata ad diſputationem ciuilium cauſſarum. Ceterum elocutio prima pars Rhetoricae artis a Craſſo non definitur: definiri autem debuit doctrina ornandae orationis: haec diuiditur in quattuor partes, Latinitatem, perſpicuitatem, ornatum, & decorum, ſed admodum imperite & inartificioſe, quia Latinitas Grammaticae artis uirtus eſt, non Rhetoricae, & Latine loqui (ut ait Cicero) magis eſt uitio carere, quam ut magnam aliquam laudem adeptus eſſe uidearis. Perſpicuitas autem & decorum uirtutes ſunt omnium artium communes: artes enim uolunt eſſe perſpicuae & uerbis & ſententiis, & ſingulae docent aliquod decorum, ut Arithmetica decorum in numeris, Geometria decorum in dimenſionibus, Muſica decorum in cantibus, Philoſophia moralis decorum in uirtutibus, Grammatica decorum in puro ſermone, omnium denique diſciplinarum leges, decori cuiuſdam leges ſunt, quia docent aliquid, quod apte & decore fiat: ſi qua uero eſt generalis diſciplina, generatim admonens, ut uideamus, quid perſonis, rebus, locis, temporibus conueniat, ea Rhetorica diſciplina non eſt, ſed Dialectica, quae iudicij ſola magiſtra eſt. Quamobrem partitio elocutionis tribus partibus alienis, & redundantibus uitioſa eſt: unica uirtus elocutionis eſt, ornatus cuius duae ſunt ſpecies, tropus & figura. NAM *alterum* ʒ Craſſus obiter indicat Latinitatem ſermonis puerili, & Grammatica arte tradi, & inſtitui. quod cum ita ſit, non debuit eam elocutionis oratoriae partem facere: Grammatica enim Rhetoricae pars non eſt: &, quamuis ad ornate dicendum neceſſe ſit Latine ſcire, non tamen neceſſe eſt Latinitatem eloquentiae uirtutem, uel partem eſſe: hoc enim argumento antecedentes artes conſequentium artium partes eſſent. in idem erroris ueſtigium Fabius incidit, quod Ariſtoteles in ſuis Rhetoricis fecerat ἔστι δ᾽ ἀρχὴ τῆς λέξεως, τὸ ἑλληνίζειν, τοῦτο δ᾽ ἐστὶν ἐν πέντε, &c. Principium quidem elocutionis eſt Graece loqui: hoc autem quinque rebus efficitur, &c. SED *omnis* ʒ Sententia Craſſi uera eſt, puritatem ſermonis comparari non ſolum arte, ſed multo magis exercitatione: quia in omni re plus uſus efficit, quam ars. Partes artis Grammaticae Craſſus praeterit, quia faciles ſunt, & peruulgatae, & doctrinam redolent puerilem: exercitationi ſubijcit lectionem poetarum, & oratorum, rectamq. pronunciationem. ATQVE *ut Latine* ʒ In Latino ſermone non ſolum fugiendus eſt barbariſmus in ſingulis uerbis, aut ſoloeciſmus in coniunctis, ſed etiam maxime ratio pronunciationis habenda eſt, ut ea careat omni uitio, & ciuem Romanum ſonet. de barbariſmi & ſoloeciſmi generibus lege Fabium cap. 5. lib. 1. NOLO *exprimi* ʒ In pronunciatione quattuor oris, & linguae uitia notantur: primum, foeda & putida litterarum expreſſio, cum litterae non ſuo quaeque & naturali ſono, ſed alio quodam foedo, & inſuaui proferuntur, ut cum littera r nimium exaſperatur: ſecundum, obſcurata litterarum pronunciatio, qualis eſt in hominibus balbis, aut in his, qui aliquot litteras in dictione non proferunt, ut qui dicunt iſe pro ipſe: tertium, mollis, & nimium exſulis ſonus, & paene exanimatus, qualis eſt muliercularum, & effeminatorum hominum tam languide loquentium, ut ſemimortuae uoces audiantur: quartum, ſonus anhelatus, & uehementius quam par ſit efflatus, qualem Catulus irriſit in Arrio,

> Chommoda dicebat, ſi quando commoda uellet
> Dicere, & inſidias, Arrius hinſidias.

EST *autem uitium,* ʒ Proxima diſtributio declaratur exemplis diſſimiliter inter ſe collatis hominum uitioſe, & recte pronunciantium, L. Cotta loquitur aſpere, Catulus ſuauiter: Sermo, & ſonus Atticorum multo eſt preſſior, & urbanior, quam Aſiaticorum, itemq. Romanorum ciuium, quam Latinorum. RVSTICA *uox* ʒ Credibile eſt ueteres Romanos agreſtiore ſono uocis eſſe uſos, nondum inuenti φωνασκοῖς, id eſt, magiſtris formandae, & componendae uocis. L. COTTA ʒ L. Cotta (ut ait Cicero) praetorius in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude proceſſerat, ſed de induſtria cum uerbis, tum etiam ſono ipſo quaſi ſubruſtico proſequebatur, atque imitabatur antiquitatem. ME *autem* ʒ Cicero de Catulo alibi etiam ita ſcribit, Sonus erat dulcis: litterae nec expreſſae, nec oppreſſae, ne aut obſcenum quid eſſet, aut putidum. VT *apud Graecos* ʒ Athenienſibus ſincerum erat iudicium, teretes aures, ſumma humanitas pari cum urbanitate coniuncta: itaque hi ſuauiſſime, & optime pronunciabant: quales enim ſunt hominum mores, talis fere eſt linguae ſonus, uerborumq. pronunciatio. In Aſiaticis uero talis ſuauitas linguae, & uocis non fuit, quia tales mores non erant. Hi (ut ait Cicero) adſciuerant aptum ſuis auribus, adipale, & opimum dicendi genus: &, quia moribus erant magis agreſtes, ita uoce & lingua uaſti magis, & abſoni. ATHENIS *iam* ʒ Athenienſium ciuium doctrina paullatim una cum repub. & libertate interierat: hi a Macedonibus ſubacti, & a Romanis tandem oppreſſi, ſtudia humanitatis deponere, & artes ad ſubſidium uitae magis neceſſarias tractare coacti ſunt. Neque tamen tum litterae Athenis penitus iacuerunt, ſed peregrini huc undiq. confluebant, ut in gymnaſijs philoſophos, & oratores audirent, quos quidem ciues ipſi non audiebant, & tamen doctiſſimos quoſque externos, & non ciues ſono, & ſuauitate uocis facile uincebant. Q. VALERIVM ʒ Q. Valerius Soranus natione Latinus doctus erat, & Graecis litteris, & Latinis, ſed non tam preſſe, & ſuauiter uerba proferebat, quam quiuis Romanus ciuis, uel indoctiſſimus, quia neque natus, neque educatus Romae fuerat, hunc locum de Romana, & Attica uocis ſuauitate Cicero illuſtrat exemplis in Bruto, Illud eſt maius, quod in uocibus noſtrorum oratorum recinit quiddam, & reſonat urbanius: nec hoc in oratoribus modo apparet, ſed

etiam

etiam in ceteris: Ego memini T. Tincam Placentinum hominem faceriſſimum cum familiari noſtro Q. Granio praeconio dicacitate certare: Eon' (inquit Brutus) de quo multa Lucilius? iſto ipſo: ſed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat neſcio quo ſapore uernaculo: ut ego iam non mirer illud Theophraſto accidiſſe, quod dicitur, cum percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid uenderet, & reſpondiſſet illa, atque addidiſſet, hoſpes non pote minoris, tuliſſe eum moleſte ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cum ageret Athenis, optimeq. loqueretur. Omnino (ſicut opinor) in noſtris eſt quidam urbanorum, ſicut ille Atticorum ſonus. Qvare *cum ſit* § Concludit animaduerſionem de paranda ſuaui, & urbana pronunciatione, additis aliquot exemplis diſſimiliter inter ſe collatis:

Laelia recte profert, id eſt preſſe, aequabiliter, & leniter:

Cotta & Sulpicius in quibuſdam litteris peccant.

Cicero in Bruto, Auditus (ait) eſt nobis Laeliae C. filiae ſaepe ſermo: ergo illam elegantia patris tinctã uidimus. Qvare *Cotta* § Vitium Cottae, & Sulpicij dicitur πλατυασμὸς, id eſt, oris deprauata latitudo, cum litterae uaſto ſono proferuntur: cui opponitur ἰσχνότης, id eſt, exſilitas uocis, uel χειλοσομία, id eſt, oris concauitas, cum uox uelut e cauo ſpecu, & profundo receſſu oris male reſonat. Cotta igitur uaſto ore pronunciare cupiens, iota litteram non proferebat in uerbis, quia perexſilem ſonum haberet, & e pleniſſimum dicebat, id eſt, uaſto & hiulco ore, quo plenius audiretur. Praetereamvs *igitur* § Craſſus confert in breuem epilogum praecepta Latine loquendi, & ad doctrinam perſpicuitatis tranſitum facit, quam orationis uirtutem eſſe non infitiamur: at elocutionis Rhetoricae propriam uirtutem eſſe negamus. Oratio perſpicua eſt, non ſolum quia ſit ornata tropis & figuris, quae ſunt lumina eloquentiae, ſed etiam quia Latina & emendata, quae ſunt lumina Grammaticae: & quia rebus recte inuentis, & diſpoſitis inſtructa, quae ſunt lumina dialecticae: Craſſus autem uidetur uirtutem communem multarum artium, & ex multis diſciplinis collectam, uni ſoli eloquentiae tribuere, ſola (ut opinor) Ariſtotelis auctoritate permotus, apud quem iſta legerat, καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρέτη σαφῆ εἶναι· σημεῖον γάρ, ὅτι ὁ λόγος ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. id eſt, elocutionis uirtus definiatur, ut ſit perſpicua: hoc enim argumento nobis eſt, quia niſi oratio rem declarat, munus ſuum praeſtare, atque efficere non poſſit. Neqve *uero* § Perſpicuitas orationis (ut Craſſus obiter admonet) tribus cauſſis adiuuatur, ſi Latine dicas: hoc enim fundamentum eſt eloquentiae. ſi uerba rem proprie ſignificantia in oratione ponas: ſingulis enim rebus ſignificandis uerba proprie accommodata ſunt. ſi uerbis uſitatis utare: nam inuſitata non intelliguntur, qualia ſunt oratoris cuiuſdam apud Gellium cap. 2. lib. 3. Hic eques Romanus apludam edit, & floces bibit: legerat ille apud ueteres apludam pro frumenti furfure dici, itemq. floces pro uini faece e uinaceis expreſſa: quae tamen duo uocabula iampridem obſoleta erant: haec igitur tria, Latine loqui, & proprie, & uſitate, neceſſaria quidem ſunt, ſed tamen eorum praecepta Grammatica ſunt, non oratoria. Adiuuatur etiam perſpicuitas fuga, & declinatione ſeptem uitiorum, quae obſcuritatem pariunt, ut ſi homonymiam in dicendo fugiamus, idq. in ſingulis uerbis, & in coniunctis, de quibus lege Fabium lib. 7. ſi nimis longam periodum, quo in genere interdum mihi T. Liuius uidetur eſſe paullo obſcurior: ſi nimis productam Allegoriam, qualis eſt illa Horatij,

O nauis, referent in mare te noui, &c.

Si diſſipatas, & male cohaerentes ſententias, quales ſunt morionum & ſtultorum: ſi praepoſtera tempora, ut, ſi quae prius geſta ſunt, poſterius: aut quae poſterius, prius exponamus, quod tamen interdum permittitur poetis: ſi confuſionem perſonarum, ut ſi ſingulorum hominum nomina non ſatis aperte diſtinguamus: ſi perturbationem ordinis, quod uitium in dicendo longe omnium maximum eſt: ſed horum ſeptem uitiorum duo Grammatica ſunt, primum, & ſecundum, tertium ſolum Rhetoricum, reliqua deinceps quattuor dialecticae methodi.

Easdem *res* § L. Fuſius, & Cnaeus Pomponius obſcure dicebant in foro, & cauſſis ciuilibus, quia peccabant contra legem dialecticae methodi, quae iubet unumquodque ſuo loco, & ordine dicere, & contra Grammaticam, & Rhetoricam, quae uerborum eligendorum, & collocandorum ſcientiam profitentur: de his Cicero in Bruto ſcribit, licet non in hanc eandem ſententiam, Cnaeus Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus: multum ab his aberat L. Fuſius tamen ex accuſatione M'. Aquillij elegantiae fructum ceperat.

CICERO

Verum, *ſi placet, quoniam haec ſatis ſpero, uobis quidem certe maioribus natu, moleſta, & putida uideri, ad reliqua aliquanto odioſiora pergamus. Atqui uides, inquit Antonius, quam alias res agamus, quam te inui i audiamus; qui adduci poſſumus, (de me enim conijcio) relictis ut rebus omnibus te ſectemur, te audiamus: ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua quaedam eſt oratio tua. Faciles enim, inquit, Antoni partes eae fuerunt duae, quas modo percucurri, uel potius paene praeterij, Latine loquendi, planeq. dicendi: reliquae ſunt magnae, implicatae, uariae, graues, quibus omnis admiratio ingenij, omnis laus eloquentiae continetur. nemo enim umquam eſt oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus: ſi eſt aliter, irrident; neque eum oratorem tantummodo, ſed hominem non putant. nemo extulit eum uerbis, qui ita dixiſſet, ut, qui adeſſent, intelligerent quid diceret; ſed contempſit eum, qui minus id facere potuiſſet. in quo igitur homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? qui*

diſtincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate & rebus, & uerbis dicunt, & in ipſa oratione quaſi quendam numerum uerſumq. conficiunt. id eſt, quod dico ornate. qui idem ita moderantur, ut rerum, ut perſonarum dignitates ferunt, ij ſunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum, & congruens nominem. qui ita dicerent, eos negauit adhuc ſe uidiſſe Antonius, & ijs hoc nomen dixit eloquentiae ſolis eſſe tribuendum. Quare omnes iſtos, me auctore, deridete, atque contemnite, qui ſe horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum praeceptis omnem oratorum uim complexos eſſe arbitrantur; neque adhuc, quam perſonam teneant, aut qui profiteantur, intelligere potuerunt. Verum enim oratori, quae ſunt in hominum uita, quandoquidem in ea uerſatur orator, atque ea eſt ei ſubiecta materies, omnia quaeſita, audita, lecta, diſputata, tractata, agitata eſſe debent. Eſt enim eloquentia una quaedam de ſummis uirtutibus: quamquam ſunt omnes uirtutes aequales, & pares: ſed tamen eſt ſpecies alia magis alia formoſa, & illuſtris, ſicut haec uis, quae ſcientiam complexa rerum, ſenſa mentis, & conſilia ſic uerbis explicat, ut eos, qui audiunt, quodcumque incubuerit, poſſit impellere: quae quo maior eſt uis, hoc eſt magis probitate iungenda, ſummaq. prudentia: quarum uirtutum expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, ſed furentibus quaedam arma dederimus. Hanc, inquam, cogitandi, pronunciandiq. rationem, uimq. dicendi ueteres Graeci ſapientiam nominabunt. hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac ſimilitudine Coruncanij noſtri, Fabricij, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortaſſe docti, ſed impetu mentis ſimili, & uoluntate. Eadem autem alij prudentia, ſed conſilio ad uitae ſtudia diſpari, quietem atque otium ſecuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis ciuitatibus totos ſe ad cognitionem rerum tranſtulerunt: quae uita propter tranquillitatem, & propter ipſius ſcientiae ſuauitatem, qua nihil eſt hominibus iucundius, plures, quam utile fuit rebus publicis, delectauit. itaque, ut ei ſtudio ſe excellentiſſimis ingeniis homines dediderunt; ex ea ſumma facultate uacui, ac liberi temporis, multo plura, quam erat neceſſe, doctiſſimi homines, otio nimio, & ingenijs uberrimis affluentes, curanda ſibi eſſe, ac quaerenda, & inueſtiganda duxerunt. Nam uetus quidem illa doctrina eadem uidetur & recte faciendi, & bene dicendi magiſtra: neque diiuncti doctores, ſed ijdem erant uiuendi praeceptores, atque dicendi: ut ille apud Homerum Phoenix, qui ſe a Peleo patre Achilli iuueni comitem eſſe datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem uerborum, actoremq. rerum. Sed, ut homines labore aſſiduo, & quotidiano aſſueti, cum tempeſtatis cauſſa opere prohibentur, ad pilam ſe, aut ad talos, aut ad teſſeras, conferunt, aut etiam nouum ſibi ipſi aliquem excogitant in otio ludum: ſic illi a negotijs publicis, tamquam ab opere, aut temporibus excluſi, aut uoluntate ſua feriati, totos ſe alij ad poetas, alij ad geometras, alij ad muſicos contulerunt, alij etiam, ut dialectici, nouum ſibi ipſi ſtudium, ludumq. pepererunt, atque in ijs artibus, quae repertae ſunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur, atque uirtutem, omne tempus, atque aetates ſuas conſumpſerant. Sed, quod erant quidam, ijq. multi, qui aut in rep. propter ancipitem, quae non poteſt eſſe ſeiuncta, faciendi dicendiq. ſapientiam florerent, ut Themiſtocles, ut Pericles, ut Theramenes; aut qui minus ipſi in rep. uerſarentur, ſed ut huius tamen eiuſdem ſapientiae doctores eſſent, ut Gorgias, Thraſymachus, Iſocrates: inuenti ſunt, qui cum ipſi doctrina, & ingenijs abundarent, a re autem ciuili, & a negotiis animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent, atque contemnerent; quorum princeps Socrates, is, qui omnium eruditorum teſtimonio, totiuſq. iudicio Graeciae cum prudentia, & acumine, & uenuſtate, & ſubtilitate, tum uero eloquentia, uarietate, copia, quam ſe cumque in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps, ijs, qui haec, quae nos nunc quaerimus, tractarent, agerent, docerent, cum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio, atque in ijs exercitatio philoſophia nominaretur, hoc commune nomen eripuit, ſapienterq. ſentiendi, & ornate dicendi ſcientiam, re cohaerentes, diſputationibus ſuis ſeparauit: cuius ingenium, uarioſq. ſermones immortalitati ſcriptis ſuis Plato tradidit, cum ipſe litteram Socrates nullam reliquiſſet. hinc diſſidium illud exſtitit quaſi linguae, atque cordis, abſurdũ ſane, & inutile, & reprehendendum, ut alij nos ſapere, alij dicere docerent. nam, cum eſſent plures orti fere a Socrate; quod ex illius uarijs, & diuerſis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat; proſeminatae ſunt quaſi familiae diſſentientes inter ſe, & multum diſiunctae, & diſpares, cum tamen omnes ſe philoſophi Socraticos & dici uellent, & eſſe arbitrarentur.

EXPLANATIO

VERVM, *ſi placet*, } Tranſitus ad tertiam elocutionis uirtutem feſtiuis, & urbanis ſententijs exornatur: Craſſus enim modeſtiae gratia ſeipſum extenuat, quaſi indigna auditu ſint ea, quae dixerit, dicturus ueſit, & Antonius εἰρωνικῶς iocum hunc alio ioco eludit. argumentum Antonij eſt a repugnantibus:

Nos ceteris rebus relictis teipſum ſectamur:

Non igitur inuiti audimus.

FACILES *enim* } Craſſus continuationis gratia comparat duas ſuperiores uirtutes cum duabus reliquis ſequentibus argumento diſſimilitudinis:

Faciles ſunt illae & peruulgatae, hae uero difficiles & admirabiles: qui locus illuſtratur alia diſſimilitudine:

Latine & perſpicue dicendi magna laus non eſt:

Ornate uero & apte dicendi ſumma etiam admiratio.

Quae

Quae diſſimilitudo diſiunctis, & ſeparatis artibus uere quadrabit: nam, ut Rhetorica, & Dialectica Grammaticae praeſtant, ſic ornatus, qui Rhetoricae proprius eſt, & decorum, quod Dialecticae eſt, maiore in honore ſunt, quam Latinitas, quae eſt uirtus Grammaticae artis: aut perſpicuitas, quae eſt uirtus communis multarum artium, & peruulgata. Qᴠɪ *diſtincte,* ʒ Ornatus definitio, ſi (ut debet) a perſpicuitate diſtinguitur, uitioſa eſt, quia perſpicuitatem etiam comprehendit: nec uero ſi, ut ornate dicas, perſpicue etiam dicendum eſt, ſequitur ut in definiendo ornatu Rhetorico, mentio ulla perſpicuitatis facienda ſit: Perſpicuitas enim non eſt de natura, & eſſentia ornatus, quemadmodum neque copia, & abundantia rerum: ornatus igitur definiendus fuit ex modificatione uerborum ſingulorum, & conformatione coniunctorum, in quibus conſiſtit omnis laus eloquentiae, id eſt Rhetoricae elocutionis. Qᴠɪ *idem ita moderantur,* ʒ Laus decori magna quidem eſt, & magnopere laudabilis, neque tamen oratoris propria, aut rhetoricae elocutionis: decorum enim generaliter ex dialectico iudicio deducitur, ſpecialiter autem ex omnium artium ſcientia, & uſu: omnes enim artes docent aliquid, quod apte, & decore fiat: in dicendo autem conſiderare quid rebus, quid perſonis, quid locis, quid temporibus conueniat, non eſt oratoriae artis, ſed dialecticae facultatis, & prudentiae. Qᴠᴀʀᴇ *omnes iſtos,* ʒ Craſſus nondum incipit de ornatu percipere, ſed longa digreſſione quaſi tempeſtate aliqua abreptus excurrit in communem locum de philoſophia oratori neceſſaria. Primum igitur rhetorum ſcholae irridentur, quae eloquentiam ſine philoſophia tradunt: argumentum intelligitur a repugnantibus:

Orator debet eſſe in omnium rerum ſcientia uerſatus:

Non igitur ſolis rhetorum ſcholis, & praeceptis contentus eſt. quo nomine oratoris Craſſus, ut in ſuperioribus dialogis, uirum politicum definit, actorem ciuilium cauſſarum, multis artibus, & diſciplinis inſtructum, & ornatum: Oratorem hominem unius generis, & artis uere & proprie non definit: ex qua uitioſa definitione natus eſt error uitioſae & multiplicis, & confuſae artis rhetoricae, quae in ſuis praeceptis plus habet alieni, quam ſui & proprij. Eѕᴛ *enim eloquentia* ʒ Proximus locus de doctrina eloquentiae confirmatur ab adiunctis:

Eloquentia una eſt de ſummis uirtutibus:

Haec igitur reliquas artes in ſe complectitur.

Qᴠᴀᴍqᴠᴀᴍ *ſunt omnes* ʒ Virtutes omnes aeque uirtutes ſunt, quia ſpecies generis ſui naturam ex aequo participant, aequales autem inter ſe non ſunt, ſed aliae aliis maiores & illuſtriores, ut iuſtitia maior, & praeſtantior eſt fortitudine: quantitas igitur aduenticia quaedam res eſt, quae per omnes gradus comparationis ducitur parium, maiorum, minorum, in quo Stoici alucinati ſunt. Sᴇᴅ *furentibus* ʒ Orator ſine rerum prudentia comparatur homini furioſo gladium & arma geſtanti, quia orator improbns, & nequam eloquentiae inſtrumento abutitur ad perniciem reip. & multorum ciuium. Hᴀɴᴄ *inquam* ʒ Vetus ſapientiae, & eloquentiae coniunctio repetitur ab antiquiſſimis temporibus, & illuſtratur uariis exemplis Graecorum, & Romanorum, ubi Lycurgi, Pittaci, Solones, Coruncani, Fabricij, Catones, Scipiones, per ſynecdochem eleganter, & uenuſte dicuntur pro Lycurgo, Pittaco, Solone, Coruncano, Fabricio, Catone, Scipione: in quibus ſi non ſumma fuit prudentiae, & eloquentiae perfectio, ac mediocris certe adumbratio: de tribus illis Graecis quantum & conſilio, & eloquentia ualuerint hiſtorici, ſatis multa ſcribunt. Cicero in Bruto ſuſpicatur Caium Fabriciũ fuiſſe diſertum, quia ſit ad Pyrrhum de captiuis recuperandis miſſus orator. T. Coruncanum, quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio ualuiſſe uideatur: idem M. Catonem non ſolum bonum ciuem, aut ſenatorem, aut imperatorem, ſed etiam oratorem dicit, & P. Africanum in primis eloquentem. Eᴀᴅᴇᴍ *autem* ʒ Exempla ſunt ſuperioribus diſſimilia ueterum philoſophorum, qui a pnblicis, & oratoriis ſtudiis ſe totos ad contemplationem rerum contulerunt. Itaque eorum inertia factum eſt, ut ab eloquentia populari ſtudium ſapientiae diſtraheretur. Pythagoras philoſophatus eſt in ea parte Italiae, quae dicebatur magna Graecia, Democritus apud Mileſios, Anaxagoras Clazomenius captus contemplatione rerum naturaliũ publicam, & priuatam rem adeo neglexit, ut interroganti cuidam, Nulla ne tibi patriae cura eſt? dixerit, Mihi uero patriae cura, & quidem ſumma eſt, digitum intendens in caelum. Nᴀᴍ *uetus* ʒ Vetus artium coniunctio Homerico exemplo Phoenicis confirmatur, qui apud Homerum lib. 9. Iliad. ait ſe a Peleo Achilli iuueni comitem datum eſſe ad bellum Troianum, ut eſſet ei & orator uerborum, & actor rerum, id eſt, ut eum eloquentiam ſimiliter & ſapientiam doceret. uerſus Homeri ſunt:

Σόι δὲ μὲν ἔπεμπε γέρων ἱππηλατα πειλεὺς
Ἤματι τῷ, ὅτε σ᾽ ἐκ φθίης ἀγαμέμνονι πέμπε
Νήπιον, οὔπω εἰδόθ᾽ ὁμοιίου πολέμοιο,
Οὐδ᾽ ἀγορέων, ἵνατ᾽ ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι:
Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι ταδὲ πάντα:
Μῦθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. Id eſt,

Me tecum miſit Peleus eques obrutus annis,
Tempore quo Phthiam te inuiſere iuſſit Atridem:
Cum iuuenis nondum eſſes Martem expertus acerbum,
Nec coetus, qui homines faciunt uirtute decoros.
Hac ratione comes tibi ſum datus, atque magiſter,
Vt uerbis rhetor fieres, uita & moribus actor.

Sᴇᴅ *ut homines* ʒ Haec ſimilitudo declarat quomodo factae ſint uariae artiũ diſtinctiones, i. uariae, & diſtinctae profeſſiones, ut alij aliis in artibus, & ſtudiis ſeparatim elaborarint, alij in Poeſi, alij in Geometria, alij in Muſica, alij in Dialectica &c. Sᴇᴅ *quod erant* ʒ Plutarchus Themiſtocli neque eloquẽtiae, neque doctrinae magnã

laudem tribuit, ſed impetum naturae uehementem ad res magnas capeſſendas, & gerendas: idemq. ſcribit Thucydides lib. 1. Socrates in Phaedro Platonis ait Periclem ceteris praeſtitiſſe oratoribus, quod is Anaxagorae phyſici auditor fuerit, a quo cenſet eum, cum alia praeclara quaedam, & magnifica didiciſſet, uberem & fecundum fuiſſe, gnarumq. (quod eſt eloquentiae maximum) quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. Theramenes, Agnonis filius, inter primos exſtitit eorum, qui popularem ſtatum diſſoluerunt, uir neque ad dicendum, neque ad intelligendum inualidus, ut ait Thucydides lib. 8. Avt *qui minus*] Sophiſtae remp. non attingebant, ut Gorgias Leontinus, Thraſymachus Chalcedonius, Iſocrates Athenienſis, ſed in ſcholis iuuentutem docebant, pollicebanturq. ſapientiam regendae ciuitatis, id eſt, eloquentiam & ſcientiam moralem, politicam, oeconomicam. Hoc *commune*] Hoc loco per mihi mirum eſt, iſta dici contra Socratem, a Cicerone praeſertim, qui libros Platonis lectitauit, ubi tantum abeſt, ut Socrates diuortium eloquentiae, & philoſophiae fecerit, aut coniunctam, & mutuam harum artium exercitationem improbarit, ut contrarium prorſus ipſe ſentiat, & confirmet: in Gorgia reprehendit oratores ſui temporis, qui tantum diſerti eſſent, non etiam boni, & ſapientes: itemq. ſophiſtas, qui ſine uera philoſophia rhetoricam traderent falſam, & improbam, quam uocat corruptelam iuſtitiae: in Phaedro diſputat eloquentiam ſine philoſophia perfectam non eſſe, & Periclem ceteris oratoribus anteponit, quod eloquentiam cum philoſophia copularit. Quae cum ita ſint, Socrates (pace Craſſi dixerim) diſſidium linguae, & cordis non fecit, nec alios ſapiendi doctores, alios dicendi eſſe uoluit, immo uero ſophiſtas, qui id facerent, perpetuis diſputationibus ſuis exagitauit.

PAVLLVS. MANVTIVS. Nemo *extulit eum uerbis, qui ita dixiſſet, ut, qui adeſſent, intelligerent quid dicerent; ſed contempſit eum, qui minus, id facere potuiſſet.*] uidetur deeſſe, quo referatur uerbum, Contempſit. nam, etſi, Nemo, anteceſſit: tamen repugnat ſententiae, Nemo contempſit. affirmat enim Cicero in hoc poſteriore membro, & ait eum eſſe contemptum, qui minus id facere potuiſſet. quo modo igitur hic modus expeditur? educta ſcilicet affirmatione ex uerbo, Nemo: in quo duplex ineſt uis, negandi, & affirmandi. negatio patet in eo, Nemo extulit eum uerbis. affirmatio autem, quia ſequitur, Contempſit eum: nam ſubauditur, aliquis, quod elici neceſſe eſt ex Nemo. Sic Horatius Sat. 1. lib. 1.

> Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam ſibi ſortem,
> Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
> Contentus uiuat, laudet diuerſa ſequentes?

nam, laudet, affirmat, non negat: affirmatio autem non niſi ex antecedente uerbo, Nemo, exprimitur. Simile illud in Oratore, Prima illa quaeſtio, ſit ne ulla numeroſa oratio: quibuſdam enim non uidetur; quia nihil inſit in ea certi, ut in uerſibus. Quo loco ex, Nihil, elicitur, aliquid: ut hoc dicatur: quia nihil inſit certi in oratione, ut in uerſibus aliquid ineſt certi. Qvi *idem ita moderantur,*] malim, Qui ijdem. Vervm *enim oratori,*] Verum enim, pro Verum, aut Verum enimuero, dictum eſt. ſic Terentius Actu 2. Scena 1. Verum enim, quando bene promeruit, fiat.

C I C E R O

AC primo ab ipſo Platone Ariſtoteles, & Xenocrates; quorum alter Peripateticorum, alter Academiae nomen obtinuit; deinde ab Antiſthene, qui patientiam, & duritiam in Socratico ſermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici; tum ab Ariſtippo, quem illae magis uoluptariae diſputationes delectarant, Cyrenaica philoſophia manauit: quam ille, & eius poſteri ſimpliciter defenderant; ij, qui nunc uoluptate omnia metiuntur, dum uerecundius id agunt, nec dignitati ſatisfaciunt, quam non aſpernantur; nec uoluptatem tuentur, quam amplexari uolunt. Fuerunt etiam alia genera philoſophorum, qui ſe omnes fere Socraticos eſſe dicebant, Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum: ſed ea horum ui, & diſputationibus ſunt iamdiu fracta, & exſtincta. Ex illis autem, quae remanent, ea philoſophia, quae ſuſcepit patrocinium uoluptatis, etſi cui uera uideatur, procul abeſt tamen ab eo uiro, quem quaerimus, & quam auctorem publici conſilij, & regendae ciuitatis ducem, & ſententiae atque eloquentiae principem in ſenatu, in populo, in cauſſis publicis eſſe uolumus. nec ulla tamen ei philoſophiae fiet iniuria a nobis: non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet, ſed in hortulis quieſcet ſuis, ubi uult, ubi etiam recubans molliter, & delicate, nos auocat, a Roſtris, a iudicijs, a curia, fortaſſe ſapienter, ac praeſertim a rep. uerum ego non quaero nunc, quae ſit philoſophia ueriſſima, ſed quae oratori coniuncta maxime. Quare iſtos ſine ulla contumelia dimittamus: ſunt enim & boni uiri, &, quoniam ſibi ita uidentur, beati: tantumq. eos admoneamus, ut illud, etiam ſi eſt ueriſſimum, tacitum tamen tamquam myſterium teneant, quod negant uerſari in rep. eſſe ſapientis. nam, ſi hoc nobis, atque optimo cuique perſuaſerint, non poterunt ipſi eſſe, id quod maxime cupiunt, otioſi. Stoicos autem, quos maxime improbo, dimitto tamen: nec eos iratos uereor; quoniam omnino iraſci neſciunt: atque hanc ijs habeo gratiam, quod ſoli ex omnibus eloquentiam uirtutem, ac ſapientiam eſſe dixerunt: ſed utrumque eſt in his, quod ab hoc, quem inſtruimus, oratore ualde abhorreat: uel quod omnes, qui ſapientes non ſint, ſeruos, latrones, hoſtes, inſanos eſſe dicunt, neque tamen quemquam eſſe ſapientem. ualde autem eſt abſurdum, ei concionem, aut ſenatum, aut ullum coetum hominum committere, cui nemo illorum, qui adſint, ſanus, nemo ciuis, nemo liber eſſe uideatur. accedit, quod orationis etiam genus habent fortaſſe ſubtile, & certe acutum, ſed, ut in oratore, exſile, inuſitatum, abhorrens ab auribus uulgi, obſcurum,

inane,

inane, ieiunum, attamen eiuſmodi, quo uti ad uulgus nullo modo poſſis. alia enim & bona, & mala uideantur Stoicis, & ceteris ciuibus, uel potius gentibus: alia uis honoris ignominiae, praemij, ſupplicij: uere, an ſecus, nihil ad hoc tempus: ſed ea, ſi ſequamur, nullam umquam rem dicendo expedire poſſimus. Reliqui ſunt Peripatetici, & Academici: quamquam Academicorum nomen eſt unum, ſententiae duae. nam Speuſippus, Platonis ſororis filius, & Xenocrates, qui Platonem audierat, & qui Xenocratem Polemo, & Crantor, nihil ab Ariſtotele, qui una audierat, Platonem, magnopere diſſenſit: copia fortaſſe, & uarierate dicendi pares non fuerunt. Arceſilas primum, qui Polemonem audierat; ex uarijs Platonis libris, ſermonibuſq. Socraticis hoc maxime arripuit, nihil eſſe certi quod aut ſenſibus, aut animo percipi poſſit: quem ferunt, eximio quodam uſum lepore dicendi, aſpernatum eſſe omne animi, ſenſuſq. iudicium, primumq. inſtituiſſe (quamquam id fuit Socraticum maxime) non, quid ipſe ſentiret, oſtendere, ſed contra id quod quiſque ſe ſentire dixiſſet, diſputare. Hinc haec recentior Academia emanauit: in qua extitit diuina quaedam celeritate ingenij, dicendiq. copia Carneades: cuius ego etſi multos auditores cognoui Athenis, tamen auctores certiſſimos laudare poſſum, & ſocerum meum Scaeuolam, qui eum Romae audiui adoleſcens, & Q. Metellum L. F. familiarem meum, clariſſimum uirum, qui illum a ſe adoleſcente Athenis iam affectum ſenectute multos dies auditum eſſe dicebat. Haec autem, ut ex Apennino fluminum, ſic ex communi ſapientium iugo ſunt doctrinarum facta diuortia, ut philoſophi tamquam in ſuperum mare Ionium defluerent, Graecum quoddam, & portuoſum; oratores autem in inferum hoc Tuſcum, & barbarum, ſcopuloſum, atque infeſtum laberentur, in quo etiam ipſe Vlyſſes erraſſet. Quare, ſi hac eloquentia, atque hoc oratore contenti ſumus, qui ſciat, aut negare oportere quod arguare; aut, ſi id non poſſit, tum oſtendere quod is fecerit, qui inſimuletur, aut recte factum, aut alterius culpa, aut iniuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut neceſſario; aut non eo nomine uſurpandum, quo arguatur; aut non ita agi, ut debuerit, ac licuerit: & ſi ſatis eſſe putatis, ea, quae iſti ſcriptores artis docent, diſcere; quae multo tamen ornatius, quam ab illis dicuntur, & uberius explicauit Antonius: ſed, ſi his contenti eſtis, atque ijs, etiam, quae dici uoluiſtis a me: ex ingenti quodam oratorem, immenſoq. campo in exiguum ſane gyrum compellitis. ſin ueterem illum Periclem, aut hunc etiam, qui familiarior nobis propter ſcriptorum multitudinem eſt, Demoſthenem ſequi uultis; &, ſi illam praeclaram, & eximiam ſpeciem oratoris perfecti, & pulchritudinem adamaſtis: aut uobis haec Carneadia, aut illa Ariſtotelia uis comprehendenda eſt. namque, ut ante dixi, ueteres illi uſque ad Socratem omnem omnium rerum, quae ad mores hominũ, quae ad uitam, quae ad uirtutem, quae ad remp. pertinebant, cognitionem, & ſcientiam cum dicendi ratione iungebant: poſtea diſſociati, ut expoſui, a Socrate diſerti a doctis, & deinceps a Socraticis item omnibus, philoſophi eloquentiam deſpexerunt, oratores ſapientiam; neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, niſi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur, ex quo promiſcue haurirent, ſi manere in priſtina communione uoluiſſent. Sed ut pontifices ueteres propter ſacrificiorum multitudinem tres uiros Epulones eſſe uoluerunt, cum eſſent ipſi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti: ſic Socratici a ſe cauſſarum actores, & a communi philoſophiae nomine ſeparauerunt, cum ueteres dicendi & intelligendi mirificam ſocietatem eſſe uoluiſſent. Quae cum ita ſint; paullulum equidem de me deprecabor; & petam a uobis, ut ea, quae dicam, non de memet ipſo, ſed de oratore dicere putetis. Ego enim ſum is, qui cum ſtudio patris in pueritia doctus eſſem, & in forum ingenij tantum, quantum ipſe ſentio, non tantum, quantum ipſe forſitan uobis uidear, detuliſſem, non poſſum dicere me haec, quae nunc cõplector, perinde, ut dicam diſcenda eſſe didiciſſe; quippe qui omnium maturrime ad publicas cauſſas acceſſerim, annosq. natus unum & uiginti nobiliſſimum hominem, & eloquentiſſimum in iudicium uocarim; cui diſciplina fuerit forum, magiſter uſus, & leges, & inſtituta populi R. mosq. maiorum. Paullum, ſitiens iſtarum artium, de quibus loquor, guſtaui quaeſtor in Aſia, cum eſſem aequalem fere meum ex Academia rhetorem nactus Metrodorum illum, de cuius memoria commemorauit Antonius; & inde decedens, Athenis: ubi ego diutius eſſem moratus, niſi Athenienſibus, quod myſteria non referrent, ad quae biduo ſerius ueneram, ſuccenſuiſſem. Quare hoc, quod complector tantam ſcientiam, uimq. doctrinae, non modo non pro me, ſed contra me eſt potius, (non enim, quid ego, ſed quid orator poſſit, diſputo) atque hos omnes, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos. ſcribunt enim de litium genere, & de principijs, & de narrationibus: illa uis autem eloquentiae tanta eſt, ut omnium rerum, uirtutum, officiorum, omniſq. naturae, quae mores hominum, quae animos, quae uitam continet, originem, uim, mutationesq. teneat; eadem mores, leges, iura deſcribat; remp. regat; omnia, quae ad quamcumque rem pertineant, ornate, copioſeq. dicat. in quo genere nos quidem uerſamur tantum, quantum poſſumus; quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum uſu ualemus: neque tamen iſtis, qui in una philoſophia quaſi tabernaculum uitae ſuae collocarunt, multum ſane in diſputatione concedimus. quid enim meus familiaris C. Velleius afferre poteſt, quamobrem uoluptas ſit ſummum bonum, quod ego non copioſius poſſim uel tutari, ſi uelim, uel refellere ex illis locis, quos expoſuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Velleius eſt rudis, unuſquiſque noſtrum uerſatus? Quid eſt, quod aut Sex. Pompeius, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panaetio uixit, M. Viſellius, de uirtute, homines Stoici, poſſint dicere, qua in diſputatione ego his debeam, aut noſtrum quiſquam concedere? non eſt philoſophia ſimilis artium reliquarum. nam, quid faciet in geometria, qui non didicerit? quid in muſicis? aut taceat oportebit, aut ne ſanus quidem iudicetur. haec uero, quae ſunt in philoſophia, ingenijs eruuntur ad id,

quod

quod in quoque ueriſimile eſt,eliciendum acutis , atque acribus ,eaq. exercitata oratione poliuntur. Hic hic noſter uulgaris orator , ſi minus erit doctus , attamen in dicendo exercitatus , hac ipſa exercitatione communi , iſtos quidem noſtros uerberabit , neque ſe ab ijs contemni,ac deſpici ſinet : ſin aliquis exſtiterit aliquando , qui Ariſtotelico more de omnibus rebus in utramque ſententiam poſſit dicere , & in omni cauſſa duas contrarias orationes praeceptis illius cognitis explicare; aut hoc Arceſilae modo, & Carneadis contra omne, quod propoſitum ſit , diſſerat ; quiq. ad eam rationem adiungat hunc rhetoricum uſum, moremque, exercitationemq. dicendi ; is ſit uerus,is perfectus,is ſolus orator. nam neque ſine forenſibus neruis ſatis uehemens, & grauis , nec ſine uarietate doctrinae ſatis politus,& ſapiens eſſe orator poteſt. Quare Coracem iſtum ueſtrum patiamur nos quidem pullos ſuos excludere in nido, qui euolent clamatores odioſi ,ac moleſti : Pamphilumq. neſcio quem ſinamus in infulis tantam rem , tamquam pueriles delicias aliquas,depingere:noſq. ipſi hac tam exigua diſputatione heſterni,& hodierni diei totum oratoris munus explicemus ; dummodo illa res tanta ſit , ut omnibus philoſophorum libris , quos nemo oratorum iſtorum umquam attigit , comprehenſa eſſe uideatur.

EXPLANATIO

AC *primo* ʒ Craſſus hactenus docuit eloquentiam philoſophiae coniungendam eſſe: ſequitur ut uideamus, quandoquidem uariae ſunt ſectae philoſophorum, quam potiſſimum orator ſequi debeat ad exercitationem forenſis, & popularis eloquentiae: qua de cauſſa deſcribitur progenies Socraticorum philoſophorum, & in uarias quaſi familias diſtinguitur Peripateticorum , Academicorum, Cynicorum,ſiue Stoicorum , Cyrenaicorum,ſiue Epicureorum,Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum:& ceteris ab oratoria exercitatione reiectis, tandem concluditur Academicorum,& Peripateticorum philoſophiam oratori ad uſum forenſem maxime conſentaneam eſſe. quod etiam in oratore perfecto,in Bruto,& paſſim in philoſophicis libris M. Tullius affirmauit. ARISTOTELES ʒ Ariſtoteles Stagirites, Nicomathi filius, Platonis diſcipulus, docuit in Lycio,ubi uſque ad unctionem πɜριπατῶν, id eſt, deambulans cum ſuis diſcipulis philoſophabatur,unde Peripateticus dictus eſt,& exinde ſectatores eius Peripatetici: Xenocrates Chalchedonius,Ariſtotelis condiſcipulus, Speuſippo Platonis nepoti ſucceſſit in Academia anno ſecundo olympiados 110. eamq. uiginti quinque annis rexit, a quo loco Academici dicti ſunt. AB *Antiſthene*, ʒ Antiſthenes Athenienſis commorans in Pyraeeo, quotidie quadraginta ſtadijs dimenſis audiebat Socratem, a quo tolerantiam didicit: Cynicam ſectam primus inſtituit, & laborem eſſe in bonis ponendum perſuaſit Herculis, & Cyri exemplo, illud a Graecis,hoc a barbaris mutuatus. Docebat autem in gymnaſio,quod appellatur κυνόσαργες, non longe a portis urbis, unde Cynicam ſectam dictam eſſe exiſtimant: Ab hoc fluxerunt Cynici , Mneſicritus , Crates Thebanus,Metrocles: & exinde Stoici,ut Zeno,Cleanthes, Chryſippus, qui a Cynicis non re,& diſciplina, ſed tantum nominibus differebant. AB *Ariſtippo*, ʒ Ariſtippus Cyrenaicus ſummum bonum poſuit in uoluptate corporis , quam tamen ſententiam falſo detorſit ex diſputationibus Socratis . Nam cum Socrates in Gorgia , Philebo,Phaedro,Protagora,Sympoſio uoluptatem laudat,puram & honeſtam animi uoluptatem laudat,non foedam,& obſcenam,quae ad corpus attinet . Epicurei uidentur uoluptatem animi defendere,ſed dubie,& inconſtanter, quia etiam uoluptatem corporis interdum tuentur , & ad beatam uitam pertinere arbitrantur. ERETRICORVM ʒ Menedemus natus eſt Eretriae, (quod eſt Euboeae opidum) & ex milite philoſophus factus ad Platonem ſe contulit,Eretricorumq. philoſophorum ſectam inſtituit,qui omnem diſciplinam liberalem ad ſpernabantur,ut Dialecticam,Phyſicam,Mathematicam,Muſicam. HERILLIORVM ʒ Herillus Carthaginienſis interdum ſummum bonum ſcientia metitur , ne in uita & moribus ignorantia nos praecipitet , interdum nullum hominis finem eſſe dicit; ſed res ipſas ſecundum uarios caſus immutari : quemadmodum, ſi idem aes & Alexandri ſtatua fiat, & Socratis: hinc Herillij philoſophi nomen habent. MEGARICORVM, ʒ Euclides Megaricus, Socratis diſcipulus , id ſolum bonum eſſe dicebat , quod eſſet unum,& ſimile,& idem & ſemper, idq. alias prudentiam, alias deum, alias mentem nominabat : quod erat bonis contrarium , ſuſtulit , id ne eſſe quidem exiſtimans:a quo Megarici philoſophi nuncupati ſunt, ut Eubulides, Alexius ; Euphantus. Lege Diogenem Laertium. PYRRHONEORVM: ʒ Pyrrho Eleus primum pictor , deinde philoſophus ἀδιαφορίαν induxit, id eſt, indifferentiam rerum omnium: negabat enim quidquam ſuapte natura eſſe turpe; aut honeſtum, iuſtum,aut iniuſtum,hoc potius quam illud, ſed ita hominibus uideri. Itaque quaſi nihil ſciri , aut decerni poſſet, in quaerendo ſemper conſiderandoq. uerſabatur: huius aemuli Pyrrhonij dicti ſunt, Eurylochus , Hecataeus, Timon, Phliaſius, Nauſiphanes,qui a genere philoſophandi, σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοί, ἀπορητικοὶ, ζητητικοὶ etiam nominati ſunt. Ex *illis autem* ʒ Craſſus remouet oratorem ab Epicureorum philoſophia . Argumentum a repugnantibus preſſius ita concluditur:

Orator uerſatur in foro, & negotijs publicis:
Sapiens Epicureus non uerſatur in foro, & negotijs publicis, ſed in otio & hortulis:
Sapiens igitur Epicureus non poteſt eſſe is orator, quem quaerimus.

Propoſitio prima eſt, aſſumptio incipit (non enim repelletur) Concluſio (quare iſtos) &c.

TANTVMQ. *eos* ʒ Alterum argumentum eſt ab Epicuri decreto, quod habet uim teſtimonij:

Epicurus negat ſapientis eſſe uerſari in rep.
Non igitur orator, ſi Epicureus philoſophus eſſe uolet,ad remp. accedet.

TAMQVAM *myſterium* ʒ locus eſt a ſimili, Vt ſacerdotes Cereris myſteria,ſic Epicurei decreta ſua occultant.

STOICOS

STOICOS *autem,* ȝ Craſſus Stoicorum philoſophiam non omnino improbat, ſed negat utilem eſſe orator ad uſum forenſem, quia & ſententijs, & genere dicendi diſcrepat ab eloquentia forenſi, & populari. Prior ratio de Stoicorum decretis ita concluditur:

Nemo debet ad populum dicere, qui omnes auditores ſeruos, & latrones, & inſanos eſſe putat:
Stoicus ſapiens omnes auditores ſeruos, & latrones, & inſanos eſſe putat:
Stoicus igitur ſapiens non eſt idoneus, qui ad populum dicat.

Zeno Stoicus ſolum ſapientem dignum eſſe cenſebat, qui dominus, qui rex, qui ciuis, qui ſanus diceretur: eos uero, qui inſipientes eſſent (quales ſunt omnes, ut ipſe ait) ſeruos, latrones, peregrinos, inſanos appellabat. quo in genere locutionis uocabula, quae propria eſſent in bonis, & malis fortunae, uel corporis, transferebat ad uirtutes, & uitia animorum: cuiuſmodi metaphoris etiam Chriſtiani libri referti ſunt. ACCEDIT, ȝ Altera ratio de ſtylo, & genere dicendi illuſtratur a diſſimilibus:

Stoici utuntur oratione ieiuna, & exſili:
Oratores graui & copioſa.

Id Stoicis accidit, (ut ait Cicero in Bruto) quod in dialecticis omnis eoru m cura conſumitur, uagum illud orationis, & fuſum, & multiplex genus non adhibetur: populus autem, ad cuius nutum ſeſe fingit orator, non tantum doceri uult, ſed etiam uerborum copia, & ſuauitate delectari. RELIQVI *ſunt* ȝ Reiectis reliquis philoſophorum ſectis, duae relinquuntur oratori, una Academicorum, altera Peripateticorum. Academicorum alij ueteres, alij noui dicti ſunt. Veteres, quaſi poſſet aliquid ſciri, certam formam, & deſcriptionem diſciplinae inſtituerunt, Ethicam, Phyſicam, Dialecticam, ut Speuſippus, Xenocrates, Polemo, Crates, Crantor: Noui, quaſi nihil omnino ſciri, & comprehendi poſſet, nullam artem doctrinae propoſuerunt, ſed Socraticam cõſuetudinem dubitandi, & nihil affirmandi, deq. omnibus rebus in utramque partem diſputandi reuocarunt, quorum princeps Archeſilas exſtitit, & hunc poſtea ſecuti Lacydes, Euander, Egeſinus, Carneades, Clitomachus. Lege libros Academicos Ciceronis. HAEC *autem,* ȝ Similitudo rectiſſime, & aptiſſime adhibetur ad declarandum diſtinctas profeſſiones philoſophiae, & eloquentiae ciuilis, ubi philoſophi comparantur fluuiis in Hadriaticum mare labentibus, quietũ & pacatum, propterea quod uitam otioſam, & quietam degũt, oratores fluuiis in mare Tyrrhenum decurrentibus, tempeſtuoſum, & procelloſum, quia aſſidue uerſantur in mediis fluctibus, & tempeſtatibus reip. EX *Apennino* ȝ Apenninus mons Italiam mediam ſecat, uelut ſpina tergum hominis, ex cuius altiſſimis iugis alij fluuij labuntur in Ionium mare ſuperum, ideſt, uerſus Septentrionem, ut Rubicon, Truentinus, Macrinus, Aternus, Sarus, Fiternus, Aufidius. Alij in Tyrrhenum mare inferũ, ideſt, uerſus meridiem, ut Macralla, Arnus, Hoſa, Tiberis, Liris, Sarnus, Silarus, Laus. Lege Plinium, & Ptolemaeum. ETIAM *ipſe Vlyxes* ȝ Vlyxes apud Homerum lib. 9. Odyſſ. narrat Alcinoo regi quemadmodum nauigaſſet ad Cyclopes, itemq. quemadmodum ueniſſet in Aeoliam, cui abeunti Aeolus rex (ait lib. 10. Odiſſ.) utrem uentis plenum dederat, ſed inter nauigandum utre ſoluto uenti multo uehementius, quam antea, Vlyxẽ iactarunt, in Tyrrheno mari, in quo hae duae inſulae iacent. QVARE *ſi hac* ȝ Craſſus concludit oratori neceſſariam eſſe philoſophiam non quamlibet, ſed Ariſtotelicam aut Carneadeiam, & concluſionem ex diſſimilibus illuſtrat,

Oratori uulgari fortaſſe ſatis erit noſſe uulgatam artem rhetorum:
At excellenti (quales fuit Pericles & Demoſthenes) tenenda eſt philoſophia Peripateticorum, aut Academicorum.

Ex *ingenti* ȝ Allegoria eſt a campis, qualem ſaepe Cicero uſurpat, cum de materia oratoris loquitur, ut lib. 1. de Oratore, In hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumſcribat, aut definiat ius ſuum, quo minus ei liceat eadem illa facultate, & copia uagari, qua uelit. Et lib. 2. Bene dicere non habet definitam regionem, cuius terminis ſaepta teneatur. Et lib. 3. Vna eſt enim (quod & ego heſterno die dixi, & aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificauit Antonius) eloquentia, quaſcumque in oras diſputationis regiones ue delata eſt. PERICLEM, ȝ Pericles, Xanthippi filius, rhetoricam didicit ab Aſpaſia muliere, (ut ait Plato in Menexeno) & philoſophiam ab Anaxagora, ut idem in Phaedro teſtis eſt, quem ob id iudicat omnium oratorum fuiſſe facile principem. DEMOSTHENEM ȝ Demoſthenes non ſolum Iſaeum rhetorem audiuit, ſed etiam Platonem philoſophum, a quo & doctior & eloquẽtior factus eſt Cicero: Lectitaſſe (ait in Bruto) Platonẽ ſtudioſe, audiiſſe etiam Demoſthenes dicitur, idque apparet ex genere & granditate uerborum: dicit etiam in quadam epiſtola hoc de ſeſe. CARNEADIA, ȝ Subtilitas in diſputando, & prudentia oratori neceſſaria eſt, qualis in Carneade fuiſſe dicitur, qui nullam umquam rem defendit, quam non probarit: nullam oppugnauit, quam non euerterit: & in Ariſtotele, qui de rebus propoſitis in utramque partem diſſerebat, & quidquid dici poſſet, eruebat. VETERES *illi* ȝ Argumentum de ueteri artium coniunctione, & poſtea facta diſiunctione repetitur, ubi comparatio eſt a diſſimili:

Olim iidem homines erant eloquentiae, & ſapientiae ſtudioſi:
Poſtea alij philoſophi, alij oratores exſtiterunt.

POSTEA *diſſociati* ȝ Socrates (ut ante diximus) non uidetur primus diſertos a doctis diſſociaſſe. Nam ante Socratem factum erat illud artium diuortium ab antiquis philoſophis, Pythagora, Democrito, Anaxagora, qui a Republica penitus remoti, in ſolo ſapientius ſtudio conquieuerunt: necuero ipſe diuortium iſtud umquam probauit, ut ex libris Platonis conſtat. VT *pontifices* ȝ Apodoſis diſſimilitudinis declaratur ſimilitudine ſacrificiorum Romanorum. Vt Romani pontifices partem ſui muneris a ſe ad Epulones amandarũt: ita philoſophi actionem ciuilium cauſſarum a ſe remouerunt. De antiqua auctoritate Pontificis Liuius lib. j.

Decad.

Decad. Pontificem (ait) Numa Martium Marci filium ex patribus legit, eiq. omnia exſcripta, exſignataq. attribuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quae templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur: cetera quoque publica omnia, priuataq. ſacra pontificis ſcitis ſubiecit, ut eſſet quo conſultum plebs ueniret, ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinoſq. adſciſcendo turbaretur. haec Liuius. Poſtea Epulones propter ſacrorum multitudinem a ſacerdotibus adſciti ſunt, & primum quidem tres, qui ſacris epulis praeeſſent: deinde adiecti quattuor alij: Epulones igitur epulas Ioui, ceteriſq. diis inſtituendi poteſtatem habebant. Qvae *cum ita ſint*, ≷ Craſſus poſita informatione excellentis oratoris dat aliquam ſignificationem ſuae modeſtiae, & ſeipſum extenuat, ut primo dialogo, Memento me non de mea, ſed de oratoris facultate dixiſſe, Argumentum extenuationis eſt a repugnantibus: Adoleſcentulus in forum ueni, & poſtea uix artes Graecorum guſtare potui. Non igitur ea didici, quae in ſummo oratore deſidero. Idem primo dialogo de ſe loquitur: Quid enim nos aut didicimus, aut ſcire potuimus, qui ante ad agendum, quam ad cognoſcendum uenimus? quos in foro, quos in ambitione, quos in rep. quos in amicorum negotiis res ipſa ante confecit, quã poſſemus aliquid de rebus tantis ſuſpicari. Qvod *myſteria* ≷ Myſteria fiebant Athenis, magna quidem in honorem Cereris, parua autem in honorem Proſerpinae, quorum ſpectandorum cum Craſſus rediens ex Aſia ualde cupidus eſſet, non potuit tamen ab Athenienſibus impetrare, ut, quae biduo ante facta eſſent, referrẽtur, ideſt, repeterentur, & rurſus fierent. Atqve *hos omnes* ≷ Craſſus relabitur ad principium digreſſionis contra rhetoras, utiturq. comparatione minorum:

Rhetores tantum praecipiunt de ſtatibus, & partibus orationis:

At eloquentiae ſumma uis etiam totam philoſophiam requirit.

Saepe autem admonuimus, nec doctrinam illam de ſtatibus, & partibus orationis uere, & proprie rhetoricam eſſe, quia non docet ornatum orationis, nec philoſophiam ſubiectam eſſe eloquentiae, non magis quã eloquẽtiam philoſophiae. In *quo genere* ≷ Sententia Craſſi eſt, quod orator uel medioeris adhibita forenſi exercitatione melius, & ornate de uirtute, & uitio diſputabit, quam philoſophus indiſertus. Qui locus amplificatur inductione, & collatione exemplorum. Melius orator de uoluptate, quam C. Velleius Epicureus dicet: itemq. melius de uirtute, quam Sex. Pompeius Stoicus, aut duo Balbi, aut M. Vigellius. Non *eſt enim* ≷ Haec diſſimilitudo ſic intelligenda eſt: reliquae artes, ut mathematica, ſine ſtudio, & diſciplina, & ſine praeceptoribus non percipiuntur.

Philoſophia uero moralis per ſe fere nota eſt, quia nobis inſitae ſunt, & ingeneratae notiones de bonis rebus, & malis. Vvlgaris *orator* ≷ Concluſio eſt inductionis. Ergo uel mediocris orator melius dicet, quam philoſophus indiſertus: & reditus ad perfectum oratorem, cui tribuitur non ſolum exercitatio forenſis, ſed etiam elegantia politioris doctrinae, eaq. ſententia tandem concluditur a repugnantibus,

Eloquentia ſine uarietate artium nulla eſt:

Non igitur ſola Coracis, aut Pamphili rhetorica facit oratorem perfectum, & abſolutum.

Qvare *Coracem* ≷ Craſſus iocatur in Coracem ex ambiguitate nominis: κόραξ enim Latine coruus eſt, & fuit uir quoque Siculus eiuſdem nominis, qui rhetoricam forenſem primus inuenit, ut ait Cicero in Bruto. hoc igitur allegoria ſignificat, ut qui ſolam rhetoricam a Corace inuentam didicerint, ſint uelut corui clamoſi, ideſt, inepti rabulae, & non oratores. Pamphilvmq. ≷ Pamphilus rhetor per tabulas quaſdam rhetoricam artem tradidit, quas Craſſus per iocum uocat infulas, a ſimilitudine infularum, quibus ſacerdotes utuntur, quia tales tabulae oblongae eſſent.

C I C E R O

Tvm Catulus, Haud quaquam hercle, inquit, Craſſe mirandum eſt, eſſe in te tantam dicendi uel uim, uel ſuauitatem, uel copiam: quem quidem antea natura rebar ita dicere, ut mihi non ſolum orator ſummus, ſed etiam ſapientiſſimus homo uiderere: nunc intelligo illa te ſemper etiam potiora duxiſſe, quae ad ſapientiam ſpectarent, atque ex his hanc dicendi copiam fluxiſſe. ſed tamen, cum omnes gradus aetatis recordor tuae; cumq. uitam tuam, ac ſtudia conſidero: neque, quo tempore iſta didiceris, uideo; nec magnopere te iſtis ſtudijs, hominibus, libris intelligo deditum: neque tamen poſſum ſtatuere, utrum magis mirer, te illa, quae mihi perſuades maxima eſſe adiumenta, potuiſſe in tuis tantis occupationibus perdiſcere, an, ſi non potueris, poſſe iſto modo dicere. Hic Craſſus, Hoc tibi, inquit, Catule primum perſuadoas uelim, me non multo ſecus facere, cum de oratore diſputem, ac facerem, ſi eſſet mihi de hiſtrione dicendum. negarem enim poſſe eum ſatisfacere in geſtu, niſi palaeſtram, niſi ſaltare didiciſſet: neque, ea cum dicerem, me eſſe hiſtrionem neceſſe eſſet, ſed fortaſſe non ſtultum alieni artificij exiſtimatorem. ſimiliter nunc de oratore, ueſtro impulſu, loquor, ſummo ſcilicet. ſemper enim, quacumque de arte, aut facultate quaeritur, de abſoluta, & perfecta quaeri ſolet. quare, ſi iam me uultis eſſe oratorem, ſi etiam ſat bonum, ſi bonum denique; non repugnabo: (quid enim nunc ſim ineptus? ita me exiſtimari ſcio) quod ſi ita eſt; ſummus tamen certe non ſum. neque enim apud homines res eſt ulla difficilior, neque maior, neque quae plura adiumenta doctrinae deſideret. attamen, quoniam de oratore nobis diſputandum eſt, de ſummo oratore dicam neceſſe eſt. uis enim & natura rei, niſi perfecta ante oculos ponitur, qualis & quanta ſit, intelligi non poteſt. Me autem, Catule, fateor neque hodie in iſtis libris, & cum iſtis hominibus uiuere; nec uero, id quod tu recte commeminiſti, ullum umquam habuiſſe ſepoſitum tempus ad diſcendum; ac tantum tribuiſſe doctrinae temporis, quantum mihi pue-

rilis aetas, forenſes feriae conceſſerint. At ſi quaeris, Catule, de doctrina iſta quid ego ſentiam: non tantum ingenioſo homini, & ei, qui forum, qui curiã, qui cauſſas, qui remp. ſpectet, opus eße arbitror temporis, quantum ſibi ij ſumpſerunt, quos diſcentes uita defecit. omnes enim artes aliter ab ijs tractantur, qui eas ad uſum transferunt; aliter ab ijs, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in uita ſunt aliud acturi. Magiſter hic Samnitium ſumma iam ſenectute eſt, & quotidie commentatur: nihil enim curat aliud. atque uelocius puer addidicerat. ſed, quod erat aptus ad illud, totumq. cognorat; fuit, ut eſt apud Lucilium,

„ Quamuis bonus ipſe

„ Samnis in ludo, ac rudibus cuiuis ſatis aſper:

ſed plus operae foro tribuebat, amicis, rei familiari, Valerius quotidie cantabat: erat enim ſcenicus: quid faceret aliud? At Numerius Furius, noſter familiaris, cum eſt commodum, cantat: eſt enim paterfamilias, eſt eques Romanus; puer didicit, quod diſcendũ. Eadem ratio eſt harum artium maximarum. dies & noctes uirum ſumma uirtute, & prudentia uidebamus, philoſopho cum operam daret, Q. Tuberoneta: at eius auunculum uix intelligeres id agere, cum ageret tamen, Africanum. Iſta diſcuntur facile; ſi & tantum ſumas, quantum opus ſit; & habeas, qui docere fideliter poſſit; & ſcias etiam ipſe diſcere. ſed, ſi tota uita nihil uelis aliud agere; ipſa tractatio, & quaeſtio quotidie ex ſe gignit aliquid, quod cum deſidioſa delectatione ueſtiges. ita fit, ut agitatione rerum ſit infinita cognitio; facilis uſus doctrinam confirmet; mediocris opera tribuatur; memoria, ſtudiumq. permaneat. libet autem ſemper diſcere; ut, ſi uelim ego talis optime ludere, aut pilae ſtudio teneat, etiã fortaße ſi aßequi non poſſim: at alij, quia praeclare faciunt, uehementius, quam caußa poſtulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. Quare nihil eſt, quod quiſquam magnitudinem artium ex eo, quod ſenes diſcunt, pertimeſcat. namque aut ſenes ad eas acceſſerunt; aut uſque ad ſenectutem in ſtudijs detinentur; aut ſunt tardiſſimi. res quidem ſe, mea ſententia, ſic habet, ut, niſi quod quiſque cito potuerit, numquam omnino poſſit perdiſcere. Iam iam, inquit Catulus, intelligo, Craße, quid dicas: & hercule aſſentior: ſatis uideo tibi, homini ad perdiſcendum acerrimo, ad ea cognoſcenda, quae dicis, fuiſſe temporis. Pergis ne, inquit Craſſus, me, quae dicam, de me, non de re, putare diceres? ſed iam, ſi placet, ad inſtituta redeamus. Mihi uero, Catulus inquit, placet.

EXPLANATIO

TVM *Catulus*, ʒ Craſſus hactenus duo capita digreſſionis tractauit, neceſſariam eſſe oratori philoſophiã, itemq. neceſſariam philoſophiae exercitationem, uel Ariſtoteliam, uel Carneadeiam. Tertium caout ſequitur: quatenus philoſophandũ ſit, quo tranſitus paratur interlocutione Catuli ſenis leuiter Craſſo reſiſtẽtis.

Video te Craſſe ſummum eſſe oratorem, neque tamen multum in philoſophia uerſatum eſſe intelligo:
Non igitur orator ad bene dicendum eget inſtrumento philoſophiae.

HIC *Craſſus*, ʒ Prolepſis Catuli duas habuit partes: Craſſus eſt ſummus orator, Craſſus non multum philoſophiae ſtuduit. quibus Craſſus ipſe ſeparatim reſpondet. Primum igitur laudem perfectae eloquentiae ſibi tributam modeſte deprecatur, & auertit, interpoſita ſimilitudine, unde concludit ſe de oratoris, non de ſua facultate loqui. ME *autem Catule* ʒ Craſſus diſſoluit alteram partem, primum conceſſione, fateor me non multum ſtudij in philoſophia poſuiſſe: deinde certa praeſcriptione ſtudij & temporis, quod orator politicus ad philoſophiam conferre debeat, ut ei quidem philoſophandum ſit, ſed paucis, ſicut ait Neoptolemus apud Ennium. Idem locus ab Antonio diſputatus eſt antemeridiano ſermone: nunc uero ita concluditur,

Omnis ars aliter tractatur ab iis, qui eam ad uſum uitae referunt, aliter ab iis, qui in eius contemplatione conſeneſcere uolunt:
Philoſophiae doctrina eſt ars:
Philoſophiae igitur doctrina aliter tractatur ab oratoribus ad uſum uitae ciuilis, aliter a philoſophis ad aſſiduam ſcientiam, & contemplationem rerom.

Propoſitio declaratur exemplis ſpecialibus, quorum primum de Samnitum rhetore paullo obſcutus eſt, quia mendum alicubi habet: nam illa poſterior redditio non ſatis conuenit (ſed plus operae foro tribuebat, &c.) Secundum eſt perfacile de Valerio, & Numerio Furio duobus muſicis. EADEM *ratio* ʒ Aſſumptio ſequitur cum ſua complexione: philoſophia una eſt de maximis artibus: itaque aliter a philoſophis ad ſcientiam, aliter ab oratoribus ad ciuilem uſum percipienda eſt. qui locus illuſtratur duobus exemplis diſſimilibus, Tuberonis, & P. Scipionis Africani: quorum alter totus incumbebat philoſophiae, nihilq. aliud agere nidebatur, alter horis tantum ſucciſiuis. ISTA *diſcuntur* ʒ Craſſus non improbat magnam, & aſſiduam meditationem in philoſophia, ſed negat hanc profeſſionem oratori conuenire ciuilibus negotiis occupato. Itaque ſuadet ei, ut remiſſiorem, & moderatiorem operam philoſophiae impertiat, & non in ea conſeneſcat. IAM *iam, inquit* ʒ Catulus concludit tertium caput digreſſionis, quatenus philoſophandum ſit oratori, idque laude Craſſi, quae ad Ciceronem ipſum referenda eſt. Nam, cum Antonius, aut Craſſus laudatur, tum ſub alienis perſonis M. T. Cicero laudatur.

PAVLLVS. MANVTIVS. NIHIL *enim curat aliud. atque uelocius puer addidicerat.* ʒ mendoſum. aliter, & fortaſſe recte, in antiquo libro Fuluij Vrſini: Nihil enim curat aliud, atque ea, quae uelocius puer addidicerat.

CICERO

TVM Craſſus, Quorſum igitur haec ſpectat, inquit, tam longe, & tam alte repetita oratio? hae duae partes, quae mihi ſuperſunt, illuſtrandae orationis, ac totius eloquentiae cumulandae, quarum altera dici poſtulat ornate, altera apte, hanc habent uim, ut ſit quammaxime iucunda, quammaxime in ſenſus eorum, qui audiunt, influat, & quamplurimis ſit rebus inſtructa. Inſtrumentum autem hoc forenſe, litigioſum, acre, tractum ex uulgi opinionibus, exiguum ſane, atque mendicum eſt: illud rurſus ipſum, quod tradunt iſti, qui profitentur ſe dicendi magiſtros, non multo eſt maius, qnam illud uulgare, ac forenſe. Apparatu nobis opus eſt, & rebus exquiſitis undique & collectis, arceſſitis, comportatis: ut tibi, Caeſar, faciendum eſt ad annum; ut ego in aedilitate laboraui; quod quotidianis & uernaculis rebus ſatisfacere me poſſe huic populo non putabam. Verborum eligendorum, & collocandorum, & concludendorum facilis eſt uel ratio, uel ſine ratione ipſa exercitatio. Rerum eſt ſilua magna: quam cum Graeci iam non tenerent, ob eamq. cauſſam iuuentus noſtra dediſceret paene diſcendo; etiam Latini, ſi dijs placet, hoc biennio magiſtri dicendi exſtiterunt: quos ego cenſor edicto meo ſuſtuleram: non quo, ut neſcio quos dicere aiebant, acui ingenia adoleſcentium nollem; ſed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. nam apud Graecos, cuicuimodi eſſent, uidebam tamen eſſe, praeter hanc exercitationem linguae, doctrinam aliquam, & humanitatem dignam ſcientia: hos uero nouos magiſtros nihil intelligebam poße docere, niſi ut auderent: quod etiam cum bonis rebus coniunctum, per ſe ipſum eſt magnopere fugiendum. hoc cum unum traderetur; & cum impudentiae ludus eſſet; putaui eſſe cenſoris, ne longius id ſerperet, prouidere. quamquam non haec ita ſtatuo, atque decerno, ut diſperem Latine ea, de quibus diſputamus, tradi, ac perpoliri. patitur enim & lingua noſtra, & natura rerum, ueterem illam, excellentemq. prudentiam Graecorum ad noſtrum uſum, moremq. transferri: ſed hominibus opus eſt eruditis: qui adhuc in hoc quidem genere noſtri nulli fuerunt: ſin quando exſtiterint, etiam Graecis erunt anteponendi. Ornatur igitur oratio genere primũ, & quaſi colore quodam, & ſucco ſuo. nam, ut grauis, ut ſuauis, ut erudita ſit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita; ut ſenſus, ut dolores habeat, quantum opus ſit; non eſt ſingulorum articulorum: in toto ſpectantur haec corpore: ut porro conſperſa ſit quaſi uerborum, ſententiarumq. floribus, id non debet eſſe fuſum aequabiliter per omnem orationem, ſed ita diſtinctum, ut ſint quaſi in ornatu diſpoſita quaedam inſignia, & lamina. Genus igitur dicendi eſt eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, & quod non ſolum delectet, ſed etiam ſine ſatietate delectet. (non enim a me iam exſpectari puto, ut moneam, ut caueatis, ne exſilis, ne inculta ſit ueſtra oratio, ne uulgaris, ne obſoleta. aliud quiddam maius & ingenia me hortantur ueſtra, & aetates) difficile enim dictu eſt, quaenam cauſſa ſit, cur ea, quae maxime ſenſus noſtros impellunt uoluptate, & ſpecie prima acerrime commouent, ab ijs celerrime faſtidio quodam, & ſatietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine, & uarietate, floridiora ſunt in picturis nouis pleraque, quam in ueteribus? quae tamen etiam ſi primo adſpectu nos ceperunt, diutius non delectant; cum ijdem nos in antiquis tabulis illo ipſo horrido, obſoletoq. teneamur. Quanto molliores ſunt, & delicatores in cantu flexiones, & falſae uoculae, quam certae, & ſeuerae? quibus tamen non modo auſteri, ſed, ſi ſaepius fiunt, multitudo ipſa reclamat. Licet hoc uidere in reliquis ſenſibus, unguentis minus diu nos delectari ſumma & acerrima ſuauitate conditis, quam his moderatis; & magis laudari, quod terram, quam quod crocum olere uideatur: in ipſo tactu eße modum & mollitudinis, & leuitatis. Quin etiam guſtatus, qui eſt ſenſus ex omnibus maxime uoluptarius, quiq. dulcitudine praeter ceteros ſenſus commouetur, quam cito id, quod ualde dulce eſt, & adſpernatur, ac reſpuit? quis potione uti, aut cibo dulci diutius poteſt? cum utroque in genere ea, quae leuiter ſenſum uoluptate moueant, facillime fugiant ſatietatem. ſic omnibus in rebus uoluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt. Quo hoc minus in oratione miremur, in qua uel ex poetis, uel ex oratoribus poßumus iudicare, concinnam, diſtinctam, ornatam, feſtinam, ſine intermiſſione, ſine reprehenſione, ſine uarietate, quamuis claris ſit coloribus picta uel poeſis, uel oratio, non poſſe in delectatione eße diuturna. atque eo citius in oratoris, aut in poetae cincinnis, ac fuco offenditur; quod ſenſus in nimia uoluptate natura, non mente, ſatiantur; in ſcriptis, & in dictis, non aurium ſolum, ſed animi iudicio etiam magis infucata uitia noſcuntur. Quare, bene, & praeclare, quamuis nobis ſaepe dicatur; belle, & feſtiue, nimium ſaepe uolo. quamquam illa ipſa exclamatio, Non poteſt melius, ſit uelim crebra. ſed habeat tamen illa in dicendo admiratio, ac ſumma laus umbram aliquam, & receßum, quo magis id, quod erit illuminatum, exſtare, atque eminere uideatur. numquam agit hunc uerſum Roſcius eo geſtu, quo poteſt.

„ Nam ſapiens uirtuti honorem praemium,
„ haud praedam, petit;

ſed abijcit prorſus, ut in proximos,

„ Ecquid uideo? ferro ſaeptus poſſidet ſedes ſacras,

incidat, adſpiciat, admiretur, ſtupeſcat. quid ille alter?

„ Quid petam praeſidi?

quam leniter, quam remiſſe, quam non actuoſe? inſtat enim,

„ O pater, o patria, o Priami domus.

in quo tanta commoueri actio non poßet, ſi eſſet conſumpta ſuperiore motu, & exhauſta. Neque id actores prius uiderunt, quam ipſi poetae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos: a quibus utriſque ſummittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, uariatur, diſtinguitur. Ita ſit nobis igitur ornatus, & ſuauis orator: nec tamen poteſt aliter eſſe, ut ſuauitatem habeat auſteram, & ſolidam, non

dulcem,

dulcem, atque decoctam. nam ipſa ad ornandum praecepta, quae dantur, eiuſmodi ſunt, ut ea quamuis uitioſiſſimus orator explicare poſſit. Quare, ut ante dixi, primum ſilua rerum ac ſententiarum comparanda eſt; qua de parte dixit Antonius. haec formanda filo ipſo, & genere orationis, illuminanda uerbis, uarianda ſententijs.

EXPLANATIO

TVM *Craſſus,* § Quartum caput digreſſionis ex antecedentibus pendet, immo uero totum paene primo ſimile eſt. Quod ſine rerum ſcientia, & apparatu, ornatus orationis eſſe non poſſit: hanc quaeſtionem primo dialogo Craſſus in definitione oratoris diſputauit, Antonius obiter dialogo ſecundo. Poſtremo autem hoc ſermone Craſſus ornate, & copioſe proſequitur: atque hunc communem locum in his dialogis magis ad ſpeciem eloquentiae, quam doctrinae, Cicero ſibi propoſuit, ut oſtenderet in exornandis eloquentiae laudibus, quam ipſe eloquens, & ornatus eſſet. Prima Craſſi ratio eſt a minori ad maius: Vſus forenſis, & ſchola rhetorica parum oratori conferunt, artium uero ſcientia maximam ſupellectilem praebet ad dicendum: nam rerum copia ex multiplici doctrinae uarietate naſcitur. Meminerimus tamen copiam, aut ſcientiam rerum, nec partem eſſe eloquentiae, nec cauſſam ornandae orationis, ſed hoc praeſtare, ut ſubtilis, ut grauis, ut copioſa, ut apta, ut prudens ſit oratio, quae uirtutes homini quidem politico ad dicendum magnopere utiles ſunt, ſed rhetoricae & oratoriae non ſunt, quia non eruuntur ex genere elocutionis uel actionis, ſed ex alijs artibus, quae rerum ſcientiam, & copiam ad dicendum ſuppeditant. APPARATV *nobis* § Apodoſis confirmatur a ſimilibus, ubi orator comparatur aedili, magnificos ludos uario rerum apparatu facienti, & ex omnibus prouincijs res nouas, & ſpecioſas colligenti ad elegantiam ludorum, & delectationem populi Romani. VERBORVM *eligendorum* § Facilis eſt (ut ait Craſſus) elocutio uerborum, at rerum copia non facilis: qua ratione Craſſus edicto cenſorio damnauit impudentiam rhetorum, qui ſine rerum ſcientia inanem quandam linguae impudentiam adoleſcentibus traderent. hoc edictum refertur a Gellio cap. 11. lib. 15. Cn. (inquit) Domitius Ahenobarbus, & L. Licinius Craſſus cenſores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt: Renunciatum eſt nobis eſſe homines, qui nouum genus diſciplinae inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludum conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos rhetores: ibi homines adoleſcentulos dies totos deſidere: Maiores noſtri, quae liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare uellent, inſtituerunt: haec noua quae praeter conſuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta uidentur. Quapropter, & ijs, qui eos ludos habent, & ijs, qui eo uenire conſueuerunt, uiſum eſt faciendum, ut oſtenderemus noſtram ſententiam nobis non placere. QVAMQVAM *non haec* § Haec diuinatio de Cicerone auguratur id, quod iam tum, cum hic dialogus ſcriptus eſt, acciderat: Nam unus ex Latinis Cicero laudem eloquentiae, & philoſophiae Graecis paene eripuerat. ORNATVR *igitur* § Craſſus partitur ornatum orationis bifariam, ut alias ſit in toto corpore, & habitu orationis, alias in certis, & ſingularibus partibus. In priore genere ſeptem uirtutes commendat, ut ſit grauis, ut ſuauis, ut erudita, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut pathetica, quantum opus eſt: quae uirtutes rhetoricae elocutionis propriae non ſunt, ſed communiter ex multis, & uarijs artibus oriuntur, quarum ope diligentius elaboratur oratio. In ſecundo genere uult adhiberi ornamenta uerborum, & ſententiarum, id eſt, figuras λέξεως καὶ διανοίας, quae inſignia uere, & proprie oratoria ſunt, quae certis in locis diſponuntur, quo maiorem gratiam habeant. DIFFICILE *enim* § Praeceptum Craſſi eximium, & ſingulare, ut ad retinendos cum perpetua uoluptate animos audientium ſchemata, & colores orationis uarie commutemus. Craſſus itaque, ut rem ipſam paullo altius repetat, argumentatur a minori ad maius,

Quae ſingulos ſenſus maxime delectant, niſi uarietas adſit, ea cito faſtidiuntur:
Quanto citius in oratione, ſi uno & eodem modo ſemper dicatur, delectatio ipſa peribit?

Protaſis comparationis explicatur inductione per quinque ſenſus, uiſum, auditum, odoratum, tactum, & guſtatum.

ET *magis laudari* § Plinius cap. 3. lib. 13. In M. Ciceronis (ait) monumentis inuenitur unguenta gratiora eſſe, quae terram, quam quae crocum ſapiant. Terra autem, ut alibi ſcribit cap. 5. lib. 17. cum a ſiccitate continua immaduerit imbre, tunc emittit illum ſuum halitum diuinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuauitas nulla poſſit. QVO *hoc minus* § Sequitur Apodoſis proximae comparationis: Quod uirtutes in oratione niſi uarie diſtinguantur, & ſubinde commutentur, auditorem diutius retinere non poſſint: quem locum Craſſus rurſus illuſtrat a minori ad maius,

Senſus tantum duce natura res ipſas faſtidiunt:
Orationis uitia non ſolum ſenſus, ſed etiam animus intelligit, & faſtidit.

CINCINNIS § Cincinni proprie ſunt intorti, & calamiſtrati crines: Fucus, color facticius, quo mulieres tinguntur, ut uitia corporis obtegant: ſed utrumque uerbum μεταφορικῶς dicitur pro nimis affectato cultu orationis. Sic apud Fabium lib. 8. Ornatus uirilis, & fortis, & ſanctus ſit, nec effeminatam laeuitatem, nec fuco eminentem colorem amet: ſanguine & uiribus gaudeat. QVARE, *bene* § Bene & praeclare, belle & feſtiue, non poteſt melius: uerba ſunt acclamantium in laudem eius, qui recte aliquid pronunciauit. Sic populus oratori in foro, uel hiſtrioni in ſcena, & adoleſcentes ſuis condiſcipulis in ſchola declamantibus, & poetis aliquid recitantibus acclamant. VMBRAM *aliquam* § Craſſus alludit ad pictores, qui in tabulis partes alias

eminentiores,& illuſtriores faciunt,alias uelut magis obſcuras,quas ipſi uocant umbras, ut imagines quae reuera planae ſunt,ſolidae nobis uideantur: qua ſimilitudine oratores pingunt aliam partem orationis quaſi illuſtrioribus coloribus,& figuris: alibi minores & obſcuriores uirtutes adhibent,quae comparantur umbris in tabula depictis. NVMQVAM *agit* } Argumentum eſt ab exemplis ſimilibus, Roſcius & Aeſopus hiſtriones uocem,& geſtum uarie commutant,& moderantur,idemq. faciunt poetae. Sic igitur oratori faciendum eſt in ornatu orationis. In protaſi comparationis citantur uerſus ex Ennio, quos illi hiſtriones in ſcena uario geſtu,uarioq. uocis tono pronunciarunt. ITA *ſit nobis* } Redditio ſimilitudinis eſt, & ei adiuncta concluſio,& epilogus diſputationis antecedentis,quod elocutionis apparatus copia rerum, & uerborum luminibus contineatur.

PAVLLVS. MANVTIVS. VT *grauis,ut ſuauis,ut erudita ſit,ut liberalis,ut admirabilis,ut polita.* } cum dicat,Admirabilis; cur ſequatur,Polita? nam,quod admirabile eſt, continet omnes laudes. malim igitur,loco mutato; ita legi: Vt polita,ut admirabilis.

C I C E R O

SVMMA autem laus eloquentiae eſt, amplificare rem ornando: quod ualet non ſolum ad augendum aliquid, & tollendum altius dicendo,ſed etiam ad extenuandum, atque abijciendum.id deſideratur omnibus ijs in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, uel cum explanamus aliquid, uel cum conciliamus animos, uel cum concitamus.ſed in hoc,quod poſtremum dixi,amplificatio poteſt plurimum:eaq. una laus oratoris eſt. & propria maxime. Etiam maior eſt illa exercitatio, quam extremo ſermone inſtruxit Antonius, primo reijciebat, laudandi, & uituperandi. nihil eſt enim ad exaggerandam, & amplificandam orationem accommodatius,quam utrumque horũ cumulatiſſime facere poſſe. Conſequentur etiã illi loci;qui quamquam proprij caußarum,& inhaerentes in eorũ neruis eſſe debent, tamen,quia de uniuerſa re tractari ſolent,communes a ueteribus nominati ſunt. quorum partim habent uitiorum & peccatorum acrem quandam cum amplificatione incuſationem, aut querellam, contra quam dici nihil ſolet, nec poteſt, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam:quibus uti, confirmatis criminibus,oportet: aliter enim ieiuni ſunt, atque inanes: alij autem habent deprecatiouem, aut miſerationem: alij uero ancipites diſputationes; in quibus de uniuerſo genere in utramque partem diſſeri copioſe licet. quae exercitatio nunc propria duarum philoſophiarum, de quibus ante dixi, putantur; apud antiquos erat eorum, a quibus omnis de rebus forenſibus dicendi ratio, & copia petebatur. de uirtute enim, de officio, de aequo & bono,de dignitate, honore, ignominia, praemio, poena, ſimilibusq. de rebus in utramque partem dicẽdi, omnino & uim, & artem habere debemus: ſed quoniam de noſtra poſſeſſione depulſi, in paruo, & eo litigioſo praediolo relicti ſumus; & aliorum patroni noſtra tenere, tueriq. non potuimus;ab ijs, quod indigniſſimum eſt, qni in noſtrum patrimonium irruperunt,quod opus eſt nobis,mutuemur. Dicunt igitur nunc quidem illi, qui ex particula parua urbis, ac loci nomen habent, & Peripatetici philoſophi, aut Academici nominantur; olim autem, propter eximiam rerum maximarum ſcientiam, a Graecis politici philoſophi appellati,uniuerſarum rerum publicarum nomine uocabantur;omnem ciuilem orationem in horum alterutro genere uerſari, aut definita controuerſia certis temporibus, ac reis, hoc modo: placeat ne a Carthagīnienſibus captiuos noſtros, redditis ſuis,recuperari: aut infinite de uniuerſo genere, quaerentis,quid omnino de captiuo ſtatuendum,ac ſentiendum ſit. atque horum ſuperius illud genus cauſſam, aut controuerſiam appellant; eamq. tribus,lite,aut deliberatione, aut laudatione definiunt: haec autem altera quaeſtio infinita, & quaſi propoſita,conſultatio nominatur. Atque hactenus loquuntur. Etiam hac inſtituendo diuiſione utuntur, ſed ita, non ut iure, aut iudicio, ut denique recuperare amiſſam poßeſſionem, ſed ut, ex iure ciuili, ſurculo defringendo, uſurpare uideantur.nam illud alterum genus, quod eſt temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipſum lacinia: (nunc enim apud Philonem, quem in Academia maxime uigere audio, etiam harum iam cauſſarum cognitio, exercitatioq. celebratur) alterum uero tantummodo in prima arte tradenda nominant, & oratoris eße dicunt: ſed neque uim, neque naturam eius, neque partes, nec genera proponunt:ut praeteriri omnino fuerit ſatius,quam attentatum deſeri. nunc enim inopia reticere intelliguntur,tum iudicio uiderentur. Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua quaeri,& diſceptari poteſt,ſiue in infinitis conſultationibus diſceptatur,ſiue in ijs cauſſis, quae in ciuili, atque in forenſi diſceptatione uerſantur: neque eſt ulla, quae non aut ad cognoſcendi, aut ad agendi uim, rationemq. referatur.nam aut ipſa cognitio rei, ſcientiaq. perquiritur, ut, uirtus ſuam ne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur:aut agendi conſilium exquiritur, ut, ſit ne ſapienti capeßenda reſpublica. Cognitionis autem tres modi,coniectura, definitio, &, ut ita dicam, conſecutio. Nam, quid in re ſit, coniectura quaeritur, ut illud, ſit ne in humano genere ſapientia. Quam autem uim quaeque res habeat,definitio explicat; ut ſi quaeratur, quid ſit ſapientia. Conſecutio autem tractatur,cum,quid quamque re ſequatur, inquiritur, ut illud, Sit ne aliquando mentiri boni uiri. Redeunt rurſus ad coniecturam, eamq. in quattuor genera diſpertiunt. nam aut, quid ſit, quaeritur, hoc modo, natura ne ſit ius inter homines, an opinionibus: aut, quae ſit origo cuiuſque rei, ut, quod ſit initium legum, aut rerumpublicarum: aut cauſſa, & ratio, ut ſi quaeratur,cur doctiſſimi homines de maximis rebus dißentiant:aut de immutatione,ut ſi diſputetur,num interire uirtus in homine,aut num in uitium poſſit cõuerti.

Defini-

Definitionis autem ſunt diſceptationes, ut, cum quaeritur, quid in communi mente quaſi impreſſum ſit; ut ſi diſſeratur, id ne ſit ius, quod maxime parti ſit utile: aut cum, quid cuiuſque ſit proprium, exquiritur, ut, ornate dicere proprium ne ſit oratoris, an id etiam aliquis praeterea poſſit: aut cum res diſtribuitur in partes; ut ſi quaeratur, quot ſint genera rerum expetendarum, ut, ſint ne tria, corporis, animi, externarumq. rerum: aut cum, quae forma, & quaſi naturalis nota cuiuſque ſit, deſcribitur; ut ſi quaeratur auari ſpecies, ſeditioſi, glorioſi. Conſecutionis autem duo prima quaeſtionum genera ponuntur. nam aut ſimplex eſt diſceptatio; ut ſi diſſeratur, expetenda ne ſit gloria; aut ex comparatione; laus, an diuitiae magis expetendae ſint. Simplicium autem ſunt tres modi, de expetendis, fugiendis ue rebus; ut expetendi ne honores ſint, num fugienda paupertas; de aequo, aut iniquo; aequum ne ſit ulciſci iniurias etiam propinquorum; de honeſto, aut turpi, ut hoc; ſit ne honeſtum, gloriae cauſſa mortem obire. Comparationis autem duo ſunt modi: unus, cum, idem ne ſit, an aliquid interſit, quaeritur; ut metuere, & uereri; ut rex, & tyrannus; ut, aſſentator, et amicus: alter, cum, quid praeſtet aliud alij, quaeritur; ut illud, optimi ne cuiuſque ſapientes, an populari laude ducantur. Atque eae quidem diſceptationes, atque ad cognitionem referuntur, ſic fere doctiſſimis hominibus deſcribuntur. quae uero referuntur ad agendum; aut in officij diſceptatione uerſantur; quo in genere, quid rectum, faciendumq. ſit, quaeritur; cui loco omnis uirtutum, & uitiorum eſt ſilua ſubiecta; aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut ſedanda, tollenda ue tractantur. huic generi ſubiectae ſunt cohortationes, obiurgationes, conſolationes, miſerationes, omnisq. ad omnem animi motum & impulſio, &, ſi ita res feret, mitigatio. Explicatis igitur his generibus, ac modis diſceptationum omnium, nihil ſane ad rem pertinet, ſi qua in re diſcrepauit ab Antonij diuiſione noſtra partitio: eadem enim ſunt membra in utriuſque diſputationibus, ſed paullo ſecus a me, atque ab illo, partita, ac diſtributa. Nunc ad reliqua progrediar, meq. ad meum munus, penſumq. reuocabo. Nam ex illis locis, quos expoſuit Antonius, omnia ſunt ad quaeque genera quaeſtionum argumenta ſumenda: ſed alijs generibus alij loci magis erunt apti: de quo non tam quia longum eſt, quam quia perſpicuum, dici nihil eſt neceſſe. Ornatiſſimae ſunt igitur orationes eae, quae latiſſime uagantur, & a priuata, ac ſingulari controuerſia ſe ad uniuerſi generis uim explicandam conferunt, & conuertunt; ut ij, qui audiant, natura, & genere, & uniuerſa re cognita, de ſingulis reis, & criminibus, & litibus ſtatuere poſſint. Hanc ad conſuetudinem exercitationis uos adoleſcentes eſt cohortatus Antonius, atque a minutis, anguſtisq. concertationibus ad omnem uim, uarietatemq. diſſerendi traducendos putauit. Quare non eſt paucorum libellorum hoc munus, ut ij, qui ſcripſerunt de dicendi ratione, arbitrati ſunt, neque Tuſculani, atque huius ambulationis antemeridianae, aut noſtrae pomeridianae ſeſſionis. non enim ſolum acuenda nobis, neque procudenda lingua eſt; ſed onerandum, complendumq. pectus maximarum rerum, & plurimarum ſuauitate, copia, uarietate. noſtra eſt enim (ſi modo nos oratores ſumus; ſi in ciuium diſceptationibus, ſi in periculis, ſi in deliberationibus publicis adhibendi auctores, & principes ſumus) noſtra eſt, inquam, omnis iſta prudentiae, doctrinaeq. poſſeſſio; in quam homines, quaſi caducam, atque uacuam, abundantes otio, nobis occupatis, inuolauerunt; atque etiam aut irridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cauillantur; aut aliquid de oratoris arte paucis praecipiunt libellis: eosq. rhetoricos inſcribunt: quaſi non illa ſint propria rhetorum, quae ab iiſdem de iuſtitia, de officio, de ciuitatibus inſtituendis, & regendis, de omni uiuendi, denique etiam de naturae ratione dicuntur. Quae quoniam iam aliunde non poſſumus, ſumenda ſunt nobis ab ijs ipſis, a quibus expilati ſumus; dummodo illa ad hanc ciuilem ſcientiam, quo pertinent, & quam intuentur, transferamus; neque, ut ante dixi, omnem teramus in his diſcendis rebus aetatem; ſed, cum fontes uiderimus. quos niſi qui celeriter cognorit, numquam cognoſcet omnino, tum, quotieſcũque opus erit, ex ijs tantum, quantum res petet, hauriemus. Nam neque tam eſt acris acies in naturis hominum, & ingenijs, ut res tantas quiſquam, niſi monſtratas, poſſit uidere; neque tanta tamen in rebus obſcuritas, ut eas non penitus acri uir ingenio cernat, ſi modo adſpexerit. In hoc igitur tanto, tamq. immenſo campo cum liceat oratori uagari libere, atque, ubicumque conſtiterit, conſiſtere in ſuo: facile ſuppeditat omnis apparatus, ornatusq. dicendi. rerum enim copia uerborum copiam gignit: & ſi eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exſiſtit ex rei natura quinam ſplendor in uerbis. ſit modo is, qui dicet, aut ſcribet, inſtitutus liberaliter educatione, doctrinaq. puerili; & flagret ſtudio; & a natura adiuuetur; & in uniuerſorum generum infinitis diſceptationibus exercitatus, ornatiſſimos ſcriptores, oratoresq. ad cognoſcendum, imitandumq. cognorit: nae aut illud ſane, quemadmodum uerba ſtruat, & illuminet, a magiſtris iſtis requiret. ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta ſine duce, natura ipſa, ſi modo eſt exercitata, labetur.

EXPLANATIO

SVMMA *autem*] Quinctum caput digreſſionis eſt, ut orator rem, de qua agitur, oratione dilatet, atque amplificet augendi, aut minuendi gratia, quam laudem eloquentiae Craſſus ſummam eſſe exiſtimat, ſed tamen dialecticae potius eſt adſcribenda, quia talis amplificatio, de qua nunc praecipit, ex locis dialecticis magis efficitur, quam ex rhetoricis ornamentis: rerum ſiquidem amplificationem commendat, quae maxime fit, cum orator in foro quaeſtionem ſpecialem ad generalem reuocat, & in ea per dialecticos locos latiſſime uagatur. ID *deſideratur*] Amplificatio adhibetur ad docendum, delectandum, mouendum, ſed maxime ad

mouendum,

mouendum, idque Cicero etiam in Partitionibus ſcribit: Sed amplificatio quamquam habet proprium locū, ſaepe etiam primum, poſtremum quidem fere ſemper, tamen reliquo caſu orationis adhibenda eſt, maximeq. cum aliquid aut confirmatum eſt, aut reprehenſum. Itaque ad fidem quoque uel plurimum ualet: Eſt enim amplificatio uehemens quaedam argumentatio, ut illa docendi cauſſa ſit, haec commouendi. Etiam *maior eſt* ʒ Laudare claros uiros, & uituperare improbos non eſt ſimplicis utilitatis opus, (ut ait Fabius c. 4. lib. 2.) Namque & ingenium exercetur multiplici, uariaq. materia, & animus contemplatione recti, prauiq. formantur: & multa inde cognitio rerum uenit, exemplisque, quae ſunt in omni genere cauſſarum potentiſſima, iam tum inſtruitur, cum res poſcet, uſurus. Consequenter *etiam* ʒ Craſſus diſtinguit tria genera locorum communium, quibus adiuuautur oratoriae amplificationes in tractandis ciuilibus cauſſis: prioris generis ſunt ſententiae generales, contra reos in uitia & peccata, ut ſi quem peculatus reum egeris, & cauſſa confirmata generaliter in crimen peculatus inueharis. Secundi ſunt communes ſententiae pro reis ad deprecandum ueniā. Tertij ſunt theſes, quae academicorum more in utramqae partem diſputantur, ut apud Ciceronem pro uoluptate, contra uoluptatem: pro uirtute, contra uirtutem. Sed *quoniam* ʒ Haec allegoria ducitur ex iure ciuili, & uerbis quidem elegans eſt, ſed tamen minime uera: licet enim unus, & idem ſapiens olim & eloquens fuerit, duae tamen artes ſemper fuerunt, philoſophia & eloquentia, quarum quidem uſus perſaepe cōiunctus eſt, ut in his, qui utramque artem didicerint, ſed uis & natura & praeceptiones diſtinguendae ſunt. Neque uero philoſophia magis oratorum eſt, quam eloquentia philoſophorum propria poſſeſſio. Dicvnt *igitur* ʒ Craſſus a proximo capite digreſſionis digreditur in diuiſionē quaeſtionis, in hypotheſim & theſim, quae qualis ſit, in aliis libris diximus, & utriuſque generis partes ſummatim perſequitur. Placeat. ne ʒ De hac re relatum eſt ad ſenatum, cum M. Regulus a Carthaginienſibus dimiſſus eſt ea condicione, ut ipſe rediret, niſi captiui Carthaginienſes captiuis Romanis commutarentur. Atqve *hactenus* ʒ Cum philoſophi theſim diſputant, in alienam poſſeſſionem non irruunt, (ut ante diximus) ſed ſuo & proprio patrimonio utuntur: Craſſi autem allegoria hanc habet ſententiam: Philoſophi dicunt quaeſtionem ad ſe pertinere, non totam quidem quaeſtionis doctrinam proponentes, ſed primam & ſummam tantum diuiſionem, inſtar eorum, qui, cum de fundo aliquo aut ſilua litigant, in rem praeſentem eunt, & in iudicium ramum aliquem aut ſurculum afferunt, qui repraeſentet uniuerſum fundum aut ſiluam, itaque in parte tamquam in toto rem uindicant. Nam *illud alterum* ʒ Academici quaeſtionem finitam obtinent. Nam Philo Academicus philoſophus eam in ſcholis exercet, ſed eam ipſam obtinent lacinia, ideſt leuiter: neque tam accurate diſputant, quam ipſi oratores in foro. Metaphora ſumpta eſt ab his, qui ueſtem aliquam extrema tantum parte retinent. Omnis *igitur* ʒ Theſis, & hypotheſis communes habent ambigendi ſpecies: utraque enim ad cognitionem, uel ad actionem refertur. Atque haec partitio fluxit ex antiqua partitione artium in duo genera, θεορητικὸν, & πρακτικὸν. haec igitur, quae ab Academicis de quaeſtione praetermiſſa sūt, Craſſus per ſubiectas ſpecies, uia, & ordine explicat. Virtvs ʒ Quaeſtio θεορητικὴ eſt, Sit ne uirtus per ſe expetenda, an propter aliquam utilitatem? Cicero lib. 3. de Finibus, & lib. 2. de legibus ait uirtutem per ſe, & propter ſe expetendā eſſe, detractis omnibus emolumentis, quia nihil ſit uirtute melius, aut pulchrius. Sit ne *ſapienti* ʒ Quaeſtio πρακτικὴ eſt, Sitne ſapienti capeſſenda reſp. Plato lib. 1. de Republica ait philoſophum metu poenae cogi ad capeſſendam remp. ne improborum hominum dominationi ſubiiciatur, (quae quidem poena eſt maxima) hunc uero nec pecunia duci, nec honore, cum nec auarus ſit, nec ambitioſus. Libro autem ſeptimo (ait) philoſophos ad capeſſendam remp. cogendos eſſe, & uiciſſim ab actione rerum ad cognitionem reuocandos. Sit ne *in humano* ʒ Sapientia perfecta in humano genere nulla eſt, mediocris & adumbrata aliqua eſt, quo modo dicimus in Graecia fuiſſe ſeptem ſapientes, & Romae Catonem, aut Laelium. Lege Ciceronem libro 3. de Officiis. Qvid *ſit ſapientia.* ʒ Sapientia (ut ait Cic. lib. 2. de Offic.) eſt diuinarum & humanarum rerum, cauſſarumq. quibus hae res conſtant, cognitio & ſcientia. Sit ne *aliquando* ʒ Quemadmodum medicus (ait Plato lib. 2. de Republ.) aegrotis, ſic philoſophus ciuibus ſuis ſalutis cauſſa mentiri poteſt, ut ſi furore aliquo aut inſcitia flagitium aggrediantur. Idem lib. 3. de Rep. ſcribit licere gubernatoribus reip. mentiri uel hoſtium, uel ciuium cauſſa, ad communem utilitatem ciuitatis, reliquis uero non licere. Natvra ne *ſit* ʒ Cicero lib. 1. de Legibus diſputat ius natura conſtare, & a natura petendum eſſe, ideſt, a recta ratione, quae in animis noſtris impreſſa eſt, iubens recta, prohibenſq. contraria. Qvod *ſit initium* ʒ Initium rerump. fuit domus, exinde uicus, poſtremo ciuitas, ut docet Ariſtoteles lib. 1. de Rep. Cvr doctiſſimi ʒ Homines doctiſſimi de maximis rebus in philoſophia diſſentiunt, quia ueritas in profundo demerſa iacet, & opinionibus tenetur, non certa ſcientia, ut Cicero docet in Academicis. Nvm *interire* ʒ Sine conſuetudine, & longo uſu uirtus paratur, ut cenſet Ariſtoteles: ea poteſt deſuetudine amitti, ſiue diuina gratia hominibus datur (ut uult Plato) ea ſublata, uirtus quoque ipſa tollitur. Id ne *ſit ius,* ʒ Ariſtoteles lib. 3. de Repub. ciuium partem maximam definit non numero, ſed uirtute, cui quod utile eſt, id ius eſt. Aeqvvm ne *ſit* ʒ Socrates in Gorgia, & Critone negat iuſtum eſſe iniurias ulciſci, ne tuas quidem, quod praeceptum uere Chriſtianum eſt.

Explicatis *igitur* ʒ Craſſus a doctrina quaeſtionis relabitur ad ſuum inſtitutum, & exercitationem locorum communium commendat ad copiam, & ornatum orationis. Pensvmqve ʒ Alludit ad ancillas, quae penſa a matronis accepta ut lanae, uel lini manipulos interdum intermittunt, ut aliud agant, poſteaq. redeunt ad muneris ſui perfunctionem: qua ſimilitudine penſum Craſſi dicitur, munus ipſum dicendi de elocutione, quod paullisper intermiſit, ut explicaret doctrinam quaeſtionis: Craſſus igitur redit ad praeceptum reuocandae quaeſtionis finitae ad infinitam, quod item poſitum eſt lib. 2. de Oratore, & in Partitionibus oratoriis, & in Oratore perfecto. Ornatissimae *ſunt* ʒ Forenſis, & politicus orator adiuuatur quidem a philoſo-

phia,

phia; quia (ut recte ait Craſſus lib. 1.) neque ſine multa pertractatione omnium rerumpub. neque ſine legum, moris, iuris, ſcientia, neque natura hominum incognita, ac moribus; in his ipſis rebus ſatis callide uerſari, ac perite poteſt: non tamen ſequitur eam eſſe propriam oratoris poſſeſſionem, aut philoſophum, cum de moribus, aut de rep. aut de natura, & rebus occultis praecipit, in alienam poſſeſſionem inuolare, ſed in ſuo potius regno, & patrimonio conſiſtere. NOSTRA *eſt enim* ʒ Caduca poſſeſſio eſt, quae a uero domino excidit, aut morte, aut alio quouis modo, & incidit in eum, qui minime ſperabat, ut in principem, uel fiſcum, in agnatos, in ſecundos heredes, in alterum legatarium, in coheredem iure accreſcendi, in uſurpatorem. VT *ille in Gorgia* ʒ Socrates in Gorgia Platonis, iure & merito cauillatur, & irridet oratores ſui temporis, qui in foro iuſtitiam non exercerent, ſed ſpecie iuſtitiae ſummam iniuſtitiam. QVAE *quoniam* ʒ Craſſus tandem concludit praecipua digreſſionis huius tam longae capita, Quod philoſophia ſit oratorum, Quod & cito, & celeriter ab oratoribus percipienda ſit, Quod ornatus ſit in rebus, & uerbis, Quod eloquentia in locis communibus exercenda ſit. ſed in primo illo capite uidetur iniuriam facere philoſophis, a quibus ait oratorem rerum ſcientia ſpoliatum eſſe: nihil enim philoſophi oratoribus furati ſunt, ſed id, quod ſuum eſſet, conſeruarunt: in altero recte admonet, ut orator politicus cito philoſophiam diſcat: neque enim ad eam poteſt penitus adhaereſcere, & ciuiles cauſſas agere, quae totum hominem requirunt. De tertio diximus, rhetoricum ornatum non eſſe in rebus, ſed in uerbis. Quod uero ad quartum attinet, diſputatio locorum communium dialectica facultate maxime innititur. Summa igitur digreſſionis eſt, oratorem ciuilium cauſſarum non modo uerbis eloquentem, & ornatum, ſed multo magis rerum ſcientia eruditum eſſe oportere.

PAVLLVS. MANVTIVS. ATQVE *hactenus loquuntur* ʒ Ciuilem omnem orationem in duo genera, unum temporibus, locis, reis definitum, alterum infinitum, Peripatetici, & Academici diuidebant. eam diuiſionem, non modo cum loquerentur, uerum etiam cum inſtituerent, oſtendebant. Hic diſſentire cogor a uiro docto, beneq. de litteris merito: qui putat uerbum, Rhetores, deſiderari, ita legens id, quod ſequitur: Rhetores etiam hoc inſtituendo diuiſione utuntur. non enim hanc diuiſionem Cicero, hactenus tributam Peripateticis, & Academicis philoſophis, rurſus eandem rhetoribus aſſignat: ſed ait, eoſdem philoſophos, qua diuiſione uterentur in ſermone, eadem inſtituendo uti ſolere. id ex ijs quoque uerbis intelligitur. Atque hactenus loquuntur. tranſit enim ab eorum communi ſermone ad inſtitutionem; ut exercitationem diſſerendi in utramque partem, quae apud antiquos oratorum fuerat, Peripateticorum, & Academicorum propriam eſſe demonſtret. nam, quo modo, a rhetoribus obtineri genus illud, quod eſt temporibus, locis, reis definitum, Craſſus poteſt dicere; cum ſupra rhetores non modo improbauerit, quos negauit docere quidquam poſſe, niſi ut adoleſcentes auderent; uerum etiam urbe eiectos a ſe cenſore oſtenderit? itaque uerbum, Inſtituendo, non uideo qui referri ad rhetores poſſit, qui nulli tunc in urbe erant. Praeterea, qui poteſt haec inſtituentium rhetorum eſſe diuiſio; cum ſupra dictum ſit, hanc exercitationem, oratoribus ereptam, duarum philoſophiarum eſſe propriam? ut nullae iam rhetorum partes in hac facultate uideantur eſſe. quo ſpectat illud quoque. item ſupra: Quoniam de noſtra poſſeſſione depulſi, in paruo & litigioſo praediolo relicti ſumus; & aliorum patroni noſtra tenere, tueriq. non potuimus; ab ijs, quod indigniſſimum eſt, qui in noſtrum patrimonium irruperunt, quod opus eſt nobis, mutuemur. Et infra: Sumenda ſunt nobis ab ijs ipſis, a quibus expilati ſumus. Quare nihil omnino haec inſtitutio, & exercitatio ad rhetores pertinet. nam, ſi de poſſeſſione pulſi ſunt, & ſuum patrimonium amiſerunt; quo modo inſtituunt? Sed, uidere mihi uideor, quid erroris cauſſam attulerit homini certe ingenioſo, & diligenti. notauerat illud, Recuperare amiſſam poſſeſſionem: quod ad philoſophos non attinere, qui poſſeſſionem nullam amiſerant, intelligebat: in rhetores, quorum ius, & patrimonium philoſophi occupauerant, optime cadere uidebatur. Verum ego contra ſic arguo. Si rhetor, & orator, non idem eſt; quod uideri poteſt; cum alter inſtituat priuata diligentia, alter in foro cauſſas agat: non poteſt illud, de recuperanda poſſeſſione amiſſa, ad rhetores pertinere: non enim ipſi, ſed oratores damnum illud fecerant. ſin confunduntur interdum, quia finitimi ſunt, & actione potius, quam ſcientia, diſſimiles: cum ſubiungitur, alterum uero tantummodo in prima arte tradenda nominant, & oratoris eſſe dicunt? quibus uerbis manifeſte diſtinguitur a rhetore orator. nam, ſi de rhetoribus Cicero loqueretur, non dixiſſet, Et oratoris eſſe dicunt: ſed, Et ſuum eſſe dicunt. Iam illa, quae ſequuntur: Neque uim, neque naturam eius, nec partes, nec genera proponunt: aptius conferuntur in philoſophos, quam in rhetores: ut accuſentur ij, qui in alienum patrimonium irruperant. itaque ſubiungitur: Vt praeteriri omnino fuerit ſatius, quam attentatum deſeri. nam, Attentatum, eos indicat, qui alienam poſſeſſionem inuaſerunt, non eos, qui uerſarentur in ſua. Hoc igitur dicit Cicero, uel Craſſus a Cicerone inductus: Etiam hac diuiſione inſtituendo utuntur, Peripatetici, & Academici, ſed ita, ut alienam uſurpare poſſeſſionem uideantur: quod qui faciunt, ſurculum defringunt: ſic iſti, non utramque diuiſionis partem copioſe tractant, ſed unam quaſi lacinia obtinent, alteram uix attingunt. non imitantur igitur eos, qui recuperare amiſſam poſſeſſionem iure, aut iudicio, ui denique conantur; ſed eos potius, qui alienam inuadunt. nam, qui recuperare amiſſam uolunt, non ſurculum defringunt, ſed totam occupant uel iure, uel iudicio, uel ui denique: qui uero alienam uſurpare, ſurculum tantum defringunt, ut aliquid ſibi eſſe iuris in ea ſimulent. quo de genere formulae tunc exſtabant in iure ciuili. Perſpicuum iam exiſtimo, quae ſit Ciceronis ſententia. locum etiam emendauimus, & pro, Vt denique, Vi denique, repoſuimus, contra omnes & ſcriptos, & impreſſos libros. in quo, non uereor, ne mihi non aſſentiantur non modo iuris periti, ſed quicumque etiam paullo ſollertius litteras colunt. iure enim, iudicio, ui poſſeſ-

ſio

ſio recuperatur. ATQVE *id ipſum lacinia* ꝫ his uerbis ſignificat, Academicos ne illud quidem genus, quod eſt temporibus, locis, reis definitum, plane complexos eſſe, ſed, quaſi apprehenſum lacinia, quae, Feſto teſte, ueſtimenti pars eſt, obtinere. ſequitur enim: Nunc apud Philonem, quem in Academia maxime uigere audio, etiam harum iam cauſſarum cognitio, exercitatioq. celebratur. Et illud, Etiam harum iam cauſſarum cognitio ad laciniam ſpectat. uerſari enim Philonem in aliena facultate, demonſtratur. &, lacinia aliquem tenere, eſt, inuitum & fugientem tenere. Plautus in Aſinaria, actu 3. Lacrymantem lacinia tenet lacrymans.

CICERO

HIc Catulus, dij immortales, inquit, quantam rerum uarietatem, quantam uim, quantam copiam, Craße, complexus es; quantiſq. ex anguſtijs oratorem educere auſus es, & maiorum ſuorum regno collocare. namque illos ueteres doctores auctoreſq. dicendi nullum genus diſputationis a ſe alienum putaſſe accepimus, ſemperq. eſſe in omni orationis ratione uerſatos. ex quibus Helaeus, Hippias, cum Olympiam ueniſſet, maxima illa quinquennali celebritate ludorum gloriatus eſt, cuncta paene audiente, Graecia, nihil eſſe ulla in arte rerũ omnium, quod ipſe neſciret; nec ſolum has artes, quibus liberales doctrinae, atque ingenuae continerentur, geometriam, muſicam, litterarum cognitionem, & poetarum, atque illa, quae de hominum moribus; quae de rebuſpublicis dicerentur; ſed anulum: quem haberet, pallium, quo amictus, ſoccos quibus indutus eßet, ſe ſua manu confeciße. ſcilicet nimis hic quidem eſt progreſſus: ſed ex eo ipſo eſt coniectura facilis, quantum ſibi illi ipſi oratores de praeclariſſimis artibus appetierint, qui ne ſordidiores quidem repudiarint. Quid de Prodico Cio, quid de Traſymacho, Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum unuſquiſque plurimum temporibus illis etiam de natura rerum & dißeruit, & ſcripſit. Ipſe ille Leontinus Gorgias, quo patrono, ut Plato uoluit, philoſopho ſuccubuit orator; qui aut non eſt uictus umquam a Socrate, neque ſermo ille Platoni uerus eſt; aut, ſi eſt uictus, eloquentior uidelicet fuit, & diſertior Socrates, &, ut tu appellas, copioſior, & melior orator: ſed hic in illo ipſo Platonis libro de omni re, quaecumque in diſceptationem, quaeſtionemq. uocaretur, ſe copioſiſſime dicturum eße profitetur: iſq. princeps ex omnibus auſus eſt in conuentu poſcere, qua de re quiſque uellet audire: cui tantus honos habitus eſt a Graecia, ſoli ut ex omnibus Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. Atque ij, quos nominaui, multiq. praeterea ſummi dicendi doctores uno tempore fuerunt: ex quibus intelligi poteſt, ita ſe rem habere, ut tu, Craße, dicis, oratoriſq. nomen apud antiquos in Graecia maiore quadam uel copia, uel gloria floruiße. quo quidem magis dubito, tibi ne plus laudis, an Graecis uituperationis eße tribuendum ſtatuam: cum tu, in alia lingua, ac moribus natus, occupatiſſima in ciuitate, uel priuatorum negotijs paene omnibus, uel orbis terrae procuratione, ac ſummi imperij gubernatione diſtrictus, tantam uim rerum, cognitionemq. comprehenderis, eamq. omnem cum eius, qui conſilio, & oratione in ciuitate ualeat, ſcientia, atque exercitatione ſociaris; illi, nati in litteris, ardenteſq. his ſtudijs, otio uero diffluentes, non modo nihil acquiſierint, ſed ne relictum quidem, & traditum, & ſuum conſeruauerint. Tum Craßus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, ſed in alijs etiam compluribus, diſtributione partium, ac ſeparatione, magnitudines ſunt artium deminutae. An tu exiſtimas, cum eßet Hippocrates ille Cous, fuiße tum alios medicos, qui morbis, alios, qui uulneribus, alios, qui oculis mederentur? num geometriam Euclide, aut Archimede, num muſicam Damone, aut Ariſtoxeno; num ipſas litteras Ariſtophane, aut Callimacho tractante tam diſcerptas fuiſſe, ut nemo genus uniuerſum complecteretur, atque ut alius aliam ſibi partem, in qua elaboraret, ſeponeret? Equidem ſaepe hoc audiui de patre, & de ſocero meo, noſtros quoque homines, qui excellere ſapientiae gloria uellent, omnia, quae quidem tum haec ciuitas noſſet, ſolitos eſſe complecti. Meminerant illi Sex. Aelium: Manium uero Manilium nos etiam uidimus tranſuerſo ambulantem foro: quod erat inſigne, eum, qui id faceret, facere ciuibus omnibus conſilij ſui copiam: ad quos olim, & ita ambulantes, & in ſolio ſedentes, domi ſic adibatur, non ſolum ut de iure ciuili ad eos, uerum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur. Haec fuit P. Craſſi illius ueteris; haec Ti. Coruncanij, haec proaui generi mei Scipionis, prudentiſſimi hominis, ſapientia: qui omnes pontifices maximi fuerunt; ut ad eos de omnibus diuinis, atque humanis rebus referretur: ijdemq. & in ſenatu, & apud populum, & in cauſſis amicorum, & domi, & militiae conſilium ſuum, fidemq. praeſtabant. quid enim M. Catoni; praeter hanc politiſſimam doctrinam tranſmarinam, atque aduenticiam, defuit? num, quia ius ciuile didicerat, caußas non dicebat? aut, quia poterat dicere, iuris ſcientiam negligebat? at utroque in genere & laborauit, & praeſtitit. num propter hanc ex priuatorum negotijs collectam gratiam tardior in rep. capeßenda fuit? nemo apud populum fortior, nemo melior ſenator: idem facile optimus imperator: denique nihil in hac ciuitate temporibus iſtis ſciri, diſci ue potuit, quod ille non cum inueſtigarit, & ſcierit, tum etiam conſcripſerit. nunc contra plerique ad honores adipiſcendos, & ad remp. gerendam nudi ueniunt, atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati. ſin aliquis excellit unus e multis; effert ſe, ſi unum aliquid affert, ut bellicam uirtutem, aut uſum aliquem militarem; quae ſane nunc quidem obſoleuerunt; aut iuris ſcientiam, ne eius quidem uniuerſi; nam pontificium, quod eſt coniunctum, nemo diſcit; aut eloquentiam, quam in clamore, & in uerborum curſu poſitam putant: omnium uero bonarum

artium, denique uirtutum ipſarum ſocietatem, cognationemq. non norunt. Sed, ut ad Graecos referam orationem; (quibus carere in hoc quidem ſermonis genere non poßumus: nam, ut uirtutis a noſtris, ſic doctrinae ſunt ab illis exempla petenda) ſeptem fuiſſe dicuntur uno tempore, qui ſapientes & haberentur, & uocarentur: hi omnes, praeter Mileſium Thalem, ciuitatibus ſuis praefuerunt. Quis doctior ijſdem illis temporibus, aut cuius eloquentia litteris inſtructior fuiſſe traditur, quam Piſiſtrati? qui primus Homeri libros, confuſos antea, ſic diſpoſuiſſe dicitur, ut nunc habemus. non fuit ille quidem ciuibus ſuis utilis, ſed ita eloquentia floruit, ut litteris, doctrinaq. praeſtaret. Quid Pericles? de cuius dicendi copia ſic accepimus, ut, cum contra uoluntatem Athenienſium loqueretur pro ſalute patriae, ſeuerus tamen id ipſum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus, & iucundum uideretur: cuius in labris ueteres comici, etiam cum illi maledicerent, quod tum Athenis fieri licebat, leporem habitaſſe dixerunt; tantamq. in eo uim fuiße, ut in eorum mentibus, qui audißent, quaſi aculeos quoſdam relinqueret. at hunc non declamator aliquis ad clepſydram latrare docuerat, ſed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, uir ſummus in maximarum rerum ſcientia. itaque hic doctrina, conſilio, eloquentia, excellens, quadraginta annos praefuit Athenis, & urbanis eodem tempore, & bellicis rebus. Quid Critias? quid Alcibiades? ciuitatibus ſuis quidem non boni, ſed certe docti, atque eloquentes, non ne Socraticis erant diſputationibus eruditi? Quis Dionem Syracuſium doctrinis omnibus expoliuit? non Plato? atque eum idem ille, non linguae ſolum, uerum etiam animi, ac uirtutis magiſter, ad liberandam patriam impulit, inſtruxit, armauit. Alijs ne igitur artibus hunc Dionem inſtituit Plato? alijs Iſocrates clariſſimum uirum Timotheum, Cononis, praeſtantiſſimi imperatoris, filium, ſummum ipſum imperatorem, hominemq. doctiſſimum? aut alijs Pythagoreus ille Lyſis Thebanum Epaminondam, haud ſcio an ſummum uirum unum omnis Graeciae? aut Xenophon Ageſilaum? aut Philolaum Archytas Tarentinus? aut ipſe Pythagoras totam illam ueterem Italiae Graeciam, quae quondam Magna uocitata eſt? equidem non arbitror. ſic enim uideo, unam quandam omnium rerum, quae eßent homine erudito dignae, atque eo, qui in rep. uellet excellere, fuiſſe doctrinam: quam qui accepißent, ſi ijdem ingenio ad pronunciandum ualuißent, & ſe ad dicendum quoque, non repugnante natura, dedißent, eloquentia praeſtitiße. itaque ipſe Ariſtoteles, cum florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum uideret; quod ipſe ſuas diſputationes a cauſſis forenſibus, & ciuilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtulißet, mutauit repente totam formam prope diſciplinae ſuae, uerſumq. quondam Philoctetae paullo ſecus dixit. ille enim turpe ſibi ait eße tacere cum barbaris: hic autem, cum Iſocratem pateretur dicere. itaque ornauit, & illuſtrauit doctrinam illam omnem; rerumq. cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Neque uero hoc fugit ſapientiſſimum regem Philippum; qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, a quo eodem ille & agendi acciperet praecepta, & eloquendi. Nunc ſiue qui uolet eum philoſophum, qui copiam nobis rerum, orationisq. tradat, per me appellet oratorem licet: ſiue hunc oratorem, quẽ ego dico ſapientiam iunctam habere eloquentiae, philoſophum appellare malit, non impediam: dummodo hoc conſtet, neque infantiam eius, qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat; neque inſcitiam illius, cui res non ſuppetit, uerba non deſint, eße laudandam: quorum ſi alterum ſit optandum, malim equidem indiſertam prudentiam, quam ſtultitiam loquacem. ſin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus; docto oratori palma danda eſt: quem ſi patiuntur eundem eße philoſophum, ſublata controuerſia eſt: ſin eos diſiungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto ineſt illorum omnis ſcientia, in philoſophorum autem cognitione non continuo ineſt eloquentia: quae quamuis contemnatur ab eis, neceße eſt tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre uideatur. Haec cum Craßus dixißet; parumper & ipſe conticuit, & ceteris ſilentium fuit. Tum Cotta, Equidem, inquit, Craße non poſſum queri, quod mihi uideare aliud quiddam, & non id, quod ſuſceperis, diſputaſſe: plus enim aliquanto attuliſti, quam tibi erat tributum a nobis, ac denunciatum. ſed certe hae partes fuerunt tuae, de illuſtranda oratione ut diceres: & eras ipſe iam ingreßus; atque in quattuor partes omnem orationis laudem deſcripſeras: cumq. de duabus primis nobis quidem ſatis, ſed, ut ipſe dicebas, celeriter, exigueq. dixiſſes, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte diceremus: quo cum ingreſſus eſſes, repente te quaſi quidam aeſtus ingenij tui procul a terra abripuit, atque in altum a conſpectu paene omnium abſtraxit: omnemq. rerum ſcientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidiſti, (neque enim fuit tam exigui temporis) ſed apud hos quid profeceris, neſcio; me quidem in Academiam totum compuliſti: in qua uelim ſit illud, quod ſaepe potuiſti, ut non neceße ſit conſumere aetatem, atque ut poſſit is illa omnia cernere, qui tantummodo adſpexerit: ſed, etiam ſi eſt aliquanto ſpiſſius, aut ſi ego ſum tardior, profecto numquam conquieſcam, neque defatigabor ante, quam illorum ancipites uias, rationesq. & pro omnibus, et contra omnia diſputandi percepero. Tum Caeſar, Vnum, inquit, me ex tuo ſermone maxime, Craſſe, commouit, quod eam negaſti, qui non cito quid didicißet, umquam omnino poſſe perdiſcere: ut mihi non ſit difficile periclitari, & aut ſtatim percipere iſta, quae tu uerbis ad caelum extuliſti; aut, ſi non potuerim, tempus non perdere; cum tamen his noſtris poſſim eſſe contentus. Hic Sulpicius, Ego uero, inquit, Craße, neque Ariſtotelem iſtum, neque Carneadem, nec philoſophorum quemquam deſidero. uel me licet exiſtimes deſperare poſſe iſta perdiſcere, uel, id quod facio, contemnere. mihi rerum forenſium, & communium uulgaris haec cognitio ſatis magna eſt ad eam, quam ſpecto, eloquentiam: ex qua ipſa tamen permulta neſcio; quae tum denique, cum cauſſa aliqua, quae a me dicenda eſt, deſiderat, quaero. quamobrem, niſi forte es

iam defeſſus, & ſi tibi non graues ſumus, refer ad illa te, quae ad ipſius orationis laudem, ſplendoremq. pertinent: quae ego ex te audire uolui, non ut deſperarem me eloquentiam conſequi poſſe, ſed ut aliquid addiſcerem.

EXPLANATIO

HIc *Catulus*, } Catulus cum admiratione ſententiam, & orationem Craſſi approbat exemplis Athenienſium Sophiſtarum, qui cum eloquentia iunctam philoſophiam profitebantur, ut Hippias Eleus, Prodicus Chius, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Gorgias Leontinus. ELEVS *Hippias*, } Hic locus translatus eſt ex Hippia minore, ubi Socrates Hippiam ſic alloquitur: Σωκ. ἴθι δὴ, ὦ Ἱππία, ἀνέδην οὑτωσὶ ἐπισκέψαι κατὰ πασῶν ἐπιστημῶν, εἴ που ἐστιν ἄλλως ἔχον, ἢ οὕτως· πάντως δὲ πλείστας τέχνας πάντων σοφώτατος εἶ ἀνθρώπων ὡς ἐγὼ ποτέ σου ἤκουον μεγαλαυχουμένου, πολλὴν σοφίαν καὶ ζηλωτὴν σαυτοῦ διεξιόντος ἐν ἀγορᾷ ἐπὶ ταῖς τραπέζαις. ἔφησθα δὲ ἀφικέσθαι ποτὲ εἰς ὀλυμπίαν, ἃ εἶχες περὶ τὸ σῶμα ἅπαντα σαυτοῦ ἔργα ἔχων. πρῶτον μὲν δακτύλιον, ἐντεῦθεν γὰρ ἤρχου, ὃν εἶχες, σαυτοῦ ἔχειν ἔργον, ὡς ἐπιστάμενος δακτυλίους γλύφειν, καὶ ἄλλην σφραγῖδα σὸν ἔργον, καὶ στλεγγίδα, καὶ λήκυθον, ἃ αὐτὸς εἰργάσω. ἔπειτα ὑποδήματα ἃ εἶχες, ἔφησθα αὐτὸς σκυτοτομῆσαι, καὶ τὸ ἱμάτιον ὑφῆναι, καὶ τὸν χιτωνίσκον. καὶ ἅγε πᾶσιν ἔδοξεν ἀτοπώτατον, καὶ σοφίας πλείστης ἐπίδειγμα, ἐπειδὴ τὴν ζώνην ἔφησθα τοῦ χιτωνίσκου, ἣν εἶχες, εἶναι μὲν οἷαι αἱ Περσικαὶ τῶν πολυτελῶν, ταύτην δὲ αὐτὸς πλέξαι. πρὸς δὲ τούτοις ποιήματα ἔχων ἐλθεῖν, καὶ ἔπη, καὶ τραγῳδίας, καὶ διθυράμβους, καὶ καταλογάδην πολλοὺς λόγους, καὶ παντοδαποὺς συγκειμένους, καὶ περὶ τῶν τεχνῶν δὴ ὧν ἄρτι ἐγὼ ἔλεγον, ἐπιστημῶν ἀφικέσθαι διαφερόντως τῶν ἄλλων καὶ περὶ ῥυθμῶν, καὶ ἁρμονιῶν, καὶ γραμμάτων ὀρθότητος, καὶ ἄλλα ἔτι πρὸς τούτοις πάνυ πολλά, ὡς ἐγὼ δοκῶ μνημονεύειν· καίτοι τό γε μνημονικὸν ἐπελαθόμην σου ὡς ἔοικε τέχνημα, ἐν ᾧ σὺ οἴει λαμπρότατος εἶναι. οἶμαι δὲ καὶ ἄλλα πάμπολλα ἐπιλελῆσθαι. Id eſt, Age ſane (o Hippia) conſidera ſic per omnes ſcientias, utrum aliter ſit, an ita. Nam ceteros homines ſcientia multarum artium uincis, quemadmodum te ipſum de uaria, & maxime expetenda ſapientia gloriantem aliquando audiui, cum tu diſputares in foro inter menſas. Dicebas te quondam Olympiam ueniſſe, & omnia corporis ornamenta, quae geſtabas, manibus tuis confeciſſe: ac primum quidem anulum, quem habebas, (hinc enim exorſus es) tuum eſſe opus: quaſi ſculpendi peritus eſſe, & ſigillum aliud tuum opus, & ſtrigilem, & lecythum, quae tu ipſe feceras: deinde calceos, quibus indutus eſſes, dicebas te contexuiſſe, & palliolum: & hoc quidem uiſum eſt omnibus maxime admirabile, & ſingularis ſapientiae tuae iudicium, cum zonam pallioli, quam geſtabas, diceres eſſe Perſicis ſumptuoſis, & pretioſis ſimilem, & hanc certe abs te concinnatam. Praeterea autem te poemata ſcire, & epicos uerſus, & tragoedias, & dithyrambos, & multas, uariaſq. orationes liberioribus numeris ſolutas, teq. eundem iu artibus, & diſciplinis, de quibus paullo ante dicebã, ceteris hominibus antecellere, & in rhythmis, & in muſicis concentibus, & in recta ratione litterarum, & in pleriſque aliis eiuſdem generis, quemadmodum mihi recte meminiſſe uideor: at uero memoriae tuae artificium paene oblitus eram, in quo mihi uideris eſſe clariſſimus. arbitror etiam me multa alia praeteriiſſe. LEONTINVS *Gorgias*, } Socrates Gorgiam in definitione rhetoricae reprehendit, quod artem ipſam, quam profitetur, definire neſciat: primum enim ait eſſe artem ſermonum, deinde eorum ſermonum, qui dicendi facultatem praeſtant, tum addit in maximis, & optimis rebus: quae omnia Gorgias a Socrate cogitur fateri, cum aliis artibus eſſe communia, neque rhetoricae artis propria. Poſtremo ipſe rhetoricam definit artem perſuaſionis de iuſtis rebus, & iniuſtis ad fidem, non ad ſcientiã, ut hoc genere orator indoctus apud indoctam plebem ſit uel doctiſſimos artifices ſuperaturus, & ualde metuendum ſit, ne rhetorica facultate abutatur: interim tamen Gorgias fatetur oratorem iuſta ſcire, & iuſtum eſſe. hac igitur repugnantia conſtrictus Gorgias, quod oratorem iuſtum eſſe dicat, & metuendum tamen eſſe, ne ſua facultate abutatur, erubeſcit, & Socrati in diſputatione cedit, cuius ſermonem Polus iuuenis excipit. CVI *tantus honos* } Pauſanias, & Plinius non ita narrant Graeciam Gorgiae, ſed ipſum Gorgiam, cum eſſet ditiſſimus, ſibi Delphis ſtatuam poſuiſſe: nec uero inter ſe omnino conſentiunt, quia Pauſanias inauratam, Plinius auream ſtatuam fuiſſe ſcribit. Inauratam ſtatuam (ait ille lib. 10.) Gorgias Leontinus ſibi dedicauit, quae & ipſum Gorgiam refert. Hominum primus (ait Plinius cap. 4. lib. 3.) & auream ſtatuam, & ſolidam Gorgias Leontinus Delphis in templo ſibi poſuit 70. circiter olympiade: tantus erat docendae oratoriae artis quaeſtus. QVO *quidem magis* } Hic Cicero ſe tacite Graecis anteponit in perſona Craſſi: & utitur comparatione rerum diſſimilium: Craſſus quamuis in lingua Graeca non natus, & ciuilibus negotiis occupatus, tamen maximam rerum ſcientiam conſecutus eſt: Graeci uero nati in litteris, & otio abundantes, hanc rerum ſcientiam amiſerunt. TVM *Craſſus*, } Craſſus antiquam in ſingulis artibus partium coniunctionem Graecis, & domeſticis exemplis approbat, ut inductione ſimilium exemplorum ſimiliter concludat artes ſapiẽtiae, & eloquentiae coniungendas eſſe. Vt olim medicina non erat uariis hominum ſtudiis diſtracta, neque Geometria, neque Muſica, neque Grammatica, neque item ciuilis ſcientia: ſic philoſophiae & eloquentiae unũ & idem erat ſtudium, nec alius philoſophiae, alius eloquẽtiae operam dabat: quaſi ſapientia & eloquẽtia olim una & eadem ars fuerit, aut eſſe potuerit: nos quidem ſaepe monuimus eas in humana uita uſu quidem coniungi debere, ut quae ſapienter cogitamus, ornate dicamus, praeceptis uero confundi, & permiſceri non debere: & tam abſurdum eſſe, ſi quis in rhetoricis libris de uirtute praecipiat, quam ſi de figuris, & dimenſionibus mathematicis. CVM *eſſet Hippocrates* } Hippocrates Cous Heraclidae filius uniuerſam medicinam docuit & exercuit, neque ſeparatim in uno genere curationis elaborauit, ut poſtea plerique fecerunt, quorum alij

morbos

morbos internos, alij ulcera externa, alij dolorem oculorum curabant, ſed omnia, quae eſſent in natura hominis, & in omnibus medicinae partibus percalluit: nec ullum remedij genus inexpertum, atque intactum reliquit. NVM *Geometriam*] Euclides Megarenſis, Socratis fuit diſcipulus, a quo Plato Geometriam didicit: Archimedes Syracuſanus in Geometria, & fabricandis machinis diuinus fuit, nec umquam parem habuit, de cuius ingenio, & laude multa ſcribit Plutarchus in uita Marcelli. NVM *muſicam*] Nicias apud Platonem in Lachete, laudat Damonem Agathoclis diſcipulum, muſicae praeceptorem, hominem prae ceteris urbanum, & uerſatum non ſolum in muſica, ſed etiam in reliquis diſciplinis: Ariſtoxenus ob excellentiam artis ſuae muſicus eſt cognominatus. NVM *ipſas litteras*] Ariſtophanes Byzantius Grammaticus, (ut ait Suidas) diſcipulus Callimachi, & Zenodori, & cuiuſdam Dionyſij, floruit olympiade circiter 41. Callimachus Cyreneus, diſcipulus Hermocratis, uaria poemata ſcripſit: de quorum nominibus lege Suidam. EQVIDEM *ſaepe*] Craſſus inſerit Graecis hominibus ſex principes Romanos, Sextum Aelium, M. Manlium, P. Craſſum, T. Coruncanium, P. Scipionem, M. Catonem, qui ſapientia, quanta potuit eſſe Romae illis temporibus, floruerunt. Sextus Aelius Paetus compoſuit librum de iure ciuili, qui inſcriptus erat Tripertita, isq. habitus eſt ſapiens, de quo ſic Ennius,

Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus.

M. VERO *Manilium*] M. Manilius Torquatus tres libros de iure ciuili reliquit, & ius ciuile fundauit, fuitq. temporibus illis quaſi oraculum ciuitatis. HAEC *fuit P. Craſſi*] Hic P. Craſſus quinque praecipuis rebus excelluiſſe dicitur, quod ditiſſimus eſſet, quod eloquentiſſimus, quod nobiliſſimus, quod iuriſconſultiſſimus, quod pontifex maximus. T. CORVNCANI,] T. Coruncanus, pontifex maximus, primus ius ciuile Romae profeſſus eſt, & eloquentiam cum ſapientia coniunxit. SCIPIONIS] P. Scipio Naſica numeratur a Pomponio inter iureconſultos ueteres: atque hic fortaſſe Scipio eſt, quem Craſſus ait fuiſſe proauum generi ſui Scipionis, de quo diximus in prooemio huius libri. M. CATONI] Plutarchus ſcribit M. Porcium Catonem, cum admodum adoleſcens ſub Fabio Maximo militaret, Nearcho Pythagoreo philoſopho familiariter uſum fuiſſe, ex quo multa philoſophiae praecepta percepit: eundem uero Graecas litteras ſero didiciſſe, & in ſumma ſenectute, cum Graecos libros euolueret, breues commentariolos ex Thucydide, plures ex Demoſthene confeciſſe, a quibus in agendis cauſſis magnopere iuuabatur. Graeca igitur, & tranſmarina litterarum ſcientia Catoni defuit praeterquam in ſenectute. NEMO *apud populum*] Plinius de Catone ita ſcribit, Primus Porciae gentis tres ſummas in homine res praeſtitiſſe exiſtimatus eſt, optimus orator, optimus imperator, optimus ſenator. DENIQVE *nihil*] Scripſit Cato origines urbium Italicarum, & multas orationes, & opus de agricultura. NVNC *contra*] Craſſus opponit per diſſimilitudinem ſex illis Romanis inertiam, & inſcitiam hominum ſui temporis, qui ſine rerum ſcientia ad rempublicam, & ad ciuiles cauſſas accedunt. SED, *ut ad Graecos*] Exempla proxima deinceps docebunt apud ueteres Graecos ſummam fuiſſe coniunctionem ſapientiae, & eloquentiae. HI *omnes*] Solon praefuit Athenienſibus, Periander Corinthijs, Cleobulus Lydijs, Chilon Lacedaemonijs, Bias Prienenſibus, Pittacus Mitylenaeis. Thales autem Mileſius, qui numeratur inter Graeciae ſapientes, ſolus uitam priuatam egit. QVOS *doctior*] Piſiſtratus Ariſtophani Grammatico mandauit, ut libros Homeri redigeret in ordinem, & in eas, quas nunc legimus, ῥαψωδίας diſtingueret. Piſiſtratus igitur, quia iuſſu eius facta eſt haec Homerica librorum diſtinctio, auctor eſſe dicitur. NON *fuit ille*] Piſiſtratus Athenienſis non fuit ciuibus ſuis utilis, quia tyrannidem ter occupauit, ut ſcribit Herodotus: ſed tamen doctrina, & eloquentia floruit, & a quibuſdam ponitur inter ſapientes Graeciae: Plutarchus ſcribit in eo fuiſſe uocis ſuauitatem, & uolubilitatem, celeritatemq. linguae. QVID *Pericles?*] Pericles primum in republica uideri uoluit popularis, ut ſibi potentiam compararet aduerſus Cimonem: ſed, confirmata auctoritate, multa contra mollem, & diſſolutam uitam populi Athenienſis ſaepe dixit. Lege Plutarchum in uita Periclis. CVIVS *in labris*] Cratinus, Teleclides, & Eupolis, ueteres comici ſaepe inuehebantur in Periclem, ſed tamen Eupolis cum ei malediceret, non potuit interdum non bene dicere: ſcripſit enim in labris Periclis πειθὼ habitare, quam Ennius ſuadam, alij leporem interpretantur. AD *clepſydram*] In uerbo, Latrare metaphora nota eſt a canibus, & ſignificat inepte clamare, & uociferari. Sic Cicero in Bruto, Latrant quidam oratores, non loquuntur. Ad clepſydram autem iubebat rhetor diſcipulos ſuos declamare, id eſt, praeſcribebat eis certum tempus, quod clepſydra definiebatur. CLAZOMENIVS] Pericles ab Anaxagora phyſico eruditus, exercitationem mentis a reconditis, abſtruſiſq. rebus ad cauſſas forenſes, popularesq. traduxerat: hunc Socrates in Phaedro ceteris oratoribus praeſtitiſſe ait, quod eloquentia rerum ſcientia cumulaſſet. QVID *Critias?*] Critias unus fuit ex triginta tyrannis: Alcibiadem uero impietatis accuſatum, damnatumq. Athenienſes uelut impium, & nefandum hominem abſentem exſecrati ſunt. Lege Plutarchum. QVIS *Dionem*] Dion Syracuſanus ſuaſu Platonis iuniorem Dionyſium tyrannum regno expulit, & patriam ſuam in libertatem uindicauit. TIMOTHEVM] Timotheus Athenienſis (ut ait Plutarchus in uita Sullae) adeo bellica laude, & felicitate praeſtitit, ut pictores fortunam ei aſſidentem pingerent, & urbes retibus incluſas porrigentem: quod tamen ille iniquo animo ferebat, nec fortunae, ſed uirtuti res a ſe geſtas adſcribi uolebat. Hic, cum belli laude non inferior fuiſſet, quam Conon pater, ad eam laudem, doctrinae & ingenij gloriam adiecit, ut ait Cicero 1. Offic. EPAMINVNDAM,] Epaminundas Thebanus philoſophiae ſtudio longe modeſtior, quam ceteris rebus factus eſt, ut ait Plutarchus in uita Pelopidae: in eo uirtutes imperatoriae elucebant, ſcientiae militaris, fortitudo, comitas, modeſtia, auctoritas: itaque ſummus unus totius Graeciae habitus eſt. AVT *Xenophon*] Xenophon non tantummodo Ageſilaum inſtituit regem Lacedaemoniorũ, ſed etiã librum de laudibus eius compoſuit, unde Plutarc. magna ex parte tranſtulit hiſtoriam ſuã de Ageſilao.

Avt *Philolaum* ≷ Diogenes Laertius Philolaum Crotoniatam inter diſcipulos Architae ponit, cuius librum de rebus phyſicis editum Plato, cum in Siciliam ueniſſet ad Dionyſium, emiſſe dicitur quadraginta minis, atque exinde Timaeum tranſſcripſiſſe. Pythagoras ≷ Pythagoras Samius, cum uideret patriam ſuam a Polycrate tyranno occupari, in eam partem Italiae uenit, quae eſt uerſus Siciliam circa Metapontum, & cum trecentis fere diſcipulis clarus habitus eſt, qui adeo praeclare rempublicam adminiſtrarunt, ut merito ἀριστοκρατία uideretur. Lege Laertium. Aristoteles ≷ Idem ſcribit Cicero Tuſculana 1. Ariſtoteles uir ſummo ingenio, ſcientiae copia cum motus eſſet Iſocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adoleſcentes docere, & prudentiam cum eloquentia iungere: Iſocrates uero non tam rerum ciuilium ſcientiam docebat, quam rationem quandam ornate, & numeroſe dicendi, qua de cauſſa Craſſus inanem ſermonis elegantiam appellat, id eſt, ſine rerum ſcientia: neque tamen iure Iſocrates reprehendi poteſt, quia praecipua eius profeſſio erat in rhetorica elocutione, & actione. Versvmq. *quendam* ≷ Citatur Graecus uerſus a Quinctiliano capite 1. lib. 3. Laertius autem refert uſurpatum fuiſſe de Xenocrate, qui tum academiam Platonis tenebat. Cum enim Ariſtoteles poſt longam deambulationem diſcipulos in ſchola frequentes adeſſe uidebat, ſedens uſurpabat hunc uerſiculum,

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ Ξενοκράτη ἐᾶν λέγειν.
Turpe tacere, & Xenocratem pati dicere.

Neqve *uero* ≷ Philippus Macedonum rex (ut ait Plutarchus) ſcholam, & gymnaſium in Nymphaeo circa Miezam opidum conſtituit, ubi ad noſtram uſque aetatem Ariſtotelis ſedes marmoreae, & umbracula, & ambulationes uiſuntur: a quo Ariſtotele Alexander non tantum ethicam, & politicam, ſed etiam occultam, & magis arduam diſciplinam percepit in contemplatione rerum poſitam, quae quidem in uulgus non proferebatur: Item Iliadem Homeri, & multa alia poemata Ariſtotele interprete perdidicit. Hvnc *ſiue qui uolet,* ≷ Neutro modo recte nominabitur, uel orator a copia rerum, uel philoſophus ab elegantia ſermonis: ſed, qui utramque uirtutem adeptus fuerit, utroque nomine poterit appellari, alia tamen, atque alia ratione, ut philoſophus a ſcientia rerum philoſophicarum, orator ab ornatu orationis: nec enim hoc probari poteſt, ut, ſi quis philoſophus ſit, idemq. orator, propterea facultas utriuſque artis una, & eadem appellatione indifferenter exprimatur. Haec *cum Craßus* ≷ Hactenus Craſſus digreſſus eſt: Cotta attentus auditor ad extremum digreſſionem confert in epilogum duabus (ut opinor) de cauſſis, & ut intelligatur quamobrem Craſſus tam longa digreſſione uſus ſit, & ut capita digreſſionis facilius animo, & memoriae ſubijciantur. Repente *te* ≷ Allegorica ſimilitudo ſumitur a nautis, qui, cum e portu ſoluunt, plerumque aeſtu quodam uentorum, & tempeſtate a terra procul in mare abripiuntur: ita Craſſus, cum de ornatu orationis dicere inſtituiſſet, repente aeſtu quodam ingenij in diſputationem de philoſophia delatus eſt. Sed *etiam ſi eſt* ≷ Metaphora eſt a rebus ſpiſſis & denſis, in quas oculus penetrare non poſſit: & hoc Cotta ſignificat, ſi difficilis eſſet Academicorum philoſophia, ſe tamen uelle eam percipere. Tvm *Caeſar,* ≷ Caeſar repetit dictum illud Craſſi: Res quidem ſe mea ſententia ſic habet, ut, niſi quod quiſque cito potuerit, numquam omnino poſſit perdiſcere. Hic *Sulpicius,* ≷ Sulpicius ſimulat ſe philoſophiam contemnere, ut Craſſum reuocet ad inſtitutum munus de praeceptis ornatae, & aptae orationis. Hic igitur reditus eſt a laude philoſophiae ad reliquas duas elocutionis uirtutes, ornatum, & decorum.

PAVLLVS. MANVTIVS. P. Crassi, *illius ueteris* ≷ non eſt hic P. Craſſus, qui nominatur in prooemio libri 3. ut quidam ſcripſere. nam ille, mortuo L. Craſſo, eſt interfectus: ut ipſe locus indicat: hic autem L. Craſſum aetate plurimum anteceſſit: itaque addit Cicero, Illius ueteris: ut eum diſtinguat a poſteriore P. Craſſo, qui & ipſe pontifex max. fuit. duos enim inuenio P. Craſſos, utrumque pontificem max. prior conſul fuit cum Scipione Africano maiore anno urbis 548. ut eſt in faſtis Capitolinis. pontifex max. a Liuio nominatur lib. 25. & 27. & 28. Cognomen Diuitis ei tribuunt lapides Capitolini: quod neque Liuij, neque cuiuſquam teſtimonio comprobatur. & fortaſſe alterius P. Craſſi, qui & ipſe pontifex max. poſt aliquot annos fuit, cognomen. deceptus eſt is, qui faſtos compoſuit. nam Cicero cum de priore Craſſo loquitur, addit, Illius ueteris: cum de poſteriore, Illum Diuitem. uide lib. 1. poſterior autem Mucianus dictus eſt, de quo in libro de Senectute mentio fit, quod ex gente Mucia tranſiſſet in Liciniam, adoptatus fortaſſe a ſuperiore P. Craſſo, uel eius filio. Proavi *generi mei Scipionis.* ≷ Qui errarunt in P. Craſſi notitia, ut proxime oſtendi, ijdem in hoc Scipione turpiter lapſi ſunt, arbitrati hunc eſſe Scipionem Africanum. quaſi uero Africanum pontificem max. fuiſſe quiſquam ſcripſerit: (nam hic de tribus pontificibus eſt ſermo) aut hic Scipio, Craſſi gener, ab Africano originem ducere potuerit: eſt enim hic pater eius Scipionis, qui ſocer fuit Pompeij Magni: ut in Bruto, & in Dione lib. 40. plane cognoſcitur. eius pater fuit Scipio ille, de quo in Bruto. auus autem is, qui Ti. Gracchum pontifex max. occidit, de quo alibi proauus Scipio Naſica Corculum. & ipſe pontifex max. quem Craſſus hic ſignificat. Eundem pontificem max. Cato Maior nominat in libro de Senectute, his uerbis: De P. Licinij Craſſi, & pontificij, & ciuilis iuris ſtudio loquar? aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus pont. max. factus eſt. Pythagorevs *ille Lyſis* ≷ alij legunt, Lyſias, rati hunc eſſe Lyſiam oratorem. cui Cicero ſupra, ſubtilitatem tribuit, decepti fortaſſe conſenſu ueterum liberorum. nam in omnibus, quos uidi, legitur Lyſias. ego tamen, adductus hiſtoriae teſtimonio, non dubitaui, Lyſias delere, & Lyſis, reponere in noſtris libris. nam Lyſias orator Athenis uixit, & oratoria laude, non philoſophia, praeſtitit. Thebanum autem Epaminondam Cicero in Bruto doctum quidem hominem indicat fuiſſe, eloquentiam tamen ei non tribuit. quo uidetur non ab oratore Lyſia, ſed a philoſopho Lyſide, Pythagorae diſcipulo, eruditus. idq. plane docet Dio Chryſoſtomus in oratione, quae inſcribitur, παραίτησις ἀρχῆ ἐν βουλῆ, ſic enim de Epaminonda: ὃς οὐκ ἀπὸ ταυ-

τομάτου

τομάτου τοσούτων ἴσχυσεν ἐν τοῖς ἕλλησι, καὶ τοσαύτην μεταβολὴν ἐποίησεν, ὥςε καταλῦσαι Λακεδαιμονίους, τοσοῦτον χρόνον ἄρχοντας, ἀλλὰ Λυσίδι ὁμιλήσας, τῷ Πυθαγόρου μαθητῇ. Patet igitur, & Epaminondae magiſtrum, & Pythagorae diſcipulum Lyſidem fuiſſe. accedit locus Ciceronis, lib. I. off. Thebanum, inquit, Epaminōdam, Lyſis Pythagoreus, Syracuſium Dionem Plato erudiit. Eiuſdem Lyſidis exſtat ad Hipparchum epiſtola, edita cum iis, quas ante me genitum e tenebris in lucem protulit Aldus pater meus.

C I C E R O

TVM Craßus, Peruulgatas res requiris, inquit, & tibi non incognitas, Sulpici. quis enim de iſto genere non docuit, non inſtituit, non etiam ſcriptum reliquit? ſed geram morem, & ea dumtaxat, quae mihi nota ſunt, breuiter exponam tibi: cenſebo tamen ad eos, qui auctores, & inuentores ſunt harum ſane minutarum rerum, reuertendum. Omnis igitur oratio conficitur ex uerbis. quorum primum nobis ratio ſimpliciter uidenda eſt, deinde coniuncte. nam eſt quidam ornatus orationis, qui ex ſingulis uerbis eſt; alius, qui ex continuatis, coniunctisq. conſtat. Ergo utemur uerbis aut ijs, quae propria ſunt, & certa quaſi uocabula rerum, paene una nata cum rebus ipſis; aut ijs, quae transferuntur, & quae aliquo in loco collocantur; aut ijs, quae nouamus, & facimus ipſi. In proprijs eſt igitur uerbis illa laus oratoris, ut abiecta, atque obſoleta fugiat, lectis, atque illuſtribus utatur, in quibus plenum quiddam & ſonans ineße uideatur. Sed in hoc uerborum genere propriorum delectus eſt quidam habendus, atque is aurium quodam iudicio ponderandus; in quo conſuetudo etiam bene loquendi ualet plurimum. etiā hoc, quod uulgo de oratoribus ab imperitis dici ſolet, Bonis is uerbis, aut aliquis non bonis utitur, non arte aliqua perpenditur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu iudicatur: in quo non magna laus eſt, uitare uitium: (quamquam id eſt magnum) uerum hoc quaſi ſolum quoddam atque fuudamentum eſt, uerborum uſus, & copia bonorum: ſed, quid ipſe aedificet orator, et in quo adiungat artem, id eſſe a nobis quaerendum, atque explicandum uidetur. Tria ſunt igitur in uerbo ſimplici, quae orator afferat ad illuſtrandam, atque exornandam orationem, aut inuſitatum uerbum, aut nouatū, aut tranſlatum. Inuſitata ſunt priſca fere, ac uetuſta, & ab uſu quotidiani ſermonis iamdiu intermißa; quae ſunt licentiae liberiora, quā noſtrae: ſed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod uerbum dignitatem. neque enim illud fugerim dicere, ut Coelius, Qua tempeſtate Poenus in Italiam uenit: nec, prolem, aut ſobolem, aut effari, aut nuncupari: aut, ut tu ſoles Catule, Non rebar, aut opinabar: & alia multa, quibus loco poſitis grandior, atque antiquior oratio ſaepe uideri ſolet. Nouantur autem uerba, quae ab eo, qui dicit, ipſo gignuntur, ac fiunt, uel coniungendis uerbis, ut haec:

„ Tum pauor ſapientiam mihi omnem ex animo
expectorat:
„ Num non uis huius me uerſutiloquas malitias?

uidetis enim &, uerſutiloquas, &, expectorat, ex coniunctione facta eße uerba, non nata: uel ſaepe ſine coniunctione uerba nouantur; ut ille,

„ Senſus diſertus indigenitalis: ut,
„ Baccarum ubertate incurueſcere.

Tertius ille modus transferendi uerbi late patet; quem neceſſitas genuit, inopia coacta, & anguſtiis, poſt autem delectatio, iucunditasq. celebrauit. nam, ut ueſtis frigoris depellendi cauſa reperta primo, poſt adhiberi coepta eſt ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: ſic uerbi tranſlatio inſtituta eſt inopiae cauſſa, frequentata delectationis. nam, gemmare uites, luxuriem eſſe in herbis, laetas ſegetes, etiam ruſtici dicūt. quod enim declarari uix uerbo proprio poteſt, id tranſlato cum eſt dictum, illuſtrat id, quod intelligi uolumus, eius rei, quam alieno uerbo poſuimus, ſimilitudo. Ergo hae tranſlationes quaſi mutationes ſunt, cum, quod non habeas, aliunde ſumis. illae paullo audaciores, quae non inopiam indicant, ſed orationi ſplendoris aliquid accerſunt. quarum ego quid uobis aut inueniendi rationem, aut genera ponam? Similitudinis eſt ad uerbum unum contracta breuitas: quod uerbum in alieno loco tamquam in ſuo poſitum, ſi agnoſcitur, delectat; ſi ſimile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quae aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia:

„ —— Inhorreſcit mare;
„ Tenebrae conduplicantur; noctisq. & nimbum
occaecat nigror;
„ Flamma inter nubes coruſcat; caelum tonitu contremit;
„ Grando mixta imbri largifluo ſubita praecipitans cadit;
„ Undique omnes uenti erumpunt; ſaeui exſiſtunt
turbines;
„ Feruet aeſtu pelagus.

omnia fere, quo eſſent clariora, tranſlatis per ſimilitudinem uerbis dicta ſunt. Aut quo ſignificetur magis res tota, ſiue facti alicuius, ſiue conſilij: ut ille, qui occultantem conſulto, ne id, quod ageretur, intelligi poßet, duobus tranſlatis uerbi ſimilitudine ipſa indicat;

„ Quandoquidem iſte circumueſtit dictis, ſaepit ſedulo.

Nonnumquam etiam breuitas translatione conficitur, ut illud, Si telum manu fugit. imprudentia teli emiſſi breuius propriis uerbis exponi non potuit, quā eſt uno ſignificata translato. Atque hoc in genere perſaepe mihi admirandum uidetur, quid ſit, quod omnes translatis, & alienis magis delectātur uerbis, quam proprijs, & ſuis. nam, ſi res ſuum nomen, & proprium uocabulum non habet, ut pes in naui, ut nexum, quod per libram agitur, ut in uxore diuortium: neceſſitas cogit, quod non habeas, aliunde ſumere: ſed in ſuorum uerborum maxima copia tamen homines aliena multo magis, ſi ſunt ratione trāſlata, delectant. Id accidere credo, uel quod ingenij ſpecimen eſt quoddam, tranſilire ante pedes poſita, et alia longe repetita ſumere; uel quod is, qui audit,

alio

alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat; quae maxima eſt delectatio: uel quod ſingulis uerbis res, ac totum ſimile conficitur: uel quod omnis translatio, quae quidem ſumpta ratione eſt, ad ſenſus ipſos admouetur, maxime oculorum, qui eſt ſenſus acerrimus. nam & odor urbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis, ſunt ducta a ceteris ſenſibus. illa uero oculorum multo acriora; quae ponunt paene in conſpectu animi, quae cernere, & uidere non poſſimus. nihil eſt enim in rerum natura, cuius nos non in alijs rebus poſſimus uti uocabulo, & nomine. unde enim ſimile duci poteſt, (poteſt autem ex omnibus) indidem uerbum unum, quod ſimilitudinem continet, translatum, lumen affert orationi. Quo in genere primum fugienda eſt diſſimilitudo,

,, Caeli ingentes fornices.

quamuis ſphaeram in ſcenam, ut dicitur, attulerit Ennius; tamen in ſphaera fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe.

,, Viue Vlyſſes: dum licet,
,, Oculis poſtremum lumen radiatum rape.

non dixit, cape, non pete: haberet enim moram ſperantis diutius eſſe ſeſe uicturum: ſed, rape. hoc uerbũ eſt ad id aptatum, quod ante dixerat, Dum licet. Deinde uidendum eſt, ne longe ſimile ſit ductum. Syrtim patrimonij, ſcopulum libentius dixerim: Charybdim bonorum, uoraginem potius: facilius enim ad ea, quae uiſa, quam ad illa, quae audita ſunt, mentis oculi feruntur. Et, quoniam haec uel ſumma laus eſt uerbi transferendi, ut ſenſum feriat id, quod tranſlatum ſit; fugienda ea omnis turpitudo eorum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet ſimilitudo. nolo morte dici Africani caſtratam eſſe remp. nolo ſtercus curiae dici Glauciam. quamuis ſit ſimile; tamen eſt in utroque deformis cogitatio ſimilitudinis. nolo eſſe aut maius, quam res poſtulet, Tempeſtas comeſſationis; aut minus, comeſſatio tempeſtatis. nolo eſſe uerbum anguſtius id, quod tranſlatum ſit, quam illud proprium, ac ſuum.

,, Quidnam eſt, obſecro, quod te adire abnutas? melius eſſet, uetas, prohibes, abſterres: quoniam ille dixerat,

,, illico iſtic,
,, Ne contagio mea bonis, umbra ue obſit.

Atque etiam, ſi uereare, ne paullo durior tranſlatio eſſe uideatur, mollienda eſt praepoſito ſaepe uerbo: ut, ſi olim, M. Catone mortuo, pupillum ſenatum quis relictum diceret; paullo durius: ſin, ut ita dicã, pupillum; aliquanto mitius eſt. etenim uerecunda debet eſſe tranſlatio; ut deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe, atque ut precario, non ui, ueniſſe uideatur. modus autem nullus eſt florentior in ſingulis uerbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Nam illud, quod ex hoc genere profluit, non eſt in uno uerbo tranſlato, ſed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum ſit:

,, - Neque me patiar
,, Iterum ad unum ſcopulum, & telum claſſem
,, Achiuum offendere.

atque illud,

,, Erras, erras: nam exſultantem te, & praefidentem tibi
,, Repriment ualidae legum habenae, atque imperij inſiſtent iugo.

Sumpta re ſimili, uerba eius rei propria deinceps in rem aliam, ut dixi, transferuntur. Eſt hoc magnum ornamentum orationis, in quo obſcuritas fugienda eſt. etenim ex hoc genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata. non eſt autem in uerbo modus hic, ſed in oratione, id eſt in continuatione uerborum. Ne illa quidem traductio, atque immutatio in uerbo quandam fabricationem habet, ſed in oratione;

,, Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

pro Afris eſt ſumpta Africa. neque factum uerbum eſt, ut,

,, - Mare ſaxifragis undis; neque translatum, ut,

Mollitur mare; ſed ornandi cauſſa proprium proprio commutatum,

,, Deſine Roma tuos hoſtes: -
,, Teſtes ſunt Campi magni. -

Grauis eſt modus in ornatu orationis, & ſaepe ſumendus: ex quo genere haec ſunt, Martem belli eſſe communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro uino, Neptunum pro mari, curiam pro ſenatu, campum pro comitijs, togam pro pace, arma, ac tela pro bello. Quo item genere & uirtutes, & uitia pro ipſis, in quibus illa ſunt, appellantur: Luxuries quam in domum irrupit; &, Quo auaritia penetrauit; aut, Fides ualuit, Iuſtitia confecit. Videtis profecto genus hoc totum, cum inflexo, commutatoq. uerbo res eadem enunciatur, ornatius: cui ſunt finitima illa minus ornata, ſed tamen non ignoranda, cum intelligi uolumus aliquid aut ex parte totum, ut, pro aedificijs, cum parietes, aut tecta dicimus; aut ex toto partem, ut cum unam turmam, equitatum populi R. dicimus; aut ex uno plures,

,, At Romanus homo, tamen etſi res bene geſta eſt,
Corde ſuo trepidat. -

aut cum ex pluribus intelligitur unum,

,, Nos ſumu' Romani, qui fuimus Rutuli.

aut quocumque modo non ut dictum eſt, in eo genere intelligitur, ſed ut ſenſum eſt. Abutimur ſaepe etiam uerbo non tam eleganter, quam in transferendo, ſed etiam ſi licentius, tamen interdum non impudenter: ut cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. Verum illa uidetis ne eſſe non uerbi, ſed orationis, quae ex pluribus, ut expoſui, tranſlationibus connexa ſunt? haec autem, quae aut immutata eſſe dixi, aut aliter intelligenda, ac dicerentur, ſunt tranſlata quodam modo.

EXPLANATIO

TVM Craſſus, ? Ornatus rhetorum ſpectatur in ſingulis uerbis, & in coniunctis: ſed tamen commodius diuidetur in tropum, & figuram, quae ſunt eius uerae ſpecies, quam in ſingula uerba, & in coniuncta,

quae

quae ſunt ſubiecta, circa quae uerſatur ornatus. Ergo *utemur* ʒ Verbis ſingulis tres oratoriae uirtutes attribuuntur, proprietas, pro qua paullo poſt uetuſtas reponetur, tropus & nouitas: in proprijs uerbis laudatur in primis εὐφωνία, id eſt, uocalitas, quae praecipua laus eſt in numeris, qua maxime aures afficiuntur, & recreantur. Etiam *hoc*, ʒ Craſſus probat teſtimonio uulgi naturalem quendam eſſe uerborum delectum; quia uulgus ſine arte iudicat, quae bona uerba oratorum ſint, & quae non bona. Tria *ſunt igitur* ʒ Repetit diuiſionem uerborum ſingulorum uno tamen membro immutato: nam pro uerbo proprio nunc ponit inuſitatum atque priſcum: uerbum tamen hoc ipſo, quod inuſitatum, & priſcum eſt, rhetoricam laudem nullam meretur, tametſi ipſa antiquitas admirationis aliquid habeat: ſed, ſi in eo fuerit εὐφωνία, aut tropus aliquis, tum quidem laudatur non tam propter uetuſtatem, quam propter numerum, qui aurium iudicio perpenditur, uel propter inſignem, & iucundam mutationem ſignificationis: & exempla, quae a Cicerone citantur, non tam ab antiquitatem placent, quam ob εὐφωνίαν, ut tempeſtate, proles, ſoboles, effari, nuncupari, non rebar, haud opinabar, plena uerba ſunt, atque bene ſonantia. Novantvr *autem* ʒ Vt de priſcis uerbis, ſic de nouis iudicandum eſſe arbitror, non iccirco eſſe oratoria, quia noua ſint, ſed ſi in his fuerit εὐφωνία, aut tropus aliquis, tum oratoria dici poſſe. Nouitas igitur ſi tropo, aut εὐφωνία caret, elocutionis oratoriae uirtus non eſt. Ceterum Craſſus duos modos facit nouandorum uerborum: unum per compoſitionem (quale eſt uerbum expectorat, & uerſutiloquas) alterum ſine compoſitione, ut uerbum indigenitalis ab indigena, & incurueſcere ab incuruo deductum, in quibus uerbis ſi quid placet, propter εὐφωνίαν, aut translationem placet. Tertivs *ille modus* ʒ Craſſus nomen ſpeciei ponit pro genere, id eſt, translationem pro tropo, imitatus Ariſtotelem in rhetoricis: & duos fines proponit, propter quos repertus eſt in uerbis tropus, neceſſitatem, ac delectationem: & utrumque declarat ſimilitudine ueſtium. Nam *gemmare* ʒ Gemmare uites dicuntur, cum oculos primo emittunt, metaphora a gemmis, lapillis pretioſis, quibus oculus in uite ſimillimus eſt. Luxuries in herbis eſt, cum ſeminis abundantia ipſas ſuffocat. Laetae ſegetes ſunt fecundae, & uberes, & quaſi colonis arridentes: in utroque uerbo metaphora eſt ab animantibus, illic, cum cibo, aut potu, aut alijs rebus nimium diffluunt; hic, cum laetitiam uultu, aut alijs ſignis oſtendunt. Qvod *enim* ʒ Craſſus perſequitur utrumque propoſitum finem, atque interea definit primum genus tropi, id eſt metaphoram, cum uerbum ſimilitudinis cauſſa a propria ſignificatione in aliam mutatur, qui tropus omnium clariſſimus, & nobiliſſimus eſt, quia non tantum rem declarat, ſed cogitatione, & argumento ſimilitudinis illuſtrat, ut cum audis gemmare uites, non ſolum intelligis oculum illum, qui primum a uite educitur, ſed etiam accipis ſimilitudinem eius oculi cum gemma lapide pretioſo. Sed *ea transferri* ʒ Tres modi metaphorae diſtinguuntur: primus fit per energiam, qualis eſt Pacuuiana deſcriptio tempeſtatis ex multis illuſtribus metaphoris. Avt *quo ſignificetur* ʒ Secundus modus nihil differt a primo, aut ſaltem ſub primo comprehenditur, quia quanto magis ſignificanter res dicitur, tanto clarior, & illuſtrior efficitur: itaque tranſlatio, quae rem maxime ſignificabit, etiam rem maxime illuſtrabit. Nonnvmqvam *etiam* ʒ Tertius modus in ſe habet energiam, ut in uerbo Fugit, metaphora eſt illuſtris, ſumpta ab animantibus, quae e manibus elapſae celeriter pedibus feruntur, cui fugae comparatur improuiſa, & ſubita teli emiſſio, & ita oratores interdum loquuntur in excuſationibus. Telum manu fugit, id eſt, proiectum de induſtria non eſt, ſed per imprudentiam excidit e manibus, & euolauit. Atqve *hoc in genere* ʒ Craſſus proponit quaeſtionem, cur homines malint uti uerbis tranſlatis, quam proprijs: & h nc ſoluit quattuor modis, quia tranſlatio perſaepe eſt a uulgari ſermone remotior: quia iucunda eſt incluſae in uerbo ſimilitudinis cogitatio: quia res per metaphoram breuiter ſignificatur: quia tranſlatio ſaepe ferit ſenſus, id eſt, ſaepe ſumitur ex his rebus, quae ſub ſenſus cadunt. Pes *in naui*, ʒ Nautae pedem in naui dicunt pro infimo ueli fune, quo uelum ipſum tenditur: & ſic loquuntur, quia nomen proprium non habent. Virgilius lib. 5. Aeneidos, Vna omnes fecere pedem. id eſt, infimam partem ueli conſtanter, & firmiter ligarunt. Nexvm ʒ Nexum proprie eſt ligatio, & per metaphoram ciuilis obligatio, qua corpus etiam ut pignus afficitur: haec olim fiebat per aes, & libram, adhibitis ſeptem ciuibus puberibus, & eo quia dicebatur libripens. Divortivm: ʒ Diuortium proprie dicitur digreſſio ab inſtituto itinere: & per metaphoram diſtractio matrimonij inter uirum, & uxorem: Nam *& odor* ʒ Odor ab olfactu transfertur, mollitudo a tactu, murmur ab auditu, dulcedo a guſtatu: ſed metaphora ſumpta ab his rebus, quae oculis cernuntur, eſt clarior, & illuſtrior, quia magis nos excitant & commouent ad intelligendum, quae uidemus, quam quae reliquis ſenſibus percipimus. Nihil *eſt enim* ʒ Vt ſimilitudo eſt argumentum maxime commune, ita rhetorica tranſlatio latiſſime patet, quia ex omnibus rebus ſenſibilibus, & non ſenſibilibus ſumi poteſt. Qvo *in genere* ʒ Quinque uitia metaphorae notantur, ſi diſſimilis, ſi longe petita, ſi turpis, ſi maior, quam par ſit, ſi minor: quae fugienda ſunt, quia nullum afferunt ornatum orationi, ſed eam potius dehoneſtant. Caeli *ingentes* ʒ Zonae caeleſtes non habent ſpeciem fornicis, quia ſunt undique rotundae: fornix autem ſurgit a rectis lateribus: itaque Craſſus non probat illud Ennianum,

Caeli ingentes fornices.

quia nihil ſit fere ſimile inter rem, quae proprie dicitur, & inter rem, quae μεταφορικῶς ſignificatur. Deinde *uidendum* ʒ Scopulus, ad quem ſaepe naues affliguntur, clariorem praeſefert intelligentiam, quam Syrtis: quia ille ſub oculos cadit, haec non cadit: itaque mauult Craſſus appellare hominem prodigum Scopulum patrimonij, quam Syrtim: itemq. uoraginem bonorum, quam Charybdim, quia uorago latius intelligitur. Cicero pro Sextio, Tu meo periculo gurges, & uorago patrimonij heluabere? Cicero tamen Antonium in Philippicis Charybdim μεταφορικῶς appellauit. Et *quoniam* ʒ Ariſtoteles libro tertio praecipit, ut tranſlationes a rebus pulchris ducamus

τῆς

τῆς δὲ μεταφορᾶς ἐντεῦθεν οἰστέον ἀπὸ καλῶν ἢ τῇ φωνῇ, ἢ τῇ δυνάμει, ἢ τῇ ὄψει, ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει. διαφ-
φέρει δ' εἰπεῖν, οἷον ῥοδοδάκτυλος ἠώς, μᾶλλον ἢ φοινικοδάκτυλος. ἢ ἔτι φαυλότερον ἐρυθροδάκτυλος.
Craſſus etiam nunc admonet, ut turpem, & obſcenam metaphoram fugiamus, ut caſtrare Rem publicam, ut Glauciam ſtercus curiae, quibus uerbis proprie licet uti in arte medica, uel ruſtica, ut caſtrare pecus, ſtercorare agrum: ſed ea transferre ad ceteras res non licet, quia cogitationem inducunt obſcenam. Nolo *eſſe* ⁓ Cum dicimus, tempeſtas comeſſationis, pro intempeſtiua crapula, in uerbo, tempeſtas, metaphora eſt grandior, quã res poſtulet, quia ſumitur a magnis procellis aquarum, quae longe ſuperant crapulam corporis. Cum autem dicimus, comeſſatio tempeſtatis, ideſt, magna inundatio, quae terram abſorbet, in uerbo, Comeſſatio, metaphora eſt minor & exſilior, quam par ſit, quia ducitur a crapulis nocturnis, quae longe tenuiores ſunt magnis illis inundationibus aquarum: utrumque igitur eſt uitioſum: ſi tamen de induſtria per hyperbolem idipſum facias, non erit uitioſum: ut, ſi magnum hominem gigantem dixeris, aut ſi paruulum, pigmaeum, neuter tropus diſplicebit. Atqve *etiam ſi* ⁓ Fabius, Si quid (ait) periculoſius finxiſſe uidebimus, quibuſdam remediis praemuniendum eſt, ut ita dicam, ſi licet dicere quodammodo (permitte mihi ſic) quod ita in his, quae licentius translata erunt, proderit, quae non tuto dici poſſunt, ut quem deum (ut ita dicam) inter homines putant: Modvs *autem nullus* ⁓ Metaphora ſi conferatur cum aliis tropis, gratia & uenuſtate reliquis antecellit, quia ex ſimilitudinis comparatione habet ſignificationem rei maxime & iucundam, & illuſtrem: itaque ueluti gemma in oratione ſplendeſcit: huic proxima eſt ironia propter collationem diſſimilitudinis: reliqui duo tropi, Metonymia, & Synecdoche, quia nullam comparationem in ſignificatione incluſam continent, iccirco minus florentes, & ornati ſunt: at uero ſplendor ille, & ornatus metaphorae, qualis, & quantus ſit, niſi in contextu ſermonis intelligi, & probari non poteſt: ut recte Fabius admonuit cap. 3. lib. 8. Idemq. eſt iudicandum de reliquis tropis, qui cum excellant in ſingulis uerbis, tamen, cuiuſmodi ſint, in continuatione apparent. Nam *illud, quod* ⁓ Allegoria non eſt nouus tropus, & a metaphora diuerſus, quia nihil aliud eſt, quam metaphora multiplicata: nihil autem attinet ad artis rationem, an cuiuſque generis tropus ſemel dicatur, an uero in oratione multiplicetur: & quemadmodum, ſi Ironia frequens ſit, aut Metonymia, aut Synecdoche, non propterea fit nouum tropi genus, ſic multae continuatae metaphorae nouam ſpeciem non gignent. Etenim *ex hoc genere* ⁓ Aenigma, ſi fit ex uerbis propriis, tropus non eſt; ſi ex translatis, ſub genere translationis comprehenditur. Ne *illa quidem* ⁓ Metonymia tropus eſt, cum ex cauſſis effecta, ex ſubiectis adiuncta, contra ue, ſignificamus: qui quidem tropus eſt in uerbo ſimplici a propria ſignificatione in aliam mutato, ſed gratia eius non intelligitur niſi in oratione, ut, ſi uerbum Africa, ſimpliciter dicatur, tropus in eo non agnoſcitur; ſi ponatur in oratione, ut, Africa tremit, ſtatim agnoſcitur: quia Africa dicitur pro Afris: Craſſus Metonymiae ſpecies nõ deſcribit, ſed tantum exemplis utitur. Differt hic tropus a Metaphora, quia in Metonymia comparatio nulla eſt, in Metaphora ſimilitudo ſemper eſt. Cvi *ſunt finitima* ⁓ Tertium tropi genus eſt Synecdoche, ſiue intellectio, cum ex parte totum ſignificatur, ut paries pro tota domo: aut ex toto pars, ut equitatus pro turma. Reliquae duae ſpecies, quas Craſſus deſcribit, in ſuperiores illas recidunt: unum enim rationem habet partis, ſicut plures totius. Abvtimvr *ſaepe* ⁓ Catachreſis non conſtituit nouam, & a ceteris diſtinctam ſpeciem tropi, quia alias metaphora eſt, ut aedificare equum, pro conſtruere: grandis oratio, pro magna: minutus animus, pro paruo. Alias Synecdoche, ut parricida pro interfectore: nec ſi tropus eſt paullo durior aut liberior, ſequitur etiam ut antecedentibus generibus ſubiectus non ſit: poſſunt enim omnium generum tropi paullo licentius fingi, idq. in primis eſt poetis conceſſum. Haec *autem quae* ⁓ Craſſus uidetur reliquos tropos ad translationem reuocare, cum tamen Metonymia, & Ironia, & Synecdoche a Metaphora plurimum diſtent, nec eius rationem participent: quia nihil ſimile ex ſimili traducunt: uerum nomine translationis fortaſſe abutitur, ad ſignificandum omnem tropum, ſicut Ariſtoteles fecit in rhetoricis.

PAVLLVS. MANVTIVS. Tvm *pauor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat:* ⁓ Ennij uerſus. in duobus Fuluij Vrſini libris, Exanimato expectorat. unus Borromaei, Exanimato: alter, Exinanito. apud Nonium quoque, qui hunc uerſum recitat, Exanimato. quod ſi probamus, eodem modo legendum erit infra, & in Tuſc. 4. praeſertim cum, Expectorare ex animo, non congruat. ſed Attij locus in Phoeniſſis, cuius teſtimonio utitur Nonius, aduerſari uidetur. Opibus, inquit, omnibus deſertum, abiectum, afflictum ex animo expectorat. quo in loco cum legi nullo modo poſſit, exanimato: ſuſpicari interdum cogor, ita ueteres locutos, &, Ex animo, retinendum. Vt *ille, ſenſus diſertus indigenitalis.* ⁓ non caret mendo locus. unus Borromaei liber, Vt ille ſenius ut dij genitales. alter nihil differt ab impreſſis. unus Fuluij Vrſini, Vt ille Ennius ut dij genitales. alter, Vt ille ſenſus diſertus uidi genitalis. librorum uarietatem oſtendo: meam ſententiam non dico, quia nondum reperi, quod probarem.

Viue Vlyxes, dum licet:
Oculis poſtremum lumen radiatum rape. non dixit, cape, non pete: haberet enim moram ſperantis diutius eſſe ſeſe uicturum. ⁓ ſic in peruulgatis omnibus libris. ego ſuſtuli, Seſe, ut legatur, Diutius eſſe uicturum. nõ enim, Victurum de ipſo Aiace, cuius inſanientis haec ſunt uerba, poeta loquitur, ſed de Vlixe. fortaſſe priorem uerſum Cicero, ut nonnumquam ſolet, immutauit: nam lib. 2. Acad. integer uerſus recitatur. Quid ille, qui,

Video, uideo te uiuum Vlyxes: dum licet.

nonne etiam bis exclamauit ſe uidere, cum omnino non uideret? Noſtram ſententiam confirmant libri tres antiqui, unus Borromaei, duo Fuluij. eſt etiam in Fuluianis, Aptum, pro Optatum; quod ſtatim ſequitur.

CICERO

CICERO

ITa ſit, ut omnis ſingulorum uerborum uirtus, atque laus tribus exſiſtat ex rebus, ſi aut uetuſtum uerbum ſit, quod tamen conſuetudo ferre poſſit; aut factum, uel coniunctione, uel nouitate, in quo item eſt auribus, conſuetudiniq. parcendum; aut tranſlatum, quod maxime tamquam ſtellis quibuſdam notat, & illuminat orationem. Sequitur continuatio uerborum, quae duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quendam, formamq. deſiderat. Collocationis eſt componere & ſtruere uerba ſic, ut ne ue aſper eorum concurſus, ne ue hiulcus ſit, ſed quodam modo coagmentatus, & laeuis. In quo lepide, ſoceri mei perſona, luſit is, qui elegantiſſime id facere potuit, Lucilius:

„ *Quam lepide lexis compoſtae, ut teſſerulae, omnes*
„ *Arte, pauimento, atque emblemate uermiculato.*

quae cum dixiſſet, in Albucium illudens, ne a me quidem abſtinuit:

„ *Craſſum habeo generum, ne rhetoricotero tu ſis.*

quid ergo iſte Craſſus, quoniam eius abuteris nomine, quid efficit? idẽ illud ſcilicet, ut ille uoluit, et ego uellem, melius aliquanto, quam Albucius: uerum in me quidem luſit illo, ut ſolet. Sed eſt tamen collocatio conſeruanda uerborum, de qua loquor, quae iunctã orationem efficit, quae cohaerentẽ, quae lenem, quae aequabiliter fluẽtem. id aſſequemini, ſi uerba extrema cum conſequentibus primis ita iungetis, ut ne ue aſpere cõcurrant, ne ue uaſtius diducantur. Hanc diligentiam ſubſequitur modus etiam, & forma uerborum; quod iam uereor ne huic Catulo uideatur eſſe puerile. uerſus enim ueteres illi in hac ſoluta oratione propemodum, hoc eſt numeros quoſdam, nobis eſſe adhibendos putauerunt: interſpirationis enim, non defatigationis noſtrae, neque librariorum notis, ſed uerborũ, & ſententiarum modo interpunctas clauſulas in orationibus eſſe uoluerunt: idq. princeps Iſocrates inſtituiſſe fertur, ut inconditam antiquorum dicendi conſuetudinem delectationis, atque aurium cauſſa, quemadmodum ſcribit diſcipulus eius Naucrates, numeris adſtringeret. namque haec duo muſici, qui erant quondam iidem poetae, machinati ad uoluptatem ſunt, uerſum, atque cantum; ut & uerborum numero, & uocum modo delectatione uincerent aurium ſatietatem. Haec igitur duo, uocis dico moderationem, & uerborum concluſionem, quo ad orationis ſeueritas pati poſſit, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt. In quo illud eſt uel maximum, quod, uerſus in oratione ſi efficitur coniunctione uerborum, uitium eſt: & tamen eam coniunctionem, ſicuti uerſum, numeroſe cadere, & quadrare, & perfici uolumus. neque eſt ex multis res una, quae magis oratorem ab imperio dicendi, ignaroq. diſtinguat, quam quod ille rudis incondite fundit, quantum poteſt, & id, quod dicit, ſpiritu, non arte determinat; orator autem ſic illigat ſententiam uerbis, ut eam numero quodam complectatur, & adſtricto, & ſoluto. nam, cum uinxit modis, & forma, relaxat, & liberat immutatione ordinis: ut uerba neque alligata ſint, quaſi certa aliqua lege uerſus; neque ita ſoluta, ut uagentur. Quonam igitur modo tantum munus inſiſtemus, ut arbitremur nos hanc uim numeroſe dicendi conſequi poſſe? non eſt res tam difficilis, quam neceſſaria. nihil eſt enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile ſequatur, quocumque ducas, quam oratio. ex hac uerſus, ex eadem diſpares numeri conficiuntur: ex hac haec etiam ſoluta uariis modis, multorumq. generum oratio. nõ enim ſunt alia ſermonis, alia contentionis uerba: neque ex alio genere ad uſum quotidianum, alio ad ſcenam, pompamq. ſumuntur: ſed ea nos cum iacentia ſuſtulimus e medio, ſicut molliſſimam ceram ad noſtrum arbitrium formamus, & fingimus: itaque tum graues ſumus, tum ſubtiles, tum medium quiddam tenemus. ſic inſtitutam noſtram ſententiam ſequitur orationis genus; idq. ad omnem rationem, & aurium uoluptatem, & animarum motum mutatur, & uertitur. ſed, ut in pleriſque rebus incredibiliter hoc natura eſt ipſa fabricata, ſic in oratione, ut ea, quae maximam utilitatem in ſe continerent, eadem haberent plurimum uel dignitatis, uel ſaepe etiam uenuſtatis. Incolumitatis, ac ſalutis omniũ cauſſa uidemus hunc ſtatum eſſe huius totius mundi, atque naturae, rotundum ut caelũ, terraq. ut media ſit, eaq. ſua ui, nutuq. teneatur: ſol ut circumferatur, ut accedat ad brumale ſignũ, & inde ſenſim adſcẽdet in diuerſam partem: ut luna acceſſu, et receſſu ſuo ſolis lumen accipiat: ut eadẽ ſpatia quinque ſtellae diſpares motu, curſuq. conficiant. haec tantam habent uim, ut paullum immutata cohaerere nõ poſſunt; tantam pulchritudinẽ, ut nulla ſpecies ne excogitari quidẽ poſſit ornatior. Referte nũc animum ad hominum, uel etiam ceterarum animantium formam, & figuram; nullam partem corporis ſine aliqua neceſſitate affictam, totamq. formam quaſi perfectam reperietis arte, non caſu. Quid in arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia ſunt denique, niſi ad ſuam retinendam, conſeruandamq. naturam? nuſquam tamen eſt ulla pars, niſi uenuſta. Linquamus naturam, arteſq. uideamus. Quid tam in nauigio neceſſarium, quam latera, quam carinae, quã prora, quam puppis, quam antennae, quam uela, quam mali, quam reliqua? quae tamen hanc habent in ſpecie uenuſtatem, ut non ſolum ſalutis, ſed etiam uoluptatis cauſſa inuenta eſſe uideatur. Columnae & templa, et porticus ſuſtinent, tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. Capitolij faſtigium illud, & ceterarum aedium, non uenuſtas, ſed neceſſitas ipſa fabricata eſt. nam, cum eſſet habita ratio, quemadmodum ex utraque parte tecti aqua delaberetur; utilitatem templi, faſtigij dignitas conſecuta eſt: ut, etiam ſi in caelo Capitolium ſtatueretur, ubi imber eſſe non poſſet, nullam ſine faſtigio dignitatem habiturum fuiſſe uideatur. Hoc in omnibus item partibus orationis euenit, ut utilitatem, ac prope neceſſitatem ſuauitas quaedam & lepos conſequatur. clauſulas enim, atque interpuncta uerborum, animae interclusio, atque anguſtiae ſpiritus attulerunt. id inuẽtũ eſt ita ſuaue, ut, ſi cui ſit infinitus ſpiritus datus, tamen cum perpetuare uerba nolimus. id enim auribus noſtris gratum eſt inuentum, quod hominum lateribus non tolerabile ſolum, ſed etiam facile eſſe poſſit.

ſit. Longiſſima eſt igitur complexio uerborum, quae uolui uno ſpiritu poteſt. ſed hic naturae modus eſt, artis alius. nam, cum ſint numeri plures; iambum, et trochaeum frequentem ſegregat ab oratore Ariſtoteles, Catule, ueſter: qui natura tamen incurrunt ipſi in orationem, ſermonemq. noſtrum: ſed ſunt inſignes percuſſiones eorum numerorum, & minuti pedes. quare primum ad heroum nos dactyli, & anapaeſti, & ſpondei pedem inuitat; in quo impune progredi licet duos dumtaxat pedes, aut paullo plus; ne plane in uerſum, aut ſimilitudinem uerſuum incidamus. Aliae ſunt geminae, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum uerborum ſatis decore cadunt. Probatur autem ab eodem illo maxime paeon: qui eſt duplex: nam aut a longa oritur, quam tres breues conſequuntur, ut haec uerba, deſinite, incipite, comprimite; aut a breuibus deinceps tribus, extrema producta, atque longa; ſicut illa ſunt, domuerant; ſonipedes. Atque illi philoſopho ordiri placet, a ſuperiore paeone, poſteriore finire. eſt autem paeon hic poſterior non ſyllabarum numero, ſed aurium menſura, quod eſt acrius iudicium, & certius, par fere cretico, qui eſt ex longa, & breui, & longa: ut, Quid petam praeſidi, aut exſequar? quo ue nunc-. a quo numero exorſus eſt Fannius, Si, Quirites, minas illius. hunc ille clauſulis aptiorem putat; quas uult longa plerumque ſyllaba terminari. Neque uero haec tam acrem curam, diligentiamq. deſiderant, quam eſt illa poetarum: quos neceſſitas cogit, & ipſi numeri, ac modi, ſic uerba uerſu includere, ut nihil ſit ne ſpiritu quidem minimo breuius, aut longius, quam neceſſe eſt. Liberior eſt oratio, & plane, ut dicitur, ſic & eſt uere ſoluta; non ut fugiat tamen, aut erret; ſed ut ſine uinculis ſibi ipſa moderetur. namque ego illud aſſentior Theophraſto, qui putat orationem, quae quidem ſit polita, atque facta quodam modo, non adſtricte, ſed remiſſius numeroſam eſſe oportere. etenim, ſicut ille ſuſpicatur, ex illis modis, quibus hic uſitatus uerſus efficitur, poſt anapaeſtus procerior quidam numerus effloruit; inde ille licentior, & diuitior fluxit dithyrambus; cuius membra, & pedes, ut ait idem, ſunt in omni locupleti oratione diffuſa. Et, ſi numeroſum eſt id in omnibus ſonis, atque uocibus, quod habet quaſdam impreſſiones, et quod metiri poſſumus interuallis aequalibus: recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum ſit, in orationis laude ponetur. nam, ſi rudis, & indocta putanda eſt illa ſine interuallis loquacitas perennis, & profluens: quid eſt aliud cauſſae, cur repudietur, niſi quod hominum aures uocem natura modulantur ipſa? quod fieri, niſi ineſt numerus in uoce, non poteſt. numerus autē in continuatione nullus eſt: diſtinctio, & aequaliū, & ſaepe uariorum interuallorum percuſſio numerum conficit: quam in cadentibus guttis, quod interuallis diſtinguuntur, notare poſſumus, in amni praecipitante non poſſumus. quod ſi continuatio uerborum haec ſoluta multo eſt aptior, atque iucundior, ſi eſt articulis, membriſq. diſtincta, quam ſi continuata, ac producta: uerba illa modificata eſſe debebunt: quae ſi in extremo breuiora ſunt, infringitur ille quaſi uerborum ambitus. ſic enim has orationis conuerſiones Graeci nominant. quare aut paria eſſe debent poſteriora ſuperioribus, extrema primis; aut, quod etiam eſt melius, & iucundius, longiora.

EXPLANATIO

ITA *fit*, § Epilogus concludit tres oratorias laudes in uerbis ſingulis, uetuſtatem, nouitatem, & tropum, atque inde tranſitus fit ad coniuncta uerba, quorum uirtutes duas tantum Craſſus proponit, collocationem, & numerum, & tamen tertiam deinceps exponit, uidelicet colorem, & habitum orationis. At uero dialecticae methodi leges uiolantur, cum non omnia complecteris, quae in arte dicturus es, ſed partem unam, aut plures in propoſitione omittis. COLLOCATIONIS *eſt* § Collocationis duae ſunt leges, ne ſit aſper concurſus conſonantium: ne ſit frequens hiatus uocalium: quae quidem leges compoſitionem orationis admodum ſuauem efficiunt: neque tamen in oratione ſemper obſeruandae ſunt, quia nonnumquam aures adſperitate, & hiatu delectantur: ut, Video autem quam ſit odioſum habere iratum eundem, & armatum. Et Cicero in Oratore uetat, ne id fiat operoſe: nam eſſet cum infinitus, tum puerilis labor: quod apud Lucilium ſcite exagitat in Albucio Scaeuola. IN *quo lepide* § Lucilius in Satyris Scaeuolam induxit illudentem Tito Albucio nimium operae, & ſtudij ponenti in collocatione uerborum: iocus autem eſt ex ſimili, ubi oratio Albucij emblemati uermiculato comparatur, id eſt, uarie diſtincto, & multis teſſerulis inſiticijs ornato. HANC *diligentiam* § Numerus quid ſit, non definitur: eſt autem figura, per quam oratio ſuauiter, & modulate componitur. Principio Craſſus diſputat de auctore numeri oratorij Iſocrates, & de cauſſa inuentionis, quae eſt aurium delectatio. IDQ. *princeps* § Cicero in Bruto, Iſocrates (ait) intellexit etiam in ſoluta oratione, dum uerſum effugeres, modum tamen & numerum quendam oportere ſeruari: ante hunc enim uerborum quaſi ſtructura, & quaedam ad numerum concluſio nulla erat, aut, ſi quando erat, non apparebat eam dedita opera eſſe quaeſitam. Idem in Oratore perfecto, Qui Iſocratem maxime mirantur, hoc in eius ſummis laudibus ferunt, quod uerbis ſolutis numeros primus adiunxerit: cum enim uideret oratores cum ſeueritate audiri, poetas autem cum uoluptate, tum dicitur numeros ſecutus, quibus etiam in oratione uteremur, cum iucunditatis cauſſa, tum ut uarietas occurreret ſatietati: quod ab his uere quadam ex parte, non totum dicitur: nam neminem in eo genere ſcientius uerſatum Iſocrate confitendum eſt, ſed princeps inueniendi fuit Thraſymachus, cuius omnia nimis etiam exſtant ſcripta numeroſe. NAMQVE *haec duo* § Origo numeri oratorij repetitur a uerſibus poetarum, & cantu muſicorum, quorum exemplo numeroſum aliquid in oratione ſoluta oratores obſeruarunt, & apta uocis moderatione pronunciarunt. IN *quo illud eſt* § Ariſtoteles capite octauo, libro tertio, ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή. ποίημα γὰρ ἔσαι· ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς. τοῦτο δὲ ἔσαι, ἐαν μέχρι τοῦ ᾗ. oportet orationem habere numerum, ſed non metrum:

metrum : poema enim erit: numerum autem non accurate : hoc autem accidet, ſi aliquatenus in oratione ſit. Cicero in Oratore, Ariſtoteles uerſum in oratione uetat eſſe, numerum iubet. Neqve *eſt ex multis* ξ Haec diſſimilitudo oſtendit, quid interſit inter artis peritum & ignarum : artis cognitio, exempli gratia, in numeris docet uerba apte collocare, ut ea ſint quam ſuauiſſimis uocibus ut ipſa concinnitas uerborum conficiat orbem ſuum, ut periodus numeroſe, & apte cadat: ignorantia artis inconditam, & rudem facit orationem. Qvonam *igitur modo* ξ Numerus oratorius uarie laudatur, quod facilis ſit, quod utilis, quod uenuſtus: facilitas numeroſe dicendi declaratur metaphorica ſimilitudine cerae: ut enim cera, ſic oratio facile fingitur & formatur: Nam in tribus dicendi generibus poſſunt eadē uerba uſurpari, ſed collocatio & conformatio orationis pro rerũ grauitate aut humilitate, alia atque alia fuerit. Sed, *ut in pleriſque* ξ Craſſus docet ex ſimiliũ inductione utilitatem in numeris dignitati & uenuſtati eſſe adiunctam: Vt mundus ad ſummam hominum utilitatem factus omnium pulcherrimus eſt : ut in animantibus & plantis partes neceſſariae formam habent honeſtam: ut in nauigijs, in aedificijs omnia, quae ſunt neceſſaria, eadem ſunt uenuſta: ita hoc accidit in oratione, ut utilitatem dignitas, & lepos conſequatur. Hoc *in omnibus* ξ Apodoſis ſimilitudinis concluditur de utilitate, & uenuſtate numerorum, & exornatur ab adiunctis interpunctionibus, quae neceſſitatis gratia inuentae ſunt in oratione, ut in ſingulis interſpiraremus: at ijſdem adiuncta eſt ſumma delectatio: delectat enim maxime periodus externis aut quaternis membris, ut poſtea dicetur. Nam *cum ſint* ξ Craſſus non definit numerum, neque diuidit in duo genera : unum ſtrictius, quod appellatur metrum : alterum paullo liberius in oratione ſoluta: neque partes numeri, id eſt, pedes explicat, ſed tantum ex Ariſtotelis auctoritate docet, qui pedes apte & decore incidant in orationem ſolutam, in quibus Iambum & Trochaeum frequentes eſſe non uult : Dactylum uero & Spondaeum, & Anapaeſtum, & duos Paeanas, & Creticum in oratorijs numeris laudat: praecipua tamen obſeruatio huius artis eſt, ut, cum uitaueris in oratione ſoluta uerſum integrum, & in principio orationis principium carminis, & in fine finem, tibi liceat ex quibuslibet pedibus numerum, ſed tamen pro condicione rei, moderatum, & temperatum efficere. Fabius etiam cap. 4. lib. 9. non probat hunc pedum delectum. Miror (inquit) in hac opinione doctiſſimos homines fuiſſe, ut alios pedes ita eligerent, alios damnarent, quaſi ullus eſſet, quem non ſit neceſſe in oratione deprehendi. Aristoteles, ξ Ariſtoteles capite octauo, libro tertio. ὁ δὲ ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν, διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνοτέραν γενέσθαι, καὶ ἐκστῆναι· ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος, δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα. ἐστὶ γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα. Iambus eſt ipſe ſermo multitudinis, ideoq. maxime ex omnibus uerſibus iambicos dicunt : oportet tamen grauiorem eſſe. Trochaeus enim eſt magis aptus tripudijs, quod tetrametri uerſus indicant : ſunt enim tetrametri uolubilis numerus. Qvare *primum* ξ De Heroo Ariſtoteles ita ſcribit lib. 3. rhetoricorum, τῶν δὲ ῥυθμῶν, ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. ex numeris autem grauis eſt Herous, & elegans, & harmoniam quaerens. hunc Craſſus non uult in oratione ſoluta continuari, ne faciat uerſum, aut partem uerſus. Probatvr *autem* ξ De Paeane uerba ſunt Ariſtotelis eodem capite, ὁ δὲ παιὰν ληπτέος, ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν· ὥστε μάλιστα λανθάνειν. Sumendus eſt paean, ex quo nullus fit uerſus : itaque maxime latet. Neqve *uero* ξ Dictum eſt ex Ariſtotelis auctoritate de pedibus, qui orationi ſolutae conueniunt: ſequitur differentia inter compoſitionem ſolutae orationis, & carminis. Carmen enim certis pedibus, certo loco, & certa lege collocatis conſtat: oratio ſoluta multo liberior eſt, & quantum poteſt, a poematis ſimilitudine refugit : furatur enim a poemate uoluptatem, nec tamen ſigna deprehendi uult. Liberior *eſt* ξ ἀνταπόδοσις comparationis confirmatur tribus argumentis, quorum primum eſt ab auctoritate Theophraſti. Etenim, *ſicut ille* ξ Ex dactylo, & ſpondaeo, qui uerſum Heroicum faciunt, fluxit Anapaeſtus illinc per conuerſionem, hinc per reſolutionem prioris ſyllabae longae in duas breues, poſt etiam dithyrambus numerus liberior, qui omnes pedes admittit: hic canebatur in honorem Bacchi, qui & dithyrambus dicitur, quia per duas portas in lucem exijt, unam Semeles matris, alteram femoris Iouis. Et *ſi numeroſum eſt* ξ Secundum argumentum ſumitur a muſicarum uocum ſimilitudine ad numeroſam compoſitionem orationis: qua ſimilitudine haec uocabula, numerus, impreſſio, interuallum, a muſicis transferuntur, ut numerus ſit iucunda ex pedum collocatione modulatio: impreſſio, decurſo ſpatio, quaſi fixum ueſtigium : interuallum, ſpatium, quo numerus excurrit. Nam, *ſi rudis* ξ Tertium argumentum eſt a repugnantibus: Oratio ſine interuallo, & numero repudianda eſt: ergo diſtinctio & interuallorum percuſſio in oratione ſummam gratiam habent, ut Catilinaria 1. Quod ego praetermitto, & facile patior ſileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas, aut non exſtitiſſe, aut non uindicata eſſe uideatur: numerus hic efficitur diſtinctione membrorum, & interuallorum percuſſione. Qvem *in candentibus* ξ Proximus locus declaratur ſimilitudine: Vt in ſtillicidijs guttae numerari poſſunt, quia per interuallum decidunt, in fluuijs non poſſunt, quia perenni fluxu labuntur: ſic aures orationem, quae certis interuallis diſtinguitur, iucunde accipiunt, continuatam & ſine interuallis, non accipiunt. Qvod *ſi continuatio* ξ In periodis membra, & inciſa debent eſſe uel paria: ut, Conferte hanc pacem cum illo bello: huius praetoris aduentum, cum illius imperatoris uictoria : huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto: huius libidines, cum illius continentia : ab illo qui coepit, conditas; ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Hic membra in antitheſi paria ſunt. uel poſteriora ſuperioribus ſaepe ſunt longiora: quod magis Craſſus probat: ut, Legum miniſtri magiſtratus, legum interpretes iudices: legum denique iccirco omnes ſerui ſumus, ut liberi eſſe poſſimus: poſtremum membrum antecedentibus eſt longius.

CICERO

ATQVE haec quidem ab ijs philoſophis, quos tu maxime diligis, Catule, dicta ſunt, quod eo ſaepius teſtificor, ut, auctoribus laudandis, ineptiarum crimen effugiam. Quarum tandem, inquit Catulus? aut quid diſputatione iſta afferri poteſt elegantius, aut omnino dici ſubtilius? At enim uereor, inquit Craſſus, ne haec aut difficiliora iſtis ad perſequendum eſſe uideantur; aut, quia non traduntur in uulgari iſta diſciplina, nos ea maiora, ac difficiliora uideri uelle uideamur. Tum Catulus, Erras, inquit, Craſſe, ſi aut me, aut horum quemquam putas a te haec opera quotidiana, & peruagata exſpectare. iſta, quae dicis, dici uolumus, neque tam dici, quam iſto dici modo: neque tibi hoc pro me ſolum, ſed pro his omnibus ſine ulla dubitatione reſpondeo. Ego uero, inquit Antonius, inueni tandem. quem negaram in eo, quem ſcripſi, libello me inueniſſe, eloquentem: ſed eo te ne laudandi quidem cauſſa interpellaui, ne quid de hoc tam exiguo ſermonis tui tēpore uerbo uno meo deminueretur. Hanc igitur, Craſſus inquit, ad legem cum exercitatione, tum ſtylo, qui & alia, & hoc maxime ornat, ac limat, formanda uobis oratio eſt. Neque tamen hoc tanti laboris eſt, quanti uidetur: nec ſunt haec rhythmicorum, ac muſicorum acerrima norma dirigenda: & efficiendum eſt illud modo uobis, ne fluat oratio, ne uagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius, ut membris diſtinguatur, ut conuerſiones habeat abſolutas. Neque ſemper utendum eſt perpetuitate, & quaſi conuerſione uerborum; ſed ſaepe carpenda membris minutioribus oratio eſt; quae tamen ipſa membra ſunt numeris uincienda. Neque uos paeon, aut herous ille conturbet. ipſi occurrent orationi, ipſi, inquam, ſe offerent, & reſpondebunt non uocati: conſuetudo modo illa ſit ſcribendi, atque dicendi, ut ſententiae uerbis finiantur, eorumq. uerborum iunctio naſcatur a proceris numeris, ac liberis, maxime heroo, & paeone priore, aut cretico, ſed uarie, diſtincteq. conſidat. notatur enim maxime ſimilitudo in conquieſcendo: &, ſi primi, & poſtremi illi pedes ſunt hac ratione ſeruati, medij poſſunt latere; modo ne circuitus ipſe uerborum ſit aut breuior, quam aures exſpectent; aut longior, quam uires, atque anima patiatur. Clauſulas autem diligentius etiam ſeruandas eſſe arbitrabor, quam ſuperiora; quod in his maxime perfectio, atque abſolutio iudicatur. nam uerſus aeque prima, & media, & extrema pars attenditur; quid debilitatur, in quacumque ſit parte titubatum: in oratione autem prima pauci cernunt, poſtrema plerique: quae quoniam apparent, & intelliguntur, uarianda ſunt; ne aut animorum iudicijs repudientur, aut aurium ſatietate. Duo enim, aut tres ſunt fere extremi ſeruandi, & notandi pedes; ſi modo non breuiora, & praeciſa erunt ſuperiora; quos aut chorios, aut heroos, aut alternos eſſe oportebit, aut in paeone illo poſteriore, quem Ariſtoteles probat, aut ei pari cretico. horum uiciſſitudines efficient, ut neque ij ſatientur, qui audient, faſtidio ſimilitudinis; nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere uideamur. quod ſi Antipater ille Sidonius, ille, quem tu probe, Catule, meminiſti, ſolitus eſt uerſus hexametros, alioſq. uarijs modis, atque numeris fundere ex tempore; tantumq. hominis ingenioſi, ac memoris ualuit exercitatio, ut, cum ſe mente, ac uoluntate coniecisſet in uerſum, uerba ſequerentur: quanto id facilius in oratione, exercitatione, & conſuetudine adhibita, conſequemur? Illud autem ne quis admiretur, quonam modo haec uulgus imperitorum in audiendo notet: cum in omni genere, tum in hoc ipſo magna quaedam eſt uis, incredibiliſq. naturae. omnes enim, tacito quodam ſenſu, ſine ulla arte, aut ratione, quae ſint in artibus, ac rationibus recta, ac praua, dijudicant: idq. cum faciunt in picturis, & ſignis, & in alijs operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent inſtrumenti; tum multo oſtendunt magis in uerborum, numerorum, uocumq. iudicio; quod ea ſunt in communibus infixa ſenſibus, neque earum rerum quemquam funditus natura uoluit eſſe expertem. itaque non ſolum uerbis arte poſitis mouentur omnes, uerum etiam numeris, ac uocibus. quotus enim quiſque eſt, qui teneat artem numerorum, ac modorum? at in his ſi paullum modo offenſum eſt, ut aut contractatione breuius fieret, aut productione longius, theatra tuta reclamant. Quid? hoc non idem fit in uocibus? ut a multitudine, & populo non modo caternae, atque conuentus, ſed etiam ipſi ſibi ſinguli diſcrepantes eijciantur? Mirabile eſt, cum plurimum in faciendo interſit inter doctum, & rudem, quam non multum differat in iudicando. ars enim, cum a natura profecta ſit, niſi naturam moueat, ac delectet, nihil ſane egiſſe uideatur. nihil eſt autem tam cognatum mentibus noſtris, quam numeri, atque uoces; quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & languescimus, & ad hilaritatem, & ad triſtitiam ſaepe deducimur: quorum illa ſumma uis carminibus eſt aptior, & cantibus, non neglecta, ut mihi uidetur, a Numa rege doctiſſimo, maioribusq. noſtris; ut epularum ſollemnium fides, ac tibiae, Saliorumq. uerſus indicant; maxime autem a Graecia uetere celebrata: quibus utinam, ſimilibusq. de rebus diſputari, quam de puerilibus his uerborum translationibus, maluiſſetis. Verum, ut in uerſu uulgus, ſi eſt peccatum, uidet; ſic, ſi quid in noſtra oratione claudicat, ſentit: ſed poetae non ignoſcit, nobis concedit; tacite tamen omnes non eſſe illud, quod diximus, aptum, perfectumq. cernunt. itaque illi ueteres, ſicut hodie etiam non nullos uidemus, cum circuitum, & quaſi orbem uerborum conficere non poſſent, (nam id quidem nuper uel poſſe, uel audere coepimus) terna, aut bina, aut nonnulli ſingula etiam uerba dicebant: qui in illa infantia naturali illud, quod aures hominum flagitabant, tenebant tamen; ut & illa eſſent paria, quae dicerent, & aequalibus interſpirationibus uterentur.

EXPLANATIO

ATQVE *haec quidem*,} Craſſus ingenue fatetur hanc doctrinam de numeris Ariſtotelicam eſſe,& Theophraſticam: & in rhetorum ſcholis minime iſto modo tractari ſolere. QVARVM *tandem*?} Haec interpellatio ponitur uice cuiuſdam concluſionis,ubi cum Craſſus laudatur, Cicero ipſe in aliena perſona laudatur,qui primus e Latinis & numerum docuit,& orationibus ſuis celebrauit. HANC *igitur*,} Craſſus perſequitur doctrinam,& uſum numeri in oratione ſoluta, & perfacilem eſſe diſputat: argumentum eſt a diſſimilibus: Non ut rhythmicorum numeri,& muſicorum modi acerrimam normam requirunt,ita & oratorũ. Apodoſis tres habet faciles cautiones in oratione ſeruandas, ne fluat oratio ſine ullis numeris, ne ſit nimis curta,ne excurrat longius. NEQVE *ſemper*} Non ſemper dicendum eſt concluſe,ſed interdum caeſim & mẽbratim: nihil enim eſt tam numeroſum, (ut ait Cicero) quam quod minime apparet,& ualet plurimum: ex hoc genere eſt illud Craſſi,Miſſos faciant patronos: ipſi prodeant: cur clandeſtinis cõſiliis nos oppugnant? cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos? Item illud Ciceronis, O mulieris ſcelus incredibile,& praeter hanc unam in omni uita inauditum: O libidinem effrenatam, & indomitam: o audaciam ſingularem: non timuiſſe,ſi minus uim deorum,hominumq. famam,at illam ipſam noctem,faceſq. illas nuptiales: non limen cubiculi,non cubile filiae,non parietes denique ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarum: perfregit & proſtrauit omnia cupiditate,& furore: uicit pudorem libido,timorem audacia,rationem amentia. VT *ſententiae*} Fabius lib. 9.cap. 4. Verbo (ait) ſenſum cludere multo (ſi compoſitio patiatur) optimum eſt: in uerbis enim ſermonis uis ineſt: at,ſi id adſperum erit, cedat haec ratio numeris: ut apud Graecos, Latinoſq. oratores frequentiſſime: ut Philippica 2. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus,iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum uini in Hippiae nuptiis exhauſeras, ut ibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu uomere poſtridie. MODO *ne*} Hoc ex Ariſtotele ſumptum eſt, δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα, καὶ τὰς περιόδους, μήτε μειούρους εἶναι μήτε μακράς. τὸ μὲν γὰρ μικρὸν προσπταίειν πολλάκις ποιεῖ τὸν ἀκροατήν. ἀνάγκη γὰρ ὅταν ἔτι ὁρμῶν ἐπὶ τὸ πόρρω, καὶ τὸ μέτρον, οὗ τ᾽ ἔχει ἐν ἑαυτῷ ὅρου ἀντισπασθῇ παυσαμένου, οἷται προσπταίειν γενέσθαι διὰ τὴν ἀντίκρουσιν. τὰ δὲ μακρὰ ἀπολείπεσθαι ποιεῖ, ὥσπερ οἱ ἐξωτέρω ἀποκάμπτοντες τοῦ τέρματος. ἀπολείπουσι γὰρ καὶ οὗτοι τοὺς συμπεριπατοῦντας. Id eſt, Neque membra,neque periodos curtas, & longas eſſe oportet: breue ſiquidem ſaepe facit,ut auditor quaſi offendat,& haereat. Cum enim quiſpiam longe proſpicit, & mediocritatem intuetur, nec tamen ſibi terminum praefixit,cum ſubito retrahitur,neceſſe eſt eum quaſi haerere ob repulſionem,longa uero ſic auditorem fugiunt,ſicut qui metam praetereunt: relinquunt enim & deambulantes. CLAVSVLAS} Idem praeceptum eſt in Oratore perfecto,Plerique cenſent cadere tantum numeroſe oportere,terminariq. ſententiã: eſt autem,ut id maxime deceat,non id ſolum: ponendus eſt enim ille ambitus,non abiiciendus. Quare,cum aures extremum ſemper exſpectent,in eoq. acquieſcant, id uacare numero non oportet,ſed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet uerborum illa comprehenſio,& tota a capite fluere, ut ad extremum ueniens ipſa conſiſtat: id autem bona diſciplina exercitatis,qui & multa ſcripſerint,& quaecumque etiam ſine ſcripto dicerent,ſimilia ſcriptionum effecerint,non erit difficillimum. DVO *enim*} In exitu clauſulae non ſolum pes ultimus,ſed retrorſum proximus,atque etiam tertius ab ultimo notandus,& obſeruandus eſt: in his locis probantur a Craſſo chorei,heroi,paean poſterior,& creticus: omnes tamen pedes in fine clauſulae deprehendi poſſunt,nedum hi,quos ex Ariſtotele Craſſus approbat: praecipua autem lex erit,ut nec plures ſyllabas numeroſas, quam ſex obſeruaueris, ne ue pauciores, quam tres: pedes omnium generum in clauſulis occurrent: ſed Cicero uidetur illos Ariſtotelicos de induſtria frequenter adhibuiſſe: ut Catilina 1. dichoreus eſt,In te conferri peſtem iſtam,quam tu in nos omnes iamdiu machinaris. Item,Sic hic morbus,qui eſt in republica,releuatus iſtius poena,uehementius uiuis reliquis ingraueſcet. Creticus & Dactylus,ut Catilinaria 2. Eructant ſermonibus ſuis caedem bonorum,atque urbis incendia. Choreus, & Creticus,ut Catilinaria 2. Nulla iam pernicies a monſtro illo,& prodigio moenibus ipſis intra moenia comparabitur. Paean quartus & ſpondeus,ut Catilinaria 2. Vt,quam urbem pulcherrimam,florentiſſimam,potentiſſimamq. eſſe uoluerunt,hanc omnibus hoſtium copiis terra,mariq. ſuperatis a perditiſſimorum ciuium nefario ſcelere defendant. QVOD *ſi Antipater*} Craſſus concludit facilitatem exercitationis oratoriae a minori ad maius: Antipater poeta uſu conſecutus eſt,ut ex tempore multos optimos uerſus faceret: quanto igitur facilius eſt exercitato oratori numeroſe dicere? ILLVD *autem*} Excurſus eſt in communem locum,quo modo indocti homines numeros in oratione animaduertant: qui quidem locus diſputatus ex cauſſis naturalibus: ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis, Omnia quae ſunt in artibus, etiam ab indoctis natura duce diiudicari poſſunt. Numerus arte traditur. Quare de numero etiam indocti iudicare poſſunt. Propoſitio declaratur a minori ad maius. QVOTVS *enim*} Altera probatio eſt ab exemplis ſpecialibus: Si hiſtrio offendit in numeris, exploditur: Si male ſymphoniaci,aut tibicines cantant,eiiciuntur: ergo natura duce uulgus de numeris, & uocibus recte iudicat. MIRABILE *eſt*,} Idem locus latius diſputatur a Cicerone in Bruto, Hoc tamen intereſt inter doctum,& rudem,primum quod ille certius iudicat adhibita ratione, nec umquam fallitur: hic caeco tantum naturae iudicio iudicat,& interdum ea,quae minime recta ſunt,approbat: deinde uero,ut doctus,& rudis perinde iudicant,non tamen perinde dicendi,& faciendi facultate pollent. NIHIL *eſt autem*} Hinc Ariſtoxenus dicebat animum noſtrum eſſe harmoniam: & Plato ex muſicis numeris animae ſubſtantiam in Timaeo componit. QVIBVS *& excitamur*,} Numeris excitamus, ut pro lege Manilia, Maiores ueſtri ſaepe mercatoribus, & nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt: uos tot ciuium Romanorum milibus uno nuncio,

atque

atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Totus hic locus eſt ualde numeroſus ad excitan-
dum populum Romanum contra Mithridatem. Iiſdem numeris lenimur: ut pro Ligario, Nihil eſt tam po-
pulare, quam bonitas: nulla de uirtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabiliot miſericordie eſt: homi-
nes enim ad deos nulla re propius accedunt, quam ſalute hominibus danda: nihil habet fortuna tua maius,
quam ut poſſis: nec natura tua melius, quam ut uelis conſeruare quamplurimos: his uerbis numeroſe deuin-
ctis Caeſarem lenit iratum Ligario. Interdum etiam ad hilaritatem numerus deducit: ut pro Roſcio Comoe-
do, Non ne ipſum caput & ſupercilia penitus abraſa olere malitiam, & clamare calliditatem uidentur? Non
ne ab imis unguibus uſque ad uerticem ſummum, ſi quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figu
ra, ex fraude, fallacijs, mendacijs, conſtare totus uidetur? qui iccirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne ul-
lum pilum uiri boni habere dicatur. Cicero auditoribus riſum mouit in Ceream, hac numeroſa dictione. In-
terdum ad triſtitiam numerus deducit: ut, O me miſerum, o me infelicem; reuocare tu me in patriam Milo
potuiſti per hos: ego te per eoſdem retinere non potero: QVORVM *illa &c.* § Numa Salios duodecim
Marti Gradiuo legit, & per urbem ire, canentes carmina cum tripudijs, ſollemniq. ſaltatu iuſſit, ut actor eſt Li-
uius. Craſſus etiam ait fides, & tibias Romae in epulis ſollemnibus, quae in honorem deorum fiebant, adhibe
ri ſolitas. Graeci ſummam eruditionem ſitam cenſebant in neruorum, uocumq. cantibus; igitur & Epami-
nondas princeps Graeciae fidibus praeclare ceciniſſe dicitur: Themiſtocleſq. aliquot ante annos, cum in epu-
lis recuſaret lyram, habitus eſt indoctior. Cicero Tuſculana prima.

CICERO

EXPOSVI *fere, ut potui, quae maxime ad ornatum orationis pertinere arbitrabar: dixi enim de ſingulorum laude uerborum; dixi de coniunctione eorum; dixi de numero, atque forma. ſed, ſi habitum etiam orationis, & quaſi colorem aliquem requiritis, eſt plena quaedam, & tamē teres, & tenuis, & non ſine neruis, ac uiribus, & ea, quae particeps utriuſque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris inſidere quidam uenuſtatis, non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus, debet color. Tum denique nobis hic orator ita conformandus eſt & uerbis, & ſententijs, ut, quemadmodum, qui utuntur armis, aut palaeſtra, non ſolum ſibi uitandi, uut feriendi rationem eſſe habendam putant, ſed etiam ut cum uenuſtate moueantur; ſic uerbis quidem ad aptam compoſitionem, & condecentiam, ſententijs uero ad grauitatem orationis utatur, ut ij, qui in armorum tractatione uerſantur. Formantur autem & uerba, & ſententiae paene innumerabiles: quod ſatis ſcio notum eſſe uobis: ſed inter conformationem uerborum; & ſententiarum hoc intereſt, quod uerborum tollitur, ſi uerba mutaris; ſententiarum permanet, quibuſcumque uerbis uti uelis. Quod quidem uos, etſi facitis, tamē admonendos puto, ne quid eſſe aliud oratoris putetis, quod quidem ſit egregium, atque mirabile, niſi in ſingulis uerbis illa tria tenere; ut tranſlatis utamur frequenter, interdumq. factis, raro autem etiam peruetuſtis: in perpetua autem oratione, cum & coniunctionis lenitatem, & numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus, tum eſt quaſi luminibus diſtinguenda, & frequentanda omnis oratio ſententiarum, atque uerborum. nam & commoratio una in re permultum mouet, & illuſtris explanatio, rerumque, quaſi gerantur, ſub adſpectum paene ſubiectio: quae & in exponenda re plurimum ualet, & ad illuſtrandum id, quod exponitur, & ad amplificandum; ut ijs, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratione poteris, tantum eſſe uideatur: & huic contraria ſaepe praeciſio eſt, & plus ad intelligendum, quam dixeris, ſignificatio, & diſtincte conciſa breuitas, & extenuatio, & huic adiuncta illuſio, a praeceptis Caeſaris non abhorrens, & ab re non longa digreſſio: in qua cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus, & concinnus eſſe debebit: propoſitioq. quid ſis dicturus, & ab eo, quod eſt dictum, ſeiunctio, & reditus ad propoſitum, & iteratio, & rationis apta concluſio: tum, augendi minuendi ue cauſſa, ueritatis ſuperlatio, atque traiectio, & rogatio, atque huic finitima quaſi percunctatio, expoſitioq. ſententiae ſuae: tum illa, quae maxime quaſi irrepit in hominum mentes, alia dicentis, ac ſignificantis diſſimulatio; quae eſt periucunda, cum in oratione non contentione, ſed ſermone tractatur: deinde dubitatio, tum diſtributio, tum correctio, uel ante, uel poſtquam dixeris, uel cum aliquid a te ipſo reijcias: praemunitio eſt etiam ad id, quod aggrediare, & reiectio in alium: communicatio; quae eſt quaſi cum ijs ipſis, apud quos dicas, deliberatio: morum, ac uitae imitatio uel in perſonis, uel ſine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, & aptum ad animos conciliandos uel maxime, ſaepe autem etiam ad commouendos: perſonarum ficta inductio, uel grauiſſimum lumen augendi; deſcriptio, erroris inductio, & in hilaritatem impulſio; ante occupatio: tum duo illa, quae maxime mouent, ſimilitudo, & exemplum, digeſtio, interpellatio, contentio, reticentia, commendatio, uox quaedam libera, atque etiam effrenatior, augendi cauſſa; iracundia, obiurgatio, promiſſio, deprecatio, obſecratio, declinatio breuis a propoſito, non ut ſuperior illa digreſſio; purgatio, cōciliatio, laeſio, optatio, atque exſecratio. His fere luminibus illuſtrant orationem ſententiae. Orationis autem ipſius tamquam armorum eſt uel ad uſum comminatio, & quaſi petitio, uel ad uenuſtatem ipſa tractatio. nam & geminatio uerborum habet interdum uim, leporem alias, & paullum immutatum uerbum, atque deflexum: & eiuſdem uerbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremū conuerſio, & in eadem uerba impetus, & concluſio; & adiunctio, & progreſſio, & eiuſdem uerbi crebrius poſiti quaedam diſtinctio, & reuocatio uerbi, & illa, quae ſimiliter deſinunt, aut quae cadunt ſimiliter, aut quae paribus paria referuntur, aut quae ſunt inter ſe ſimilia. Eſt etiam gradatio quaedam, & conuerſio,*

uerſio, & uerborum concinna tranſgreſſio, & contrarium, & diſſolutum, & declinatio, & reprehenſio, & exclamatio, & imminutio, & quod in multis caſibus ponitur, & quod de ſingulis rebus propoſitis ductũ refertur ad ſingula, & ad propoſitum ſubiecta ratio, & item in diſtributis ſuppoſita ratio, & permiſſio, & rurſum alia dubitatio, & improuiſum quiddã, & dinumeratio, alia correctio, & diſputatio, & quod continuatum, & interruptum, & imago, & ſibi ipſi reſponſio, & immutatio, & diſiunctio, & ordo, & relatio, & digreſſio, & circumſcriptio. Haec enim ſunt fere, atque horum ſimilia, uel plura etiam eſſe poſſunt, quae ſententijs orationem, uerborumq. confirmationibus illuminent. Quae quidem te, Craſſe, uideo, inquit Cotta, quod nota eſſe nobis putes, ſine definitionibus, & ſine exemplis effudiſſe. Ego uero, inquit Craſſus, ne illa quidem, quae ſupra dixi, noua uobis eſſe arbitrabar; ſed uoluntati ueſtrum omnium parui. His autem de rebus, ſol me ille admonit, ut breuior eſſem; qui ipſe iam praecipitans, me quoque haec praecipitem paene euoluere coegit. Sed tamen huius generis demonſtratio eſt, & doctrina ipſa uulgaris; uſus autem grauiſſimus, & in hoc toto dicendi ſtudio difficillimus.

EXPLANATIO

EXPOSVI *fere*, ʒ Craſſus epilogo concludit, quae de uirtutibus ſingulorum uetborum, & coniunctorum dixit, & tranſit ad habitum orationis triplicem, grauem, medium, ſubtilem: quae diuiſio non ſumitur ex rhetoricis ornamentis, ſed ex rebus ipſis, quae dicuntur, quae ſunt graues, mediae, ſubtiles. His tribns exiſtimat conformationes orationis communiter ineſſe, qua de cauſſa conformationum genera ſummatim proponit nudis nominibus, ſine definitionibus & exemplis: ubi etiam plures non figurae pro rhetoricis figuris, quã uerae figurae nominantur: idq. (ut opinor) ex inſtituto Graecorum, apud quos Cicero hanc enumerationem legerat. HIS *tribus* ʒ Allegoria eſt a uenuſtis corporibus, quorum alia fucum habent, & adulterinum colorem, alia uerum, & natiuum. Fabius cap. 3. lib. 8. Sit ornatus uirilis, fortis, & ſanctus, nec effeminatam laeuitatem, nec fuco eminentem colorem amet: ſanguine, & uiribus gaudeat. VT, *quemadmodum* ʒ Similitudo ſumitur a militibus, & palaeſtritis, quorum illi ad uim depugnãt, hi ad uenuſtatem, & uoluptatem ſpectantium. ſic figurae διανοίας plus habent grauitatis ad commouendum, figurae λέξεως plus uenuſtatis ad delectandum. QVOD *quidem uos* ʒ Craſſus ſummatim repetit oratorias laudes uerborum ſingulorum, & coniunctorum, illic tres, nouitatem, uetuſtatem, tropum: hic collocationem, & numerum: qui tamen numerus ſpecies eſt figurae, de qua mox dicturus eſt: itaque ſpeciem a genere ſeparauit. NAM *& commemoratio* ʒ Cicero doctrinae uiam nullam ſequitur: nec enim figuram διανοίας partitur in pauca genera, neque generibus ſuas ſpecies ſubiicit, ſicut methodus doctrinae poſtulat, ſed in turba proponit quadraginta octo figuras διανοίας, ex quibus triginta quattuor rhetoricae conformationis ſpeciem nullam habent, ſed quaedam ſunt membra dialecticae uirtutis, ut illuſtris explanatio, propoſitio, concluſio rationis, diſtributio in partes, ſimilitudo, exemplum, deſcriptio, digeſtio, contentio, expoſitio ſententiae: reliqua ſunt communia adiuncta orationis, quae interdum figuris permiſcentur: interdum ſine ulla figura dicuntur, ut commoratio, praeciſio, emphaſis, diſtincte conciſa breuitas, extenuatio, illuſio, ſeiunctio ab eo quod dictum eſt, iteratio dictorum, ſuperlatio, percũctatio, ironia, reiectio criminis a ſe, praemunitio, reiectio in alium, inductio erroris, impulſio in hilaritatem, interpellatio, commendatio, iracundia, obiurgatio, promiſſio, purgatio, conciliatio. ORATIONIS *autem* ʒ Craſſus tranſit ad figuram λέξεως, ideſt, orationis, & eius duplicem uſum ſtatuit, unum grauitatis ad mouendum: alterum uenuſtatis ad delectandum: antea tamen docuit in figuris ſententiarum grauitatem, in figuris uerborum concinnitatem ineſſe, & iis duabus differentiis duo genera diſtinxit. Ceterum multae in uerbis figurae nominantur, quae figurae λέξεως non ſunt: uel quia mutatis uerbis permanent, uel quia dialecticae membra quaedam ſunt, aut communia adiuncta orationis: ut contrarium, diſſolutum, exclamatio, imminutio, relatum ad ſingula, ad propoſitum ſubiecta ratio, permiſſio, improuiſum, enumeratio, diſputatio, continuatio, interruptum, imago, ſibi ipſi reſponſio, immutatio, diſiunctio, ordo, digreſſio, circumſcriptio: quae omnia tam longe a figuris λέξεως abſunt, ut earum nullam ſpeciem, & ideam referant. HAEC *enim ſunt* ʒ Si in figuris ſententiarum, & uerborum plura adhuc genera eſſe poſſunt, Craſſus artem, & doctrinam figurarũ non deſcripſit: artis enim proprium eſt, nullum genus rei propoſitae ſubiectum praetermittere. EGO *uero*, ʒ Craſſus duobus modis excuſat doctrinae ſuae breuitatem, & quod res ſit omnibus nota, & quod temporis anguſtiae eum breuiorem eſſe cogans.

CICERO

QVAMOBREM, *quoniam de ornatu omni orationis, ſi non ſunt omnes patefacti, at certe commoſtrati loci; nunc, quid aptum ſit, hoc eſt, quod maxime deceat in oratione, uideamus. Quamquam id quidem perſpicuum eſt, non omni cauſſae, nec auditori, neque perſonae, neque tempori congruere orationis unum genus. nam & cauſſae capitis alium quendam uerborum ſonum requirunt, alium rerum priuatarum: & aliud diceudi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud ſermones. aliud conſolatio, aliud obiurgatio, aliud diſputatio, aliud hiſtoria deſiderat. Refert etiam, qui audiant, ſenatus, an populus, an iudices; frequentes, an pauci, an ſinguli: & quales ipſi quoque oratores, qua ſint aetate, honore, auctoritate, debet uideri: tempus, pacis, an belli; feſtinationis, an otij. itaque hoc loco nihil ſane eſt, quod praecipi poſſe uideatur, niſi ut figuram orationis plenioris, & tenuioris, & item il-*

lius

lius mediocris ad id, quod agimus, accommodatam deligamus: ornamentis iiſdem uti fere licebit, alias contentius, alias ſummiſſius: omniq. in re poſſe, quod decet, facere, artis, & naturae eſt: ſcire quid, quandoq. deceat, prudentiae.

EXPLANATIO

QVAMOBREM, Hactenus de tertia uirtute elocutionis dictum eſt: quae ſola proprie, & uere dicitur elocutionis uirtus: nam Latinitas, perſpicuitas, & decorum, uirtutes ſunt orationis, & magnae quidē uirtutes, ſed tamen oratoriae non ſunt: decorum itaque reſtat, cuius ſi generalis aliqua doctrina tradi poſſit, ea dialectica fuerit in regulis ſyllogiſmorum, non autem rhetorica: ut, ſi quis iudicio, & ſyllogiſmo ualeat, is intelligere poterit, quid in quaque re deceat, & quid non deceat. QVAMQVAM *id quidem* Craſſus tres regulas de elocutionis decoro tradit: prima eſt de accommodando genere orationis ad cauſſam, perſonam, & tempus: quae regula dialectico iudicio maxime nititur. Altera monet figuras rhetoricas omnium generum dicendi eſſe communes, ſed alias plenius ſonare, alias ſummiſſius, alias temperatius: quod quidem diligenter animaduertendum eſt: nec enim hanc ueritatem perpetuo Cicero ſequi uidetur, ſed genera dicendi figurarum generibus diſtinguere. Tertia tametſi uera eſt, tamen accuratiore eget explicatione: nam ſingularium, & ſpecialium artium decorum ſuum & ſpeciale eſt, ut grammaticae grammaticum, rhetoricae elocutionis, & actionis rhetoricum: generale uero, & commune omnis decori documentum, ſi cuiuſquam eſt diſciplinae, logicae diſciplinae eſt, quae ſola generale iudicium, & omnium artium commune poſſidet: facultas autem ipſa in ſingulis artibus decore, & apte agendi naturae eſt, & artis exercitatione confirmata: ſcire uero quid & quando deceat, eſt communis prudentiae, quae uſu magis, quam praeceptis, paratur.

CICERO

SED *haec ipſa omnia perinde ſunt, ut aguntur. Actio, inquam, in dicendo una dominatur. ſine hac ſummus orator eſſe in numero ullo poteſt, mediocris hac inſtructus ſummos ſaepe ſuperare. huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cum rogaretur quid in dicendo eſſet primum, huic ſecundas, huic tertias. quo mihi melius etiam illud ab Aeſchine dictum uideri ſolet: qui cum propter ignominiam iudicii ceſſiſſet Athenis, & ſe Rhodum contuliſſet, rogatus a Rhodiis, legiße fertur orationem illam egregiam, quam in Cteſiphontem contra Demoſthenē dixerat: qua perlecta, petitum eſt ab eo poſtridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demoſthene pro Cteſiphonte edita: quam cum ſuauiſſima, & maxima uoce legißet, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, ſi audißetis ipſum? ex quo ſatis ſignificauit, quantum eſſet in actione, qui orationem eandem aliam eße putaret auctore mutato. Quid fuit in Graccho, quem tu, Catule, melius meminiſti, quod me puero tantopere ferretur? Quo me miſer conferam? quo uertam? in Capitolium ne? at fratris ſanguine redundat. an domum? matrem ne ut miſeram, lamentantemq. uideam, & abiectam? Quae ſic ab illo acta eße conſtabat, oculis, uoce, geſtu, inimici ut lacrymas tenere non poſſent. Haec eo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui ſunt ueritatis ipſius actores, reliquerunt, imitatores autem ueritatis hiſtriones occupauerunt. At ſine dubio in omni re uincit imitationem ueritas: ſed, ea, ſi ſatis in actiones efficeret ipſa per ſeſe, arte profecto non egeremus: uerum, quia animi permotio, quae maxime aut declaranda, aut imitanda eſt actione, perturbata ſaepe ita eſt, ut obſcuretur, atque paene obruatur; diſcutienda ſunt ea, quae obſcurant, & ea, quae ſunt eminentia, & prompta, ſumenda. Omnis enim motus animi ſuum quendam a natura habet uultum, & ſonum, & geſtum: totumq. corpus hominis, & eius omnis uultus, omnesq. uoces, ut nerui in fidibus, ita ſonant, ut a motu animi quoque ſunt pulſae. nam uoces, ut chordae, ſunt intentae, quae ad quemque tactum reſpondeant, acuta, grauis; cita, tarda; magna, parua; quas tamen inter omnes eſt ſuo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa ſunt ab his delapſa plura genera, lene, aſperum; contractum, diffuſum; continenti ſpiritu, intermißo; fractum, ſciſſum; flexo ſono, attenuatum, inflatum. nullum eſt enim horum ſimilium generum, quod non arte, ac moderatione tractetur. hi ſunt actori, ut pictori, expoſiti ad uariandum colores. Aliud enim uocis genus iracundia ſibi ſumat, acutum, incitatum, crebro incidens:*

,, Impius hortatur me frater, ut meos malis miſer
,, Manderem natos. — & ea, quae tu dudum, Antoni, protuliſti,
,, Segregare abs te auſus: &,
,, Ecquis hoc animaduerterit? uincite. — & Atreus fere totus. Aliud miſeratio ac maeror, flexibile, plenum, interruptum, flebili uoce;
,, Quo nunc me uertam? quod iter incipiam ingredi?
,, Domum paternam ne? an ne ad Pelidae filias? & illa,
,, O pater, o patria, o Priami domus.
& quae ſequuntur,
,, Haec omnia uidi inflammari,
,, Priamo ui uitam euitari.
Aliud metus, demiſſum, & haeſitans, & abiectum.
,, Multi modis ſum circumuentus, morbo, exſulio, atque inopia:
,, Tum pauor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat,
,, Alter terribilem minitatur uitae cruciatum, & necem:
,, Quae nemo eſt tam firmo ingenio, & tanta confidentia,

„ *Quin refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.*

Aliud uis, contentum, uehemens, imminens, quadam incitatione grauitatis:

„ *Iterum Thyeſtes Atreum attractum aduenit.*
„ *Iterum iam aggreditur me, & quietum exſuſcitat:*
„ *Maior mihi moles, maius miſcendum eſt malum;*
„ *Qui illius acerbum cor contundam, & comprimam.*

Aliud uoluptas, effuſum, lene, tenerum, hilaratum, ac remiſſum:

„ *Sed mihi cum detulit coronam ob collocandas nuptias,*
„ *Tibi ferebat: cum ſimulabat ſeſe alteri dare,*
„ *Tum ad te ludibunda docte, & delicate detulit:*

Aliud moleſtia, ſine commiſeratione graue quiddam, & uno preſſu, ac ſono obductum:

„ *Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis iunxit nuptijs,*
„ *Ego tum grauida expletis iam fere ad pariendum menſibus:*
per idem tempus Polydorum Hecuba partu poſtremo parit.

omnes autem hos motus ſubſequi debet geſtus, non hic uerba exprimens ſcenicus, ſed uniuerſam rem, & ſententiam non demonſtratione, ſed ſignificatione declarans, laterum inflexione, hac forti, ac uirili, non ab ſcena, & hiſtrionibus, ſed ab armis, aut etiam a palaeſtra. Manus autem minus arguta, digitis ſubſequens uerba, non exprimens: brachium procerius proiectum, quaſi quoddam telum orationis: ſupploſio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Sed in ore ſunt omnia. in eo autem ipſo dominatus eſt omnis oculorum. quo melius noſtri illi ſenes, qui perſonatum ne Roſcium quidem magnopere laudabant. animi eſt enim omnis actio, & imago animi uulgatus eſt, indices oculi. nam haec eſt una pars corporis, quae, quot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & commutationes poſſit efficere. neque uero eſt quiſquam, qui eadem contuens efficiat. Theophraſtus quidem Tauriſcum quendam dicit actorem auerſum ſolitum eſſe dicere; qui in agendo, contuens aliquid, pronunciaret. quare oculorum eſt magna moderatio. nam oris non eſt nimium mutanda ſpecies: ne aut ad ineptias, aut ad prauitatem aliquam deferamur. oculi ſunt, quorum tum intentione, tum remiſſione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum ſignificemus apte cum genere ipſo orationis. eſt enim actio quaſi ſermo corporis: quo magis menti congruens eſſe debet. oculos autem natura nobis, ut equo, & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. quare in hac noſtra actione ſecundum uocem uultus ualet; is autem oculis gubernatur. Atque in ijs omnibus, quae ſunt actionis, ineſt quaedam uis a natura data: quare etiam hac imperiti, hac uulgus, hac denique barbari maxime commouentur. uerba enim neminem mouent, niſi eum, qui eiuſdem linguae ſocietate coniunctus eſt: ſententiae ſaepe acutae non acutorum hominum ſenſus praeteruolant: actio, quae prae ſe motum animi fert, omnes mouet: ijſdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos ijſdem notis & in alijs agnoſcunt, & in ſe ipſi iudicant. Ad actionis autem uſum, atque laudem, maximam ſine dubio partem uox obtinet: quae primum eſt optanda nobis; deinde, quaecumque erit, ea tuenda. de quo illud iam nihil ad hoc praecipiendi genus, quemadmodum uoci ſeruiatur: equidem magnopere cenſeo ſeruiendum. ſed illud uidetur ab huius noſtri ſermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paullo ante, plurimis rebus, quod maxime eſt utile, id neſcio quo pacto etiam decet maxime. nam ad uocem in dicendo obtinendam nihil eſt utilius, quam crebra mutatio; nihil pernicioſius, quam effuſa ſine intermiſſione contentio. Quid? ad aures noſtras, & actionis ſuauitatem, quid eſt uiciſſitudine, & uarietate, & commutatione aptius? itaque idem Gracchus. quod potes audire, Catule, ex Licinio cliente tuo, litterato homine, quem ſeruum ſibi ille habuit ad manum, cum eburneola ſolitus eſt habere fiſtula, qui ſtaret occulte poſt ipſum cum cōcionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum ſonum. quo illum aut remiſſum excitaret, aut a contentione reuocaret. Audiui mehercule, inquit Catulus, & ſaepe ſum admiratus hominis cum diligentiam, tum etiam doctrinam, et ſcientiam. Ego uero, inquit Craſſus: ac doleo quidem illos uiros in eam fraudem in rep. eſſe delapſos. quamquam ea tela texitur; & ea in ciuitate ratio uiuendi, ac poſteritatis oſtenditur; ut eorum ciuium, quos noſtri patres non tulerunt, iam ſimiles habere cupiamus. Mitte obſecro, inquit, Craſſe, Iulius, ſermonem iſtum, & te ad Gracchi fiſtulam refer; cuius ego nondum plane rationem intelligo. In omni uoce, inquit Craſſus, eſt quiddam medium, ſed ſuum cuique uoci. huc gradatim adſcendere uocem, utile, & ſuaue eſt. nam a principio clamare, agreſte quiddam eſt: & illud idem ad firmandum eſt uocem ſalutare. deinde eſt quiddam contentionis extremum; quod tamen inferius eſt, quam acutiſſimus clamor; quo te fiſtula progredi non ſinet, et tamen ab ipſa contentione reuocabit. eſt item contra quiddam in remiſſione grauiſſimum, quo tamquam ſonorum gradibus deſcenditur. haec uarietas, & hic per omnes ſonos uocis curſus & ſe tuebitur, & actionis afferet ſuauitatem: ſed fiſtulatorem domi relinquetis: ſenſum huius conſuetudinis uobiſcum ad forum deferetis. Edidi quae potui, non ut uolui, ſed ut me temporis anguſtiae coegerunt. ſcitum eſt enim, cauſſam conferre in tempus, cum afferre plura, ſi cupias, non queas. Tu uero, inquit Catulus, collegiſti omnia, quantum ego poſſum iudicare, ita diuinitus, ut non a Graecis didiciſſe, ſed eos ipſos haec docere poſſe uideare. me quidem iſtius ſermonis participem factum eſſe gaudeo. ac uellem, ut meus gener, ſodalis tuus, Hortenſius affuiſſet: quem quidem ego confido omnibus iſtis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. Et Craſſus, Fore dicis, inquit? ego uero eſſe iam iudico, & tum iudicaui, cum, me conſule, in ſenatu cauſſam defendit Africae; nuperq. etiam magis, cum pro Bithyniae rege dixit. quamobrem recte uides, Catule: nihil enim iſti adoleſcenti neque a natura, neque a doctrina deeſſe ſentio. Quo magis eſt tibi Cotta, & tibi Sulpici uigilandum, ac laborandum. non enim ille mediocris orator ueſtrae quaſi ſuccreſcit aetati, ſed & ingenio peracri, & ſtudio flagranti, & doctrina exi-

mia, & memoria ſingulari. cui quamquam faueo:tamen illum aetati ſuae praeſtare cupio : uobis uero illum tanto minorem praecurrere, uix honeſtum eſt. Sed iam ſurgamus,inquit;noſq. curemus;& aliquando ab hac contentione diſputationis animos noſtros, curamq. laxemus.

EXPLANATIO

SED *haec ipſa* } Pronunciatio, eſt apta conceptae elocutionis enunciatio, cuius laudes primum Craſſus celebrat : deinde artem & doctrinam tradit: pronunciatio laudatur duobus teſtimonijs, Demoſthenis, & Aeſchinis, & exemplo Caij Gracchi. QVI *cum propter* } Aeſchines accuſauit Cteſiphontem, quod contra leges in publico Demoſthenem coronaſſet : quo iudicio uictus ceſſit Athenis : & Rhodum profectus, ibi rhetoricam docere coepit : Rhodijsq. poſtulantibus orationem ſuam contra Cteſiphontem, itemq. Demoſthenis pro Cteſiphonte recitauit. QVO *me miſer* } Verba ſunt Caij Gracchi in concione mortem Tiberij fratris triſti, & luctuoſa uoce lugentis. HAEC *eo dico* } Actionis laus concluditur addita breui reprehenſione oratorum, qui hanc exercitationem negligunt : & tranſitus fit ad doctrinam, quam Craſſus neceſſariam eſſe probat a repugnantibus : Natura & ueritas per ſe ad agendum ſatis non eſt : ergo arte, & praeceptis inſtruenda eſt. OMNIS *enim* } Actio ſiue pronunciatio (utrumque enim pro eodem dicitur) diuiditur in tres partes, uultum, ſonum, & geſtum: quarum duae ad oculos perueniunt, uultus & geſtus : tertia ad aures, ſonus : ſed uultus ſub geſtu comprehendi poterat: & in quibuſdam rhetoricis comprehenditur. Primum, & generale artis huius praeceptum eſt, ut uultus uocis & geſtus in agendo tot mutationes fiant, quot ſunt affectuum, & cogitationum animi: & ſingulis cogitationibus affectibusq. accommodetur ſuum genus, & uocis, & uultus, & geſtus: quod praeceptum declaratur ſimilitudine fidium : ut enim organorum chordae ad tactum digitorum, & plectri uarie reſpondent: ita uox, uultus, geſtus, affectum, & pulſum animi conſequantur neceſſe eſt. ACVTA, *grauis:* } Diſtinctiones uocis ſumuntur uel ex quantitate, ut ſit magna, parua, mediocris : uel ex qualitate, ut ſit cita, tarda, mediocris: acuta, grauis,mediocris. Itemq.lenis, aſpera : contracta, diffuſa : emiſſa continenti ſpiritu, emiſſa ſpiritu intermiſſo: fracta, ſciſſa, flexibilis, attenuata, inflata: quibus, quando,& quemadmodum oporteat uti, proprium eſt rhetoricae artis explicare : itaque Craſſus pro uarietate affectuum genera uocis diſtinguit, & exemplis poetarum illuſtrat. IMPIVS *hortatur* } Thyeſtes iratus ſic apud Ennium loquitur: nam Ennius tragoediam compoſuit,quae inſcripta erat Thyeſtes. SEGREGARE *abs te* } Antonius matutino ſermone citauit uerſus Pacuuij poetae ex Tragoedia Teucro,ubi Telamon iracunde obiurgat Teucrum reuerſum a bello Troiano ſine Aiace fratre. ECQVIS *hoc* } Actius ſcripſit tragoediam Atreum nomine, in qua tota Atreus iracunde loquitur contra Thyeſtem fratrem ſuum. QVO *nunc me* } Verſus hi ſunt ex Ennij Medea, ubi Medea,ſpreta ab Iaſone, luget uicem ſuam. O *pater,* } Verſus ſunt ex Hecuba Ennij, & in Tuſculanis etiam citantur. OMNES *autem hos* } Hactenus Craſſus docuit rhetoricam artem mutandae, & conformandae uocis pro uarijs animorum motibus, iracundia, miſeratione, metu, ui, uoluptate, moleſtia. Sequitur ratio geſtus, quae iubet ſpectare motum uel uniuerſi corporis, uel partium quarundam magis eminentium : nec uero hic generatim geſtus omnis rhetoricus informatur : nam,cum hiſtriones in ſcena uenuſte agunt, rhetorice & oratorie agunt, ſed tantum is, qui oratori politico in tractatione ciuilium cauſſarum conuenit. De geſtu totius corporis haec ſola cautio eſt, ut ne ſit hiſtrionicus : hiſtrio enim uidetur in geſtu paene nimius eſſe, & rem ipſam in ſcena geſtu magis demonſtrare, quam uerbis ſignificare conatur : quae tamen geſticulatio hiſtrionem non dedecet: at politicus orator truncum illum corporis non tam actuoſe, neque tam hiſtrionice mouebit. Atque hic geſtus eſt uniuerſus & generalis : ſpecialis autem notatur in quattuor partibus corporis, lateribus, manibus, brachio, pedibus, ut laterum motus ſit fortis, & uirilis, ut manus minus argutae ſint: nam quidam rem ipſam prius geſtu aliquo manuum repraeſentant,quam uerbis explicent,quod in oratore politico fuerit uitioſiſſimum: ut brachium ſit non incuruatum ad pectus, ſed longius diductum, & proiectum a corpore, ad ſignificandum impetum oratoriae contentionis : ut pes interdum ſupplodat in contentionibus incipiendis, aut finiendis. ANIMI *eſt enim* } De tribus partibus rhetoricae actionis duae ſunt explicatae, uox & geſtus : uultus ſupereſt, id eſt, habitus quidam oris, & oculorum, motum animi maxime declarans, ut oris, figura, & color, & lineamenta ipſa ſignificant nos eſſe triſtes, uel hilares, iratos uel placatos, erectos, aut humiles, meticuloſos, uel confidentes: idemq. iudicium habitat in oculis. Cicero in Oratore perfecto, Vt imago animi eſt uultus, ſic oculi iudices, quorum & hilaritatis, & uiciſſim triſtitiae modum res ipſae, de quibus agitur, temperabunt. THEOPHRASTVS } Hoc exemplum eſt uitioſae actionis in motu oculorum: nam Tauriſcus ille hiſtrio, de quo ſcribit Theophraſtus, inepte auertebat oculos ab his, apud quos agebat. NAM *oris* } In agendo ſpecies, & dignitas oris diligentiſſime eſt conſeruanda, cauendumq. ne aut os uaſte diducatur, aut deformiter torqueatur: ſic Craſſus Teſtio Penario illuſit mentum in dicendo intorquenti : tum ut diceret, ſi quid uellet, cum nucem fregiſſet. Lambere quoque labra, & mordere deforme eſt,ut ait Fabius: cum etiam in efferendis uerbis modicus eorum eſſe debeat motus. ATQVE *in ijs* } Craſſus probat in geſtu, & uultu maiorem uim ineſſe, quam in uoce: idq. per collationem diſſimilium effectorum : quod geſtus apud omnes gentes idem ſit, uerba eadem non ſint : & quod ſententiae acutae plerumque homines hebetes non moueant, geſtus uero moueat. AD *actionis autem* } Ad pronunciandum uocis bonitas primum nobis optanda eſt, ut ſit firma, & ſuauis, ut liberalis, ut enucleata, ut fauces integrae ſint, id eſt, molles, & laeues, quarum uitio frangitur, & exaſperatur, & obſcuratur, & ſcinditur uox,ut ait Fabius: deinde eadem nobis tuenda eſt ambulatione, unctione, continentia, facili ciborum digeſtione : ſed ars tuendae uocis ad rhetoras non

pertinet,

pertinet, uerum ad medicos, & ad phonaſcos, qui olim Romae erant magiſtri exercendae uocis. Sᴇᴅ *illud uidetur* ʒ hoc praeceptum Craſſi rhetoricum eſt de mutatione, & inflexione uocis pro condicione rerum, & affectuum: nam eadem, & perpetua uocis contentio uitioſiſſima eſt: idq. uitium appellatur a Graecis μονοτονία, ut ait Fabius lib. 11. id eſt, una quaedam ſpiritus, & ſoni intentio: ut ſi dicamus omnia clamoſe, quod inſanum eſt: aut intra loquendi modum, quod motu caret: aut ſummiſſo murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio. Iᴛᴀǫᴠᴇ *idem Gracchus,* ʒ praeceptum proximum illuſtratur exemplo Caij Gracchi, cui concionanti, ut ait Fabius cap. 10. lib. 1. conſiſtens poſt eum muſicus, fiſtula quam τονάριον uocant, modos, quibus deberet intendi, miniſtrabat. Is fiſtulator, ut ait Gellius cap. 11. lib. 1. in circumſtantibus ſtabat occultius, qui fiſtula breui ſenſim grauiuſculum ſonum inſpiraret ad deprimendum, ſedandumq. impetum uocis eius. Eɢᴏ *uero,* ʒ digreſſiuncula eſt Craſſi in querimoniam ſui temporis, in quo ſenſim excitabantur ſeditiones inter Marium, & Sullam, quae poſtea magnam perniciem reipublicae attulerunt. Iɴ *omni uoce* ʒ Craſſus declarat uſum fiſtulae Gracchanae, prohibetque, ne uel grauiſſimo ſono uocis utamur, quia, cum uix audiatur, animos audientium excitare non poteſt: uel acutiſſimo, quia, cum ſit immodicae claritatis, & ſupra modum, neque inflecti, neque intendi poteſt, ut ait Fabius lib. 11. Medius itaque modus probandus eſt, in quo tres ſonorum gradus diſtinguuntur, grauis, acutus, & temperatus. Eᴅɪᴅɪ, *quae potui,* ʒ tertius dialogus concluditur laude Craſſi, cuius primae partes fuerunt in hac diſputatione, & Quincti Hortenſij, cuius exemplo Cotta, & Sulpicius excitantur ad eloquentiae ſtudium. Aᴄ *uellem* ʒ Hortenſius Lucio Craſſo Quincto Mucio Scaeuola conſulibus primum in foro dixit, & apud hos quidem conſules: & cum eorum, qui adfuerunt, tum ipſorum conſulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio diſceſſit probatus, ut ait Cicero in Bruto: Tum Hortenſius agebat annum aetatis ſuae decimumoctauum, cum cauſſam defendit Africae contra praetores: poſtea etiam dixit pro Nicomede regis Bthyniae. Nᴏɴ *enim ille* ʒ Cotta, & Sulpicius decem annis Hortenſio maiores erant, ut ſcribit Cicero in Bruto.

PAVLLVS. MANVTIVS. Qᴠᴀᴇ, *nemo eſt tam firmo ingenio, & tanta confidentia, Quin refugiat timido ſanguen* ʒ & ſententia uidetur poſtulare, Timido ſanguine: & ita eſt in quattuor ueteribus libris, quibus nunc ad hanc emendationem utor. Sanguen tamen lib. 5. de Fin. legitur: & id agnoſcunt Nonius, & Priſcianus lib. VI. quod ſi, Sanguen, legatur; patebit, aut mendoſum eſſe illud, Quae, aut abundare. in antiquo quidem Borromaei libro coniungitur cum ſuperiore uerſu: hoc modo, Cruciatum, necemque. ſed metri ratio repugnat.

PRAESTANTISSIMO

VIRO

IACOBO · GORSCIO

IVRIS · VTRIVSQVE · DOCTORI

CANONICO

CRACOVIENSI · GNESNENSI · PLOCENSI

NAE praeclare mecum eſt actum : & magna Stanislao Nyegoſſeuuski , illuſtri adoleſcenti , quique , quod ualet , ualet autem plurimum , (ut de eo felicia omnia augurari facile liceat , & ſecunda omnia ſperem) magna Tibi ex parte acceptum referat , gratia mihi referenda eſt ; quod , cum de Te multa collocuti eſſemus, quae ad Tuam gloriam uel maxime pertinent , ad Tuam mihi amicitiam aditum ſit pollicitus . Eſt hoc eius humanitatis , qua praeſtat . erit illud Tuae uirtutis , qua iam Tuis notus , alienioribus nobis quoque obſeruandus es . Scriptis tuis eruditiſsimis hoc es aſſecutus . Quae enim de Figuris , quae de Periodis , quae de Generibus Dicendi , quae de Dialecticis a Te ſunt litteris mandata, nomen tuum illuſtrant. Ea uero ſic me affecerunt , ut miro ſemper flagrarim deſiderio Te ſalutandi . Nam, cum in Polonos omnes (quod iudicio excellere eos ſemper iudicarim) optime ſim animatus ; tum uero Tui ſimilibus omnia me debere officia cenſeo . Et ſane habet Rex potentiſsimus , idemq. uere Rex , quod gaudeat , eius Regni ſe Regem eſſe , qui inter alia Regna litterarum laude praecipuas ſibi partes uindicet . Illuſtriſsimus Zamoſcius magnae ſuae uirtutis ſpecimen , iuuenis cum adhuc eſſet , in Italia dedit . Quam bellicis triumphis poſtea inſigniorem fecit : maximas de Moſco uictorias reportans , & Polonum nomen , illuſtrem antea , & ho-

ſtibus

ſtibus formidabilem, glorioſiorem reddens. Patricius quoque, me puero, maximam ſui exſpectationem concitauit. quam poſtea facile ſuperauit. De notis de facie loquor. nam, omnes ueſtrates ſi uellem recenſere, qui mihi fama noti ſunt, dies me prius, & charta deficeret. Sint haec igitur pauca Tibi ſummae obſeruantiae meae indicium. quam Tibi primum ipſi, deinde aliis notam eſſe uolo.

Venetiis. Kal. Febr. ∞ D X X C I I I.

Tuarum uirtutum obſeruantiſſimus,

Aldus Mannuccius, P.F. A.N.

IN

M. TVLLII. CICERONIS DE CLARIS ORATORIBVS LIBRVM QVI. DICITVR. BRVTVS

ARGVMENTVM

CVM Cicero praeceptis Oratorem tribus de Oratore libris informaſſet, eum hoc libro quaerit, exemplisq. in illuſtri poſitis loco, qualis eſſe debeat, oſtendit. Jtaque oratorum, immo ſcriptorum paene omnium, qui uel in Graecia, uel in Jtalia floruiſſent, initia, aetates, progreſſus, uitia, & uirtutes collegit, ut cum Romani adoleſcentes, tum aliarum gentium eloquentiae ſtudioſi, quanta ſit res eloquentia, perſpicere, & ſuperiorum uitia Oratorum euitare, uirtutes uero poſſent imitari. Jnterea quoque, dum haec facit, ſi quid in eorum, quorum nomina recenſet, uita memorabile exſtitit, illud, tamquam ſermonis condimentum, inſpergit: & praecepta, uel myſteria potius eloquentiae, aptis atque idoneis locis patefacit: adeo ut, ſi nulli exſtarent Rhetorici libri, ex hoc uno Dialogo ars ipſa obſeruari, notari, & conſtitui praeclare poſſe uideretur. Atque ille haec omnia, ſermone in certas perſonas diſtributo, contexuit: ex quo non utilitas modo, ſed delectatio quoque, & quidem maxima huius operis aeſtimari poteſt, praeſertim ſi decorum, grauitas, lepos, & uenuſtas adſit: quae certe, quamquam & in alijs Ciceronis Dialogis, in hoc tamen tanta ſunt, ut omnes Muſae, & Gratiae, ad hunc conficiendum concurriſſe uideantur. Quod ſi quis miretur, Ciceronem, quod nemo umquam feciſſe legitur, clarorum expoſitionem Oratorum, hoc eſt meram hiſtoriam, Dialogo tractaſſe, reſpondendum erit, mirandum quidem, ſi uitam & res eorum geſtas narrare ei propoſitum fuißet: uerum, cum tempora, uitiaq. & uirtutes Oratorum, quod ad orationem attinet, quoq. modo & per quos coaluerit eloquentia, donec ad ſummum paene perducta eſt, explicare ſibi propoſuerit, id nulla ratione melius facere potuit, quam Dialogi ſtylo, quo enumeratio alioqui ſubmoleſta, uarietate ſermonis, ac ſuauitate condiretur. At puram hiſtoriam, nullo modo, cum ipſamet ſatis ma-

gnam

gnam perſonarum, ſermonumq. & factorum uarietatem ſuppeditet, atque in alio quodam dictionis genere, ut poſtea dicam, uerſetur. Jam illud uidendum eſt, in hac tanta Oratorum uarietate deſcribenda, ſit ne aliquam tractandi uiam, quam Methodum uocant, ſecutus. nam hoc nemo adhuc in hoc libro conſiderauit. Ego autem, qui hoc primus quaero, idem etiam dico, nullum opus ſine uia, & ratione hunc magnum uirum umquam perfeciſſe. Quippe, aut uia illa nota diuidendi, ſiue diſſoluendi, aut componendi omnem ſuam tractationem ſuſcepit. Quare ne hoc quidem opus artificioſa quadam ratione carere uoluit, in quo explicando, uiam illam naturae notiſſimam ſecutus eſt, quam συνταχτικὴν, καὶ σύνθεσιν *Graeci uocant. Exorſus enim a minimis eloquentiae, ac Oratorum principijs, & quaſi elementis, maioribusq. ſenſim additis, rem eo deduxit, ut aut iam perfectus Orator ſuis omnibus partibus, & ornamentis, oſtenderetur; aut parum admodum ad eius perfectionem deeſſe uideretur. qui quidem Orator, aut Demoſthenes ipſe apud Graecos, M. Tullius Cicero apud Latinos unus extitit, aut nullus omnino. Sed, quoniam unus ſit neceſſe eſt, & nemo alius perfectior inueniatur, hic erit unus omnibus eloquentiae ſtudioſis imitandus, & amandus. Hunc autem Dialogum eum perfeciſſe conſtat, cum belli Africi, & Hiſpanienſis tempore, Caeſare dictatore, ad honeſtum, & litteratum otium ſe contuliſſet. Nam, cum poſt libros de Repub. nihil edidiſſet, ab Attico, & Bruto rogatus, hoc praeclarum opus confecit: & poſt tres de Oratore libros, quaſi quartum, ut ipſe teſtatur, collocauit. Verum nos, longioris praefationis cura Junioribus, ad ſibi conciliandos auditores, relicta, ad libri huius inſcriptionem conſiderandam mentem, orationemq. conuertimus.*

PAVLLVS . MANVTIVS

SCRIPTVS *hic liber poſt uictum Pharſalico proelio Pompeium, ante confectum Africanum bellum. nominatur enim infra, tamquam uiuus, P. Scipio, Pompeij ſocer, qui ſuperatus a Caeſare in Africa ſibi ipſe necem conſciuit. praeterea, cum de mortuis oratoribus hic mentio fiat, non omiſiſſet Cicero M. Catonem, ſi iam obijſſet. is autem ſe ipſe interfecit Uticae, profligatis a Caeſare Pompeianorum, & regis Iubae copijs. omiſit autem eum Cicero, ne Caeſarem offenderet, contra quem eo tempore Cato bellum acerrime gerebat, tum reip. cauſſa, tum etiam ob ueteres inimicitias.*

INSCRIPTIONIS EXPLICATIO

M. *T. C.* ⁑ De CICERONE ſi uelim dicere, idem facerem, ac ſi clariſſimo Soli immortale lumen conarer inferre. cui non ſunt notae M. T. CICERONIS uigiliae? quibus omnes mortales, qui fuerunt, ſunt, & poſt futuris erunt in annis, ut de eo loquens Catullus ait, inſtituit, in quibus ſe totum ita effinxit, & tamquam in clariſſima tabula ſpectandum propoſuit, ut nullus Apelles, aut Lyſippus, aut Myron, eius imaginem uel pingendo uerius, uel fingendo exprimere potuiſſet. In hoc autem libro ſe M. T. C. quem ſaepius honoris cauſſa nomino, potiſſimum expreſſit: Suam enim ipſe uitam totam paene complectitur, ut ſuis locis uidebimus. DE *claris Oratoribus* ⁑ Clari, & Clariſſimi a Cicerone potiſſimum uocantur, primum qui gloria rerum geſtarum excellunt, & bellicis laudibus abundant: deinde etiam ſenatores Romani, praeſertim conſulares. quod quidem in eius ſcriptis tam eſt frequens, ut teſtimonijs afferendis immorari nihil ſit opus. Idem confirmare uidetur Vlpianus, Digeſt. libro ſecundo. l. feminae. Hos illuſtres Cornelius Nepos appellauit, cum opus ſuum de uiris illuſtribus inſcripſit. Praeterea, & hi clari dicuntur, qui eruditione celebres ſunt, & una aliqua liberalium artium inſignes: ut clari Oratores, clari Poetae, & a Suetonio illuſtres Grammatici dicti: qui tamen obſcuri maiori ex parte fuiſſent, niſi ſcriptis aliorum fuiſſent illuſtrati: quibus & illis ad immortalitatem, & nobis ad uitae inſtitutionem profuerunt. Eſt autem Clarus, tranſlatum uerbum a caeleſtibus luminibus, quae & ipſa ſua luce notiſſima ſunt, & mundum illuſtrant lumine claro. LIBER ⁑ Hinc cognoſcimus eos deceptos fuiſſe, qui tres libros eſſe dixerunt, quos etiam D. Hieronymus confutauit. Liber etiam dicitur oratio forenſis: ut oſtendit Cicero noſter, qui Verrinas actiones, & orationes in Catilinam libros appellauit: quem poſt plerique ſunt in illis citandis imitati. Librum enim Veteres quacumque de re iuſtam, & abſolutam ſcriptionem appellarunt. QVI *dicitur Brutus* ⁑ Platonem ſuum imitatur, qui, ut re ipſa conſtat, & Laertius in Platone teſtatur, ſuos libros duplici inſcriptione ornare conſueuit. Et Plato quidem ſemper uirorum nomina, rebus praeponit: ut, Phaedrus, ſiue de pulchro: Gorgias, ſiue de Rhetorica. Eundem quoque morem habuit eius diſcipulus Ariſt. teſte Laertio, qui nominat Menexenum, ſiue de moribus: & Eudaemum, ſiue de animo, dialogos. Sed Cicero hic, rem nomini praepoſuit: at in duobus dialogis de Senectute, & Amicitia, rem ſubiecit: cuius uarietatis hanc exiſtimo cauſſam fuiſſe, quod in hoc libro, ut Orator, uellet orationem creſcere, & ita terminari, ut librum uolebat appellari. Bruti enim nomen Ciceroni maius fuit, utpote non ſolum Oratoris clariſſimi, uerum etiam Romanae ciuitatis principis, & amiciſſimi Ciceronis, quam praeteritorum oratorum: In alijs uero, ut philoſophus ipſe quoque a proprio incepit nomine, ut Laelius, uel de Amicitia: Cato, uel de Senectute. Aut fortaſſis etiam ita fecit hoc in libro, ut contrariam imitationem Platonis innueret: Plato enim, Socratis inducta perſona, in Gorgia, & in Phaedro oratoribus omnia detrahit: at Cicero, cum hic, tum in alijs Oratorijs libris omnia quaecumque dictione explicari poſſint, Oratoribus ſubiecit. BRVTVS autem dicitur, uel quod hic liber BRVTO ſit inſcriptus, ad quem etiam Orator, libri de Finibus bonorum, & malorum, Tuſculanae quaeſtiones, libri de Natura deorum, Paradoxa, & Epiſtolae multae ſunt a Cicerone ſcriptae, & miſſae. Vel BRVTVS iccirco inſcriptus eſt, quod is primas, poſt Ciceronem ipſum libri auctorem, quaſi partes agat in hoc ſermone, ſiue dialogo, qui rogatu ipſius ſit confectus. Et ſane libri, & opera, frequenter a perſonis, quae ſaepius loquuntur, uel primas agunt partes, inſcribi ſolent, ut Alcibiades, Cato, Amphitruo, Odyſſea: uel a re, materia ue, de qua ſcribitur, & de qua diſputatur, aut quae ſaepius nominatur, ut de Natura deorum, de Officijs, Rudens: uel a loco, ut Tuſculanae, Andria. Porro, Hic eſt M. Iunius Brutus, ex illa antiqua Iunij gente, qui, libertatis Romanae Tarquinijs exactis, uindex ſeueriſſimus fuit: quem hic noſter imitatus, unus ex Principibus Caeſaris percuſſoribus, cum Caſſio, & Decimo Bruto fuit: qui poſt in Philippicis campis perijt, cuius uitam Plutarchus ſatis diligenter eſt perſecutus. Quoniam uero hic liber Dialogus eſt, ut ſupra indicauimus, ante quam ad eius explicationem ueniamus, de Dialogi ratione in uniuerſum pauca delibabimus.

De confectione Dialogorum pauca ſcitu digna.

CVM tria ſint, uel Platone Proculoq. auctore dictionis genera: unum, quod actione, & imitatione continetur: alterum, narratione ſine imitatione: tertium, ex his mixtum: certum eſt, dialogos, comoediaſque, ad primum referri genus: ad Hiſtoriam, ſecundum: tertium, ad poeſim, qualis eſt Homeri, ac Virgilij.

Dialogi inuentorem quidam, teſte Laertio in Platonis uita, Zenonem Eleatem exiſtimarunt: ſed Phauorinus, Ariſtotelis in primo de Poetis teſtimonio, Alexamenum Teium, fuiſſe perhibet. Idem ſentit Athenaeus. Verum Plato hoc ſcribendi genus uehementer excoluit, ac perpoliuit: quem poſt multi ſecuti ſunt, Ciceroq; in primis, qui & reliquos omnes ſuperauit.

Dialogus, trium artium adminiculo, ac praeceptis inſtructus eſſe debet: Dialecticorum, propter rationem in utramque partem differendi: Oratorum, propter elocutionem, genusq. dicendi: & denique poetarum, propter imitationem, & perſonarum cum decoro ſermones.

Genus dicendi in dialogis proprium, aequabile, & temperatum eſſe debet, uel ipſo Cicerone teſte. etiamſi ipſe in pleriſque grandior ſit, quod dignitas perſonarum quas loquentes facit, poſtulaſſe uidetur. Interdum tamen & tenuis adhibetur figura, cuiuſmodi in Oratorijs partitionibus apparet.

Iam, quid ſit Dialogus, eſt proferendum. Eſt autem Dialogus, imitatio perſonarum de rebus honeſtis, & inquiſitione dignis, oratione ſoluta cum dignitate differentium, agentis uel narrantis modo expreſſa. VEL, eſt Sermo in certas perſonas pro cuiuſque dignitate diſtributus, ſoluto dicendi genere, cum imitatione agentis, uel narrantis modo expreſſus.

Imitatione tria ſunt exprimenda, Actio, Sententia, Mores. Actionis eſt ſermonis inter perſonas communicatio: Sententia argumentatione, ac diſputatione, hoc eſt, quaeſtionis poſitae explicatione continetur: ad Mores uero ea omnia referuntur, quae leporis & humanitatis gratia extra ipſam ſententiam ſiue diſputationem, ad mores loquentium exprimendos inſeruntur, ex quo moratus dicitur ſermo.

Dialogi partes duae ſunt primae: Apparatus ſiue praeparatio, & Contentio ipſa ſiue diſputatio. Quod uero ad partes illas Oratoriae orationis attinet, omnes habere Dialogus poteſt, praeter Perorationem. Nam fere colloquentes ſine ulla dictorum, uel enumeratione, uel amplificatione diſcedunt.

Reliquum eſt, ut, qui ſit ſermonis in hoc genere modus, oſtendamus. Ad quod intelligendum duo illa uerba, quae in Dialogi definitione poſuimus, ſunt expendenda. Diximus enim Dialogum eſſe imitationem agentis, uel narrantis modo expreſſam. In quibus uerbis duos ſermonis explicandi modos eſſe diſcimus: alterum agendo, narrando alterum. Agere, eſt ipſas perſonas tamquam praeſentes inducere, ſiue illae eiuſdem ſint aetatis cum ipſo auctore, ſiue ſuperioris.

Inter praeſentes eiuſdem aetatis, ut Cicero fecit in libris de Legibus, Tuſculanarum diſputationum, & in Oratorijs partitionibus. Inter eos autem, qui alio ſaeculo uixerunt, ut idem in Laelio, & Catone fecit. In hoc poſteriore illud cauendum eſt, ne auctor ipſe umquam niſi in prooemio loquatur.

Secundus tractandi modus narratione continetur. Id fit, cum ſermonem ſiue diſputationem aliquam Dialogo complectimur, quam uel nos ipſi audiuimus, uel ab ijs, qui audiuerunt, interfueruntue, accepimus. Cuius etiam ſunt genera duo: Vnum, cum auctor ipſe locum inter colloquentes habet: alterum, cum ſe tantum ſermonis ducem conſtituit. Prius illud per INQVAM, & INQVIT, perficitur: Hoc uero alterum per INQVIT tantum. In priore genere ijs perſonis tribuitur ſermo, quae eodem cum auctore ſaeculo uixerint: Abſurdum enim eſſet auctorem eas perſonas ſecum loquentes facere, quae alio ſaeculo fuiſſent. In poſteriore, non uſque adeo abſurdum foret, in quo non ſe quidem illorum ſermoni interfuiſſe auctor profitetur, ſed ab ijs accepiſſe, qui uel ipſi a mortuis audiuerint: uel ab ijs, qui ipſi quidem audire non potuerint, uerum ab ſenioribus de alijs narrantibus acceperint. Huius generis, in quo auctor ipſe nullas ſibi ſumit una cum alijs loquendi partes, & ubi INQVIT tantum uſurpatur, unum eſt apud Ciceronem exemplum in libris de Oratore ad Q. Fratrem: prioris autem ubi INQVAM, & INQVIT, ſunt omnes ceteri, praeter ſupra nominatos, Laelium de Amicitia, & Catonem de Senectute, & Oratorias partitiones. In his quoque duobus generibus, illud quoque eſt obſeruandum, ne ab illis uerbis, INQVAM, & INQVIT, ulla comprehenſio ducat initium, ſed inter alia uerba collocentur, interdum etiam in comprehenſionis fine: quin etiam nonnumquam uerbum ipſum reticetur, ad uitandam ſatietatem: id quod tum in alijs, tum in hoc ipſo Dialogo erit perſpicuum: neque hoc ſolum, uerum etiam alia, quae de Dialogi confectione diximus, in Platonis, ac Ciceronis Dialogis inuenient ij, qui in eorum lectione erunt multum diligenterq. uerſati.

IN

IN
M. TVLLII. CICERONIS
DE
CLARIS. ORATORIBVS
LIBRVM
QVI. DICITVR. BRVTVS
Commentarius.

CICERO

CVM e Cilicia decedens Rhodum ueniſſem; & eo mihi de Q. Hortenſij morte eſſet allatum; opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. nam &, amico amiſſo, cum conſuetudine iucunda, tum multorum officiorum coniunctione me priuatum uidebam: & interitu talis auguris dignitatem noſtri collegij deminutam dolebam. qua in cogitatione, & cooptatum me ab eo in collegium, recordabar; in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat; & inauguratum ab eodem: ex quo augurum inſtitutis in parentis eum loco colere debebam.

EXPLANATIO

CVM.] Prooemium eſt, narrationem, & interpoſitos animorum motus continens: in quo dum de Q. Hortenſij interitu narrat, ita dolet, ut ſe uirum bonum eſſe oſtendat: & beneuolentiam a ſua, & maleuolorum perſona conciliet, qui longe ſecus de ipſius in Hortenſium animo exiſtimarant. Adiungit Hortenſij laudem, eum ab eloquentia commendans: quod dum facit, quanta laude digna ſit eloquentia, innuit: & futuri ſermonis ſemina iacit. In fine R. P. oppreſſionem calamitatesq. deplorat. CILICIA.] In qua proconſul ea geſſit, quibus apud Iſſum Imperator appellatus, decretis iam ſupplicationibus, triumphaturus erat, niſi bellum ciuile impediuiſſet, ut ad Tironem ipſe ſcripſit, & nos infra pluribus oſtendemus. Eſt Cilicia Syriae proxima, ad mare, inter Taurum montem & Amanum: dicta a Cilice Phoenicis filio, ut Solinus: uel, a Cilice Phoenice, Agenoris filio, ut Herodotus lib. 7. Ea nunc Caramania uocatur: cuius incolae adeo improbi & fraudulenti apud ueteres habiti ſunt, ut prouerbio inter tria peſſima κάππα numerarentur. Hinc Theopompus caedem per uinolentiam editam, κιλικισμὸν uocauit. Ab his Cilicibus inuentae ueſtes, quae Cilicia dicuntur, quibus ueteres in caſtris & nauibus, ad pellendum frigus, utebantur. Dedit haec ita notata ora philoſophos nobiles, Antipatrum, Archelaum, & duos Athenodoros Stoicos, necnon Hermogenem rhetorem acutiſſimum, & celeberrimum. DECEDENS.] Hoc uerbo Cicero fere utitur, cum de diſceſſu ex aliqua prouincia loquitur: ita ut epiſt. 6. libro tertio Famil. legendum ſit, Decedendum: non autem, Succedendum: ut in multis libris male legitur. RHODVM.] Vrbem, & inſulam, de cuius laudibus Pindarus, Strabo, Liuius, Plinius, & alij tam multa dixerunt. Clara ab Horatio dicitur: uel, quod in ea numquam, ut ait Plinius, tanta nubila obducantur, ut non aliqua hora Sol cernatur: uel, quod clara, & nobilis fuit libertate, re maritima, Romanorum amicitia, rebus geſtis, coloſſo, pictura, & artibus liberalibus. In ea enim docuerunt Poſidonius, & Molo,

Ciceronis & Caeſaris praeceptor, ut infra dicemus. Ea nunc omnia ſilent, Turca dominante. Rhodum porro dictam a Rhodo nympha, quam Apollo amauit, quidam uolunt: alij a Roſa, quae Graecis ῥόδος dicitur: uel, quod pulchras ferat roſas: uel, quod, dum urbs aedificaretur, ibi inuenta ſit roſa. Sed uerius, qui a Dodamo Iauanis filio, Iapeti ſiue Iapheti nepote, litterarum affinitate Rhodum appellatam probant: Dalet enim & Reſs, Hebraica elementa, affinia ſunt ualde. In ea inſula fuit Coloſſus Iouis, ut Strabo ſcribit: uel Apollinis, id eſt Solis, ut uult Plinius, Charetis Lyndij immenſae molis opus. Sunt, qui putent Rhodios, Coloſſenſes appellatos, ad quos D. Paullus epiſtolam ſcripſit: ſed male, cum Paullus ipſe dicat, τοῖς ἐν κολασσαῖς ἁγίοις, qui ſunt Coloſſis, ſanctis: & a Plin. Colaſſae inter Phrygiae urbes numerentur, non procul a Laodiceenſibus. VENISSEM. } Ciceronum puerorum cauſſa, qui ibi erant: ut epiſt. 17. lib. 2. Fam. Q. } Id eſt, Quincti: ſic enim uocati ſunt quincto: ut Sexti, ſexto: Septimij, ſeptimo: Octacilij, uel Octauij, octauo: Nonij, nono: Decimi, decimo loco nati. HORTENSII. } De quo tam multa dicentur infra, ut ſuperuacaneum ſit hoc loco quidquam referre. A colendis hortis, dicti Hortenſij: ut Fabij, a fabis: Piſones, a piſis: Cicerones, a ciceribus: Lentuli, a lentibus ferendis. Aliqui malunt Horteſios, ex ueteribus quibuſdam monumentis: uel, quod ὀρτησίους, apud Graecos ſcribatur: quaſi uero in monumentis illis eſſe non poſſit error: & in illis non multo frequentius Hortenſios legamus: Graecos uero ita ſcribere, quod νῦ ante σίγμα raro ſoleant ponere: ſi quis Graecos melius exiſtimat ſcripſiſſe, oportebit nos dicere ſcriptores pro accentu, quo ſyllabam longam notabant, n, poſuiſſe. Terentius tamen Scaurus, Caper, Donatus, & Seruius, Grammatici nobiles teſtantur, nec Thenſaurum, nec Formonſum ſcribi debere: idem ſentit Seruius de Gigans, & Atlans. Hortenſij plebeij fuerunt, quod probant tribunipl. ex eis ſaepe facti. ALLATVM. } per nuncios, & litteras, praeſertim M. Coelij, qui ſcripſerat Hortenſium animam agere, epiſt. 13. Famil. libro octauo Att. 6. libro ſexto. OMNIVM. } Aliter hominum, eorum ſcilicet, qui putabant Hortenſium mihi amicum non eſſe: & ob id me minus doloris ex eius morte capturum. Vide Corn. Nepotem de Attici uita: item epiſt. 3. Q. F. lib. 1. Et fuit certe nonnihil aemulationis, ſed Cicero prudenter agit, qui mortuum laudat, ne cum Laruis, ut aiunt, luctari uelle uideatur. CEPI *dolorem.* } Ita magnum, ut excruciarer. Epiſt. 6. lib. 6. Att. Obſerua Bacchium pedem, dolori aptum. Itemque, Doloris uocem decies in hoc pulcherrimo prooemio repetitam, ut doloris motum in animis legentium excitaret, & oſtenderet ipſe ſuum. NAM. } αἰτιολογία. AMICO *amiſſo.* } Hiatum, & agnominationem quandam nota: &, amico, ἔμφασις eſt. CONSVETVDINE. } Qua decreueram cum eo familiariter uiuere. 6. epiſt. 6. lib. Att. OFFICIORVM. } Quae facere poſſet, ſi uiueret: uel eorum, quae in me contulit, cum ita plena manu, ita ingenue, ita ornate noſtras laudes in aſtra ſuſtulit, ut ſcire omnes poſſent, nec amantius, nec honorificentius, nec copioſius potuiſſe dici. epiſt. 25. lib. 2. Att. TALIS *auguris* } nimirum excellentiſſimi: cuius locum cum petere uellet Curtius, dictus eſt a Cic. δίβαφον cogitare. epiſt. 16. lib. 2. Fam. Nam δίβαφον, ueſtis erat auguralis. epiſt. 9. lib. 2. Att. DIGNITATEM } quae tanta fuit, ut nihil domi, nihil foris per magiſtratus geſtum ſine eorum auctoritate probari poſſet. Cic. lib. 2. de Legibus. Val. Max. lib. 1. cap. 1. Augures Ioue fulgente, cum populo agi nefas eſſe decernebant. Calatores, id eſt miniſtros habebant. In uitioſo augurio, pronunciare ſolebant Alio die. Conſuli, cum exercitus imperabatur, aderant. Duo ex eodem ſanguine, & gente eſſe non poterant. Rerum bene gerendarum auctoritates ipſorum augurio contentae erant. Augures in uilla publica, dum comitia haberentur, ſedebant. Olim nouem erant. Eorum uiolare amicitiam, non modo nefas erat, ſed ne cooptari quidem ſacerdotem licuit, qui cuiquam ex collegio eſſet inimicus. Qui non eſſet ſoluendo, legi non potuit. A duobus tantum nominari, qui cooptabatur, poterat. De quibus Feneſtella, & alij. COLLEGII } Ordinis: ut nunc ſunt collegia canonicorum, quae etiam capitula dicuntur, ſic tunc augurum fuere. DEMINVTAM } Magna Hortenſij laus, cuius morte auctoritas totius collegij deminuta, & debilitata eſſet. Pro hoc Ennius dixit, Africani morte caſtratam eſſe rempub. quod Cicero de Orat. lib. 3. non probat, propter uocis deformitatem. DOLEBAM } Et hanc περίοδον dolore, & Bacchio pede terminauit. COOPTATVM } Pro quo multi dicunt, electum, admiſſum, receptum, aſſumptum: Cicero fere cooptatum, & lectum, praeſertim cum de ſacerdotio, & de ſenatu loquitur: Philipp. 13. AB *eo* } Ab Hortenſio. Sed Philipp. 13. a Pompeio ſe cooptatum ſcribit. Solutio: Philipp. 2. Me augurem a toto collegio expetitum, Cn. Pomp. & Q. Hortenſius nominarunt. neque licebat a pluribus nominari. Cooptatus autem fuit Cicero in P. Craſſi, qui in bello Parthico perierat, locum: ut Plutarchus in uita Cic. ſcribit. IVRATVS } Tamquam teſtis meae dignitatis: quod inepti dicunt, meae ſufficientiae. Nam & teſtes iurati teſtimonium dicebant: & iudices iurati iudicabant: ut ſcribit Aſconius, & nos ſaepe in Cicerone oſtendimus. DIGNITATIS *meae* } Dignitas eſt alicuius honeſta & cultu, & honore, & uerecundia, digna auctoritas: de Inuent. libro ſecundo. Ergo dignitatis meae, qua dignus ego ſacerdotio iudicabar. INAVGVRATVM } Conſecratum hodie dicunt. Inaugurandi forma ea fuit: qua Liuius ſcribit Numam Pompilium inauguratum fuiſſe. nam eodem omnes ſacerdotes mutatis tantum quibuſdam uerbis inaugurabantur. Erat autem impoſitio manuum, cum precatione: quo ritu & Hebraei in muneribus publicis mandandis utebantur. LOCO *colere* } κακέμφατον, id eſt, turpem ſonum uidetur facere, ab ea ſyllaba incipiens, qua ſuperius finitum eſt uerbum, ut Seruius ait: quod quidem ita accipiendum eſt, ſi aliquid ex ſyllabis concurrentibus naſcitur, quod uel obſcenum ſit, uel offendat: ut Dorica caſtra: &, caeca caligine, apud Virgil. naſcitur Caca. In ceteris haec compoſitio probatur. nam Pontanus uir erudítiſſimus in Actio dialogo, complosionem quandam eſſe ait, in qua concurſus earundem ſyllabarum, & litterarum, non inſuauiter mulcet aures: ut, Ruit Oceano nox: Fama malum: Date tela. Quod, ſi uerbum unius ſillabae praecedat, etiam plus delectat: ut Philipp. 1. quae quaeſita: cum conſules: cum conſilio: & id genus alia. DE-

BEBAM }

BEBAM} Pes Moloſſus,in quo Cicero ex dolore quaſi reſpirat. Et attende compoſitionis etiam ſuauitatem, in tribus ſimiliter deſinentibus: Videbam,Dolebam,Debebam.

CICERO

Augebat etiam moleſtiam,quod,magna ſapientium ciuium,bonorumq. paenuria,uir egregius, coniunctiſſimuſq. mecum conſiliorum omnium ſocietate, alieniſſimo reip. tempore exſtinctus, & auctoritatis, & prudentiae ſuae triſte nobis deſiderium reliquerat: dolebamque, quod non, ut plerique putabant, aduerſarium, aut obtrectatorem laudum mearum, ſed ſocium potius, & conſortem glorioſi laboris amiſeram. etenim, ſi in leuiorem artium ſtudio memoriae proditum eſt, poetas nobiles poetarum aequalium morte diluiſſe: quo tandem animo eius interitum ferre debui, cum quo certare erat glorioſius, quam omnino aduerſarium non habere? cum praeſertim non modo numquam ſit aut illius a me curſus impeditus, aut ab illo meus, ſed contra ſemper alter ab altero adiutus & communicando, & monendo, & fauendo.

EXPLANATIO

Augebat *etiam moleſtiam*,} Augebatur etiam moleſtia,in quibuſdam libris legitur. Vtrumque recte. Sapientivm *ciuium, bonorumq.*} Quaſi uero,qui ſapientes ſunt, non ſint item boni: cum ſapientes a Stoicis non ſolum boni,ſed diuites etiam ſoli,& beati uocentur: & quod rectum, & honeſtum,& cum uirtute eſt,ut eſt ſapientia,id ſolum bonum dicatur: cum ſapientia item a Cicerone, modo princeps omnium uirtutum, modo bonarum omnium artium mater appelletur. Sed tum fortaſſe Cicero ſic loquitur, cum philoſophum,& quidem Stoicum agit: cum uero oratorem diſtinguit: quod Orator multitudinis opinionem ſequi ſolet,quae ſapientes eos uocat,qui multarum rerum uſum habeant: ut Catonem,& Laelium ſapientes appellatos legimus. Sic Cicero ſapientiſſimum uocat eum,cui,quod opus ſit,ipſi ueniat in mentem.Et,quoniam, qui ſint hoc modo ſapientes,ſaepe uerſuti,callidi,aſtuti,interdum etiam improbi uel ſunt,uel eſſe poſſunt,hoc loco Cicero ut orator uidetur ſapientes a bonis ſeiungere: & plus bonitati quam ſapientiae tribuere, quaſi aliquis bonus uir eſſe poſſit,ſine illa ſapientia: quaſiq. ipſius ſapientiae perfectio bonitas ſit. Hoc enim pacto neceſſe eſt,ut creſcat oratio. Si uero quis legat, ut in ueteribus libris quibuſdam legitur: Bonorum ciuium, ſapientiumque,ſua natura creſcet oratio. Vera, enim ſapientia omnia in ſe habet, quae ab ullo expeti poſſint. Paenvria} Translatio a rebus uenalibus,quae in paenuria cariores eſſe ſolent. Sic uiri boni pluris fiunt,cũ pauci. Hic obſeruanda amplificatio gradatim adſcendens,ut Cicero in Part. dicit: ſiue per incrementum, ut Quinctil. loquitur. Graue eſt amittere uirum bonum,in bonorum paenuria,& paucitate: grauius,amittere etiam uirum egregium: grauiſſimum, amittere coniunctiſſimum conſiliorum omnium ſocietate: multo grauius,eum amittere alieniſſimo reip. tempore. Vide perorat. pro Quinctio,& exord. pro S. R. Am. Alienissimo *reipub. tempore*,} Impendente bello ciuili: quo tempore reſpub. talium uirorum conſilio eget maxime. Pleriqve} Maleuoli, & maledici, quibus credendum non fuit. Locus contra rumores. Gloriosi *laboris*} Eloquentiae praeſertim,& gloriae forenſis,pro qua in defendendis cauſſis, & rep. magnos labores ſuſceperat. Vide prooemium Tuſculanarum quaeſt. Etenim, *ſi in leuiorum artium*} Duae ſunt cauſſae,cur poeticam in leuiorum artium numero reponendam putet: Prima eſt,quod Orator eſſet: altera,quod educatus Romae,ubi poetae ſero uel cogniti,uel recepti, nec in magno poſtea honore habiti. Declarat id oratio Catonis,in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in prouinciam poetas duxiſſet. Tuſcul. I. Memoriae *proditum eſt*} Litteris,& monumentis ueterum mandatum, & traditum. Poetas *nobiles*} Vt Ionem quendam, cuius hodie quoque carmina de Euripidis morte leguntur: ut Sophoclẽ, quem ferunt Euripidis morte ſic doluiſſe,ut & atratus ipſe eſſe, & ſuas tragoedias ab hiſtrionibus ſine corona agi uoluerit. Et,ut de noſtris poetis dicam, Virgilium quot poetae aequales defleuerint,ex iis opuſculis,quae Virgilij operibus addi ſolent, ſatis apparet. Sed & Ouidins Tibulli mortem longo carmine defleuit. Morte *doluiſſe*} Aliter,Doluiſſe morte. ille paeon tertius: hic diiambus. Qvo *tandem animo*} Iniquiore certe. Locus ex minore. Gloriosivs} Eſt enim glorioſum cum magnis uiris certare,etiam ſi eos uincere non poſſis: nam,ut ait Aiax in Metamorphoſi,apud Ouidium:

— Quidquid ſperauit Vlyſſes,
Ipſe tulit pretium iam nunc certaminis huius:
Qui,cum uictus erit,mecum certaſſe feretur.

Qvam *omnino aduerſ. non hab.*} Nam ſine certamine non eſt uictoria. Cvrsvs} Honoris,& gloriae: Vt enim curſus curſu,ſic in uiris fortibus,uirtus uirtute ſuperatur: ut Cicero in Antonium 14. uere dixit. Eſt igitur Curſus trans latum uerbum. Impeditvs} Quippe cum ego mihi illum, ſibi me ille anteferret, ut infra ait. Amamus uero,ut Ariſt. 2. Rhet. ait,pares,atque eiſdem ſtudiis deditos, niſi forte nobis impedimento fuerint: aut ex eadem arte uictum quaeſierint: tunc enim accidit,quod ait Heſiodus: Et figulus figulo inuidet. Adivtvs} Contentio: Opponitur ei,quod dixit, Impeditus. Commvnicando} Vt decet amicos. nam nihil dulcius,quam habere,qui cum poſſis,ut tecum,omnia communicare. Et *monendo*} Et monendi ſaepe ſunt amici,& obiurgandi: & haec accipienda amice,cum beneuole fiunt: ut ipſe in Laelio ait,

FA-

Favendo ʒ Vt mihi fauebat ille, cum laudes meas in aſtra tollebat. lib. 2. Att. Epiſt. 25. Et cum paene ſer-uorum manu interficeretur, cum adeſſet Ciceroni. Pro Mil. Et obſerua adiutus tamquam genus ad tria, quae ſequuntur. Itemq. ſimiliter deſinentia tria, & diiambum.

CICERO

S*ED, quoniam, perpetua quadam felicitate uſus, ille ceſſit e uita, ſuo magis, quam ſuorum ciuium tempore; & tum occidit, cum lugere facilius remp. poſſet, ſi uiueret, quam iuuare; uixitq. tamdiu, quam licuit in ciuitate bene beateq. uiuere: noſtro incommodo, detrimentoque, ſi eſt ita neceſſe, doleamus; illius uero mortis opportunitatem beneuolentia potius, quam miſericordia proſequamur; ut, quotieſcumque de clariſſimo & beatiſſimo uiro cogitemus, illum potius, quam noſmet ipſos, diligere uideamur. nam, ſi id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet: noſtrum eſt id malum: quod modice feramus; ne id non ad amicitiam, ſed ad domeſticam utilitatem referre uideamur. ſin, tamquam illi ipſi acerbitatis aliquid acciderit, angimur: ſummam eius felicitatem non ſatis grato animo interpretamur. etenim, ſi uiueret Q. Hortenſius, cetera fortaſſe deſideraret una cum reliquis bonis & fortibus ciuibus; hunc autem aut praeter ceteros, aut cum paucis ſuſtineret dolorem, cum forum populi R. quod fuiſſet quaſi theatrum illius ingenij, uoce erudita, & Romanis Graeciſq. auribus digna ſpoliatum, atque orbatum uideret.*

EXPLANATIO

S*ED, quoniam, perpetua quadam felicitate uſus* ʒ Quippe qui ſummis ornamentis fortunae praeditus eſſet: pro lege Manil. Et in omnium rerum abundantia ſemper beatiſſime uixiſſet: queraq. uideretur felicitas ipſius, qua ſemper eſſet uſus, ab eis miſeriis, quae conſecuta ſunt, uindicaſſe. Infra. Cessit *e uita* ʒ Ita quidem, ut non minus illi fuerit gratulandum, quam Q. Catulo, duobus Lucullis, & Q. Metello: qui cum ſine inuidia in rep. floruiſſent, eminuiſſentque, ſine periculo quieta, aut certe non praecipitata ante initium bellorum ciuilium, morte functi ſunt. Paterculus. Svo ʒ Sibi apto, & perpetuae felicitati conueniente, ut dies ultima, quae ſemper eſt exſpectanda, primis reſponderit: cum aliter ſaepe ſoleat euenire, ut de Priamo, & Pompeio, & aliis legimus. Idem fere de Lentulo ep. 6. lib. 2. Att. Vel, Suo, id eſt fatali, ut infra: Q. Hortenſij uox exſtincta fato ſuo eſt. Svorvm *ciuium tempore* ʒ Cum alieniſſimo reip. tempore ſit exſtinctus: Supra. Tvm *occidit* ʒ L. Paullo, & C. Marcello coſ. cum ageret annum 64. Infra. Qvam *iuuare* ʒ Cum iam tum Caeſar ita conualuiſſet, ut in uno ciue reſp. ad reſiſtendam eſſet imbecilla. Att. lib. 7. epiſt. 3. Qvam *licuit* ʒ Dum licuit, & Quamdiu licuit, dicimus. Licuit uero uſque ad ea tempora, quae paullo ante diximus. Tunc enim uox Hortenſij exſtincta eſt ſuo fato. Ciceronis uero, & aliorum, publico, & uiolento, ut infra dicet. In *ciuitate* ʒ Libertate, ut Cicero ipſe pro Cor. Balbo uidetur interpretari. Seruos bene de rep. meritos perſaepe libertate, ideſt ciuitate publice donari uidimus. Aut, In republica. nam & ueteres Graeci τὴν πόλιν πολιτείαν uocabant: & Cicero ſaepe ex Platone remp. uertit: ut epiſt. 1. Q. F. & 8. lib. 1. Fam. Bene *beateq.* ʒ Quod nihil eſt, niſi honeſte, & recte uiuere. Parad. 1. Si *ita neceſſe eſt* ʒ Si uitare dolorem non poſſumus. Opportvnitatem ʒ Cum ſuo tempore ceſſerit e uita. Illvm ʒ Qui, quas nos pati cogimur miſerias, non ſit paſſus. Nosmetipsos ʒ Qui tali animo ſimus priuati. Nam, *ſi id dolemus* ʒ Ad propoſitum ſubiecta ratio, quam complexione tractat, hoc modo: Aut noſtra, aut ipſius cauſſa dolemus. Si noſtra, uidemur non eſſe amici, qui noſtris incommodis moueamur. Sin ipſius cauſſa, non intelligimus, quanta fuerit ipſius felicitas prius exſtingui, quam in has miſerias incideret. Hac complexione uſus etiam eſt in principio dialogi de Amicitia, & lib. 5. Fam. epiſtolis aliquot, praeſertim Titio, & Sextio ſcriptis. Sumpſit autem ex Platonis Apologia, & Epitaphio. Ne *id, non ad amicitiam,* ʒ In Laelio, Suis autem incommodis grauiter angi, non amicum, ſed ſeipſum amantis eſt. Eſt enim amare, uelle alicui bona euenire, non ſua, ſed ipſius cauſſa, quē diligit. Ariſt. Rhet. 2. Quem locum ſic uertit Cicero de Amicit. Amare, nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere, quem amas, nulla indigentia, nulla utilitate quaeſita. Amicitia eſt uoluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipſius cauſſa, qui diligit, cum pari eius uoluntate. de Inuent. lib. 2. Acerbitatis *aliquid* ʒ Tamquam ante diem perierit: &, ut ait Poeta,

— Tamquam ſit funere merſus acerbo:

Aut ſit in morte aliquid paſſus mali: nihil enim ei mali accidit, ut in Laelio de Scipione ait, & pluribus diſputat in 1. Tuſc. Svmmam ʒ Supra, perpetuam appellauit. Felicitatem ʒ Quam eſſe uitae proſperitatem cum uirtute coniunctam ſcribit Ariſt. Rhet. lib. 1. uel ut Cic. in oratione Poſtum. Felicitas eſt proſpera, aequabilis, perpetuaq. fortuna, ſecundo uitae, ſine ulla offenſione, curſu. Non *ſatis grato animo* ʒ Tamquam eius bono doleamus: & ingrati naturae, eius felicitatem non fuiſſe talem, qualis re uera fuit, quaſi dicamus: ſi exiſtimamus Hortenſio aliquid acerbitatis accidiſſe: accidiſſet ſi uiueret. Etenim *ſi uiueret* ʒ Subiecta ratio, & confirmatio. Cetera ʒ ut leges, ut libertatem. Fortasse ʒ Mirum eſt Ciceronem de Hortenſio dubitanter loqui, an eſſet quae reliqui boni, in repub. deſideraturus: ſed prudenter facit, qui de incertis, & futuris, ut aiunt, contingentibus nihil affirmet: fieri enim potuit, ut Caeſaris partes eſſet ſecuturus, aut certe non eſſet oppugnaturus, ut plerique alij uiri etiam boni habiti, ut Curio, ut Ser. Sulpic. Hvnc ʒ

Quem

Quem ego ſuſtineo, & omnes oratores ſentire debent. Iacit enim iam nunc quaedam quaſi ſemina eorum, quae de oratoribus eſt dicturus. Avtem *&c*] obſeruanda eſt locutio, in qua, ET, AVT ſibi reſpondent, niſi uelimus legere ſine ET. quod mihi non improbatur, cum ſit inuſitata Ciceroni complexio. Voce] Sua, & Graecis, quibus eruditionem concedimus, audiretur. Orbatvm] Cum ſit nunc in unius poteſtate reſpubl. qui poſſit, & fortaſſe etiam ſoleat, dicere:

—— Sit pro ratione uoluntas,

Oratorum uoces conticeſcunt. Infra: Maxime uero perſpecta eſt utriuſque noſtrum exercitatio paullo ante, quam perterritum armis, hoc ſtudium, Brute, noſtrum conticuit ſubito, & obmutuit. Et *Romanis, Graecisq. auribus digna*] Id eſt, quae non modo Romanis, uerum etiam Graecis, a quibus orta eſt eloquentia, poſſet ſatisfacere. Spoliatvm, *atque orbatum*] Illuſtrat translatis uerbis: & ſpoliatum, nudatum, priuatū a ueſte, & ornamentis: Orbatum, ab oculis primum, deinde a liberis patre priuatis, ut Infra: Orbae eloquentiae quaſi tutores relicti ſumus. Interdum translatis miſcet propria: In Acad. Ea philoſophia, quae confundit uera cum falſis, ſpoliat nos iudicio, priuat approbatione, omnibus orbat ſenſibus.

C I C E R O

EQVIDEM angor animi, non conſilij, non ingenij, non auctoritatis armis egere remp. quae didiceram tractare, quibuſq. me aßuefeceram, quaeque erant propria cum praeſtantis in rep. uiri, tum bene moratae & bene conſtitutae ciuitatis. quod ſi fuit in rep. tempus ullum, cum extorquere arma poßet e manibus iratorum ciuium boni ciuis auctoritas & oratio; tum profecto fuit, cum patrocinium pacis excluſum eſt aut errore hominum, aut timore. ita nobiſmet ipſis accidit, ut, quamquam eſſent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus; quod, quo tempore aetas noſtra, perfuncta rebus ampliſſimis, tamquam in portum confugere deberet, non inertiae, neque deſidiae, ſed otij moderati, atque honeſti; cumq. ipſa oratio iam noſtra caneſceret, haberetq. ſuam quandam maturitatem, & quaſi ſenectutem; tum arma ſunt ea ſumpta, quibus illi ipſi, qui didicerant eis uti glorioſe, quemadmodum ſalutariter uterentur, non reperiebant. itaque ij mihi uidentur fortunate, beateq. uixiſſe, cum in ceteris ciuitatibus, tum maxime in noſtra, quibus cum auctoritate, rerumq. geſtarum gloria, tum etiam ſapientiae laude perfrui licuit.

E X P L A N A T I O

EQVIDEM *angor animo*,] alij legunt Animi. ſed Ciceroni cum ſexto caſu uſitatum eſt, cum ſecundo nuſquam Angor uerbum inuenitur, quamquam in aliis auctoribus ueteribus inueniatur, Angor animi: ut, Animi dubius, dixit Virgilius: Pendeo animi, Cicero & Plautus: Diſcrucior animi, Plautus: Excruciat animi, Plautus, & Terentius: Labor animi, & miſer animi, Plautus: Incertus animi, Liuius. Eqvidem] Ratione ſubiecta, atque de ſe coniectura facta, docet quid facturus eſſet Hortenſius, ſi uiueret. Equidem ualde doleo, atque diſcrucior. Valet autem in paribus ratio. Non] Repetitio, ſiue regreſſio, & relatio, quae ἐπαναφορὰ, & ἐπιβολή, ab iis, qui ſcribunt de figuris, uocatur. Non *conſilij &c.*] Quibus ualere poſſemus. nunc pilis, & gladiis, non conſiliis, neque auctoritatibus noſtris de iure publico diſceptatum eſt, ut ad Marcellum, & ad Torquatum ſcripſit. Et Conſilij, in dicenda ſententia: Ingenij, in orando: Auctoritas, in exſequendo, iubēdo, uetando, permittendo. Ingenium enim ſaepe pro facultate dicendi, uel pro doctrina capitur apud Cic. Infra: Vt hominis decus eſt ingenium, ſic ingenij lumen eſt eloquentia. Armis] Arma ſunt cuiuſque generis inſtrumenta. Transfertur ad animi res: ſic arma ſenectutis dicuntur artes, & exercitationes, de ſenectute. Arma prudentiae dixit de Oratore. Quinctilianus Arma facundiae. Neque tamen hoc loco Cicero aliud uoluit ſignificare, quam conſilium, ingenium, & auctoritatem: ſed ita locutus eſt, quoniam mentio fiebat de repub. Caeſarianis armis oppreſſa. Eſt igitur a re militari ſumpta translatio. Egere *rempub.*] Doleo uehementer, noſtris ingenij armis non eſſe in repub. locum: quae Caeſaris armis oppreſſa, non admodum haec noſtra deſiderant. nam ſilent leges inter arma. Notanda eſt igitur locutio Non egere, non pro non carere, aut aliquid habere, ſed uti nolle: ut illud Virg.

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget. —— Aeneid. lib. 2.

Egebat quidem Ilium auxilio contra hoſtes, ſed iam uti non poterat. niſi legamus, Geri rempub. Sed idem eſt ſenſus. Qvae *&c.*] πολύπτωτον, id eſt, traductio, ut Cornificius, uel ut Cicero 3. de Orat. quod in multis caſibus ponitur. Qvae *didiceram tractare*] Translatio a militibus ſumpta, qui, tirones cum ſunt, uariis modis arma tractare diſcunt, ſeq. aſſuefaciunt, ut ſcribit Vegetius. Nam Cicero in foro, & in ſenatu circiter annos triginta in his uerſatus fuerat. Qvaeq. *erant propria*] Haec pluribus docent Plato, & Ariſtot. iis libris, qui de repub. ſcripti ſunt. Bene *moratae, & bene conſtitutae*] Moribus bonis, & legibus fundatae. Civitatis] Dichoreus: quo Cicero, quia praeclare cadit, in rebus aduerſis, & humilibus raro, in ſecundis, & grauibus frequenter utitur. Qvod, *ſi fuit*] Colligit ex connexis, potuiſſe Caeſaris, & Pompeij controuerſiam tolli, boni oratoris oratione. Potuit hoc fieri, & factum eſt, Cum M. Valerius plebem oratione conciliauit ſenatui: Cum Menenius Agrippa ciues inter ſe in gratiam reduceret: quod item fecit interdum Scipio, Antonius orator, Cato, Cicero: Vere enim Virg.

Ac ueluti magno in populo, cum ſaepe coorta eſt
Seditio: ſaeuitq. animis ignobile uulgus.
Iamq. faces, & ſaxa uolant. furor arma miniſtrat.
Tum pietate grauem, ac meritis, ſi forte uirum, quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſq. auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Locus de ui eloquentiae. Quod, ſi quis dicat, cur igitur id non fecit in oratione ſua Cicero, qui paci ſemper ſtuduit? Reſpondendum, id fieri potuiſſe, ſi eloquentis, & boni ciuis auctoritas audita fuiſſet; & ſi reſp. conſilio fuiſſet adminiſtrata. Nam ſupra de Hortenſio dixit: Eum facilius lugere potuiſſe rempub. quam iuuare. Iratorvm *ciuium* } Caeſaris, Pompeij, & ſuorum. Tvm *profecto* } Initio belli ciuilis. Patrocinivm *pacis* } Recte, ut patrocinium aequitatis, uoluptatis, imperij. Et recte, Patrocinium, non patrimonium, cum de oratoribus, ſiue patronis ſit dicturus. nam patrimonium pacis non dicitur: eſſet enim nimium audax translatio, quae, ut praecipiebat Theophraſtus, debet eſſe uerecuuda. Exclvſvm } Sic in fine libri: Inter nos impendentes caſus defleuimus, cum belli ciuilis cauſſas in priuatorum cupiditatibus incluſas, pacis ſpem a publico conſilio eſſe excluſam uideremus. Nam, cum pacem ſuaderet Cicero, Pompeius nullam pacis condicionem probauit, ab eaq. ſemper abhorruit. Errore *hominum, aut timore* } Homines enim Pompeium reip. defenſorem, & clementem: Caeſarem uero oppugnatorem, & crudelem forte putabant; & iccirco errabant, cum timerent Caeſarem, non Pompeium: cum Caeſar ſe, quam leniſſimum praebere cuperet; & Pompeium contra Sullam imitari uellet, & regnum iampridem appeteret, ut a Cicerone Sullaturire diceretur. quod multis locis in epiſt. ad Atticum ſcribit. Errorem etiam uocat, & Timorem Cicero pro M. Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro, & epiſt. 11. lib. 7. ad Att. Ita } Excluſo pacis patrocinio. Noſmetipſis } Qui ſuperſtites Hortenſio ſumus: & omnibus quidem, ſed mihi potiſſimum. Vt *quamquam* } Aliter, Cum. Verum, ſiue Quamquam, ſiue Cum legas, idem ualet hoc loco. Alia } ut libertas, & dignitas, & ipſa reſp. Rebvs *ampliſſ.* } quaeſtura, aedilitate, praetura, conſulatu, prouincia Cilicia, auguratu. In *portum* } Translatio a nauigantibus, ut in portu nauigare. Non *inertiae &c.* } Contentio contrariorum. nam, qui ſe inertiae, & deſidiae dedunt, uel nihil, uel turpiter agunt: qui uero in otio moderato, & honeſto uerſantur, cuiuſmodi otium eſt litterarum, ſemper aliquid agunt, & honeſtius uiuunt. Hoc otium omnium optimam poſſeſſionem uocabat Socrates. Hoc otium Africani fuit, qui ſe numquam minus otioſum eſſe dicebat, quam cũ otioſum erat. Hoc otium ſapientium ſemper fuit. Vide Salluſtij prooemium in Catil. coniurat. Caneſceret } Translatio a capillis. Quinctil. lib. 11. cap. 1. Eloquentiae uero genus alios aliud decet. nam, neque tam plenum, & erectum, & audax, & praecultum ſenibus conuenerit, quam preſſum, & mite, & limatũ: quale intelligi uult Cicero, cum dicit, Orationem ſuam coepiſſe caneſcere. Matvritatem } A fructibus ſumpta translatio, ita, ut iam eius oratio non multum a philoſophorum lenitate abeſſet. De leg. lib. 1. De uaria maturitate infra dicetur. Qvaſi *ſenect.* } Mollit translationem, cum dicit, ut ipſe de Orat. 3. praecipit faciendum. Itaqve } Cum in tot miſerias nos inciderimus, quas non uidit Hortenſius. Mihi *uidentur* } Similia ſunt his, prima uerba prooemij de Oratore. Fortvnate, *beateq.* } Supra, bene beateque. Alterum ad fortunae bona, alterum ad bona animi, & corporis pertinet. Hic eſt huius praefationis terminus.

CICERO

Qvorvm *memoria, & recordatio in maximis noſtris, grauiſſimiſq. curis iucunda ſane fuit, cum in eam nuper ex ſermone quodam incidiſſemus. nam, cum inambularem in xyſto, & eſſem otioſus domi; Marcus ad me Brutus, ut conſueuerat, cum T. Pomponio uenerat, homines cum inter ſe coniuncti, tum mihi ita cari, itaq. iucundi, ut eorum adſpectu omnis, quae me angebat, de repub. cura conſederit.*

EXPLANATIO

Qvorvm *memoria* } Quia eos in memoria habeo. Hic incipit Dialogi occaſio, & apparatio. Recordatio } Quia ſermone eorum memoriam renouauimus. Et Memoria, ad animum: Recordatio, ad ſermonem refertur. De Orat. lib. 1. Mihi repetenda eſt ueteris cuiuſdam memoriae, non ſatis explicata recordatio. Et ad Q. Fr. lib. 1. Recordatio praeteritae memoriae. Et pro Archia: Memoriam recordari ultimam. Cvris } de republ. uxoris diuortio, fratris diſcordia, & Tulliae morte: ut paullo poſt ex Bruti litteris coniicitur. Nam, etiam ſi librum hunc coeptum ante Tulliae mortem conſtat, tamen poſt eius mortem abſolutus eſt, ut alibi oſtendemus. Prooemium autem non primum ſcribebat Cicero, ſed poſtremum, quod ipſe de Inuent. lib. 1. & de Orat. 2. faciendum praecipit, ſi uelimus cum cauſſa congruere, & cohaerere. Neque tamen ego habuiſſe illum uolumen prooemiorum, ex quo ſeligere ſolet, cum aliquod σύγγραμμα inſtituebat, ut ipſe ad Atticum ſcribit lib. 16. epiſt. 5. Ivcvnda } Ad Lucceium tamen ſcribens eodem paene tempore affirmat ſe id uerbum in omne tempus perdidiſſe: ſed haec uarietas temporibus, & perſonis attribuenda eſt. Ex *ſermone quodam* } In Tuſculano quidem inchoato, ſed poſt domi Romae retractato, & abſoluto, ut infra dicetur. Nam, *cum inambularem* } Iam Dialogi perſonas inducit. Inambulare

lare domi, uel in loco: Deambulare foris, frequentius dicitur: unde iocus ille Catonis lib. 2. de Orat. Quid opus fuit De? immo uero, quid opus fuit te? In *Xyſto* } Xyſtus, & Xyſtum cum apud Graecos idem ſignificent, apud Latinos nonnihil differunt. Nam Xyſtos uocant porticus tectas, ubi Athletae per hiemem exercentur: Xyſta uero, ſubdiales ambulationes, ubi ſudo caelo ſuas exercebant palaeſtras. Tertullianus libro ad Martyres, Xyſtarchen uocat eum, qui praeeſt Xyſto. De Xyſtis, Vitru. lib. 5. cap. 11. Domi } Et quidem Romae, non in Tuſculano, ut Palmyraenus putat. ut infra Atticus: Quod mihi nuper in Tuſculano inchoaſti. quod non dixiſſet, ſi in ipſo Tuſculano eſſet. Vide Att. lib. 13. epiſt. 11. Vt *conſueuerat* } Vt iuuenis ad ſenem, quod Attico non tribuit. Et Brutum priorem nominat, ut etiam ſtatim priores reſpondendi eidem tribuit partes, quod librum eius nomine inſcripſit. T. Pomponio } Huic nomen fuit Q. Caecilio Pomponiano Attico, ut Varro uocat de Re ruſt. lib. 2. cap. 2. & Cic. Att. lib. 3. epiſt. 29. Hoc nomen adeptus eſt a Q. Caecilio, a quo fuerat adoptatus, ut in eius uita ſcribit Nepos. Adoptatus enim adoptantis nomen, cognomen, & gentis ſuae etiam nomen ferebat, ut Q. Fabius Max. Aemilianus. Eum tamen Cicero fere ueteri ſuo, & nomine, & praenomine ſolet appellare. Homines *coniuncti* } Syllepſis uidetur eſſe poetica, cuiuſmodi eſt illa Ouidij:

Ilia cum Lauſo de Numitore ſati:

Item Virgilij,

—— Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt ——

De Attici, & Bruti coniunctione Nepos in Attici uita. Ita *cari* } De Attico apparet, quem Cicero paene pluris, quam fratrem, fecit. De Bruto, cum ex epiſtolis multis, tum tot libris ad eum ſcriptis. Adspectv } Nedum ſermone, quo ſe amici ſolent conſolari. Consederit } Conquieuerit, quod nullius ſit uita uitalis ut Ennius apud Cic. de Amicitia dixit, qui non in amici mutua beneuolentia conquieſcat.

C I C E R O

QVos poſtquam ſalutaui, Quid uos, inquam, Brute, & Attice nunc, quid tandem noui? Nihil ſane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire uelis, aut ego pro certo dicere audeam. Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo uenimus, ut de repub. eſſet ſilentium, & aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla moleſtia. Vos uero, inquam, Attice, & praeſentem me cura leuatis; & abſenti magna ſolatia dediſtis: nam ueſtris primum litteris recreatus, me ad priſtina ſtudia reuocaui. Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epiſtolam, quam ad te Brutus miſit ex Aſia: qua mihi uiſus eſt & monere te prudenter, & conſolari amiciſſime. Recte, inquam, eſt uiſus; nam me iſtis ſcito litteris ex diuturna perturbatione totius ualetudinis tamquam ad aſpiciendam lucem eſſe reuocatum. atque, ut poſt Cannenſem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam proelio populus ſe Romanus erexit; poſteaq. proſperae res deinceps multae conſecutae ſunt: ſic, poſt rerum noſtrarum, & communium grauiſſimos caſus, nihil ante epiſtolam Bruti mihi accidit, quod uellem, aut quod aliqua ex parte ſollicitudines alleuaret meas.

E X P L A N A T I O

QVid *uos* } Ad me uenitis, uel affertis? Vmqvam } Initium ſermonis, ſi quidem perſonas loquentes: non autem, ſi proprium huius ſermonis argumentum ſpectes. Qvid *tandem noui* } Affertis, uel habetis, praeſertim de bello Hiſpanienſi? Tunc enim Caeſar in Hiſpania cum filijs Pompeij bellum gerebat, ut ex multis ad Atticum epiſtolis diſcere poſſumus. Inqvit *Brutus* } Brutus potius, quam Atticus, tum ob eam cauſſam quam dixi, tum etiam quod carus ita Caeſari eſſet, ut eius filius putaretur. itaque ſcire facilius poterat, quid Caeſar ageret. Avt *tu* } Qui pacis ſemper, & reipub. fuiſti ſtudioſus, & Pompeianus potius, quam Caeſarianus. nam tum iam fama erat uictorem eſſe Caeſarem, quod Cicero non libenter audiſſet. Avt *ego* } Qui Antiochius ſum, & ueteres Academicos, qui nihil affirmabant, ſequor, ut infra: aut, qui ueritatis, & reipub. ita ſum ſtudioſus, ut nihil, quod aut falſum eſſe poſſit, aut reipub. pernicioſum uideri, audeam dicere. Dicere, & audire, oppoſita relata. Afficeremvs } Quaſi oleum camino, ut dicitur, addentes, cum tot curis afficiaris. Levatis } Quippe cum ueſtro adſpectu omnis cura conſederit. Alias, Leuaſtis. Absenti } Antitheton, abſenti praeſentem. Dedistis } Litteris conſolatorijs, non modo ipſi, ſed Caeſar etiam, Ser. Sulpicius, & alij paene innumerabiles amici familiares, & philoſophi. Att. 13. epiſt. 19. Fam. 4. ep. 4. Plutarc. in Cic. uita. Litteris } Bruti epiſtola, & Attici libro. Litterae pro libris, & orationibus, & monumentis. Infra, & Att. lib. 2. epiſt. 9. & lib. 1. epiſt. 2. Pristina *ſtudia* } Studia potiſſimum philoſophiae, in quibus ab initio aetatis eram uerſatus, lib. 2. de Offic. & infra. Revocavi } Nam priſtinis orbati muneribus, haec ſtudia renouare coepimus, ut & animus moleſtijs, hac potiſſimum releuaretur, & prodeſſemus ciuibus noſtris, qua re cumque poſſemus. De Diui. lib. 2. Et epiſt. 1. lib. 9. ſe redijſſe cum libris in gratiam ſcribit. Tvm *ille* } Atticus nimirum, cui ſecundas loquendi partes dedit. Legi } Nam Cicero Bruti litteras ad ſe, ad Atticum ſaepe mittebat, uel praeſenti legendas dabat: ut in epiſt. ad Att. uidere licet. Asia } Minore, quae nunc Natolia dicitur, in quam traiectus eſt ex Graecia. Regio fuit opulentiſſima, & litteris cultiſſima ab Antiocho rege erepta, poſt in decem prouincias diuiſa, ut Strabo lib. 12.

quamquam nouem Coelius in epiſt.ad Cic. uidetur innuere. Senatui, inquit, placet in Ciliciam prouinciam, & in octo reliquas prouincias praetorios mitti. Hanc poſt Pharſalicam pugnam M. Brutus obtinuit a Caeſare, quamuis nondum praetor fuiſſet. MONERE ʒ Et accuſare, & obiurgare, grauioribus etiam uerbis. Ad Brutum epiſt.9. & Att. lib.13.epiſt.6. Item Att.lib.12. Bruti litterae ſcriptae, & prudenter, & amice, dicuntur. VALETVDINIS ʒ Aegritudinis animi, & corporis. Morbum uocat lib.12.Att. AD *adſpiciendam lucem* ʒ Quaſi ex tenebris, & ſolitudine, in quam me ipſe contuleram. lib.12. Att. Vel, ex reipub. nocte, in quam incideram, ut in fine huius libri legitur: ubi etiam illa uerba: Ea conſolattione ſuſtentor, quam tu mihi Brute adhibuiſti tuis ſuauiſſimis litteris. Quod ſi ad Att. aliter ſcripſiſſe legatur, id tempori, & perſonis dandum, quibus eſt ſeruiendum. ATQVE *ut* ʒ Similitudo magnifica, & uiro politico congruens. CANNENSEM ʒ Apud Cannas Apuliae uicum acceptam, de qua calamitate, ſiue, ut alij ueteres, clade, Liuius, Plutarchus, & alij. ILLAM ʒ ἔμφασις, grauem, magnam, qua Romanum imperium conciderat, ſi Hannibal uti uictoria, ut dixit Maharbal, ſciuiſſet. PRIMVM ʒ Nam Marcellus primus, apud Nolam docuit Annibalem uinci poſſe, ut hiſtorici dicunt. MARCELLI ʒ M. Claudij Marcelli quinquies conſulis, cuius res geſtas, & laudes ſcribunt Liuius, Plutarc. Nepos de uiris illuſt. Florus, Virgilius, & alij. AD *Nolam* ʒ Vt Virgilii illa:

Prima quod ad Troiam pro caris geſſerat Argis.

Nola urbs eſt Campaniae, ut omnes praeter Liuium teſtantur, qui uidetur eam in Samnio ponere, lib.89. Opinio eſt apud iſtam urbem, quas uocamus Campanas inuentas fuiſſe, & a regione Campanas, ab urbe Nolas etiam uocatas. PROELIO ʒ In quo ſcribunt multi duo millia, & ccc. hoſtium caeſa, uno tantum ex Romanis amiſſo. PROSPERAE ʒ Romanis, non Poenis, quorum res peſſum iere. DEINCEPS ʒ Dicimus, poſtea, deinceps, & deinceps inde, ut Infra. MVLTAE ʒ Vt ad Caſilinum clades hoſtium, ſomnus, uinum, epulae, ſcorta, balnea, otium, & reliquae deliciae Campanae, quibus ita ſunt milites Hannibalis effeminati, ut poſtea ſemper res Hannibalis in peius ruerint, ut poetae uerbis utar, donec domum fuerit reuocatus. SIC ʒ ἀνταπόδοσιν hic Quinctil. agnoſcit, id eſt perturbatum ordinem, quem nos non agnoſcimus. Omnia enim clara, atque dilucida. NOSTRARVM ʒ Vt ſupra in Curis. COMMVNIVM ʒ Honorum, dignitatum, legum, fori, totius reipub. SOLICITVDINES *alleuaret meas* ʒ ὑπέρβατον quidam uolunt eſſe, ſed nihil eſt. Solet enim Cicero iambis uti, ad dolorem indicandum, & pronomina in fine ſtatuere, ut poeticam compoſitionem efficiat.

C I C E R O

TVM Brutus, Volui id quidem efficere certe; & capio magnum fructum, ſiquidẽ, quod uolui, tanta in re cõſecutus ſum: ſed ſcire cupio, quae te Attici litterae delectauerint. Iſtae uero, inquam, Brute, non modo delectationem mihi, ſed etiam, ut ſpero, ſalutem attulerunt. Salutem? inquit ille. quodnam tandem genus iſtuc tam praeclarum litterarum fuit?

An mihi potuit, inquam, eſſe aut gratior ulla ſalutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius libri, qui me hic affatus, quaſi iacentem excitauit? Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iſte omnem rerum memoriam breuiter, &, ut mihi quidem uiſum eſt, perdiligenter complexus eſt? Iſtum ipſum, inquam, Brute, dico librum mihi ſaluti fuiſſe.

E X P L A N A T I O

TVM *Brutus* ʒ Hic reticuit uerbum, Inquit, quod interdum facit ſatietatis uitandae cauſſa. Et Brutum nominauit, cum ſupra de Attico, Tum ille, inquit: ad eandem ſimilitudinis ſatietatem uitandam. QVIDEM *efficere certe* ʒ Errant, qui putant Ciceronem ipſum Certe, in fine non ponere. Sunt enim Ciceronis illa Tuſculan. 5. Quam bene, non quaeritur: conſtanter quidem certe. Et Att. epiſt.1.lib.1. Spero tibi me cauſſam probaſſe, cupio quidem certe. CONSECVTVS *ſum* ʒ Concurſum litterae S, & Probi Fortunatiq. illas de unius ſyllabae uerbo in fine uitando, delicias contemnere Ciceronem uides. quamquam id ex parte tribuendum eſt Bruti perſonae, qui loquitur: quem, ut ſcribit Tacitus. Otioſum in dicendo, & diſiunctum indicabat: nam diuerſum a Cicerone dicendi genus probabat, ut Cic. Att. lib.14. epiſt.24. & lib.15. epiſt.1. lib.13. epiſt.45. Et Quinctil. lib.9.cap.4. ſaepe uerſus, quod eſt uitioſum, in oratione feciſſe. ATTVLERVNT ʒ Obſeruate, quam grandem, quod de ſalute loquatur, ipſe Cicero faciat orationem, eam duobus continuis dichoreis terminans, attulerunt, excitauit. ILLIVS *libri* ʒ Cuius argumentum hic, & in Oratore complectitur, quem librum Annalem uocat Att. lib.12. epiſt.21. ut omittam, quae Cor. Nepos in Attici uita ſcribit. Et librum appellat, quae paullo ante litteras appellauit. IACENTEM *excitauit* ʒ Cum prius iacerem, me excitauit: ut ſit quaſi ἀντίθετον, quo dicendi modo, ut eleganti, & uenuſto ſaepe Cicero eſt uſus: ut, Cunctantem, & diffidentem excitare, in Epiſt. Fam. Conſuetudinem corruptam emendare: Infra. Rarius illo: Res perperam conſtitutas, intellecta ueritate, commutatas corrigi poſſe. lib.1. de Inuent. Virgil. in Bucol.

—— Tityre, pingues
Paſcere oportet oues. ——

idq. ex Hom. Odyſſ.9.

—— ἐνόμευε νομὸν κατὰ πίονα μῆλα:

id eſt, paſcebat in paſcuis pingues oues. Item Virgil.

Animumq. labantem
Impulit: — &,
— Scuta latentia condunt: &,
— Submerſasq. obrue puppes.

C I C E R O

*T*VM *Atticus: Optatiſſimum mihi quidem eſt, quod dicis: ſed quid tandem habuit liber iſte, quod tibi aut nouum, aut tanto uſui poſſet eße? Ille uero & noua, inquam, mihi quidem multa, & eam utilitatem, quam requirebam, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conſpectu omnia uiderem: quae cum ſtudioſe tractare coepißem; ipſa mihi tractatio litterarum ſalutaris fuit; admonuitq. Pomponi, ut a te ipſo ſumerem aliquid ad me reficiendum, teq. remunerandum, ſi non pari, at grato tamen munere. quamquam illud Heſiodum laudatur a doctis, quod eadem menſura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſſis. ego autem uoluntatem tibi profecto emetiar; ſed rem ipſam nondum poſſe uideor: idq. ut ignoſcas, a te peto. nec enim ex nouis, ut agricolae, ſolent, fructibus eſt unde tibi reddam quod accepi; ſic omnis fetus repreßus, exuſtuſq. flos ſiti ueteris ubertatis exaruit: nec ex conditis, qui iacent in tenebris, & ad quos omnis nobis aditus, qui paene ſolis patuit, obſtructus eſt. ſeremus igitur aliquid tamquam in inculto, & derelicto ſolo: quod ita diligenter colemus, ut impendijs etiam augere poſſimus largitatem tui muneris: modo idem noſter animus efficere poſſit, quod ager; qui cum multos annos quieuit, uberiores efferre fruges ſolet.*

E X P L A N A T I O

TVM *Atticus*] Vſitata ἔκλειψις, ſiue ἀποσιώπησις. OPTATISSIMVM] Quod aliter gratiſſimum dicimus. TANDEM] Deſiderium ſignificat: tandem, & pro amabo, & obſecro poni interdum uidetur. QVOD *tibi*] Tibi, Emphaſis, hoc eſt hiſtoriae, & philoſophiae ita perito, ut neque nouum tibi quidquam eſſe poſſit in hiſtoria, neque neceſſarium ad leuandum dolorem, cum philoſophia plus prodeſſe poſſit. Quae, ut Tuſc. 2. dicitur, medetur animis, inanes ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. POSSET *eße*] Alij codices, Eſſe poſſet. Vtrumque recte, hoc tamen ſonantius. ILLE *uero*] Habuit, uel attulit, ex ſuperioribus. NOVA] Numquam mihi prius cognita, etſi eſſent uetera: quod obſeruandum eſt. nam, cum de elocutione praecipit, noua uerba appellat, quae numquam fuerunt: non ut hic, incognita cuipiam: qua ſignificatione Comici nouas fabulas ſolent appellare, quos interpretans Pontanus in Dialogo, quem inſcripſit Antonius, ait:

Tacete atque ſilete, atque animum aduortite,
Nouam afferimus uobis, quae uetus eſt, fabulam.

EXPLICATIS *ordinibus temporum*] Conſeruatio, notatisq. temporibus, ut ait in Oratore. VNO *in conſpectu*] Synopſim ſignificat. OMNIA] Quae intra ſeptingentos annos ſunt geſta Ibidem. TRACTARE] Tranſlatio ab ijs, quae manibus tractari ſolent. LITTERARVM] Librum ante appellauit Atticus. ADMONVITQ.] Ipſa inſcriptione, ſalutatione, conſolatione, & exemplorum relatione. A *te ipſo*] Ex libro tuo, uel a te ipſo, qui fuiſſes ita forti animo, ut his temporibus illa poſſes ſcribere. AD *me reficiendum, teq. remunerandum*] Quo me reficerem, & pro quo te remunerarer: ut in priore inſtrumentum, in poſteriore cauſſam, cur aliquid fieri debeat, intelligamus. QVAMQVAM] Correctio, quia dixerat, ſi non pari munere. HESIODIVM] Libro primo operis, quod inſcripſit ἔργα καὶ ἡμέραι: id eſt, opera, & dies, quod ad fratrem Perſeum ſcripſit, pulcherrimum. LAVDATVR *a doctis*] Aliter, laudatur, ſine illo, a doctis. QVOD *eadem menſura*] Dictum Heſiodi ſic habet Graece:

— οὐδ᾽ ἀποδοῦναι
αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον, αἴκε δύνηαι,

Hoc eſt, reddere eadem menſura, & melius, ſi poſſis. QVA *acceperis*] Non eſt in Graeco, ſed Cicero, qui ita ſcribebat, ut nihil addi poſſet, & diluciditati maxime ſtudebat, appoſuit, aut ex ſuperiore commate reuocauit, ubi dixit Heſiodus, a uicino accipere. AVT *etiam cumulatiore*] λώιον, dixit Heſiodus, id eſt, melius: ſed Cicero maluit Latina conſuetudine, coniungere cum menſura. De Offic. lib. 1. Maiore menſura uertit. Ita enim ait: Quod ſi ea, quae acceperis utenda, maiore menſura, ſi modo poſſis, iubet reddere Heſiodus, quidnam beneficio prouocati facere debemus? Hoc autem additum uidetur, ut, qui incipit gratificari, aliquid lucrifaciat, & ad benefaciendum reddatur alacrior. Nam & Heſiodus addit, ut & mutuo quaerens iterum, quod ſatis ſit, inuenias. Id quoque docet Gratiarum pictura, in qua una trium abit: duae reuertuntur, & nudae quidem, ne quid ſperet, qui dedit: nam, ut gratia referatur, ad eum pertinet, qui accepit. Et Cicero de Offi. lib. 1. ubi ſuperiora dixiſſet, quae retulimus, An non, inquit, imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperint? Aliter, Efferunt: quod non diſplicet, ſed tamen Afferunt melius, ut ad accipere referatur. PROFECTO] Docti quidam, Pro facto legendum putant. EMETIAR] Alij. Remetiar, quo uerbo Plin. Quinctil. & alij ſunt uſi, ſed idem eſt ſenſus, remunerandi uoluntatem tibi praeſtabo, ut menſura ſit ipſa uoluntas. REM *ipſam*] Opus aliquod. POSSE] Numquam ab Heſiodi uerbis diſcedit, in hac tranſlatione. NEC *enim*] Subiecta ratio, quare rem ipſam reddere non

poſſit. Ex *nouis* ʒ ἀλληγορία. nam per nouos fructus, nouos libros ſignificat: per conditos, ueteres, uel prius cogitatos, uel reconditos, ut poſt dicam. Agricolae *ſolent* ʒ Qui frumentum, fabam, reliquaq. id genus a ditioribus per hiemem mutuantur, quae ex nouis poſtea fructibus reddant. Reddam, *quod accepi* ʒ Reddam tibi aliquem librum, quemadmodum accepi. nam reddere eundem certe nolebat. Sic ʒ Epiphonema. Omnis *fetus, &c.* ʒ Eſt quaſi ἐπεξήγησις, id eſt, expoſitio ſententiae ſuae: nam tunc reprimitur fetus, ne exeat, cum flos exuritur. Siti *ueteris ubertatis* ʒ Deſiderio quodam. Et, quemadmodum flores exuri ſolent ſiti, quando non pluit: ſic flos iſte exuſtus eſt ſiti, & deſiderio quo cupiebam ueterem ubertatem. Nec enim aliter dici poſſe uidetur, Flos exuſtus eſt ſiti ubertatis. niſi forte dicas, ſiti ubertatis, quam ubertas paſſa eſt. Poſſet fortaſſis hic eſſe hyperbaton, flos ueteris ubertatis, id eſt flos, quem uetus illa ubertas ferebat, exuſtus eſt ſiti. Conditis ʒ Vt diximus: uel potius conditos fructus uocat, qui ad res philoſophicas magis reconditas pertinent, quas interiores litteras, & reconditas appellare ſolet: quod, ut ait lib. 13. ad Att. eſſent λογικώτεραι: quam ut homines illius temporis eas poſſent intelligere. Quare iacebant in tenebris, ut hic ait, & iacuiſſent diutius, niſi poſtea Cicero Latinis litteris eas illuſtraſſet. Is enim cum paucis, ut Attico, Varrone, Catone, & Bruto, uere philoſophabatur, ut uere dicat, ſibi paene ſolis, ad philoſophiam olim aditum patuiſſe, qui tunc eſſet obſtructus, cum in bellis ciuilibus, ut ad Varronem ſcribit, uel ipſe Cicero uſum librorum dimiſiſſet, quod eorum ſuppuderet. Cum his tamen in gratiam poſtea, quam redijſſet, quae ſemper incluſa habuerat, ea litteris mandauit, ut hic ſe facturum pollicetur. Et ſic Atticum libris de Senectute, & de Amicitia remuneratus eſt. Seremvs *igitur* ʒ Cum fructus nullos, neque nouos, neque ueteres habeamus, ut aliquos comparemus, ſeremus: id eſt commentabimur aliquid. Non diſcedit ab allegoria. Incvlto, *& derelicto ſolo* ʒ Amplificatio. nam poteſt ſolum eſſe incultum, neque tamen derelictum. Vel ἐπεξήγησις, incultum, id eſt, derelictum, qua quidem in re erant notae cenſoriae, ut Gellius auctor eſt lib. 4. cap. 12. Et Plin. ſcripſit, Agrum male colere cenſorium probrum iudicatur. Huc reſpexit Cicero hoc loco, & Verr. 5. cum ait, Aratores totas arationes dereliquiſſe. Ager uero Ciceronis eſt animus, qui, ut paullo poſt oſtendit, tunc fuerat derelictus, cum bellis ciuilibus uſum librorum, ut diximus, dimiſerat. Colemvs ʒ Vt ſupra, iacentem excitare. Impendiis ʒ Id eſt, munus, quo nos ornaſti, uſura quadam maius faciemus. Impendium enim, ut inquit Varro, quod in ſorte accedebat, appellatum eſt, quae uſura dicta eſt, quod ad ſortem uſu accederet. Animvs ʒ In quo uerſantur, & ueluti ſemina in agro concipiuntur cogitationes, & ſpecies rerum, ex quibus opera, ut ex ſeminibus fructus, proficiſcuntur. Efficere ʒ Quamuis animus magis proprie dicatur cogitare, quam efficere: eodem tamen modo, quo ager, hoc loco dicitur efficere: ut corporis, ſic etiam animi ſunt actiones, & effectiones. Vberiores ʒ Id ſolent efficere nouales, & reſtibiles agri, de quibus poeta praecepit:

> Alternis idem tonſas ceſſare nouales,
> Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum. Item:
> Illa ſeges demum uotis reſpondet auari
> Agricolae, quae bis hiemem, bis frigora ſenſit.

Item Columella, Humus ſeu ſponte, ſeu quodlibet caſu deſtituta, cum eſt repetita cultu, magno fenore ceſſationis colono reſpondet. Efferre *fruges* ʒ Verr. 5. Ager cum decimo extulit.

PAVLLVS. MANVTIVS. Impendiis, ʒ uſuris. quod enim accedit ad ſortem, impendium eſſe, Varro ait lib. IV. ut igitur ſors augetur impendiis, ita munus Attici fructuoſum ipſi Attico fore Cicero pollicetur: quandoquidem libros ad illum mittet, tamquam uſurae nomine, pro eo, quod debeat. Huc pertinet illud epiſt. 1. lib. IV. ad Att. Impendium, & fenus recuſabimus.

CICERO

Tvm ille: Ego uero & exſpectabo ea, quae polliceris; neque exigam, niſi tuo commodo: & erunt mihi pergrata, ſi ſolueris. Mihi quoque, inquit Brutus, & exſpectanda ſunt ea, quae Attico polliceris: etſi fortaſſe ego a te huius uoluntarius procurator petam, quod ipſe, cui debes, incommodo exacturum negat. At uero, inquam, tibi ego, Brute, non ſoluam, niſi prius a te cauero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio ſit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi repromittere iſtuc quidem auſus ſim. nam hunc, qui negat, uideo flagitatorem, non illum quidem tibi moleſtum, ſed aſſiduum tamen, & acrem fore. Tum Pomponius, Ego uero, inquit Brutum, nihil mentiri puto. uideor enim iam te auſus eſſe appellare: quoniam longo interuallo modo primum animaduerti paullo te hilariorem. itaque, quoniam hic, quod mihi deberetur, ſe exacturum profeſſus eſt; quod huic debes, ego a te peto. Qnid nam id, inquam? Vt ſcribas, inquit, aliquid: iampridem enim conticuerunt tuae litterae. nam, ut illos de rep. libros edidiſti, nihil a te ſane poſtea accepimus; eisq. noſmetipſi ad rerum naturalium memoriam comprehendendam impulſi, atque incenſi ſumus.

EXPLANATIO

Tvm *ille* ʒ Nimirum, Atticus. Tvo *commodo* ʒ Vt commodo reip. quo dicendi modo Veterum libri pleni ſunt. Mihi *quoque* ʒ Nam libri, qui eduntur, non uni tantum, ſed multis proſunt. Procvrator ʒ Qui alieni negotij aliquid gerit, alieno praepoſitus negotio, paene dominus, & alieni iuris

uicarius:

ticarius: Cicero pro Caecin. Vlp. uero De procur. & defenſ. qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat. VOLVNTARIVS] Procuratot inuitus non ſolet dari. Inuitum accipere debemus, Vlp. ait, non cum tantum, qui contradicit, uerum eum quoque, qui conſenſiſſe non probatur. Hic tamen Voluntarius pro eo capi uidetur, qui ultro non rogatus negotinm ſuſcipit, quem ſpontaneum dicunt indiſerti. NISI *prius a te cauero*,] Cauere legalé uerbum, dare cautionem, & ſecurum facere, praeſtare. Is autem ſecurus eſt, cui uel pignore, uel ſatiſdatione conſultum eſt. Ergo ſignificat ſatiſdare, uel ſatiſdationem ab alio accipere, uel ſatis accipere. AMPLIVS] Formula, qua Cic. frequenter in tali re utitur, ideſt, cum uerbo petere. EO *nomine*] Eo debito: unde diſſoluere nomina, exigere nomina, facere nomina. CVIVS *petitio ſit*] Qui uerus creditor ſit: & uere poſſit petere. Iuriſconſulti dicunt, cui petitio competit. Eſt autem petitio in iure, intentio actoris, in rem tantum actionem continens: l. pecuniae. §. j. ff. de uerb. ſign. l. actio. de act. & obligat. TIBI] Quaſi ſtipulanti. REPROMITTERE] Contra ſpondere, & quaſi ſatiſdare. Etiam ſi Repromittere proprie, ut ait Alciatus, ſit nuda ſtipulatione ſe obligare: Satiſdare uero dicitur, qui fideiuſſores dat: Repromittere tamen interdum idem eſt, quod promittere. AVSVS *ſim*] Sunt qui legant, Auſim: quod Terentius, Virg. Liuius, & alij, Cic. Att. lib. 12. Epiſt. 4. Oſim uſurpauit, Comicorum more, pro Auſim. HVNC] Atticnm. Aliter, Nunc: ſed recte, Hunc. FLAGITATOREM] Quod eſt plus, quam petitorem: ut, Flagitare plus eſt, quam Petere, ſiue Poſtulare, ut primo de leg. Poſtulatur a te iamdiu, uel flagitatur potius, hiſtoria. APPELLARE] Vt debitorem. ita Cic. ſaepe loquitur. MODO *primum*] Nunc tandem. EXACTVRVM] Voluntarium procuratorem periturum. QVOD *huic*] Bruto. DEBES] Forte libros de Finib. Tuſcul. de Nat. Deor. IAMPRIDEM *enim conticuerunt*] Circiter aunos ſeptem. nam L. Domitio Ahenobarbo, & App. Claudio Pulchro cos. libros de repub. ſcripſit: Epiſt. 15. lib. 4. Att. coss. uero Galeno & Vaticano, Caeſar in Hiſpania bellum gerebat cum Pompeiis filiis: quo tempore, ut diximus, huu librum ſcripſit. inter quae ſeptem anni interfuere. DE *repub. libros*] Sex, ut ad Att. ſaepe, & de Diuin. lib. 2. At, ad Q. Fr. nouem fuiſſe ſcribit. uerum, primo quidem nouem inſtituit: quos poſt in ſex contraxit, ut ſcriptores interdum faciunt: contra Acad. cum duos primum uellet, poſt in quattuor contulit: Att. lib. 13. AD *rerum memoriam*] Alij legunt, Ad ueterum annalium memoriam, quod mihi placet: alij, Ad rerum oaturalium memoriam: quod etſi ingenioſe defendi poſſit, non placet. Significat enim librum Attici, de quo ſupra, & quem diximus Annalem, a Cic. in epiſt. ad Att. uocari. Quod autem alij Rerum noſtrarum legunt, uerum non eſt. nam, non ſolum rerum Romanarum memoriam, ſed omnem, ut antea dixit, & in Oratore teſtatur, regum, & populorum imperioſorũ memoriam colligaſſe Atticum.

CICERO

SED illa, cum potueris: atque, ut poſſis, rogo. nunc uero, inquit, ſi es animo uacuo, expone nobis quod quaerimus. Quidnam eſt id, inquam? Quod mihi nuper in Tuſculano inchoaſti de oratoribus, quando eſſe coepiſſent, qui etiam, & quales fuiſſent. quem ego ſermonem cum Brutum tuum, uel noſtrum potius, detuliſſem, magnopere hic audire ſe uelle dixit. itaque hunc elegimus diem, cum te ſciremus eſſe uacuum. quare, ſi tibi eſt cõmodum, ede illa, quae coeperas, & Bruto, & mihi. Ego uero, inquam, ſi potuero, faciam uobis ſatis. Poteris: inquit: relaxa modo paullum animum, aut ſane, ſi potes libera. Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus eſt ſermo, quod erat a me mentio facta, cauſſam Deiotari, fideliſſimi, atque optimi regis, ornatiſſime, & copioſiſſime a Bruto me audiſſe defenſam. Scio, inquit, ab iſto initio tractum eſſe ſermonem; teq. Bruti dolentem uicem, quaſi defleuiſſe iudiciorum uaſtitatem, & fori. Feci, inquam, iſtuc quidem, & ſaepe facio.

EXPLANATIO

SED *illa*] Libros de Finibus, Tuſculanas, & de Nat. deorum dabis, uel ſcribes. VT *poſſis*] Vt uelis, id eſt, ita uelis animum relaxare, & cura liberare, ut poſſis, ut paullo poſt: poteris, relaxa modo animum. IN *Tuſculano*] Romae enim tum erat, cum haec agerentur, ut ſupra, Cum eſſem otioſus domi. DE *oratoribus, quando eſſe coepiſſent*] Propoſitio, qua breuiter oſtendit, quid & quot de rebus ſit dicturus. quibus ſi aliquid praeterea addit, id fit cum libertate ſermonum, tum quod tribus illis ſint, quaſi adiuncta. Hic igitur attentos, & dociles facit auditores. Nam cum huius ſermonis totius illa ſit quaeſtio, An quiſquam adhuc perfectus orator exſtiterit, ad eam quaeſtionem explicandam, illa tria erant cognoſcenda: nimirum, quando eſſe coepiſſent Oratores, qui etiam, & quales ſingulis aetatibus fuiſſent. BRVTVM *tuum*] Sic ad Atticum: Venio ad Brutum tuum, immo noſtrum. Et ſane Cicero Brutum omni ſtudio, Attico auctore fuerat complexus, & amare coeperat, ut ipſe teſtatur. CVM *te ſciremus eſſe uacuum*] Supra cum dubitatione dixit: Si es animo uacuo, quod ego ad curas animi, hoc uero ad negotia refero. SI *potuero*] Exceptio uſitata. Nemo enim debet praeſtare, quae non poſſit. Illa uero de Oratore libro primo plenior, cum Cotta a Craſſo peteret, ut ſibi artem explicaret. De ijs credo rebus, inquit Craſſus, ut in condicionibus ſcribi ſolet, quibus ſciam poteroque, &c. Hoc tamen loco pro condicionibus Victorius Actionibus, Duarenus Cretionibus legendum cenſet. SI *potes*] Quidam legunt, Poteſt. ſed illud melius omnino. NEMPE] Principium, & occaſio, & quidem poſt prooemium, ut apud Platonem ſaepe. CAVSSAM *Deiotari*] Deiotarus, Gallograeciae rex, bis fuit accuſatus ad Caeſarem: primo, arma contra Caeſarem tuliſſe bello Pompciano, ut Hirtius

de

de bello Alexandrino. Iterum, a Caſtore, & Phidippo, quod domi ſuae inſidias Caeſari hoſpiti feciſſet. In
priore Brutus, in poſteriore Cicero regem defendit, ea quae pro Deiotaro exſtat oratione. ORNATISSIME
& copioſiß. ȝ Ornatiſſime, ad medium: Copioſiſſime, ad uehemens dicendi genus pertinet: hoc tribuit nunc
amicus amico. nam illam orationem non probauit Tacitus in dialogo de Orat. ſed Caeſar ſic iudicauit, ut ad
Att. lib. 14. epiſt. 1. DEFENSAM ȝ Niceae in Bithynia, ad Att. lib. 14. epiſt. 1. Hirtius de bel. Alexandrino.
BRVTI *dolentem uicem* ȝ Cuius aetas in haec tempora incidiſſet, in quibus eloquentiam reliquasq. uirtutes
oſtendere non poſſet. Sic in fine dialogi. IVDICIORVM *uaſtitatem* ȝ Amplificatio in ipſo nomine, ut
Quinctilianus loquitur: nam, cum orbitatem, ſolitudinem, uel tale quid dicere potuiſſet, rem ut augeret, ua-
ſtitate, uerbo grandi, & tranſlato uti maluit. Eſt autem Vaſtitas, ſolitudo, ubi nulla hominum, nulla aedifi-
ciorum celebritas eſt. nam in Part. Orat. Coaedificatis uaſta opponit. Barbari dicunt, deſolationem. FORI ȝ
Quod ſupra ſpoliatum, & orbatum dixit.

C I C E R O

NAM mihi, Brute, in te intuenti, crebro in mentem uenit uereri, ecquodam curriculum aliquando ſit habitura tua & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria. cum enim in maximis cauſſis uerſatus eſſes; & cum tibi aetas no ſtra iam cederet, faſcesq. ſummitteret; ſubito in ciuitate cum alia ceciderunt, tum etiam ea ipſa, de qua diſputare ordimur, eloquentia obmutuit. Tum ille, Ceterarum rerum cauſſa, inquit, iſtuc, & doleo, & dolendum puto: dicendi autem me non tam fructus, & gloria, quam ſtudium ipſum, exercitatioq. delectat: quod mihi nulla res eripiet, te praeſertim tam ſtudioſo. etenim dicere bene nemo poteſt, niſi qui prudenter intelligit. quare, qui eloquentiae uere dat operam, dat prudentiae: qua ne maximis quidem in bellis aeque animo carere quiſquam poteſt. Praeclare, inquam, Brute, dicis: eoq. magis iſta dicendi laude delector, quod cetera, quae ſunt quondam habita in ciuitate pulcherrima, nemo eſt tam humilis, qui ſe nõ aut poſſe adipiſci, aut adeptum putet; eloquentem neminem uideo factum eſſe uictoria. ſed, quo facilius ſermo explicetur, ſedentes, ſi uidetur, agamus. Cum idem placuiſſet illis, tum in pratulo propter Platonis ſtatuam conſedimus.

E X P L A N A T I O

NAM *mihi, Brute,* ȝ Paullatim a Bruti laude, ad eloquentiae, & oratorum diſquiſitionem delabitur.
CVRRICVLVM ȝ Forum, in fine dialogi Bruti curriculum appellat. NATVRA ȝ Tria, ex quibus
paritur eloquentia, uoluit ſignificare, quae aliis in locis aliis, atque aliis nominibus appellat. De Orat. lib. 2.
Acumen, deinde ratio, quam licet, ſi uolumus, appellemus artem: tertium diligentia. Paullo poſt in eodem
loco naturam uocat ingenium. Induſtriam, de Orat. lib. 2. uocat diligentiam: alibi exercitationem, alibi ſtu-
dium: quia induſtria haec tria complectitur. Nam & Sex. Pomp. Induſtriam dictam putat a uerbo Struo,
quod Antiqui dicebant, adijcere, & augere: quod induſtria ea augeat, quae ingenium excogitauit, & ars expo
liuit. Ingenium, inquit pro Coelio, induſtria alitur. Pontanus uero induſtriam ab induendo deduci, quod ea
ſit quaſi quidam habitus uſu indutus. Haec autem in Bruto tria ſaepe laudauit Cicero, quae in omni requi-
runtur arte, & praeſertim in eloquentia. Hic eſt ordo naturalis, quem tamen Infra de Graccho loquens, im-
mutat. IN *max. cauſſis* ȝ Brutus enim iam tum Ap. Claudium defenderat, compluresq. cauſſas & cum
aliis, & ſolus egerat: ut infra dicetur. TIBI ȝ Adoleſcenti, & annum 39. uel 40. agenti. Natus enim ui-
detur L. Cinna III. & Cn. Carbone cos. certe X. annis, poſtquam Q. Hortenſij cauſſas agere coepit: Infra.
Itaque C. Caeſare, & M. Antonio cos. ſuo anno, id eſt, 40. praetor fuit. AETAS *noſtra* ȝ Annorum unius
& ſexaginta, uel circiter. CEDERET ȝ Quaſi lampada traderet: &, cum de foro ſit locutus, ad res forenſes
reſpicere uidetur, cedere foro, bonis: quod Iuriſconſulti dicunt. FASCESQ. *ſubmitteret* ȝ Munus daret,
herbam porrigeret, & ſe quaſi inferiorem fateretur. Eſt enim translatio a conſulibus ſumpta, qui in concionē
adſcenſuri Poplicolam imitati, faſces populo ſubmittebant, id, quod populo gratum erar, ſubmitti ſibi imperij
inſignia, ut eo innuerent populi, quam conſulis maieſtatem, uimq. maiorem eſſe. ut Liuius interpretari uide-
tur. ELOQVENTIA *obmutuit* ȝ Sic Infra, Perterritum armis hoc ſtudium noſtrum conticuit ſubito, &
obmutuit. Infra quoque eloquentia loqui didicit: quod huic eſt contrarium. Eſt autem Metonymia, pro
hominibus, qui eloquentiam profitebantur, conticuerunt. Id antea de ſolo Hortenſio dixit, uoce erudita, & Ro-
manis, Graecisq. auribus digna, forum Pop. Rom. ſpoliatum, atque orbatum eſſe. TVM *ille* ȝ Brutus.
CETERARVM ȝ Vt honorum, dignitatum, libertatis. DOLEO ȝ Vt libertatis ſtudioſus, & ab iis maioribus
oriundus, qui patriam liberarunt. DICENDI ȝ Eloquentiae. nam, dicere eſt eloqui. FRVCTVS, *& glo-*
ria ȝ Pro fructu gloriae: de qua loquendi forma Ariſt. Rhet. lib. 3. praecipit, & nos alibi docuimus. Poteſt
tamen ita intelligi: ut Fructus, ad utilitatem; & Gloria, ad dignitatem referatur. nam, cum tria ſint retum ex-
petendarnm genera: Vtile, Honeſtum, Iucundum: ea omnia uidetur hic notaſſe: & Iucundum ipſum, cũ dicit,
ſtudium ipſum, exercitatioq. delectat. STVDIVM *ipſum* ȝ Eloquentiae, quae, cum ſit una de ſummis uirtu-
tibus, ut de Orat. lib. 3. ipſe dicit, & uirtus per ſe ſit expetenda, ſequitur eloquentiam ipſam, ipſiusq. ſtudium
per ſe expetẽdum eſſe. Recte igitur Brutus tamquam Stoicus, certe Academicus ait, ſe non tã fructu, & gloria,
quã ſtudio eloquentiae delectari. EXERCITATIOQ. ȝ Vel animi: ut infra, Mẽtis exercitatio: uel certe dome-

ſtica,

ſtica,& priuata,non illa foréſis,quae ſublata fuerat. Frequenter enim Brutus meditabatur,ſcribebat,declamabat domi,ut illius pro Milone exercitationis cauſſa ſcripta oratio teſtatur, de qua Aſconius, & Quinctilianus. Qᴠᴏᴅ ʒ Quam rem, ut tam ad ſtudium quam ad exercitationem referatur. quamquam nihil uetat ad ſtudium,etiam ſi ſequatur exercitatio, referre. Sic enim interdum loqutur Cicero. Nᴠʟʟᴀ *res eripiet* ʒ Virtus amitti non poteſt, ut Cic. ſcribit lib.2. Tuſc. & Philip.4. & de Orat. lib.3. Quod & Ariſtippus & Bias oſtenderunt: ille, cum ſuis ctuibus renunciari iuſſit, ut eas opes ſibi pararent,quae nanfragio non perirent: Hic,cum dixit in patriae ruina, omnia mea mecum porto. Item Salluſt.cum dixit, Formae & diuitiarum gloria caduca & fragilis eſt: uirtus clara aeternaq. habetur. Studium quoque & exercitato priuata dicendi, manere poteſt, etiam ſublato foro, ut Cicero, Brutus, Pompeius, Antonius, & Auguſtus teſtantur. Tᴇ ʒ Eloquentiae principe & philoſopho. Tᴀᴍ *ſtudioſo* ʒ Amanti,uel amico iuuenum quidem paene omnium qu cumque bonarum artium amatores ſint, ut Hirtij, Panſae, Volumnij, Caſſij,Papirij Paeti,& Dolabellae,quos habes quaſi diſcipulos,ſed mei tamen praecipue, cuius etiam uicem doleas. Eᴛᴇɴɪᴍ, *dicere* ʒ γνώμη, pro ſubiecta ratione. non patitur ab eloquentia prudentiam ſeiungi, tamquam a corpore animum, a lingua cor, & mentem: qua de re copioſe diſputat de Orat. lib. 3. Itaque in Partit. Orat. Eloquentiam definit copioſe loquentem ſapientiam. Eʟᴏǫᴠᴇɴᴛɪᴀᴇ *uerae*. Ergo eſt etiam eloquentia falſa, nimirum uolubilitas, ſine re, & ſapientia, uerborum: inanis uerborum profuſio. Itaque Salluſt. Catilinae cum auferret ſapientiam,ne eloquentiam quidem tribuit, Satis loquentiae,inquit, parum ſapientiae. Nᴇ *maximis quidem in bellis* ʒ Nednm in pace & otio, quorum comes & ſocia dicitur eloquentia, Infra. In bello autem requiri prudentiam, & conſilium, dictum oſtendit Africani qui dicere ſolebat: Turpe eſſe in bello dicere, non putaram. Eloquentia quoque opus eſt, ad milites oratione excitando, cohortandos, & alia. Cᴇᴛᴇʀᴀ ʒ Honores, dignitates, diuitiae, & reliqua id genus. Qᴠᴏɴᴅᴀᴍ ʒ cum dignis dabantur, ira ut Vir, quod dici ſolet, magiſtrarum oſtenderet. Nᴇᴍᴏ *eſt* ʒ Nunc ſub Caeſare, uel Caeſare dominante, in cuius poteſtate ſunt omnia: quiq. ea dat ſuarum partium hominibus quicumque illi ſint. Eʟᴏǫᴠᴇɴᴛᴇᴍ ʒ qui non militaribus uictorijs, & armis, ſed bonarum artium ſtudijs, ingenio, & ſollertia fiunt. Sᴇᴅᴇɴᴛᴇs ʒ Perſonae, quae in dialogis loquuntur, ſedere uel dicuntur, uel intelliguntur. Dicuntur in Oratorijs libris, in Academicis quaeſt. in libris de Natura Deorum, in Phaedro Platonis. Intelliguntur,& partim etiam dicuntur in quattuor libris de Fin. Intelliguntur in Laelio,in Catone & multis Platonis Dialogis. Partim ambula, partim ſedere cognoſcuntur in Tuſculanis, in libris de Diuinatione, & de Legibus. Et ſane quidem Cicero ſemper uidetur ambulare, cum Peripateticum agit, ut in quincto de Fin.in primo de Diu. in primo de Leg. ubi Peripateticorum more diſputatur. Hic uero, ut Academicus, uult ſedere. Sɪ *uidetur, agamus*. ʒ In carmen definit: quod eſt uitioſum eſſe dicitur, Cicero tamen non ſemper uitat. Virg.

—— Et nunc ʒ quod inſtat, agamus.

Iʟʟɪs ʒ Attico,& Bruto. Pʀᴏᴘᴛᴇʀ ʒ Alias, Prope. Sed Propter ſaepe uſus eſt. Iɴ *pratulo* ʒ Quod erat prope Xyſtum, & quidem Romae, ubi lata prata eſſe uix poterant: & ideo Pratulum dixit, ut epiſt.6. ad Att. lib.12. Nam credibile eſt Romae hoc pratulum habuiſſe, ubi eſſet herba in quam ſe ipſe, Atticus, & Brutus abiecerint, aut certe conſederint, ut Socrates in Phaedro apud Platonem, quem Cicero nunc, ut fere ſemper, imitatur. Pʟᴀᴛᴏɴɪs *ſtatuam* ʒ Cicero Platonis ſtatuam habebat, ut hic apparet, Atticus Ariſtotelis imaginem, ut in epiſtolis ad Atticum ſcribitur, credibile tamen eſt Ciceronem utriuſque philoſophi imaginem habuiſſe, tum quod huiuſmodi ſignis delectabatur, tum quod utrumque imitatus, & Academicus, & Peripateticus eſſe uoluit, quaſi nominibus differentes, idem tamen, & eſſent, & ſentirent, ut ſaepe ipſe teſtatur. Oſtendit igitur aperte ſe Platonem imitari, cum ſe propter Platonis ſtatuam ait conſediſſe. Alibi occultius, ut primo libro de Leg. De quercu Mariana: quam tamen poſt aperit Orithiae mentione facta, quae ſumpta eſt ex Phaedro Platonis. Illa uero apertior in primo de Orat.dialogo, ſub platano. uide locum. Nihil enim temere factum eſſe a magnis uiris putandum eſt, praeſertim ſi fiat ſaepius.

C I C E R O

HIc ego, Laudare igitur eloquentiam, &, quanta uis ſit eius, expromere, quantumq. ijs, qui ſint eam conſecuti, dignitatem afferat, neque propoſitum nobis eſt hoc loco, neque neceſſarium. hoc uero ſine ulla dubitatione confirmauerim; ſiue illa arte pariatur aliqua, ſiue exercitatione quadam, ſiue natura, rem unam eſſe omnium difficillimam. quibus enim ex quinque rebus conſtare dicitur, earum unaquaeque eſt ars ipſa magna per ſeſe. quare quinque artium concurſus maximarum quantam uim, quantamq. difficultatem habeat, exiſtimari poteſt. teſtis eſt Graecia: quae cum eloquentiae ſtudio ſit incenſa, iamdiuq. excellat in ea, praeſtetq. ceteris, tamen omnes artes uetuſtiores habet, & multo ante non inuentas ſolum, ſed etiam perfectas, quam haec eſt Graecis elaborata dicendi uis, atque copia. inquam cum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, & quaſi lucent Athenae tuae: qua in urbe primum ſe orator extulit, primumq. etiam monumentis, & litteris oratio eſt coepta mandari. tamen ante Periclem, cuius ſcripta quaedam feruntur, & Thucydidem, qui non naſcentibus Athenis, ſed iam adultis fuerunt, littera nulla eſt, quae quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris eſſe uideatur. quamquam opinio eſt, & eum, qui multis annis ante hos fuerit, Piſiſtratum, & paullo ſeniorem etiam Solonem, poſteaq. Cliſthenem, multum, ut temporibus illis, ualuiſſe dicendo.

EXPLANATIO

Hic *ego* } Hoc loco, uel potius, tunc. Hic eſt uerum Dialogi principium, in quo res, qua de re diſputandum eſt, proponitur. Nam adhuc prooemium, & occaſionem, ſeu apparatum dialogi habuimus: deinceps ipſam de Oratoribus diſputationem audituri. Lavdare } Solent enim artifices initio ſuam artem laudare, ut fauorem emereantur, & admirationem excitent: quod fecit ipſe duobus primis de Orat. libris: & de Inuent. libro primo. Sed Cicero hoc loco non putat eſſe neceſſarium. & recte: nam primum, cum hic ſit quartus liber tribus de Oratore ſubiectus, & ibi ſatis eam laudauerint tum Craſſus; tum Antonius, odioſum fuiſſet & hic idem repetere. Quare ne nos quidem id faciemus. Tantum illud dicam, Gorgiam apud Platonem, Eloquentiam artibus cunctis anteponere, quod omnia non ui, ſed ſponte ſibi ſubiiciat. In Philebo. Dignitatem } Ad ipſos, qui eam adepti ſunt; laus, honor, dignitas confluit. de Inuent. lib. 1. Neqve *neceſſarium* } Neceſſarium quidem, ſed non nobis, qui tam multa de eius ui, & laudibus alijs libris diximus. Sive *illa arte pariatur aliqua* } Cauſſas quaerit eloquentiae effectrices, nec quidquam definit: ſed cum alibi, ut in prooemio lib. 1. de Orat. ſupra oſtendimus, non unam aliquam harum, ſed tres affirmat concurrere. Sed illud uidendum, quomodo Cic. de Inuent. lib. primo dixerit, Artificioſa eloquentia, quam Rhetoricam uocant, ex quibus uerbis intelligi uoluit eloquentiam, & Rhetoricam eandem eſſe: hic uero aliud Eloquentiam, aliud Rhetoricam ſtatuere uidetur. Dicendum eſt, interdum eloquentiam pro ipſa facultate dicendi capi, & idem eſſe: interdum differre, ut ab arte artis opus. Ars eſt (ad Her. lib. 1.) praeceptio, quae dat certam uiam rationemq. dicendi, ex ea eſt eloquentia, id eſt uis illa oratoris, & oratio, ſed non ſola. Sive *exercitatione* } Quae eſt aſſiduus uſus conſuetudoq. dicendi. Hanc ante induſtriam uocauit, ut ibi notauimus. Natvra } ἀπὸ ταυτομάτου, ut inquit Ariſt. quod uertunt interdum natura, ut hoc loco Cicero: interdum ſponte, ut in primo de Orat. Quae ſua ſponte homines eloquentes facerent, ea quoſdam obſeruaſſe. Et natura dicitur fieri, quod neque arte, neque exercitatione fit: ut grauia, natura ima petere: leuia, ſumma. Difficillimam } Vide in prooemio lib. 1 de Orat. ubi haec quaeſtio tractatur copioſius. Ex *quinque* } Inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciatione. Interdum tamen Cicero Ariſtotelem imitatus lib. 3. tria uidenda oratori dicit, quid dicet, & quo quidque loco dicat, & quomodo dicat. Rebvs } Partibus: ut primo de Inuent. & lib. primo de Orat. & in Part. Or. 2. de Orat. uero, eloquentiae membra uocat. Officia quoque oratoris appellantur, ad Her. lib. 1. & de Inuent. lib. 1. Fuerunt, qui opera Oratoris, & qui elementa, uel opera rhetorices appellarint, ut refert Quinctil. lib. 3. cap. 3. Magna } Ita quidem, ut Cicero duobus libris: Hermogenes quattuor uix inuentionem abſoluerit. Concludit Rhetoricae difficultatem ex minore: Si partes ſingulae tantum habent difficultatis: ſimul iunctae quantum habebunt? uel, ſi unaquaeque per ſe tam difficilis, quid Rhetorica ex omnibus conſtans? Testis *eſt Graecia* } Graecia teſtimoniorum religionem & fidē numquam coluit, pro L. Flacco. Non tam locus eſt a teſtibus, quam ab exemplo, idq. cum comparatione: nam, ſi Graecia, quae ſemper, ut primo de Orat. dicit, eloquentiae princeps eſſe uoluit, tantum habuit difficultatis antequam artem hanc perficeret, multo igitur plus habebunt reliqui, qui tantum in ea ſtudij non ſolent adhibere. Iamdivq. } Annos circiter quadringentos & triginta. Tot enim propemodum a Pericle ad huius dialogi tempus, numerantur. Excellat } Ita, ut eloquentiae princeps eſſe uelit, ut libro primo de Orat. dicitur. Omnes *artes* } Liberales. Vetvstiores } Ipſa Rhetorica. Non *inuentas ſolum* } Id ſibi arrogabant Graeci, ſed Ioſephus aliter oſtendit: quod uidere etiam licet apud Polydorum Vrbinatem de Inuent. rerum. ſed Cicero Graecorum hiſtorias ſequitur. Aut dicendum, Inuentas, id eſt paene inuentas, quod eas tam diligenter coluerint, ut non modo perfeciſſe, ſed etiam inueniſſe quodammodo dici poſſint. Vel, Alibi inuentas prius, ſed & a Graecis poſtea. Fieri enim poteſt, ut eadem ars diuerſis in locis, uel eodem tempore, uel diuerſo, inueniatur. Recte ergo pro Flacco ait: Vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras diſtributae putantur. Quid, quod hoc loco non dicit, Athenis omnes artes inuentas, ſed Rhetorica uetuſtiores fuiſſe? Neque negat ante Periclem oratores, & Rhetores fuiſſe, ſed minutos, ita ut uix ſint in Rhetorum numero habendi. Vis } Eſt quaedam Rhetoricae deſcriptio, alludens ad Ariſtotelis definit. illam lib. 1. Rhet. ἔςω ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαςον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν, id eſt, ſit Rhetorica uis, qua quod in unaquaque re probabile eſt, perſpicitur. Athenae *tuae* } Qui te olim Athenis ita collocaſti, ut eſſes paene unus ex Atticis. lib. 5. de Fin. Hinc Atticus appellatus. Primvm *ſe orator extulit* } Empedocles inuenit primus, ut ait Ariſtot. Gorgias docuit: Leontinus, Corax & Tiſias in Sicilia ſcripſerunt. Sed dicendum eſt non de Rhetore, ſed de Oratore loqui Ciceronem: illi autem Rhetores fuerunt tantum. Vel, extulit primum, id eſt excelluit, enituit, etiamſi alibi eſſent, ſed obſcuri. Monvmentis *& litteris* } Gorgias primus ſcripſit de arte, Vt Laertius ſcribit. Item Corax, & Tiſias, ut dixi. Sed Cicero non de arte uidetur loqui, ſed de Oratione arte facta. At Suidas, & Plinius Pherecydem Syrum orationem inueniſſe aiunt. Orationem quidem ſolutam, ut a uerſu differret, at non ex arte dicendi compoſitam. Ante *Periclem* } Qui uixit Olympiade 88. hoc eſt, anno ab urbe condita 324. ut Euſebius notauit. Pericles Athenienſis Orator, in cuius labris Suada ſeſſitaſſe dicitur, & alia, quae ſuis locis dicemus. Cvivs *ſcripta* } Ab alijs tamen fuiſſe compoſita putat Fabius lib. 3. cap. 1. Thvcydidem } Oroli (ſic enim ſcribendum docet Marcellinus) filium, uirum Athenienſem nobiliſſimum, ut qui ab Orolo Thracum rege paternum genus duceret, maternum a Milciade. cui cum Herodotus ſuas hiſtorias recitaret, fleuiſſe legitur, quod nondum ipſe tale aliquid ſcripſiſſet. Non *naſcentibus* } Id eſt, creſcentibus. nam a Cecrope conditae fuerunt, ut Euſebius

teſtatur,

teſtatur, 3670. annis ab orbe condito, 1110. ante Periclem. Advltis ☙ Auctis, & perfectis. Tranſlatio ab aetate hominum. Mvltis *annis.* ☙ 130. uel circiter. Euſebius. Pisistratvm ☙ Hippocratis filium Athenienſium tyrannum: qui cum priuatus de republ. bene meritus eſſet, finxit ſe ab inimicis ſuis uulneratum fuiſſe: atque eo commento praeſidium impetrauit, quo paullo poſt arcem & tyrannidem occupauit, ut Herodotus & Iuſtinus ſcribunt. Pavllo *ſeniorem.* ☙ Ita ut inter eos a principio eſſet amicitia, ut Plutarchus & Diogenes ſcribunt. In hanc ſententiam quaedam alia ſcribit Aelianus in Varia hiſtoria. Solonem ☙ A Codro oriundum, ut Plutarchus: Suidas Athenienſem, Diogenes Salaminium facit, & inter ſeptem Sapientes numerat: quem Plato ſophotaton uocat: cuius uitam Plutarchus ſcripſit. Posteaq. ☙ Annis 34. quot Athenae, ut refert Iuſtinus, a Piſiſtrato, & filiis occupatae fuerunt. Clisthenem ☙ Hic non eſt is Cliſthenes, quem Ariſtophanes, ut mollem & effeminatum, in Ranis inſectatur: quem Symbirtii filium fuiſſe Suidas teſtatur: cum hic Megaclis & Agariſtiae fuerit Herodoto. Hunc & Iſocrates in Areopagitico, & Cicero lib. 2. de Leg. laudant. De eo autem prouerbia feruntur: Cliſthenem uideo? item, Cliſthene intemperantior. Valvisse *dicendo.* ☙ Et quidem tantum, ut Piſiſtratus praeſidium impetrarit: & tandem, quod Cicero lib. 3. de Orat, ſcribit, ſic eloquentia floruerit, ut litteris, doctrinaq. praeſtaret: Solon autem populo perſuaſerit legem de Salamine latam, abrogandam: & Salamina bello repetendam, Cliſthenes uero Pythiae, quod uoluit, de liberandis Athenis perſuaſerit: & liberatas multos annos pro ſua ſententia adminiſtrarit, & tribuum nomina mutarit, eaſq. auxerit: de quo multa egregia Herodotus ſcripſit. Aelianus autem in Varia hiſtoria, eum primum, genus exſulii, quod Graeci ὀστρακισμὸν uocant, excogitaſſe, & eum primum eo modo expulſum fuiſſe, ſcribit.

CICERO

Post hanc aetatem aliquot annis, ut ex Attici monumentis poteſt perſpici, Themiſtocles fuit; quem conſtat cum prudentia, tum etiam eloquentia praeſtitiſſe. poſt Pericles; qui, cum floreret omni genere uirtutis, hac tamen fuit laude clariſſimus. Cleonem etiam temporibus illis, turbulentum illum quidem ciuem, ſed tamen eloquentem conſtat fuiſſe. huic aetati ſuppares Alcibiades, Critias, Theramenes. quibus temporibus quod dicendi genus uiguerit, ex Thucydidis ſcriptis, qui ipſe tum fuit, intelligi maxime poteſt. grandes erant uerbis, crebri ſententijs, compreſſione rerum breues, & ob eam ipſam cauſſam interdum ſubobſcuri.

EXPLANATIO

Post *hanc aetatem.* ☙ Solonis, Piſiſtrati, & Cliſthenis. Aliqvot *annis.* ☙ Septuaginta, uel circiter. Olympiades enim 14. inter Piſiſtratum, & Themiſtoclem numerantur Euſebio. Attici *monimentis* ☙ Id eſt, libro Annalium, de quo ſupra: uel, Atticis monumentis, ut in antiquis legitur. Abſurdum enim uideri poſſit, cum Attico ipſo loquens, Atticis monumentis dicere, & non potius: Tuis Attice monumentis. Excuſari tamen poteſt, quod generatim ad utrumque, Atticum & Brutum ſermonem habeat. Themistocles ☙ Neoclis, & Abrotani: uel, ut alii, Euterpae F. omnium Graecorum imperatorum praeſtantiſſimus: & ſolus, ut, poſtea dicetur, cum Romanis conferendus. Prvdentia ☙ Qua de inſtantibus, ut Probus ex Thucydide libro primo uertit, ueriſſime iudicabat, & de futuris callidiſſime coniiciebat. De cuius prudentia Cicero ad Att. libro decimo, epiſt. 6. Eius prudentia maxime enituit bello Perſico, quo finito Lacedaemonii ei ſapientiae coronam dederunt. Herodotus libro octauo. Eloqventia ☙ Et quidem naturali, ut ex Thucydide diſcimus. Eloquentiam uidetur a prudentia ſeiungere. quod contra factum eſt ſupra, & in Oratoriis libris. Sed id uidetur uelle, prudentiam ab eloquentia poſſe ſeparari, eloquentiam uero a prudentia non poſſe. iccirco prudentiam praepoſuiſſe. Vel dicendum eſt, amplificandi cauſſa utramque nominaſſe, & eloquentiam tamquam maximam, poſtpoſuiſſe. Praestitisse ☙ Ita ut Athenienſibus, quod nemo fieri poſſe putaſſet, perſuaſerit, ut urbem relinquerent, & naues conſcenderent. quod Herodotus, Plutarchus, Iuſtinus, & Demoſthenes in oratione de Corona, teſtantur. Et, Praeſtitiſſe, dichoreus eſt. Pericles *floreret omni genere uirtutis* ☙ Periclis uirtutes, Plato, Thucydides, Plutarchus, Iuſtinusq. deſcribunt. Lavde ☙ Eloquentia, ut ſupra dixi, metonymia, atque ita eam uocat, quoniam nihil ea laudabilius putauit, libro ſecundo de Offic. & de Oratore. Interdum laudem dicendi, & laudem oratoriam uocat. De hoc infra plura. Cleonem ☙ Cleaeneti filium. nam, quem Ariſtophanes inſectatur, Cleonymi filius fuit, ne quis putet eundem eſſe, de quo Thucydides, cuius tamen in negotiis, & in uerbis leuitatem notat, quam ipſe κουφολογίαν uocat. Plutarchus in Nicia refert hunc orandi grauitatem, atque ornatum conuertiſſe, quod is primus uociferari, ueſtem ab humeris reijcere, femur percutere, & per ſuggeſtum quaſi ambulare coeperit. Tvrbvlentvm ☙ Sic enim uocat eum Thucydides. Tamen *eloquentem* ☙ Mirum eſt, eum eloquentem dicere, qui fuerit turbulentus, ac proinde improbus, cum eloquens non ſit, niſi uir bonus, ut Cicero, & Fabius uolunt. Sed non ſemper turbulenti improbi ſunt. Fortaſſis enim iccirco motus excitant in reipublicae bonum. nam, turbulenti, ſunt homines populares, ut Gracchi, quos Cicero laudat. Ita quidem hic Cleon eloquens fuit, ut πιθανώτατος a Thucydide dicatur. Svppares ☙ Prope pares, & aequales, iuniores tamen. Verbum raritate notandum. Alcibiades ☙ De quo tam multa Plato, qui etiam Dialogos

eius nomine inſcripſit, itemq. Thucyd. Plutar. Iuſtinus, Probus, Aelianus, & alij. Cicero ſuo tempore ſcripta quaedam eius exſtitiſſe in lib. de Orat. refert. CRITIAS § Socratis diſcipulus fuit, unus poſtea e XXX. tyrannis. De Critiae eloquentia Philoſtratus, Xenophon uero multas eius orationes refert. Et huius nonnulla ſcripta Cic. commemorat de Orat. 2. THERAMENES § Hunc quidam propter inconſtantiam Cothurnum uocabant. Hic auctor fuit, ut Populus Athenienſis muros demoliretur, & pacem a Lacedaemonijs acciperet, quam tamen laudat Thucyd. & Ariſtoteles, nec Cicero in Tuſcul. 1. uituperat. Hic triginta iuſſu tyrannorum cicutam hauſit in carcere, &, quod reliquum in poculo fuit, cum ſonitu eiecit, dicens: Propino hoc pulchro Critiae: ut Aelia. in Varia hiſtoria refert. Quidam etiam putant prouerbium illud, non Chius ſed Cius, ab eo natum, quod ille cum Chij, & Cij inter ſe bellum gererent, cum Chijs Chius eſſet, & cum Cijs Cius. Prodici diſcipulus fuit, & Iſocratis magiſter. Thucyd. ait Therameni nihil non factu facile fuiſſe, quod eius eloquentiae dandum eſt. THVCYDIDI *ſcriptis* § Vt litterae s, concurſum uitaret, non Thucydidis, dixit: ut etiam in 2. de Orat. Pericli ſuccum legimus, pro Periclis. GRANDES *erant uerbis* § Id in Thucydide adhuc uidere poſſumus, de quo poſt plura. Verbis grandibus utebantur, non minutis. COMPRESSIONE *rerum breues* § Id eſt, denſi, & graues. Alij legunt Comprehenſione rerum, quam Hermogenes περιβολὴν uocat, ſed male: nam preſſe loquuntur Attici, quod redundanti generi opponitur. Erant ſententijs ornatiores, quam uerbis: ut Cic. de genere ſuaſorio praecipit in Part. Orator. Et multas res, atque ſententias paucis, ſed grandibus uerbis comprehendebant: ut de Thucydide dicit ſaepe, cum eum crebrum, denſum ſententiis uocat Fabius. OB *eam ipſam caußam* § Quod ſunt breues; nam

—— Breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio, ——

ut ait Horatius, in Arte.

Idq. ideo, quod ſententias habent nimis crebras, & acutas. Talis eſt Thucydides, cuius conciones ita multas habent obſcuras abditasq. ſententias, uix ut intelligantur, ut in Oratore ſcribit Cicero. Sunt enim ea interdum tempora, nemo ut aperte loqui uelit, ſed omnes laudem dicendi omnem in obſcuritate ponant, ut Plinij, Taciti, & Suetonij aetate fuerunt, quamquam nonnihil quoque in eo fuerit Salluſtius, & Valerius Maximus.

CICERO

SED, ut intellectum eſt, quantam uim haberet accurata, & facta quodam modo oratio; tum etiam magiſtri dicendi multi ſubito exſtiterunt; tum Leontinus Gorgias, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Cius, Hippias Elaeus in honore magno fuit; alijq. multi temporibus eiſdem docere ſe profitebantur, arrogantibus ſane uerbis, quemadmodũ cauſſa inferior (ita enim loquebantur) dicẽdo fieri ſuperior poſſit. ijs oppoſuit ſeſe Socrates: qui ſubtilitate quadam diſputandi refellere eorum inſtituta ſolebat, uiris, cuius ex uberrimis ſermonibus exſtiterunt doctiſſimi uiri: primumq. tum philoſophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, ſed haec, in qua de bonis rebus, & malis, deq. hominum uita, & moribus diſputatur, inuenta dicitur. quod quoniam genus ab hoc, quod propoſuimus, abhorret; philoſophos aliud in tempus reijciamus; ad oratores, a quibus digreſſi ſumus, reuertamur.

EXPLANATIO

SED *ut* § Quomodo quaſi per gradus creuerit eloquentia, pergit exponere. TVM *etiam.* § Dum uiueret Thucydides, cuius aetas in ſequentium incidit, qui hic nominantur, oratorum tempora. MAGISTRI *dicendi.* § Quos Graeci Rhetoras uocant. LEONTINVS § A patria Leontino Siciliae urbe, quam olim Athenienſes incoluere, ut Pauſanias lib. 2. ait. De Leontini agri fertilitate Plinius & Cicero in Verrinis, multa ſcribunt. GORGIAS § Rhetor, Empedoclis diſcipulus, tanti nominis, ut neminem centum minis minoris doceret, hoc eſt coronatis octingentis. Purpureis ueſtibus uſum ſcribit Aelianus. Hic, ut eſt apud Plat. & Cic. de omni re quaecumque in diſceptationem quaeſtionemq. uocaretur, ſe copioſiſſime dicturum profitebatur. Annos 105. uel, ut alii uolunt, 107. & amplius uixit: interrogatus qua diaeta tam pulchre tot annos uiueret, reſpondiſſe fertur, Nihil umquam uoluptatis cauſſa faciens: alii, quod aliorum conuiuia numquam ſequeretur. Interrogatus item, cur tamdiu uellet eſſe in uita? ut ait Cicero: Nihil habeo, inquit, quod accuſem ſenectutem. Cum autem ad extremam ſenectutem perueniſſet, cum debilitate correptus aliquantum ſomni cepiſſet, a neceſſario quodam interrogatus, ecquid ageret? ſomnus, inquit, uenit, ut me fratri commendet, nec multo poſt e uita diſceſſit. Hic unus fuit ex iis, qui bene, & feliciter diu uixerunt. Hic eſt ille Gorgias Platonis ſermonibus celebratus. TRASYMACHVS *Chalcedonius* § Carchedonius male legitur apud Philoſtratum. nec fuit Platonis, & Iſocratis diſcipulus, ut Suidas ſcribit, cum Plato in libris de republica inducat illum cum Socrate diſputantem, & Cicero hoc loco Iſocrate ſeniorem faciat. Hic Sophiſtes fuit, primusq. periodon, & colon oſtendit, & Rhetorices modum praeſentem introduxit. De conſultatione, de arte Rhetorica, de ludis puerilibus, & de argumentis Rhetoricis ſcripſit: Suidas. Fuit, & inueniendi numeri in oratione princeps, Cicero in Oratore. Chalcedon autem urbs Bithyniae in Boſphori faucibus ſita eſt e regione Byzantii, ubi nunc eſt Conſtantinopolis. PROTAGORAS § Democriti diſcipulus, quem fama ſuperauit, ut Aelianus ait. Sophiſtes max. ſuis temporibus, & Rhetor, a quo Rhetoricam X. M. denariorum, hoc

eſt,

eſt, coron. 500. Euathlum didiciſſe ſcribit Fabius. Controuerſiam inter praeceptorem, & diſcipulum ſcribit Gellius. Hic, ut refert Stobaeus, nihil eſſe artem ſine exercitatione, neque exercitationem ſine arte dixit. Abdera uero urbs eſt Thraciae. PRODICVS *Cius* ʒ Diſcipulus Protagorae, philoſophus, phyſicus, & ſophiſtes, ut Suidas ait, Theramenis, & Socratis praeceptor. Hic dicere ſolebat, optimum condimentum eſſe ignē, id eſt, uel bonum ſtomachum, uel tantum obſonium coctum, ſine deliciis. Cius, non Chius: ab Cio inſula, quam etiam Ceam dixere, ut ait Plin. lib. 4. cap. 12. HIPPIAS ʒ Valuit memoria, ita ut 50. nomina audita, eodem ordine redderet. Is diſputationes mathematicas introduxit, de quo de Orat. 3. Cicero, ex Platone. ELEVS ʒ ἠλεῖος, regio & urbs in Peloponneſo. ALIIQ. *multi* ʒ Vt Parmenides, Zeno, Selybrianus Herodicus, Pithocles Chius, Euthydemus, Dionyſodorus, quos Plato, ut ſophiſtas, irridet. QVEMADMODVM *cauſſa inferior* ʒ Infirmior, uertit Gellius lib. 5. cap. 3. Peior, Quinctil. lib. 2. cap. 13. ITA *enim loqueb.* ʒ Nam, quod illi Graece dicebant, hoc ſignificabat Latine. Graece uero ita dicebant, Protagorae praeſertim, teſte Gellio: τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν. DICENDO *fieri ſuperior poſſet* ʒ Gellius, fortior: Quinctil. melior, dixit, pro eo, quod Graece κρείττων dicitur. Huius quoque rei mentionem facit Iſocrates, Plato in Apologia, & Ariſtophanes in Nubibus. Nam & Socrati id obiiciebatur, Docere eum, quomodo peiorem cauſſam meliorem faceret: ut Quinctil. habet: uel, quemadmodum Gell. Quanam uerborum induſtria, cauſſa infirmior, fieret fortior. IIS ʒ Sophiſtis, & tam magna profitentibus, ut dictum eſt. OPPOSVIT *ſeſe* ʒ Ergo falſum eſt Socratem ſophiſtam fuiſſe, quod aduerſarij calumniabantur, & Ariſtophanes ſcripſit, qui illum in Ranis eſt inſectatus. nam eis ſeſe oppoſuiſſe, & Plato, & Xenophon, & alij teſtantur. SOCRATES ʒ Sophroniſci lapidarij, & Phaeneratae obſtetricis filius, ab Apolline omnium ſapientiſſimus iudicatus: de quo tā multa Plato, Xenophon, Cicero, Aelianus, Laertius, Suidas, & alij ſcripſerunt, ut nunc praeſtet de illo ſilere, quam pauca dicere, cum multa hic locus reſpuat. SVBTILITATE ʒ Socrates enim, cum prudentia, & acumine, & uenuſtate, & ſubtilitate, tum uero eloquentia, uarietate, & copia, quam ſe cumq. in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps. lib. 3. de Orat. DISPVTANDI ʒ εἰς ἑκάτερον, ut epiſt. 3. lib. 2. Att. id eſt, in utramque partem, uel contra alterius opinionem. Ea enim fuit uetus, & Socratica ratio diſputandi. Tuſcul. 1. REFELLERE ʒ Ironia & inductione, quibus illum frequenter uſum fuiſſe conſtat. Sic enim Socrates diſputabat, ut nihil affirmaret ipſe, alios refelleret. lib. 1. Acad. INSTITVTA ʒ Doctrinam, & affirmandi temeritatem. SOLEBAT ʒ Cum percunctando, atque interrogando eliciebat eorum opiniones, quibuſcum diſſerebat, ut ad ea, quae ij reſpondiſſent, ſi quid uideretur, diceret. lib. 2. de Fin. VIR *is* ʒ Rectius quam uerbis, ne ſit ingratus numerus, ne ue ſit Pleonaſmos, uitium in oratione uitandum. Verbis tamen etiam non male, cum & Plato Socratem Philologum, a quibuſdam uocatum fuiſſe ſcribat: & Xenophon eum multum loqui ſolitum affirmet: & Socratis ſermones Pauſonis picturis ſimiles fuiſſe dicat Aelianus: qui rogatus, ut equum, qui uolutaretur, pingeret, currentem pinxit. Illo uero, qui tabulam iuſſerat, id modeſte ferente, Verte, inquit, & qui nunc currit, uolutabitur. Sic Socratem ſolitum fuiſſe ironicos obſcure diſputare, ſed, ſi quis eius ſermones uertiſſet, eos bene habere uidiſſet. nolebat enim iis, quibuſcum diſputabat, moleſtus eſſe. Itaque ironicos, obliquis ſermonibus, & ob id multis, utebatur. CVIVS ʒ Si legas, Vir is: ſed ſi, Verbis, Huius legendum. VBERRIMIS ʒ Vnde tam multa Plato, Xenophon, Aeſchines, Cicero, & alij ſcripſerunt. SERMONIBVS ʒ Non dixit, e ludo, ut de Iſocrate loquens, quoniam Socrates apud Platonem ſic loquitur: Ego magiſter nullius umquam fui. Si quis uero me, uel dicentem, uel facientem uoluit audire, ſiue iuuenis, ſiue ſenex eſſet, nulli umquam operam negaui meam. DOCTISSIMI *uiri* ʒ Vt Plato, Xenophon, Aeſchines, Ariſtippus, Phaedon, Crito, & alij, quos longum eſſet referre. ILLA *de natura* ʒ φυσικὴν, & phyſiologiam. Et ſane philoſophandi ratio eſt triplex: de natura, de moribus, & de diſſerendo: quam diuiſionem Cicero ad Platonem, Laertius ad Zenonem Citieum refert. Philoſophiae partes uocat Cic. lib. 1. de Orat. Locos Apollodorus. Chryſippus uero, atque Eudromus ſpecies: alij genera. Aliqui philoſophiam ipſam animanti ſimilem, oſſibus, ac neruis λογικὴν, carnibus ἠθικὴν, animo φυσικὴν conferentes. Alij ouo, quod cruſtam λογικὴ, albumen ἠθικὴ, uitellum, & reliqua abſtruſa, φυσικὴ referat. Alij agro fugifero, quod ſepem λογικὴ, fructum ἠθικὴ, humorem, ſtirpesq. ipſas, φυσικὴ quaſi repraeſentet. ANTIQVIOR ʒ Quippe quam, ſiue a Barbarie, ſiue a Graecis inuenta ſit, conſtat ante Socratem annis minimum mille centos & quinquaginta fuiſſe. INVENTA *dicitur* ʒ A Socrate, qui, ut in Tuſc. primus philoſophiam deuocauit e caelo, & in urbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coegit de uita, & moribus, rebusq. bonis, & malis quaerere. QVOD, *quoniam genus* ʒ Genus hominum intelligit, qui philoſophi uocantur, non philoſophiae genus, ſiue naturalis, ſiue moralis. Id probant ſequentia. ABHORRET ʒ Alienum a propoſito, & inſtituto noſtro eſt, qui de Oratoribus ſermonem inſtituimus. PHILOSOPHOS *aliud in tempus reiiciamus* ʒ Videtur in animo habere, quod de Oratoribus facit, etiam de philoſophis facere; nimirum, eos inter ſe conferre; quod fortaſſe in Academicis praeſtiterat, ſi exſtarent integra, quae ſcripſit.

C I C E R O

E XSTITIT *igitur iam ſenibus illis, quos paullo ante diximus, Iſocrates, cuius domus cunctae Graeciae quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, & perfectus magiſter, quamquam forenſi luce caruit, intraq. parietes aluit eam gloriam, quā nemo quidem meo iudicio eſt poſtea conſecutus. is & ipſe ſcripſit multa praeclare, & docuit alios: & cum cetera melius, quam ſuperiores, tum primus intellexit, etiam in ſoluta oratione, dum uerſum effugeres, modum tamen, & numerum quendam*

oportere ſeruari. ante hunc enim uerborum quaſi ſtructura, & quaedam ad numerum concluſio nulla erat: aut, ſi quando erat, non apparebat eam dedita opera eſſe quaeſitam: quae forſitan laus ſit; uerumtamen natura magis, tum caſu non numquam, quam aut ratione aliqua, aut obſeruatione fiebat. ipſa enim natura circumſcriptione quadam uerborum comprehendit, concluditq. ſententiam. quae cum aptis conſtricta uerbis eſt, cadit etiam plerumque numeroſe. nam & aures ipſae, quid plenum, quid inane ſit, iudicant: & ſpiritu, quaſi neceſſitate aliqua, uerborum comprehenſio terminatur: in quo non modo deſici, ſed etiam laborare turpe eſt.

EXPLANATIO

EXSTITIT *igitur iam ſenibus illis* } Gorgia, Thraſymacho, Protagora, Prodico, & Hippia. nam Gorgiã ſenem Iſocrates adoleſcens in Theſſalia audiuit, ut in Oratore ait. ISOCRATES } Theodori ciuis Athenienſis F. cuius uitam Dionyſius, Plutarchus, Philoſtratus, & Suidas diligenter ſcripſerunt. CVNCTAE *Graeciae* } Hoc etiam Dionyſius affirmat, eum non modo Athenienſes, uerum etiam qui eſſent in reliqua Graecia iuuenes optimae indolis erudiuiſſe. Et Plutarchus in Chio primum, ludum aperuiſſe. QVASI *ludus* } Hic Cicero, de Orat. E ludo Iſocratis tamquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt. OFFICINA *dicendi* } Sic in Oratore, Domus Iſocratis, officina habita eloquentiae eſt. MAGNVS *orator, & perfectus magiſter* } Quod quidem difficillimum eſt. nam Demoſthenes magnus orator fuit ſine dubio: at magiſter non fuit. neque enim docuit. Contra Ariſtoteles, perfectus magiſter fuit: Orator non fuit. Idem de Cicerone, & Fabio aiunt: Hunc Rhetorem quidem fuiſſe, non oratorem: contra, Ciceronem magnum Oratorem, non tam bonum Rhetorem. Sed in Cicerone falluntur: qui quidem utrumque munus ita impleuit, ut in praecipiendo Fabius non ſit cum eo comparandus: in orando uero, omnes, tum Graecos, tum Latinos longe ſuperarit. Inepti ſunt, qui ſecus ſentiunt. FORENSI *luce caruit* } Pro, non dixit in foro, forenſes cauſſas non egit. INTRAQ. *parietes* } Lucem, & parietes, quaſi lucem, & tenebras oppoſuit. ALVIT *eam gloriam* } Translatio ſumpta ab animalibus, quae domi aluntur, quae ob id altilia uocantur: ſiue a puellis, quae intra parietes ad nuptias uſque educantur: ſic Iſocrates eloquentiam tamquam uirginem caſtiſſimam domi donec adoleſceret, cõtinuit. cuius tamen gloria tanta fuit, ut Ariſtotelem ad aemulationem prouocauerit. NEMO *quidem meo iudicio* } Bona compoſitio, & Ciceroniana, qui ſolet illas Sophiſtarum nugas uitare, ne dicat: Nemo meo quidem iudicio, ne nomen dicere uideatur, quod inſuauiter rotundis auribus ſonat. EST *poſtea conſecutus* } De Iſocrateis numeris, deq. tanto Oratore loquens, Dichoreo numero Ciceroni probatiſſimo clauſulam terminauit. SCRIPSIT *multa prarclare* } Ergo orator eſt, non modo qui dicit, ſed & qui orationes ſcribit praeclare. Iſocratem orationes ſexaginta ſcripſiſſe, quae legebantur, auctor eſt Plutarchus. Veras tamen putat Diouyſius uiginti quinque, Suidas triginta duas: alij, uiginti octo: hodie quidem una, & uiginti leguntur. ET *docuit alios* } In quo Rhetoris officio functus eſt. Docuit innumerabiles, ſed inter primos Iſaeum, Hyperidem, Timotheum, Theopompum, Ephorum. MELIVS *quam ſuperiores* } Quam Gorgias, Prodicus, & alij. TVM *primus* } At in oratore, ait: Traſymachum numeri inueniendi principem fuiſſe, quae quidem inter ſe non repugnant. Non inuenit numerum Iſocrates, ſed Thraſymachus: nemo tamen eo ſcientius eſt uſus. Quod autem in Oratore affirmare uidetur, Iſocratem primum, numeros uerbis ſolutis adiunxiſſe: ex aliorum ſententia dicit, ut ibidem patet: Hic autem non dicit numeri inuentorem Iſocratem fuiſſe, ſed eum primum intellexiſſe numerum quendam ſeruari debere: quod Thraſymachus non intellexit, cuius omnia nimis etiam ſcripta exſtabant numeroſe. SOLVTA *oratione* } ἐν πεζῷ λόγῳ, pedeſtri, proſa. Soluta, quod, etſi pedes habeat, carmine tamen ſit ſolutior. Proſa, quaſi profuſa, pedeſtris, id eſt numeroſa, quod non aduerſus granditatem adſcendat, ſed quaſi pedibus eat, non equo uehatur. Hinc Hort. pedeſtres hiſtorias dixit. Vide Qu. lib. 10. VERSVM *refugeres* } Eſt enim uitium orationis, ſi periodus in uerſum cadat: de Orat. 3. & in Orat. praeſertim Heroicum: Quinctil. lib. 9. cap. 4. Cic. in Orat. quod tamen Cic. non ſemper uitauit, ergo intelligitur, uitium eſſe, ſi crebro fuit: raro autem, habet granditatem. MODVM } μέτρον, id eſt, menſuram quandam metricam, quae in temporum interuallis longis, ac breuibus cernitur. Dionyſius, & Quinctilianus: Suos habent Muſici modos, quos τόνους, & νόμους uocant, opinor. NVMERVM } Quidquid enim eſt, quod ſub aurium menſuram aliquam cadit, etiamſi abeſt a uerſu, numerus uocatur, qui Graece ῥυθμός dicitur, qui ſic definitur: Rhythmus eſt ordo conſonans ad harmoniae conſecutionem ſuauis, & arguta modulatio. ſed Cicero numeri nomine pedes intelligere uidetur: ut in Oratore uidere licet. Aut dicamus, Modum eſſe in conſtructione uerborum, numerum in temporibus ſyllabarum, ex quibus pedes conflantur. OPORTERE } Quod perfectionem declarat officij, quo ſemper utendum eſt, in Orat. Ergo neceſſe eſt, non, ut quidam ait, aliter fieri poſſe. QVASI *ſtructura* } Duram tranſlationem, praepoſita particula quaſi, molliuit. Coagmentationem, & Coniunctionem lib. 3. de Orat. Structuram, dimenſionem, & copulationem, Fabius. AD *numerum* } πρὸς τὸν ῥυθμόν, numeroſa, ut in Oratore. CONCLVSIO } Sic etiam de Orat. 3. dicitur. Item in Orat. Quamuis enim quaeri ſoleat, toto ne ambitu uerborum, numeri ſint tenendi, an in primis partibus, atque extremis, plerique tamen cenſent cadere tantum numeroſe oportere, terminariq. ſententiam. QVAE *forſitan laus ſit* } Nam caput artis eſt, artem diſſimulare: lib. 2. de Orat. in Orat. & Ariſt. Rhet. lib. 3. NATVRA *magis, tum caſu nonnumquam* } In Orat. Nihil affert numerus, niſi ut ſit uerbis apte comprehenſa ſententia, quod fiebat etiam ab antiquis, ſed plerumque natura, interdum etiam caſu. QVAM *aut ratione* } Ratio ad caſum, obſeruatio ad naturam refertur. Obſeruatio enim fecit, quae a natura

primum

primum profecta eſt. Vt enim poetica, & uerſus inuentus eſt terminatione aurium, obſeruatione prudentum, ſic in oratioue animaduerſum eſt, multo quidem illud ſerius, ſed eadem natura admonente, Eſſe quoſdam certos curſus, concluſionesq. uerborum: in Oratore. IPSA § αὐτή, ſponte ſua, per ſe, ut apud Graecos ſaepe ſignificat. CONCLVDITQ. *ſententiam* § In Orat. Veteres fortuito ſaepe aliquid concluſe apteq. dicebant. Et obſerua Dochimum pedem Ciceroni familiarem, ex Bacchio & Iambo. CONSTRICTA § Illigata, uincta: ut de Orat. 3. Aliter, Circumſcripta: ut paullo ante, Circumſcriptione. CADIT § Concluditur, terminatur. AVRES § Quarum iudicium ſuperbiſſimum, & ſenſus faſtidioſiſſimus dicitur. IPSAE § αὐταὶ, per ſe, ut paullo ante, Ipſa. INANE § Contentio: opponitur Pleno. IVDICANT § In Orat. Meae quidem aures, & perfecto completoq. uerborum ambitu gaudent, & curta ſentiunt, nec amant redundantia. SPIRITV § De Orat. 3. quo uno ſaltem uerborum comprehenſio uolui poſſit. Clauſulas enim, atque interpuncta uerborum, animae interclusio, atque anguſtiae ſpiritus attulerunt. Quod genus comprehenſionis, Hermogenes de Inuent. 4. πνεῦμα appellare uidetur. COMPREHENSIO § Graeci περίοδον uocant, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehenſionem, aut continuationem, aut circumſcriptionem dicimus, in Orat. De Orat. 3. Complexionem, & conuerſionem quam Ariſt. lib. 3. Rhet. ſic definit: Dico periodon, dictionem habentem ipſam in ſe principium, & finem, & magnitudinem perſpicuam. Demetrius Phalereus: Periodus, eſt ex membris, & inciſis bene conuerſis, ſubiectam ſententiam perficientibus, conſtitutio. Hermogenes, paullo aliter. Aquila Rom. Periodus eſt ea, quae ſententiam certa quadam circumſcriptione definit. Quattuor partibus, quattuor inſtar hexametrorum uerſuum quod eſt, conſtat plena comprehenſio: in Orat. pluribus tamen ſaepe conſtat. ſed de perfecta loquitur. Et membrum quidem Graeci κῶλον, quod eſt pars orationis ex pluribus uerbis abſolute aliquid ſignificans, hoc modo, Et ſi uereor, iudices, ne turpe ſit pro fortiſſimo uiro dicere incipientem timere. Inciſum, quod alij caeſum, Graeci κόμμα, pars eſt Orationis nondum ex duobus, aut ex pluribus uerbis quidquam abſolute ſignificans: ita, Etſi uereor, iudices, ne turpe ſit. Eſt item Demetrio triplex, periodus: Rhetorica, de qua dictum eſt: Dialogica, remiſſior, & ſimplicior, uixq. periodus apparens, qua in dialogis utimur, & Hiſtorica, utriuſque particeps, ut neque nimis ſit ſoluta, neque nimis adſtricta, ne hiſtoricam ſimplicitatem amittat. Quare Liuius quibuſdam uideri ſolet ſuas comprehenſiones nimis circumduxiſſe. DEFICI § Voce & ſpiritu: ut illud pro Cluent. Mulier conſilio, rationeq. deficitur. LABORARE § Difficulter uocem, & ſpiritum continuare: quo uitio laborant, qui plura circuitu uolunt ſcribendo comprehendere, quam ut uno ſpiritu uolui poſſit: qua re ſe Ciceronianos eſſe putant, non facturi, ſi non ſcribere, ſed ea pronunciare cogerentur.

C I C E R O

TVM fuit Lyſias, ipſe quidem in cauſsis forenſibus non uerſatus, ſed egregie ſubtilis ſcriptor, atque elegans: quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. nam plane quidem perfectum, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixeris. nihil acute inueniri potuit in eius cauſſis, quas ſcripſit, nihil, ut ita dicam, ſubdole, nihil uerſute, quod ille non uiderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, uihil ornatum uel uerborum grauitate, uel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius.

E X P L A N A T I O

TVM *fuit Lyſias* § Gorgia, Prodico, & alijs, quos dixit, iam ſenibus, & Iſocrate iuuene, ut oſtendit in Phaedro Plato, ubi etiam Iſocratem praeſtantiori ingenio, & moribus, quam Lyſias, fuiſſe affirmat. Idem teſtatur Cic. de Orat. 2. Fuit Lyſias Chephali Syracuſani filius: Athenis tamen natus eſt, cum pater eo immigraſſet. Orationes eius uerae ultra trecentas, fuiſſe dicuntur. Tiſiae, & Niciae diſcipulus, unus ex x. Oratoribus a Graecis maxime celebratis, quorum etiam exſtant monumenta. Dicendi puritate omnes, praeter Iſocratem ſuperauit. Scripſit artem Rhetoricam, conciones, laudationes, & epiſtolas. Exſul olim, quingentos milites ſtipendio ſuo inſtructos ad Athenas triginta tyrannide liberandas, miſit. Hic olim Diogenem interrogauit, an crederet Deos eſſe? Cui reſpondit ille, qui conuenit, ut non credam, cum certum habeam te dijs inuiſum eſſe? Phauorinus, ut Gellius refert, de Lyſia, & Platone ſolitus eſt dicere: Si ex Platonis oratione uerbum aliquod demas, mutes ue, atque id commodiſſime facias, tantum de elegantia detraxeris: Sic ex Lyſiae, de ſententia: hunc breuem, & acutum eſſe ſignificans, ut hic Cicero. De Lyſiae oratione Socrati oblata in carcere, uide Cic. de Oratore libro primo. IN *cauſſis for. non uerſ.* § Vtpote, qui alijs potius orationes ſcripſerit, quam dixerit ipſe. Vide Cic. de opt. gen. oratorum. Iccirco hic ſcriptorem appellat, & Infra. PROPE *audeas* § Hoc uerbum de re ardua, & difficili dicitur, ut etiam Seruius in Virgilium teſtatur. Difficile uero ſemper fuit, ac paene adynaton, oratorem perfectum inuenire, cum hac ratione ne perfectus quidem fuerit ipſe Demoſthenes, ut poſt uidebitur. Orator definiendus, ex lib. 1. de Orat. &c. Lyſias non fuit perfectus, quippe eum Cicero inter minores oratores numerat: de opt. gen. Orat. Sed de Lyſia multa cum alijs Oratorijs libris Cicero, tum infra, & Quinctilianus lib. 10. qui eum puro fonti, quam magno flumini dicit fuiſſe propiorem. PLANE § Opponitur illi, Prope. NIHIL *admodum* § Nihil prorſus, ualde nihil. Infra de Curione, Litterarum admodum nihil ſciebat. Vel dicamus, nihil admodum, ut ſignificet tamen aliquid defuiſſe Demoſtheni, ſed illud admodum parum eſſe, ita ut pro nihilo fere duci poſſit: nam neceſſarium, quod ſit,

nihil

nihil deeſt. potuit tamen eſſe copioſior. Iccirco in Orat. ait: Vſqueadeo difficiles ſumus, ut nobis non ſatiſ-
faciat ipſe Demoſthenes. DEMOSTHENEM ≷ Demoſthenis, & Cleobulae F. de quo tam multa ſcripta ſunt
a Cic. Fabio, Plutar. Hermogene, Theone, Luciano, Suida, & alijs: de quo & infra ſuis locis dicetur. ACV-
TE ≷ ὀξέως, περὶ δριμύτητος καὶ τοῦ ὀξέως λέγειν ſcribit, id eſt, de ſubtili & acuta oratione. In Orat. Demoſthe-
nes nihil argutijs, & acumine Hyperidi cedebat. Haec autem omnia, quae hic prius dicit, ſub genere dicen-
di attenuato continentur: reliqua ad ſublime pertinent, quae genera in Oratore copioſe deſcribit. Omittere
autem medium, & utriuſque particeps genus uidetur, quaſi, qui duo haec extrema habeat, medium etiam
habere uideatur. VT *ita dicam* ≷ Vei bi nouitatem, ſiue uetuſtatem potius lenit, & mollit: eſt enim Subdo-
le Plautinum, e Trinummo comoedia. Pro ſubdole, & uerſute fortaſſe dici poſſet callide. In Orat. Demoſthe-
ne nemo nec grauior exſtitit umquam, nec callidior: quorum alterum ad genus ſublime, alterum ad tenue, ſi-
ue attenuatum, & ſubtile refertur. De calliditate Demoſthenis Val. Max. lib. 7. cap. 3. Duo, ancillae depoſiti
nomine pecuniam dederant, ea lege ut illam ſimul utrique redderet. Alter repetit, mortuum alterum affir-
mans, & ſqualidus. Haerebat miſera, quae pecuniam non haberet, nec defenſorem: iamq. de laqueo, & ſu-
ſpendio cogitabat. Sed Demoſthenes affuit, Et mulier, inquit, parata eſt depoſiti fidem ſoluere, ſed niſi ſo-
cium adduxeris, id facere non poteſt. SVBTILITER ≷ Minute, tenuiter. Infra in Lyſia modo ſubtilitatem,
modo tenuitatem laudat: cui tamen Demoſthenes, ut in Oratore ait, in ea non cedit, ita ut Demoſthenes cer
te poſſit ſummiſſe dicere: elate Lyſias fortaſſe non poſſit: de Opt. gen. Oratorum. PRESSE ≷ Preſſe, & ample
loqui opponit Infra. Interdum preſſi Oratores, redundantibus opponuntur: de Orat. 2. ENVCLEATE ≷ Ele-
ganter, dilucide, plane. Ab eo quo nucibus apertis, nucleorum utilis uſus habetur in promptu: Nonius.
LIMATIVS ≷ Politius, ut uidentur illa, quae ſunt limata. Haec autem omnia ſunt idem ſignificantia, perti-
nentq. ad dilucidum, atque attenuatum dicendi genus: de quo in Orat. ſic: Contra tenues, & acuti omnia do-
centes, & dilucidiora, non ampliora facientes, ſubtili quadam, & preſſa oratione limati. GRANDE ≷ Hinc
Infra uerborum granditatem in eo fuiſſe dicit. Et Hermogenes inter ſeptem illas formas, quae Demoſthenis
orationem conficiunt, μέγεθος, id eſt, magnum enumerat. Sunt autem illa, Magnum, Pulchrum, Moratum,
Verum, Aptum, Velox, Dilucidum. INCITATVM ≷ τὸ σφοδρὸν, γοργότητα, Vehemens, & uelox: ut in Orat
Et ad Att. Demoſthenis fulmina uocat. ORNATVM, *uel* ≷ In Orat. Grandiloqui ſunt cum ampla, & ſenten-
tiarum grauitate, & maieſtate uerborum. Et Demoſthenes grandis a Suida, & Quinctiliano dicitur: ut haec
omnia ad magnum illud, & illuſtre dicendi genus referamus.

C I C E R O

HVIC Hyperides proximus, & Aeſchines fuit: & Lycurgus, & Dinarchus, & is, cuius nulla exſtant ſcripta, Demades, alijq. plures. haec enim aetas effudit hanc copiam: &, ut opinio mea fert, ſucus ille, & ſanguis incorruptus uſque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis ineßet, non fucatus nitor.

E X P L A N A T I O

HVIC ≷ Demoſtheni. HYPERIDES ≷ Athenienſis, Platonis, & Iſocratis auditor, ut ex Cic. Plutarc. &
Laertio colligitur, etſi Suidas eorum condiſcipulum potius ſignificare uidetur: unus ex decem illis ora
toribus fuit. Ei in Oratore Cic. argutias, & acumen, non minus quam Lyſiae tribuit. Demoſtheni in dicendo
ita proximus fuit, ut Cic. lib. 1. de Orat. Demoſthenem, & Hyperidem homines in dicendo perfectos, & per-
politos uocet. Et Plutarchus idem ſentire uidetur. Verſatus eſt in republ. eo praeſertim tempore, quo Ale-
xander Graecia potitus eſt, tumq. legationes multas obiuit. Conciones habebat is quidem, ſed ex ſcripto, easq.
litteris prius mandatas referebat, & ſine actione pronunciabat. Phrynem defendit. Fuit enim Phryne ex The-
ſpiis nobiliſſimum totius Graeciae ſcortum: quam capitis accerſitam cum Hyperides defenderet, atque ani-
maduerteret fore, ut condemnaretur, eius tunicam diſcidit, & pectus pulchritudine admirandum oſtendit: eo
adſpectu ita perorando iudices commouit, ut eam abſoluerint. Vnde poſtea factum eſt decretum illud Areo-
pagitarum, cuius meminit Ariſtoteles, nequis affectus permoueret: & ne conſpiceretur is, de quo iudicandum
eſſet. Multos accuſauit, & in his Demoſthenis familiares quoſdam, ipſumq. tandem Demoſthenem: contra
quem etiam librum ſcripſit: quem Demoſthenes illi aegrotanti eripuit. Orationes ad quinquaginta ſcripſit,
uel, ut alij uolunt, ſeptem, & ſeptuaginta. Primus Hyperides cauſſas mercede dixiſſe fertur. Hic rogabat A-
thenienſes conſiderare, non ſolum, an eſſet acerbus: ſed, an ſine cauſſa eſſet acerbus. Hic dixit: Solicitudinem,
impedimentum eſſe ad dicendum. Ad extremum, Aeginam, ubi erat Demoſthenes, Antipatro rege aduentan-
te, ex urbe profugit: unde poſtea extractus Antipatri iuſſu interfectus eſt, cum ipſe ſibi prius, ne quidquã pro-
deret, abſcidiſſet linguam. Haec ex Stobaeo, Suida, Athenaeo, Plutarcho, & aliis. AESCHINES ≷ Atrome-
ti, qui litteras docuit, & Leucotheae, ut Suidas: uel potius, Glaucotheae, ut Demoſthenes, & Plutarchus aiunt,
filius, quae prius Empuſa Tympaniſtria fuit: uel, ut Suidas ſcribit, Teleſtria, hoc eſt, caerimoniarum magiſtra,
Vnus inter oratores x. numeratus. Puer litteras a patre didicit: deinde & ipſe Platonem & Iſocratem audi-
uit. Tres & triginta annos natus, ut in epiſtolis ipſe ſcribit, ad rempub. acceſſit, in qua non obſcure uerſatus
eſt: ſiquidem Demoſtheni, & eius amicis ſemper eſt aduerſatus, ut ex eius in Cteſiphontem oratione, & Demo
ſthenis cõtraria, cognoſcitur: quo in iudicio uictus, cum propter ignominiam iudicij ceſſiſſet Athenis, ſe Rho-
dum,

dum,cum ſeptem ſeruis,duobus familiaribus,matre ſeptuagenaria,uxore & tribus filiis,contulit: ut in epiſtolis ipſe ait. Ibi,cum eſſet rogatus a Rhodiis,legiſſe fertur orationem illam egregiam,quam in Creſiphontem, contra Demoſthenem dixerat: qua perlecta,petitum eſt ab eo poſtridie,ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demoſthene pro Creſiphonte dicta: quam cum ſuauiſſima, ut erat,& maxima uoce legiſſet, admirantibus omnibus: Quanto,inquit, magis admiraremini, ſi audiuiſſetis ipſum? Ita Cic. & Valerius Max. etſi Plut. & Philoſtratus paullo ſecus. Rhodi ludum aperuit,ſed illum mox reliquit,ac Samum profectus,non ita multo poſt ibi deceſſit. Natura ei longe diuerſa a Demoſthene fuit. Aeſchines enim uinolentus, hilaris,ac remiſſus fuit,& is,qui ſemper grata loqueretur: Demoſthenes uero,ſobrius, ſeuerus, & abſtemius: unde difficilis, & moroſus habebatur. Hic orationes tres ſcripſit,contra Timarchum,de legatione, & contra Creſiphontem, & Epiſtolas aliquot: quae nunc quoque exſtant. LYCVRGVS} Lycophronis filius Athenienſis orator ex decem: cum Platonis primum,deinde Iſocratis auditor fuiſſet, ſe ad rempub. contulit, & qaeſturam adeptus, in qua ita ſe per annos XII. geſſit,ut priuati etiam ciues ſaepe magnas apud eum pecunias deponerent. Multas tulit leges, & in ijs illam, ne mulier uehiculo per urbem ueheretur: quam cum uxor ipſius non ſeruaſſet, ipſe talentum ſoluit: hoc eſt,coron. 600. Multos accuſauit, & eiecit improbos: unde factitaſſe Athenis accuſationem infra dicitur. Saepe fuit legatus: noctes, atque dies de ſalute reip. cogitabat: cui ſic conſulebat, ut populos eſſet gratiſſimus. Quare,cum Alexander illum poſtularet,populus illum non cenſuit dedendum: ac antae fuit auctoritatis,ut aliquando publicum miniſtrum, qui Xenocratem philoſophum in carcerem ducebat,baculo impune uerberauerit,& in carcerem ipſum compegerit: tantum opinio iuſtitiae ualuit. Hic eandem ueſtem ſemper aeſtate, & hieme,quod etiam de Ageſilao legitur, gerebat: & lectulum habebat, in quo uilloſa pellis eſſet,& puluinar,quo facilius excitaretur ad meditandum. Illum quidam reprehendebat, quod Sophiſtis,orationis diſcendae cauſſa,mercedem daret: cui reſpondit: ſi quis liberos meos,mihi meliores ſe facturum recipiat,huic ego non mille drachmas, ſed facultatum dimidium dabo. Cum aegrotaret, iuſſit ſe in ſenatum deferri,ut rerum a ſe in repub. geſtarum rationem redderet: in quo, qui illum accuſaret,inuentus eſt nemo,praeter Mneſechmum quendam, cuius crimina cum refutaſſet, domum reductus non ita multo poſt e uita migrauit,ut uir iuſtus,& omnium ſermone commẽdatus. quae quidem opinio etiam filiis eius profuit. Lycurgus epiſtolas,& orationes multas ſcripſit, quarum aliquot Plutarchus, & Suidas nominant: in quibus, quam uehemens fuerit,Diodorus Siculus,& Gemiſtus,ut Theonem omittam,oſtendunt. Non eſt hic Lycurgus ille,qui leges dedit Lacedaemoniis. DINARCHVS} Socratis cuiuſdam,uel Soſtrati filius,Corinthius,ut Plut. & Suidas ſcribunt,etſi quidam in agro Athenienſi natum putant: unus ex x. Oratoribus fuit, qui, quo tempore Alexander Aſiam tenebat,cum Athenas ueniſſet, Theophraſtum audiuit, & Demetrio Phalereo familiariter eſt uſus: Deinde ſe reipub. tradidit, praeſertim poſt Antigoni regis mortem: quo tempore magnas ſibi diuitias uendendis orationibus,quas rogantibus ſcribebat,comparauit. qua etiam uia in numerum ſummorum oratorum peruenit. Cum Caſſandro rege conſpiraſſe creditus, & condemnatus in exſulium, a quo poſt Theophraſti familiaribus agentibus eſt reuocatus. Sed rurſum cum Phocione,& Solone Plataeenſi,cum profugiſſet,inſidiis eſt iugulatus. Huius orationes 64. fuiſſe ſcribit Plutarchus, Suidas uero 160. alij 60. tantum: in quibus alij Hyperidem,alij Demoſthenem,propter incitatum,& plenum affectibus dicendi genus,imitatum putant. DEMADES} Athenienſis orator: qui nauta cum fuiſſet,ita popularis, callidus, & felix fuit, ut iudicia,& oratorum contentiones,quas Graeci uocant ἀγῶνας,ſuſtulerit, ut Suidas ſcribit. Hic multum Athenis potentia,atque opibus ualuit,uel ob id potiſſimum, quod Regum Macedoniae partibus ſtuderet. Hic ex tempore ſaepe dicebat: & cum Demoſthenes in dicendo ex tempore deficeret,illi ſaepe opem ferebat,quẽadmodum ei aliquando ipſe exprobrauit. Cum aliquando regem Philippum largius potum cum amicis ſaltaſſe,& captiuis quibuſdam ſuam calamitatem exprobraſſe uidiſſet,libere dixit: Cum,o rex,Fortuna tibi Agamemonis perſonam impoſuerit,non pudet te factis agere Therſitem? Ea uox totum regem in diuerſum uitae genus commutauit: Plutarchus. Hunc facetum fuiſſe,Cicero praeter alios in Oratore ſcribit: illud Gellius: Tragoedus quidam ſibi gloriae ducebat,talentum magnum ob unam fabulam datum eſſe, homo eloquentiſſimus ſuae ciuitatis Demades ei reſpondiſſe dicitur: mirum tibi uidetur, ſi tu talentum loquendo quaeſiſti? Ego,ut tacerem, x. talenta a rege accepi. ALIIQ. *plures*} Vt Phocion,Pytheas,Lamachus,Callides, Eubulus,Ariſtophon,& Ariſtogiton. Aliiq. complures,eadem de re loquens,lib. 2. de Orat. dixit. HAEC *enim aetas*} Olympiade CVIII. ut ex Euſebio colligitur. EFFVDIT} Vt terra fruges effundere ſolet,quae tamen uices quaſdam uidetur habere,quibus interdum fruges effundat, interdum quaſi comprimat. Sic aetates ipſae interdum doctorum hominum,& copiam bonorum effundunt: interdum comprimunt ita,ut perquã pauci docti,& boni reperiantur. Quam rem Heſiodus,& ceteri poetae uidentur adumbraſſe, cum aetates ab auro,argento,aere,ferro appellarunt: ut in aurea omnes,in argentea multi,in aerea pauci,in ferrea nulli eſſent docti,& boni. SVCCVS} Figura orationis plena. Sic enim de Orat. 3. dicitur: cui tenuis opponitur,quam aridam Cornif. ad Her. lib. 4. uocat: & de Orat. Periclis ſuccum dixit: tranſlatio ſumpta a corpore humani ſucco. Donatus in Ter. Succos eſt humor in corpore,quo abundant beneualentes: unde Terent. dixit, Corpus ſolidum,& ſucci plenum: & Cic. eos oratores,qui eiuſmodi ſuccum haberent, ſanos, bonam ualetudinem, ſanitatem,& integritatem ſecutos ſaepe dicit,in hoc,& de opt. gen. Orat. SANGVIS} Oratio fortis, robuſta, uires,lacertos,& neruos habens,per translationem ſolet dicere: ut uiri fortes,& robuſti,qui plurimum ſanguinis habent,dicuntur. Vnde Plautus in Bacchidibus: Nihil moror mihi eſſe diſcipulos tam plenos ſanguinis,id eſt,tam robuſtos. INCORRVPTVS} Purus,ſanus,integer: Cor. Cel. Sanguis craſſus,& niger uitioſus eſt: ſi rubet & pellucet,integer. FVIT} Nam,poſteaquam exſtinctis Demoſthene,& aequalibus,omnis

corum

eorum memoria ſenſim obſcurata eſt, & enanuit, alia quaedam dicendi molliora, ac remiſſiora genera uigue-
runt. 2. de Orat. NATVRALIS ≷ Sanguine diffuſus: ut libro tertio de Orat. loquitur. Aut, uerus: ut ue-
rus color puellae dicitur a Terentio, id eſt, ut Donatus ait, naturalis. FVCATVS ≷ Fucata, atque ſimula-
ta ſinceris, & ueris opponuntur in Laelio. Fucatus, fuco illitus, ut lib. 3. de Oratore. Cuiuſmodi ſolent eſſe
meretrices: unde; Fucum facere, prouerbium. NITOR ≷ Splendor, color: Vnde, Rhetoricus color, de
quo alibi.

C I C E R O

*PHALEREVS enim ſucceſſit eis ſenibus adole-
ſcens, eruditiſſimus ille quidem horũ omnium, ſed
non tam armis inſtitutus, quam palaeſtra: itaque de-
lectabat magis Athenienſes, quam inflammabat:
proceßerat enim in ſolem, & puluerem, non ut e mi-
litari tabernaculo, ſed ut e Theophraſti, doctiſſimi
hominis, umbraculis. hic primus inflexit orationem;
& eam mollem, teneramq. reddidit; & ſuauis, ſicut
fuit, uideri maluit, quam grauis, ſed ſuauitate ea;
qua perfunderet animos, non qua perfringeret; tan-
tum ut memoriam concinnitatis ſuae, non, quemad-
modum de Pericle ſcripſit Eupolis, cum delectatio-
ne aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a qui-
bus eſſet auditus.*

E X P L A N A T I O

PHALEREVS ≷ Demetrius, qui primum Phanos eſt uocatus, Philoſophus Peripateticus, auditor fuit Theo-
phraſti, & Athenis Dux populi, & Princeps fuit ciuitatis. Cum ad multum gloriae, & potentiae perue-
niſſet, ob inuidiam eiectus, in Aegyptum profectus eſt, ubi a Ptolemaeo Sotere, ut Suidas, uel Philadelpho, ut
ſcribit Tertullianus, praefectura, & multis opibus ornatus eſt, quod illum Grammaticum perfectiſſimum co
gnoſceret, ut inquit Tertullianus. qui Grammaticum uocat, quem alij philoſophum, alij oratorem appellát.
Ibi cum eſſet, multos libros ſcripſit, atque inter ceteros, libros de Repub. Monebat autem Ptolemaeum, ut ſcri
ptos de regno, imperioq. libros legeret: quod ea, de quibus amici, reges monere non audent, in libris ſcripta le-
gi poſſint. Hunc uirum, eiuſq. eruditionem ſemper laudat Cic. praeſertim uero lib. 5. de Finibus. Et eſt
φαληρεὺς trium ſyllabarum. ENIM ≷ Ratio. & a quo ſuccus ille orationis ſit mutatus. SENIBVS *ado-
leſcens* ≷ Hic Demetrius, ut teſtatur Plutarchus, ſcripſit ſe quaedam a Demoſthene ipſo iam ſene audiuiſſe.
ERVDITISSIMVS ≷ Sic etiam de Finib. lib. 5. & ſecundo de Legibus dicitur, & lib. 2. de Orat. omnium po-
litiſſimum uocat: quod, ut de Offic. lib. j. philoſophiam cum dicendi facultate coniunxiſſet. NON *tam ar-
mis* ≷ Translationibus illuminat orationem, quoniam de homine loquitur, qui plurimum tranſlationibus eſt
uſus, ut in Orat. ait: Multi floruerunt apud Graecos, ſed Phalereus Demetrius meo iudicio praeſtitit ceteris:
cuius oratio, cum ſedate, placideq. loquitur, tum illuſtrant eum quaſi ſtellae quaedam translata uerba, atque
immutata. Itaque armis, tabernaculo, & perfringendi uerbo graue, & ſublime dicendi genus intelligit: palae-
ſtra, umbraculi, & perfundendi uerbo, medium illud, quietum, & temperatum dicendi genus, magis exercita-
tioni domeſticae ſimile, quam ueritati, & iuſtae dictioni forenſi, ut in 1. de Orat. Nitidum quoddam genus
eſt uerborum, & laetum, ſed palaeſtrae magis, & olei, quam huius ciuilis turbae, ac fori. DELECTABAT ≷
Quod ad temperatum dicendi genus pertinet, in quo Demetrius ceteris praeſtitit. Nam, cum eloquens is ſit,
ut Cic. ait, qui ita dicit, ut probet, ut delectet, ut flectat: &, quot ſunt officia oratoris, tot ſint dicendi genera:
Subtile, in probando: Modicum, in delectando: Vehemens, in flectendo: Demetrius in modico ſic excelluit,
ut ſemper delectaret potius, quam inflammaret, aut flecteret. PROCESSERAT *enim in ſolem, & pulue-
rem* ≷ In adſpectum, in lucem, in medium: quemadmodum milites, a quibus ſumpta eſt translatio, e taberna-
culo in ſolem, & puluerem pugnaturi prodeunt. Vnde de Oratore ita loquitur: Educenda dictio eſt ex dome-
ſtica exercitatione, & umbratili, medium in agmen, in puluerem, in clamorem, in caſtra, atque aciem forenſem.
Idem dixit de Legibus libro tertio de hoc ipſo Demetrio loquens: Nam bella ſaepius aeſtate, in qua puluis ab-
undat, quam hieme geruntur. Ex calore puluis: & motu puluis excitatur, ut fit in pugna. THEOPRASTI ≷
Melanti filius fuit, Ereſius e Lesbo Athenas uenit, Platonem, Ariſtotelemq. audiuit: qui praeter philoſophiae
ſcientiam, ita eloquens factus eſt, ut, cum Tyrtamus, uel Tytanus, ut Strabo ait, prius diceretur, ab Ariſtotele
primum Euphraſtus, deinde Theopraſtus, a diuinitate loquendi, ut ait Cicero, ſit appellatus. Hic Ariſtoteli
ſucceſſit, eo modo quo Gellius lib. 13. cap. 5. narrat. Huius uitam Diogenes, & Suidas ſcribunt. DOCTIS-
SIMI ≷ Quam doctus fuerit, teſtatur Cic. Tuſcul. 5. & ex eo cognoſcitur. quod Ariſtot. eum omnibus praetu-
lit. Ex *umbraculis* ≷ Sic 3. de Leg. Demetrius mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioque,
non modo in ſolem, atque puluerem, ſed in ipſum diſcrimen aciemq. perduxit. Quod uero philoſophi in um
braculis uerſarentur, illorum oratio, mollis, & umbratilis dicitur in Orat. HIC ≷ Demetrius. INFLEXIT
orationem ≷ Inclinauit eloquentiam, dixit Quinctil. Translatio ab iis, qui res altas inflectunt. Sic Demetrius
dicendi genus antea ſublime, & uehemens, ad ſuauitatem deflexit, & inclinauit. ET *eam mollem, ten.* ≷
Epexegeſis ſuperiorum. SVAVIS ≷ In prooemio de Offic. dulcis, cum ait: Nemini Graecorum adhuc con-
tigiſſe, ut idem in utroque genere laboraret, ſequereturq. & illud forenſe dicendi genus, & hoc quietum diſpu-
tandi: niſi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, orator parum uehe-
mens, dulcis tamen, ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere. PERFVNDERET ≷ delectaret. PER-
FRINGERET ≷ Permoueret, flecteret. TANTVM ≷ Aliter, & tamen. DE *Pericle* ≷ De quo dictum, &

dicetur

dicetur infra. Scripsit *Eupolis* ʒ Plinius epiſt. lib. 1. eius refert uerba, Athenienſis, comoediae ueteris poeta. Annum 17. natus, 17. comoedias edidit. Suidas. Ariſtophanes dixit Periclem fulgurare, tonare, permiſcere Graeciam, etiamſi Cicero Eupolidem ſcripſit aliquando. Acvleos ʒ τὰ κέντρα, a κεντέω, uel κεντάω, ſtimulo, dixit Eupolis, ut eſt apud Plin. epiſt. lib. 1. Vides ʒ Attice. nam ex eo loco, lucent Athenae tuae: uſque ad eum locum, Tum Brutus: cum Attico, ut homine paene Graeco: de Graecorum rebus loquitur.

CICERO

Vides ne igitur, ut in ea ipſa urbe, in qua & nata, & alta ſic eloquentia, quam ea ſero prodierit in lucem? ſiquidem ante Solonis aetatem & Piſiſtrati de nullo, ut diſerto, memoriae proditum eſt. at hi quidem, ut populi R. aetas eſt, ſenes; ut Athenienſium ſaecula numerantur, adoleſcentes debent uideri. nam, etſi Ser. Tullio regnante uiguerunt: tamen multo diutius Athenae iam erant, quam eſt Roma ad hodiernum diem. nec tamen dubito, quin habuerit uim magnam ſemper oratio. neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Vlyxi tribuiſſet Homerus, & Neſtori, quorum alterum uim habere uoluit, alterum ſuauitatem; niſi iam tum eſſet honos eloquentiae: neque ipſe poeta hic tam idem ornatus in dicendo, ac plane orator fuiſſet: cuius etſi incerta ſunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum: ſi quidem non infra ſuperiorem Lycurgum fuit, a quo eſt diſciplina Lacedaemoniorum adſtricta legibus. ſed ſtudium eius generis, maiorq. uis agnoſcitur in Piſiſtrato denique.

EXPLANATIO

Vides *ne igitur,* ʒ Hic eſt concluſio, & epilogus quidam propoſitae diſputationis, qua propoſuit, eloquentiam propter difficultatem, in lucem ſero prodiiſſe etiam Athenis, ubi nata, & alta dicatur. Difficultas ignauos deterret: pulchritudo magna, & praeſtantia ingenia allicit, atque etiam interdum ignaua. Nata *& alta* ʒ Inuenta, & perfecta ſit uis ſumma dicendi. libro de Orat. Translatio eſt ab animalibus, quae naſcuntur, & aluntur. Qvam ʒ Hic obſeruandae ſunt duae particulae, Vt, & Quam, idem ſignificantes, & efficientes. quod quidem fit Epanalepſi Ciceroni noſtro familiari. Sero ʒ Aetate Demoſthenis potiſſimum; id eſt, ab urbe Athenienſi condita CIↃ CCX annis, uel circiter. Prodierit *in lucem* ʒ Perfecta ſit, cum primum ſe orator extulit, primumq. etiam monumentis, & litteris oratio eſt coepta mandari. Si *quidem* ʒ Ratio, in qua initia repetit eloquentiae a Solone, & Piſiſtrato, de quibus ſupra diximus ſatis, opinor. Fuerunt autem hi annis noningentis octuaginta ab urbe Athenarum condita: ſiquidem Solon, ut diximus, Olympiade 47. uel 56. natus a Suida dicitur. De *nullo ut diſerto* ʒ Atqui Zoroaſter, uel Zoroaſtres, & ſapientes illi, inter quos Solon ſeptimus fuit, eloquentes fuerunt. Reſpondeo, non fuerunt Athenienſes, uel de nullo ipſorum tamquam diſerto, ſed tamquam ſapienti memoriae proditum eſt. nam non illi eloquentiá, ſed ſapientiam quandam profitebantur. Vt *pop. Rom. aetas eſt* ʒ Quae non eſt admodum longa, ſed annorum DCC. Senes ergo uideri debent, cum ſint annorum 500. & 200. tantum anni relinquantur ad aetatis finem, unde numerare incipit. Ita multo quidem plures ſunt anni ipſorum, quam qui ex aetate populi Romani ſuperſunt. Adolescentes ʒ Si D anni, quot inter Solonis aetatem, & Ciceronis interfuerunt, cum ipſis noningentis octuaginta, quot ab Athenis conditis ad Solonem fuiſſe diximus, conferantur. Nam ʒ Obiectio cum ſolutione. Servio *Tullio* ʒ Sic legendum eſt, non Tullo: quod cognoſcitur ex Tullia filia. Sextus enim fuit Romanus. Rex Tullius, cum Tullus tertius fuerit. Mvlto *diutius* ʒ Annis nimirum noningentis, cum Roma ſeptingentis tantum. Nec *tamen* ʒ Quamuis dixerim, eloquentiam ſero in lucem prodiiſſe. Troicis *temporibus* ʒ Quibus a Graecis Troia eſt annis x. oppugnata, & tandem rxpugnata: id eſt, Troiano bello. Alij legunt Heroicis. nam Heroica etiam ea tempora dicta ſunt, quibus tot Heroes, fortesq. uiri floruerunt. Tribvisset ʒ Multis quidem in locis, ſed potiſſimum libro primo, & tertio Iliados. Homervs ʒ Poetarum princeps, & fons ingeniorum dictus. Nestori ʒ Cuius non minus eloquentia, quam ſenecta locum prouerbio fecit. Vim ʒ Perſuadendi ἐνέργειαν, & facultatem. Vide Iliados lib. 3. Hinc a poetis etiam Latinis diſertus, & facundus ſaepe appellatus. Svavitatem ʒ Qualem ei tribuit Iliados primo. Esset ʒ Profuiſſet. Honos *eloquentia* ʒ Sic infra & 3. de Leg. Breuitas eſt laus: locutio paene, qualis illa:

— Certamen erat, Coridon cum Thyrſide, magnum.

Alias, Honos eloquentiae, ut loquitur Tuſcul. prima. Ornatvs ʒ Quam fuerit, cum ipſius diuinum opus teſtatur Homeri, tum Plutarchus in eius uita pluribus oſtendit, & Cic. in epiſtolis Magniloquentiam Homeri, uocat. Plane *orator* ʒ Qui tam eloquentes reges, & duces introducit, ut nihil deſideres. Hinc Fabius ſcribit Homerus omnibus eloquentiae partibus exempla, & principia dediſſe. Cvivs *etſi incerta ſunt tempora* ʒ Propter auctorum diſſenſionem, quae inde nata uidetur, quod octo Homeri apud Archilochum, plures etiam apud Xenophontem in Synonymis fuiſſe leguntur, & quidem diuerſis locis, & temporibus. Et, cum uni omnia, quod de Hercule etiam ferunt, ſint tributa, inde factum, ut Homerus diuerſis locis, & temporibus natus eſſe dicatur. Omnium opiniones uide apud Gyrardum Lilium Ferrarienſem in uitis poetarum. Annis *multis* ʒ 124. ut Euſebius Apollodorum, & Euphorbum ſecutus, collegit. Ante *Romulum* ʒ

Ante urbem conditam, ut hac de re loquens, Tuſcul. 1. ait. Siqvidem *non infra* ʒ Sed iiſdem temporibus, ut Tuſcul. 1. affirmat, & Euſebius ſentit. Svperiorem *Lycurgum* ʒ Nam Timaeus, quem Cicero nunc ſequitur, duos Lycurgos Lacedaemonios fuiſſe ſcripſit. Superiorem, qui leges Lacedaemonijs dedit: & Inferiorem, qui & ipſe multa praeclare geſſit: ſed omnia priori, qui fuiſſet Homeri temporibus, attributa. Superioris uitam habes apud Plutarchum, & Suidam: multa quoque Herodotus, & alij. Disciplina ʒ Quae ante Lycurgum fuit peſſima. Adstricta *legibus* ʒ Quae ab omnibus laudantur, quae a Xenophonte, & Plutarcho referuntur: quamuis Ariſtoteles eam rempub. in multis reprehendat. Atque, etiamſi homines adſtringi legibus dicantur, tamen uiderur Cicero ad id reſpicere, quod Lacedaemonij ſe leges ſeruaturos iurarunt, donec Lycurgus reuerteretur. Et ſane poſt ſeptingentos amplius annos, ut teſtatur Cicero, unis moribus, & numquam mutatis legibus uixerunt. Ipſe autem Lycurgus reuerſus eſt numquam. Legibvs ʒ legibus non ſcriptis: nam legibus ſcriptis uti uetuit, ut Plutarchus ait.

PAVLLVS . MANVTIVS . Maior *uis agnoſcitur in Piſiſtrato. denique hunc proximo ſaeculo Themiſtocles inſecutus eſt.* ʒ mutaui diſtinctionem, &, puto, recte. non enim placet, Denique hunc: aptius uiſum hoc modo: Maiorq. uis agnoſcitur in Piſiſtrato denique. hunc proximo ſaeculo, &c.

C I C E R O

Hvnc proximo ſaeculo Themiſtocles inſecutus eſt, ut apud nos perantiquus; ut apud Athenienſes, non ita ſane uetus: fuit enim regnante iam Graecia, noſtra autem ciuitate non ita pridem dominatu regio liberata. nam bellum Volſcorum illud grauißimum, cui Coriolamus exſul interfuit, eodem fere tempore, quo Perſarnm bellum, fuit, ſimiliſq. fortuna clarorum uirorum: ſiquidem uterque, cum ciuis egregius fuiſſet, populi ingrati pulſus iniuria ſe ad hoſtes contulit, conatumq. iracundiae ſuae morte ſedauit. nam, etſi aliter eſt apud te, Attice, de Coriolano: concede tamen, ut huic generi mortis potius aſſentiar. At ille ridens: Tuo uero, inquit, arbitratu: quoniam quidem conceßum eſt rhetoribus ementiri in hiſtorijs, ut aliquid dicere poſſint argutius. ut enim tu nunc de Coriolano, ſic Clitarchus, ſic Stratocles de Themiſtocle finxit. nam, quem Thucydides, qui & Athenienſis erat, & ſummo loco natus, ſummusq. uir, &, paullo aetate poſterior, tantum mortuum ſcripſit, & in Attica clam humatum; additq. fuiße ſuſpicionem, ueneno ſibi conſciuiße mortem; hunc iſti aiunt, cum taurum immolauiſſet, excepiſſe ſanguinem patera, &, eo poto, mortuum concidiſſe. hanc enim mortem rhetorice, & tragice ornare potuerunt: illa mors uulgaris nullam praebebat materiem ad ornatum. quare, quoniam tibi ita quadrat, omnia fuiſſe in Themiſtocle paria, & Coriolano; pateram quoque a me ſumas licet. praebebo etiam hoſtiam; ut Coriolanus ſit plane alter Themiſtocles. Sit ſane, inquam, ut ut lubet, de iſto: & ego cautius poſthac hiſtoriam attingam te audiente; quem rerum Romanarum auctorem laudare poſſum religioſiſſimum. ſed tum fere Pericles, Xanthippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam: quae quamquam tum nulla erat dicendi; tamen, ab Anaxagora phyſico eruditus, exercitationem mentis a reconditis, abſtruſiſq. rebus ad cauſſas forenſes, populareſq. facile traduxerat. huius ſuauitate maxime hilaratae ſunt Athenae, huius ubertatem, & copiam admiratae, eiuſdem uim dicendi, terroremq. timuerunt.

E X P L A N A T I O

Hvnc *proximo* ʒ Aetate ſequenti. nam ſaeculum eſſe non potuit, ſiquidem annis 70. poſt Solonem, & Piſiſtratum, ut diximus, Themiſtocles fuit. Vt *apud nos* ʒ Vt pop. Rom. aetas eſt, ut ſupra dixit. Perantiqvvs ʒ Vt a quo ad hanc aetatem anni minimum quadringenti, interſint. Vt *apud Athenienſes* ʒ Vt Athenienſium ſaecula numerantur. Supra. Non *ita ſane uetus* ʒ Adoleſcens, ut ſupra: ſiquidem multo adoleſcentior, quam Solon, & Piſiſtratus. Regnante ʒ Dominante, florente, ſine regibus tamen. Non *ita pridem* ʒ Annis triginta: uel, ut alij, 22. Illvd *grauiſſimum* ʒ Liuius ſcribit illud bellum ita graue fuiſſe, ut, quam armis uiri defendere urbem non poſſent, eam mulieres precibus, lacrymisq. defenderent. Vide Val. de Pietate. Cvi *Coriol.* ʒ Dux cum Accio Tullio, Cn. Marcius Coriolanus. Eodem *feee tempore* ʒ Annis decem fere, poſt fuit Perſicum bellum. Cic. tamen in Laelio annos xx. uidetur numerare: ſed de utriuſque uiri exſulio & morte, non de belli interuallo intelligendus eſt locus. Persarvm ʒ Qui ſunt a Perſeo, Iouis & Danaes filio, dicti, ut Herod. lib. 7. ut alios omittam. Hoc bellum intulit Xerxes Darij filius, immenſis copiis, quem ad fugam coegit Themiſtocles. Civis *egregius* ʒ Coriolanus in capiendis Cotiolis: unde & nomen reportauit: Themiſtocles in ſuperandis Perſis. Pop. *ingrati* ʒ Qui utrumque de repub. optime meritum, in exſulium eiecit. Ad *hoſtes* ʒ Coriolanus quidem ad Volſcos; Themiſtocles, ad Perſas. Iracvndiae *ſuae* ʒ Qua uterque bellum patriae ſuae conatus eſt inferre. Morte *ſedauit* ʒ Vterque enim ſibi morrem conſciuit, ut loquitur in Laelio. Nam, *etſi* ʒ Anticipatio, ne Atticus arguat. Varie enim de Coriolani morte ueteres ſcripſere: alij ut proditorem a Volſcis interfectum, ut Dionyſius, Plinius, Plutarchus, & alij, uſque ad ſenectutem uixiſſe: ut Fabius Pictor, teſte Liuio. Hic Cicero eum ſibi mortem conſciuiſſe, innuere uidetur, quamquam ambigue loquitur, ut in re dubia. Qvoniam *quidem* ʒ Alij, Quandoquidem, legunt: recte utrumque. Ementiri ʒ Legitur etiam Mentiri, quod placet. Oratoribus autem mentiri licere, multis probat Quinctil. lib. 12. cap. 1. & Cic. lib. 2. de Orat.

Rhe-

RHETORIBVS } Tam ipſis Oratoribus, quam iis, qui artem docent, in ſuis declamationibus, quas fingunt. Vtrumque enim ſignificat ῥήτωρ. ET *in hiſtorijs* } Cum Hiſtoria ſit lux ueritatis, cuius prima lex eſt, ne quid falſi dicere audeat: deinde, ne quid ueri non audeat. ut de Orat. lib. 2. VT *al. p. d. argutius* } Immo, ut unumquodque trahant ad utilitatem ſuam uincendi cauſſa, ut in Rhetoricis praecipitur. CLITARCHVS } Qui etiam res Alexandri Magni ſcripſit, & alia multa: cuius ingenium, ut ait Fabius, probatur, fides infamatur. Plutarchus in Hannibalis uita de Clitarcho, & Stratocle idem ſentit, eos nimirum finxiſſe, quod hoc loco Cicero ait. THVCYDIDES } De quo ſupra. Huius teſtimonio utitur, & laudat ab iis, quae teſtimonio auctoritatem conciliant, Natura & tempore: ut Cic. in Topicis ait. ATHENIENSIS } Atticus teſtis, &, Attica fides: prouer. de optima fide. Secus Graeca fides, dicitur. SVMMO *loco natus* } Quippe qui paternum genus ab Orolo Thracum rege, maternum uero a Milciade duceret. SVMMVSQ. *uir* } Senator bonus, & bonus Imperator. PAVLLO *aetate poſterior* } Annis quinquaginta, ut ſupra de Pericle oſtendimus. VENENO } φαρμάκῳ, ait Thucydides. Eſt enim utrumque medium uocabulum, tam bonum quam malum medicamentum ſignificans. TAVRVM } Ex Tauris enim uictimae optimae, & lautiſſima deorum placatio, ut Plinius ait. Et Virgil.

—— Maxima taurus
Victima: ——

Georg. 2.

SANGVINEM } Qui, ut ſcribit Plinius, celerrime coit, & dureſcit: ideo peſtifer potu maxime. Dioſcorides ad eum remedia tradit. EO *poto* } Aliter, Eo potu. RHETORICE } Eleganter, ornate. TRAGICE } Grauiter: Nam

Omne genus ſcripti grauitate Tragoedia uincit. Horatius.

FVISSE *in Themiſtocle* } Aliter, Themiſtocli. PATERAM } φιάλην Graeci uocant. SIT *ſane* } συγχώρησις, id eſt, conceſſio, ſiue permiſſio, ad Her. lib. 4. ISTO } Coriolano. Vel, Iſta re. AVCTOREM } Vindicem, tutorem, & defenſorem, etiamſi Annales ſcripſerit: ut Auctor pupillorum dicitur, pro tutore, a Cic. in Topicis. SED *tum fere* } Aetate fere Themiſtoclis. Annis enim poſt tantum quinquaginta fuit Pericles, ut ante diximus. PERICLES } De quo iam multa ſunt dicta. PRIMVS *adhibuit doctrinam* } Quod etiam in Phaedro teſtatur Plato. Doctrinam, id eſt dicendi artem, ut in Part. Orat initio. ANAXAGORA } Hegeſibuli, uel Eubuli, filio Clazomenio, qui phyſicus fuit, unum, & multa, & infinita rerum naturalium principia poſuit, qua de re Ariſt. Phyſ. lib. 1. Periclis, & Euripidis praeceptor fuit. qui cum Lampſaci moreretur, quaerentibus amicis, uellet ne Clazomenas in patriam, ſi quid accidiſſet, auferri? Nihil neceſſe eſt, inquit, undiq. enim ad inferos tantundem uiae eſt. Huic cum filius mortuus eſſe nunciaretur, Sciebam, inquit, me genuiſſe mortalem: Cic. Tuſcul. Vitam ſcripſit Laertius, & Suidas. De hoc Cic. de Orat. lib. 3. Periclem docuerat Anaxagoras Clazomenius uir ſummus in maximarum rerum ſcientia. Itaque hic doctrina, conſilio, eloquentia excellens, 40. annos praefuit Athenis, & urbanis eodem tempore, & bellicis rebus. EXERCITATIONEM *mentis* } Agitatiouem mentis, contemplationem, θεωρίαν. Ab hac exercitatione mentis, & quoniam mentis infinitae ſaepe mentionem faceret, a qua omnia, νοῦς ipſe, id eſt mens: ut Diogenes ait, eſt appellatus. Haec Cicero ex Phaedro Platonis ſumpſit. A *reconditis, abſtruſisq. rebus* } A naturae obſcuritate, quae ita dicitur propter ſcienriae difficultatem, & obſcuritatem. AD *cauſſas* } Genera cauſſarum attingit: forenſes, ad iudicia, populares, ad deliberationes, & laudationes refert. HVIVS *ſuauitate* } Quae tanta fuit, ut leporem in Periclis labris habitaſſe dixerint ueteres, ut Cic. lib. 3. de Oratore. HILARATAE } Illa naua ſuauitate delenitae. VBERTATEM, *& copiam* } Cic. in Orat. In Phaedro Platonis hoc Periclem praeſtitiſſe ceteris dicit Oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae Phyſici fuerit auditor, a quo cenſet eum cum alia praeclara quaedam, & magnifica didiciſſet, uberem & fecundum fuiſſe. ATHENAE } Pro Athenienſibus, denominatio. ADMIRATAE } Ita ut ei 40. annos reipub. in pace, & bello gubernacula permiſerint, ut ante diximus. VIM } De qua ui mira Socrates loquitur in Alcibiade primo. TERROREMQ. } Quem illa ui dicendi afferebat Athenienſibus, qua etiam fulgurare, tonare, Graeciam permiſcere uidebatur: unde & Olympius eſt appellatus, in quo monte illa fiunt: uel, Olympius, ab Olympo, caelo, caeleſtis.

C I C E R O

HAEC igitur aetas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. nec enim in conſtituentibus rempubl. nec in bella gerentibus, nec in impeditis, ac regum dominatione deuinctis naſci cupiditas dicendi ſolet. pacis eſt comes, otijq. ſocia, & iam bene conſtitutae ciuitatis quaſi alumna quaedam eloquentia. itaque ait Ariſtoteles, cum, ſublatis in Sicilia tyrannis, res priuatae longo interuallo iudicijs repeterentur, tum primum, quod eßet acuta illa gens, & controuerſa natura, artem & praecepta Siculos Coracem, & Tiſiam conſcripſiße: nam antea neminem ſolitum uia, nec arte, ſed accurate tamen, & de ſcripto pleroſque dicere: ſcriptasq. fuiſſe, & paratas a Protagora rerum illuſtrium diſputationes, quae nunc communes appellantur loci: quod idem feciße Gorgiam, cum ſingularum rerum laudes, uituperationesq. conſcripſſet; quod iudicaret hoc oratoris eſſe maxime proprium, rem augere poſſe laudando, uituperandoq. rurſus affligere.

EXPLANATIO

HAEC *igitur aetas.* Concluſio ſecunda ſuperioris diſputationis, qua probauit artem dicendi difficillimam eſſe: & ex eo cognoſci, quod uel Athenis in lucem ſero prodierit. Atque hinc nactus occaſionem, Graecos oratores nominauit. PRIMA Cum prius nihil eſſet ſcriptum, quod Oratoris eſſe uideretur: ut ſupra oſtendit. ORATOREM Ipſum Periclem. PROPE *perfectum.* Hunc prope perfectum tulit: Lyſias is quem prope audeas oratorem perfectum dicere: Sed Demoſthenes, quem plane perfectum, & cui nihil admodum deſit, facile dixeris: Supra. NEC *enim.* Ratio, quare aetate Periclis, id eſt, Athenis iam adultis Orator prope perfectus, non autem prius fuerit. IN *conſtituentibus rempubl.* Vt in Minoe, qui Cretenſium; in Phalea, qui Carthaginienſium; in Hippodame, qui Mileſiorum; in Lycurgo, qui Lacedaemoniorum; in Solone, qui Athenienſium; in Bruto, ac reliquis, qui Romanorum rempub. conſtituerunt. In his enim etſi interdum diſerti etiam dicuntur, non fuit tamen in illis dicendi cupiditas. NEC *in bella gerentibus.* Quamuis enim ſcribat Onoſander oportere imperatorem dicendi peritum eſſe: & nos legamus Brutum, & Auguſtum declamandi conſuetudinem ne bello quidem, & in caſtris omiſiſſe: omnes tamen intelligunt, in bellis ſtudijs eloquentiae operam dari non poſſe. NEC *in impeditis.* Vt Athenienſes decem & ſeptem regum, Romani ſeptem dominatione impediti, quibus temporibus neminem neque Athenis, neque Romae eloquentiae ſtuduiſſe legimus: quod Reges illud ſoleant uſurpare:

Sic uolo, ſic iubeo: ſit pro ratione uoluntas.

CVPIDITAS *dicendi.* Eloquentiae ſtudium. nam cur naſcatur cupiditas rei, qua ne uti quidem poſſis? Honos alit artes. PACIS *eſt comes.* Altera ratio, rationi ſubiecta, per contentionem, ſed ordine permiſto. Prius eſt rempub. conſtituere, deinde bella gerere, poſtremo ciuitatem occupare. quem ordinem prius eſt ſecutus, nunc permiſcet. nam pax, reſpondet bella gerentibus: otium, impeditis, & deuinctis, ſiue deuictis: & conſtituta ciuitas, conſtituentibus rempubl. quod quidem fecit, ut creſceret oratio: Comes, ſocia, alumna. Eloquentiam autem pacis eſſe comitem, ac pacem ipſam conciliare, ueteres ſignificarunt, cum Mercurio Eloquentiae auctori, caduceum pacis ſignum tribuerunt. Quid eſt ergo, quod Corn. Tacitus in libro de Orat. dicit? In bene conſtitutis ciuitatibus eloquentia non oritur. ſed is de eloquentiae abuſu loquitur. BENE *conſt. ciuit.* Legibus firmatae, atque armatae. QVASI *alumna* Sic loquitur, ne parum uerecunda uideatur tranſlatio, ſumpta ab hominibus, qui proprie alumni dicuntur. Pace autem alitur eloquentia, tamquam a ſua nutrice quadam, ſecus quam Philip. 7. cum ſe Cicero pacis alumnum uocat, intelligens ſe ſemper paci conſuluiſſe: ut de Offic. ait, lib. I. ITAQVE *ait* Vel, Ita ait, ut ſequitur, idq. oratione pendenti refert Cicero, ait, nimirum in eo libro, in quo expoſuit dicendi artes omnium ſuperiorum, libro ſecundo de Orat. Item de Inuent. in prooem. Ac ueteres quidem ſcriptores artis, uſque ab principe illo, atque inuentore Tiſia repetitos, unum in locum conduxit, qui liber non exſtat. SVBLATIS *tyr.* Gelone, Hierone, & alijs: annos centum ante Ariſtotelem. SICILIA Qua nulla terra Tyrannorum ferocior fuit, ut ait Iuſtinus lib. 4. Hinc Cic. Verr. 7. inquit, Tulit Sicilia multos, & crudeles tyrannos. quam ob cauſſam poeta Etruſcus dixit: Sicilia de' Tiranni antico nido. LONGO *interuallo* Sub tribus tyrannis, qui populis imperarunt ne loquerentur, ſed manibus, pedibus, oculis ſi quid opus eſſet, ſignificarent. REPETERENTVR A tyrannorum amicis. TVM *primum* Mortuo Hierone, cuius Corax amicus fuit. ACVTA Vrbana, ita ut numquam tantum mali ſit Siculis, quin aliquid facete, & commode dicant. Siculos acutos etiam Firmicus affirmat. CONTROVERSA Litigioſa, & peruerſa, ut quae inſulam habitet, cum dici ſoleat, Omnes, qui inſulas habitant, eſſe malos. Siculos uero peſſimos. ARTEM *& praecepta* Sic ſaepe loquitur Cicero: quia ars eſt praeceptio, ad Her. tamquam totum, & partes. CORACEM *& Tiſiam* Coracis diſcipulus Tiſias fuit: inter quos quia tale quid accidiſſet, quale inter Protagoram, & Euathlum alibi accidiſſe narrauimus, Prouerbium illud factum eſt, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, id eſt, Mali, corui, malum ouum. κόραξ enim coruus dicitur Graece: quem Cicero deridet lib. I. de Orat. Hos inſecutus eſt uir eiuſdem inſulae Gorgias Leontinus, de quo dictum. CONSCRIPSISSE Vnde ſcriptores artis, non inuentores uocat Fabius. qui, Ariſtotelem ſecutus, Empedoclem facit inuentorem. Cicero tamen lib. I. de Orat. hoſce uocat inuentores, propterea quod nihil Empedocles ſcripſerit, ut alibi diximus. NAM Ratio, qua probat eos primum ſcripſiſſe. SOLITVM Solitum dicere, uidetur eſſe hyperbaton, & aliquantum conturbata compoſitio, quod ſcriptores interdum de induſtria conſectantur, ut ſuſpicionem nimiae diligentiae declinent. DE *ſcripto* Non memoriter, quod nondum Rhetorica eſſet ſcripta, cuius inter partes Memoria numeratur. Sic Cicero ſuam orationem poſt reditum in ſenatu propter magnitudinem, de ſcripto dixit, ut ipſe teſtatur. PLEROSQVE Vt Periclem, qui primus orationem ſcriptam in iudicio dixit, quod & alij fecerunt. A *Protagora* Qui in Siciliam profectus ibi rerum magnarum diſputationes ſcripſit. RERVM *illuſtrium* Virtutum, & uitiorum theſes, ſiue cauſſarum, & litium magnarum, ut Suidas, & Laertius ſcribunt. COMMVNES *loci* Eo quod uidentur ijdem multarum eſſe cauſſarum, ut in Oratore ait: & de Orat. 3. loci, quia de uniuerſa re tractari ſolent, communes a Veteribus nominati ſunt. Et de Inuent. lib. 2. haec argumenta, quae transferri in multas cauſſas poſſunt, locos communes nominamus. Locum communem ſic definit Aphthonius, ut ſit oratio exaggerans ea, quae inſunt alicui, bona uel mala. Theon tamen inter locum communem, & laudationem multum intereſſe uult, ut locus communis rerum ſit tantum, neque demonſtrationes habeat: Laudatio uero & uituperatio certas perſonas, & demonſtrationem habeat, ut Helenae laudatio, apud Iſocratem. SINGVLARVM *rerum* Bonarum, & malarum,

rum, ut Iuuentutis, Senectutis: opulentiae, paupertatis. Vide de Orat. 3. LAVDES *& uitup.* ʒ ἐπαίνους, καὶ ψογούσε, ut Graeci uocant. Socrates, interrogatus, quid eſſet Rhetorica? reſpondit: Parua quidem magna, magna uero parua facere.

C I C E R O

HVIC Antiphontem Rhamnuſium ſimilia quaedam habuiſſe conſcripta: quo neminem umquam melius ullam orauiſſe capitis cauſſam, cum ſe ipſe defenderet, ſe audiente, locuples auctor ſcripſit Thucydides: nam Lyſiam primo profiteri ſolitum artem eſſe dicendi: deinde, quod Theodorus eſſet in arte ſubtilior; in orationibus autem ieiunior, orationes eum ſcribere alijs coepiſſe, artem remouiſſe. ſimiliter Iſocratem primo artem dicendi eſſe negauiſſe: ſcribere autem alijs ſolitum orationes, quibus in iudicijs uterentur: ſed, cum ex eo, quia quaſi committeret contra legem, quo quis iudicio circumueniretur, ſaepe ipſe in iudicium uocaretur, orationes alijs deſtitiſſe ſcribere, totumq. ſe ad artes componendas tranſtuliſſe.

E X P L A N A T I O

HVIC ʒ Locutio rara, & Graeca, non Latina. ut illa Horatij: Idem facit occidenti. Quare melius uetuſta quaedam exemplaria: *Hinc*, id eſt, poſt Gorgiam, ut ſit ordinis. HVIC *Antiphontem* ʒ Qui Sophili filius, & diſcipulus fuit. Cum Socrate habuit conſuetudinem, ſed ut aduerſaretur, ut Plato, & Xenophon teſtantur. Thucydidis magiſtrum fuiſſe putat Suidas: ſed Caecilius apud Plutarchum, diſcipulum fuiſſe credit. Rhamnonte pago Athenienſium. Orationes aliis ſcripſiſſe, Quinctil. & Plutarchus teſtantur. Neſtor eſt a praeſtantia artis appellatus. Varia de eo ſentiunt ſcriptores, ſed tamen a Thucydide lib. 8, laudatur uehementer. Scripſit etiam tragoedias, & comoedias. ἀλυπίας, id eſt, indolentiae artem Corinthi eſt profeſſus, tamquam triſtes, ut medici aegrotos, poſſet curare: id, quod oratione conſolando faciebat, triſtitiae tamen aut maeroris cognitis prius cauſſis. SE *defenderet* ʒ In cauſſa proditionis, quod cum quadringentis uiris Athenis ſenſiſſet. SE *audiente* ʒ Hoc non ſcribit aperte Thucydides: ſed eſt uériſimile, cum eius fuerit uel diſcipulus, uel magiſter. THEODORVS ʒ Byzantius, quem Plato in Phaedro Logodaedalum, id eſt opificē uerborum, uocat: qui contra Thraſybulum, & Androcidem multa ſcripſit. SVBTILIOR ʒ Acutior, in inueniendo praeſertim: nam multa, quae inuenit, enumerat Plato. IEIVNIOR ʒ Fuerunt, qui neminem artis ſcriptorem ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe dicerent, ut Cic. lib. 1. de Orat. refert. Hoc intelligendum eſt de iis, qui totam aetatem in arte meditanda, & docenda ponunt. LYSIAS ʒ De hac re ſatis ſupra diximus ex lib. de opt. genere Oratorum Ciceronis, qui ait, paruarum rerum caſſulas aliis eum ſcripſiſſe. REMOVISSE ʒ Quod ipſe quoque negaret artem dicendi eſſe ullam. SIMILITER ʒ Atque Lyſias: quod & Socrates apud Platonem in Phaedro, & Gorgia negat, & multi alij: quam quaeſtionem de Orat. lib. 1. & 2. & 3 diſputat: ſed copioſe primo. Ex *eo, quia* ʒ Ex eo, quod, ut ſolet ſaepius. QVASI ʒ Vel, quia lex nōdum erat: uel, quia in totam legem non commiſerat: uel, quia commiſiſſe putabat, etiam ſi forte non commiſerat. Verba legis ſunt apud Cic. pro Cluentio: Qui coierit, conuenerit, conſenſerit, falſumue teſtimonium dixerit. quam legem Romae C. Gracchus tulit. ARTES ʒ τεχνὰς ſaepius dicunt Graeci, quam τεχνὴν. ut artes Lyſiae, artes Theramenis Plutarchus: & Ariſt. τεχνὰς a ſe Theodectae ſcriptas, dixit: ideo, quod Rhetorica ex quinque rebus conſtat, ut ſupra dictum eſt, quarum unaquaeque eſt ars ipſa magna per ſe: uel, quod oratori plures artes ſunt neceſſariae. COMPONENDAS ʒ In ſcripto non eſt. TRANSTVLISSE ʒ Dichoreus, de Iſocrate, & Rhetorica arte loquens. Tranſtulit autem, quod uidiſſet artes quaſdam Theramenis, ſibi in iudiciis, in quibus accuſabatur, auxilio fuiſſe. Plutarchus.

C I C E R O

ET Graeciae quidem oratorum partus, atque fontes uides, ad noſtrorum annalium rationem ueteres, ad ipſorum ſane recentes. nam, ante quam delectata eſt Athenienſium ciuitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia & in domeſticis, & in bellicis rebus effecerat. hoc autem ſtudium non erat commune Graeciae, ſed proprium Athenarum. quis enim aut Corinthium, aut Thebanum ſcit fuiſſe temporibus illis? niſiquid de Epaminonda, docto homine, ſuſpicari libet. Lacedaemonium uero uſque ad hoc tempus audiui fuiſſe neminem. Menelaum ipſum dulcem illum quidem tradit Homerus, ſed pauca dicentem. breuitas autem laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in uniuerſa eloquentia laudem non habet.

E X P L A N A T I O

ET *Graeciae quidem oratorum* ʒ Epilogus. Graeciae dixit, non Graecorum oratorum, ut infra. ne ſic Aſiaticos, & Rhodios complecteretur. PARTVS, *atque fontes* ʒ Ortus, & principia: quamquam ordo naturae poſcit, ut fontes, & principia prius ſint, quam partus rerum: ſed amplificandi cauſſa ita factum eſt, ut alibi indicabo. Hic uero duplex eſt translatio, altera ab animalibus, altera ab aquis ſumpta. VIDES ʒ Tu,

Attice,

Attice,cum quo iamdudum loquitur : ut ſupra, Vides ne igitur? Ad *noſtrorum annalium* ʒ Iam ter eam temporum collationem fecit. Ad *ipſorum* ʒ Graecorum, ſiue Athenienſium annalium rationem : neque enim ipſorum oratorum dicendum eſt. Syntheſis eſt,cum ad ſenſum,non ad uerba refertur : ut,Praeneſte ſub ipſa,ſcilicet urbe. In Eunuchum ſuam,uidelicet comoediam,uel fabulam : ſic Ipſorum,non ad Graeciam,ſed ad Graecos. Recent. *part.* ʒ Adoleſcentes oratores,ut ſupra dixit. Antequam *delectata eſt* ʒ Ante Periclem,ut ſupra. Atheniensium *ciuitas* ʒ In qua primum ſe orator extulit. Laude *dicendi,* ʒ Eloquentia,ut ſupra,de Pericle loquens, dixit. Iam ʒ Iam adulta, ut ſupra locutus eſt. Domesticis ʒ In quibus continentur humanitas,doctrina,religio,fruges,iura,& leges: quae quidem putantur Athenis orta, & in omnes terras diſtributa, ut in orat. pro Flacco. Omitto,quae Iſocrates, & Iuſtinus ſcribunt de laudibus Athenarum. In *bellicis rebus* ʒ Nam filiis Herculis,Lacedaemonijs,Argiuis,& Thebanis auxilium tulerat: & bellum cum Scythis,Amazonibus,Thracibus,Dario,& Xerſe geſſerat, & alia multa. Graeciae ʒ Reliquae Graeciae. nam & Athenae certe ſunt in Graecia. Proprium *Athenarum* ʒ Vbi nata,& alta ſit eloquentia,ut ſupra. nam,etſi quidam,ut Prodicus Cius,Hippias Eleus,& Dinarchus Corinthius fuerunt,Athenis tamen fere uixerunt : & hi tam pauci ſunt, ut cum oratoribus collati, numerum uix facere uideantur. Quis *enim* ʒ Probat enumeratione praecipuarum Graeciae ciuitatum, hoc ſtudium non fuiſſe commune Graeciae. Argiuum ʒ ab Argo Peloponneſi. nam eſt etiam Pelaſgicum in Theſſalia, teſte Plinio, & Amphilochium,& Hippium in Italia,Arpi poſtea dicti. Argiui breuiter loquebantur : unde prouerbium,Argiua oratio, ut Laconiſmus. Corinthium ʒ A Corintho urbe, quae caput eſt Peloponneſi. Et de Corinthiis ueteres Κορινθιάζειν dixerunt,quaſi dicas, Corinthiari, pro lenocinari, & in ganeis,popiniſq. eſſe: quod quidem oratorum non eſt,ac multo minus philoſophorum. Thebanum ʒ A Thebis Boeotiae, ubi caelum eſt craſſius. itaque Thebani pingues putabantur, ut Cic. de Fato ſcribit : & tot prouerbia oſtendunt, Boeotica auris : Boeotica ſus : Boeotici mores : Boeoticum ingenium, id eſt craſſum. Temporibus *illis* ʒ Quibus oratores ſupra dicti fuerunt. nam poſt quoſdam fuiſſe non negat. Nisi *quis* ʒ πρόληψις, ſiue occupatio, ne quis dicat, quod ſcribit Aemilius Probus, Epaminondam Thebanum eloquentem fuiſſe. Fuit enim temporibus illis : ſiquidem, ut ſcribit Probus, aequalis fuit Calliſtrati, qui Demoſthene audito ſemel, eius gloria commotus, ad dicendum ſe contulit. Epaminonda ʒ Qui fuit Imperator Thebanorum, uir bellicis abundans laudibus, cuius uitam Plutarchus, Probus, & Iuſtinus ſcripſerunt. Hunc alij per o, alij per u, in paenultima ſcribunt; ſed Graeci per ω : cuius cauſſam fuiſſe credimus, quod multi putarunt ω in υ uerti oportere, quod Dores, in quibus Thebani, ω pro ου uterentur. ſed per o ſcribendum eſt. Lacedaemonium ʒ Lacedaemonem poſtremo numerauit, ut oratio creſceret,utpote cuius ſpectata, ac nobilitata uirtus eſſet, ut Cicero pro Flacco. Quod, ſi Lacedaemonij ne litteras quidem diſcebant, ut Iſocrates, Xenophon, & Plutarchus in Laconicis, ſcribunt : certe oratores, ut intelligit Cicero, eſſe non poterant. Adde, quod breuiſſimi eſſent in loquendo, ut prouerbium oſtendit, λακωνισμός, pro ſumma breuitate, & breuiloquentia. Quin & hic locum habet, quod Cor. Tacitus in Dialogo oratorum ait, Eloquentiam in bene conſtitutis ciuitatibus, ut erat Lacedaemon, oriri non ſolere. Menelaum ʒ Pliſthenis filium, fratrem Agamemnonis. Sed,quoniam, mortuo patre, illis etiamnum paruulis, ab Atreo fuerunt educati, eius filij putati ſunt : atque ob id Atridae fere a poetis appellati. Et eſt altera prolepſis, qua Cicero probat Menelaum uere Oratorem non fuiſſe, quod illa breuitas, qua is utebatur, in uniuerſa eloquentia laudem non habet, ſi ſola ſit, ſed in loco habet : & iccirco in luminibus orationis in Partitionibus poſita. is eſt enim eloquens, non qui unum poteſt, ſed omnia : is,inquam,eſt eloquens,qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter,& mediocria temperate poteſt dicere. Dulcem ʒ Homerus lib. 3. Iliados,

παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, —

id eſt, ut uertit Adagiorum collector, Pauca quidem, ſed plane argutiſſima. Sed Cicero λιγέος, dulcem interpretatur. Et certe canorum ſignificat: & Cicero infra dulce, & canorum coniungit. iccirco recte uerſum eſt in Homero :

Sermo fuit forti breuis, & ſuccinctus Atridae :
Pauca loquebatur ſiquidem, ſed dulcia ualde.

Laus *eſt* ʒ Vt ſupra,Honos eloquentia. In *aliqua parte* ʒ In exordio,& narratione : in quibus longitudo improbatur: ut in commiſerationibus,quae debent eſſe breues,ut Cicero praecipit. Vel,in aliqua parte dicendi,id eſt,in aliquo genere, cum humilia dicenda ſunt,ut dixi. Laudem *non habet* ʒ Atqui lib. 3. de Legibus ait,Breuitatem non modo ſenatoris, ſed etiam oratoris magnam eſſe laudem : uerum addit in ſententia dicenda,non ln omni genere.

C I C E R O

AT uero extra Graeciam magna dicendi ſtudia fuerunt; maximiq. huic laudi habiti honores illuſtre oratorum nomen reddiderunt. nam, ut ſemel e Piraeeo eloquentia euecta eſt,omnes peragrauit inſulas,atque ita peregrinata tota Aſia eſt, ut ſe externis oblineret moribus, omnemq. illam ſalubritatem Atticae dictionis, quaſi ſanitatem,perderet, ac loqui paene diſceret. hinc Aſiatici oratores,non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, ſed parum preſſi, & nimis redundantes : Rhodij ſaniores, & Atticorum ſimiliores.

EX-

EXPLANATIO

AT *uero.*] Apud Graecos tria genera Oratorum ex locorum diuerſitate fuerunt, Attici, Aſiatici, Rhodij. Cum igitur de Atticis hactenus dixerit, de reliquis, tamquam deterioribus pauca dicit, potius admonendi cauſſa, quam docendi, ut ab his ad Romanos, quorum cauſſa potiſſimum hic inſtitutus eſt ſermo, tranſiret. EXTRA *Graeciam.*] Hic potiſſimum Atticam ſignificat, Aſia minore, atque inſulis excluſis. HVIC *laudi.*] Eloquentiae, ut ſit denominatio. HABITI] Vt ab Alexandro Magno, qui Anaximenem Lampſacenum oratorem ſecum etiam in bellis habuit. Idem fecit Pyrrhus Epirotarum Rex, qui Cyneam in magno honore habuit, & plures eius oratione urbes a ſe, quàm armis captas, dixit. HONORES] Honos alit artes: omneſq. incenduntur ad ſtudia gloria: iacentq. ea ſemper, quae apud quoſque improbantur: Tuſc. 1. ILLVSTRE] Hinc M. Ant. apud Cic. ait, nihil eſſe perfecto oratore praeclarius. Idem cenſet Craſſus libro primo de Oratore. REDDIDERVNT] Illuſtri & magnifico pede, dichoreo nimirum terminauit. NAM] Probat magna dicendi ſtudia extra Graeciam fuiſſe. E *Piraeeo*] πειραιεὺς Graece ſcribitur. Et opidum & portus eſt, ut Pauſanias & Plinius ſcribunt. Iccirco tamquam ſit loci nomen, non opidi, praepoſitio additur: qua de re agit Cic. ad Atti. lib. 7. Epiſt. 3. Hodie Portus leonis dicitur. EVECTA] Aliter, Deuecta Translatio uidetur a mercatoribus ſumpta, qui merces in exteras regiones deuehunt. OMNES] Graeciae inſulas, non totius interni maris, ut quidam putant. PEREGRINATA] Tamquam de puella dictum, quae male ſolet audire apud Comicos, cum peregrina dicitur, ut etiam Donatus ait. ASIA] Minore, ut alibi diximus. SE *externis oblineret moribus.*] Inficeret, corrumperet, contaminaret: quod accidere ſolet peregrinantibus: iccirco Lacedaemonijs peregrinari non licebat. Iſta autem eloquentiae corruptio, inde uenit, ut eſt apud Fabium, quod, paullatim ſermone Graeco in proximas Aſiae ciuitates influente, nondum ſatis periti loquendi, facundiam concupierint; ideoque, ea, quae proprie ſignari poterant, circuitu coeperint enunciare: uel, quod Aſiana gens, tumidior alioqui, & iactantior, uaniore etiam dicendi genere elata fuerit. SALVBRITATEM] Salubritas affectio eſt e ſalubribus rebus conſtans, & ſalutem, uel ſanitatem afferens: quae eadem ſanitas dicitur. Tranſlatum a locis, quorum alii ſalubres, alii peſtilentes ſunt. Idem de rebus aliis intelligendum. Supra, Succum, & ſanguinem incorruptum dixit, quod naturalis eſſet, non fucatus nitor. QVASI *ſanitatem*] Sanitas proprie eſt animalium, iccirco addidit, quaſi, ne durior uideretur tranſlatio. Sic de opt. Oratorum genere, Incorruptam ſanitatem, & bonam ualetudinem dixit: & Infra, Sanitatem, & inſaniam orationis. Corporis enim temperatio, cum ea congruunt inter ſe, e quibus conſtamus, ſanitas eſt. Tuſc. 4. Vt enim in animalibus humorum εὐκρασία, id eſt, aequalitas, & temperies, ſanitatem gignit: ſic in Oratione uerborum, & ſententiarum quidam modus: quae ab hoc abeſt, ſanitas non eſt, ſed iam inſania, ſiue inſanitas. LOQVI] Peracutum ex repugnantibus, eloquentiam loqui dediſcere: ut ſupra, Eloquentia obmutuit: & alibi, Si tacent, ſatis dicunt. Item illa, Inſepulta ſepultura: Innuptae innuptiae. ASIATICI *oratores*] Vt Hierocles, & Menecles Alabandenſes fratres, quos Antonius audiuit, de Orat. lib. 2. quoſque Cicero in Oratore Aſiaticorum Oratorum principes uocat. NON *contemnendi*] Sic in Oratore: Hierocles, & Menecles, minime, mea ſententia, contemnendi: ut intelligamus hic eoſdem ſignificari. CELERITATE] Hanc in Oratore, facultatem uidetur appellare. Ex facultate certe celeritas oritur. PARVM *preſſi*] In quibus nihil redundet, ut diximus ſupra. ET *nimis redundantes*] Opponitur ei, quod dixit, Preſſi. Quinctil. uocat abundantes, quod inania quaedam uerba quaſi complementa numerorum inculcarent, ut ait Cicero in Oratore. Tranſlatio a fluminibus. RHODII] Tertium genus Oratorum, cuiuſmodi fuerunt, Apollonius Malacus, & Molo, qui, etſi Alabandenſes fuerint, quia tamen Rhodi uixerunt, Rhodij dicuntur, illius ciuitatis iure. SANIORES] Aſiaticis, praeſertim in Caria, & Phrygia, & Myſia, qui minime politi, minimeq. elegantes eſſent: adſciuiſſe atque aptum ſuis auribus opimum quoddam, & tamquam adipale dictionis genus. Id Rhodij eorum uicini, non ita late interiecto mari, numquam probauerunt. Rhodium enim dicendi genus, ut Quinctil. ait, ueluti medium inter Atticum, & Aſiaticum, atque ex utroque miſtum fuit. Similiores igitur fuerunt Atticorum, quod minus a perfecto abeſſent, quam Aſiatici. Hoc fecit Aeſchines, qui ibi habitauit, ut minus ab Atticis degeneraret.

CICERO

SED de Graecis hactenus: etenim haec ipſa forſitan fuerint non neceſſaria. Tum Brutus, iſta uero, inquit, quam neceſſaria fuerint, non facile dixerim: iucunda certe mihi fuerunt, neque ſolum non longa, ſed etiam breuiora, quam uellem. Optime, inquam: ſed ueniamus ad noſtros: de quibus difficile eſt plus intelligere, quam quantum ex monumentis ſuſpicari licet. Quis enim putet aut celeritatem ingenij L. Bruto, illi nobilitatis ueſtrae principi, defuiſſe? qui de matre ſuauianda ex oraculo Apollinis tam acute, arguteq. coniecerit; qui ſummam prudentiam ſimulatione ſtultitiae texerit; qui potentiſſimum regem, clariſſimi regis filium, expulerit; ciuitatemq. perpetuo dominatu liberatam, magiſtratibus annuis, legibus, iudicijſq. deuinxerit; qui collegae ſuo imperium abrogauerit, ut e ciuitate regalis nominis memoriam tolleret: quod certe effici non potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum. Videmus item, paucis annis poſt reges exactos, cum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium conſediſſet, eumq. montem, qui Sacer appellatus eſt, occupauiſſet, M. Valerium dictatorem dicen-

do

do ſedauiſſe diſcordias,eiq. ob eam rem honores amplißimos habitos, & eum primum ob eam ipſam cauſſam Maximum eſſe appellatum. Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuiße dicendo, qui poſt decemuiralem inuidiam plebem in patres incitatam legibus, & concionibus ſuis mitigauerit.

EXPLANATIO

SED } Tranſitio,tranſit enim a Graecis ad Romanos. GRAECIS } Species poſuit, & quaſi partes,nũc genere omnes complectitur: ſunt enim Graeci, quod Graeca uterentur lingua, quamuis extra Graeciam Aſiatici & Rhodij eſſent:nam Graecia paruum quendam locum Europae tenet,ſemperq. tenuit. ETENIM } Quare plura de Graecis non dicat: idq. propter eos, qui putent de Romanis Oratoribus dicturo,non fuiſſe neceſſarium de Graecis dicere. Fuit tamen neceſſe, utpote a quibus dicendi facultas Romam uenerat. NON *facile dix.* } Neque enim Brutus adhuc intelligere poterat, quorſum Ciceronis diſpoſitio ſpectaret. Nam uiſus eſt tantum oratorum genera inquirere: cum eo ſpectarit potius, ut claros Oratores celebraret. DIFFICILE } 2. de Orat. Non facile,inquit, in noſtris oratoribus poſſumus iudicare: quia ſcripta, ex quibus iudicium fieri poſſet, non multa ſane reliquerunt. AVT } Lege Autem: nam ita loqui Cicero non ſolet. CELERITATEM *ingenij.* } In Oratore, Animi atque ingenii celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti: & ad explicandum,ornandumq. ſint uberes: & ad memoriam firmi,atque diuturni. Contrarium huic uide de Orat. lib. 1. Solutio. Verba ſunt Scaeuolae, illic contra diſputantis, non Ciceronis. Fortaſſis etiam dicendum, Ciceronem id Bruto praeſenti dare. Bruti tamen longas orationes habent Liuius & Dionyſius. BRVTO } L. Iunio Bruto, qui Marci filius fuit. Brutus, a ſtultis moribus, quos finxit, id eſt, Beſtia appellatus, de quo Liuius, & Dionyſius,& Florus. NOBILIT. *ueſt. principi.* } Erant quidem nobiles, ſed huius factum familiam maxime illuſtrauit:iccirco princeps dictus. DE *matre ſu.* } Liuius, ſimpliciter terram oſculatum ſcribit, Dionyſius Italiam. quod eam putaret omnium matrem mortalium. Videtur hoc confirmare oraculum Aeneae redditum apud Virgilium:

—— Antiquam exquirite matrem:

quo loco Italia intelligitur.

Ex *oraculo.* } Ad quod Titus, & Aruns regis filii, de quodam angue in Regia uiſo, ut Liuius, uel morbi cuiuſdam cauſſa, ut Dionyſius,miſſi, L.Brutum ſecum duxerant, ut haberent, quem ridere poſſent, ut tum potiſſimum riſerunt, cum Apollini baculum obtulit, quod exiſtimarent baculum prorſus eſſe: at ille baculum aureum incluſum ſambuceo, ut auctor de Viris illuſt.ait, uel corneo, ut Liuius, donum Apollini Delphico tulerat,per ambages tegens effigiem ingenii ſui. SIMVLAT *ſtult.* } Vt Vlyſſes, Solon, Meſon Aſtrologus: quam ſtultitiam ſimulauit Brutus uſque ad Lucretiae mortem. POTENTISSIMVM } Tarquinium Superbum, & potentiſſimum. nam ſuperba etiam potentia, & alta dicuntur. CLARISSIMI } Tarquinij Priſci, quincti Romanorum Regis, quem ſecutus eſt Seruius Tullius, hunc Superbus. Filium putat Liuius Superbum Priſci. Dionyſius, nepotem: Valla, neque nepotem, neque filium. Nos Liuio, & Ciceroni aſſentimus. EXPVLERIT } Populi lege, qua L. Tarquinio imperium abrogabatur, exſulemq. eſſe iuberet cum coniuge, & liberis. PERPETVO *dom.* } Opponitur annuo. Libertatis enim inde magis, ait Liuius, originem, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quam quod deminutum quidquam ſit ex regia poteſtate, numeres. Vnde Cic.de Leg. Regio imperio conſules duo ſunto. Athenienſes in eo ſecutus eſt Brutus, ut ipſe apud Dionyſium loquitur. LEGIBVS } Quas uide apud Dionyſium Halicarnaſſaeum. IVDICIIS } Praetoribus conſtitutis, quos iam tum ſic appellatos eſſe Liuius putat: nam & Cicero de Legibus ita ſcribit: Regio imperio duo ſunto, ijq. praeeundo, iudicando, conſulendo, praetores, iudices, conſules appellantor. Nam,& conſulere, iudicare Veteres dixerunt. unde adhuc, boni conſulere, id eſt, iudicare bonum, quod fit, aut dicitur. COLLEGAE *ſuo* } L. Tarquinio Collatino, Lucretiae marito. IMPERIVM } Conſulare: nam generale eſt uerbum, Imperij. REGALIS *nominis* } Quod & ipſe L. Tarquinius diceretur, & propinquus Regum eſſet. PERSVASVM } L. Collatino, ut Liuius ſignificare uidetur: uel populo potius, ut Dionyſius refert. Finem igitur oratori propoſitum aſſecutus eſt, nimirum perſuadere. VIDEMVS } In Hiſtoria, ſic loquitur ſaepe Cicero. PAVCIS *annis* } Sexdecim, ut ex orat. pro Cor. Balbo, & Aſconio, & Eutropio colligitur. Pomponius tamen de Orig.iuris, ſeptemdecim ſcribit. EXACTOS } Pulſos: Exactos fere de hac re loquens, dicit Cicero. & hoc eſt, quod Probus hac nota uſos Veteres ſcribit, EX.R. id eſt, exactis regibus. PLEBES } Vt de Legibus, pro Plebs: utrumque enim dicitur, ſed illud antiquius eſt. PROPE *ripam.* } Iuxta ripam,dixit Val.Max. li.8.cap.9. ANIENIS } Amnis, ut Liuius: fluminis,ut Valerius Max. AD *tertium mil.* } Tria ab Vrbe milia paſſuum: Liuius. CONSEDISSET } Verbum, cum de multitudine loquimur, uſitatum. Inſedit, quoque dicitur ab alijs. MONTEM } Collem, uocat Valer. SACRVM } Ex ſacrata plebe, uel ex legibus, & magiſtratibus in eo creatis. M. VALERIVM } Poplicolae fratrem, ut Liuius, & Dionyſius, qui hoc factum Menenio Agrippae tribuunt: ſed uterque feciſſe potuit. SEDAVISSE } Nexis, remiſſis,& plebeiis magiſtratibus creatis. VALER. } Poplicolae nepotem, P. filium: a M. Valer. ad hunc conſulem, anni 45. numerantur. DECEMVIRALEM } Ob tyrannidem excitatam, in decemuiros. INVIDIAM } Id eſt, odium, potiſſimum propter Siccij, & Virginiae mortem: quorum alter iuſſu decemuirum occiſus, quod ſeceſſionis mentionem feciſſet, altera a patre occiſa, ne ad libidinem Appij in ſeruitutem,& ſtuprum raperetur. IN *patres* } In omnes quidem, ſed praecipue in decemuiros, qui paene omnes erant ex

patricijs,

patriciis, patres ob honores appellatos. INCITATAM ʒ Ita ut in Auentinum primum, deinde in montem ſacrum ſeceſſerit, ut Liuius, & Dionyſius ſcribunt. LEGIBVS ʒ Prima, quae tr. pl. iuſſiſſent, populum tenerent. Secunda, ne ullus magiſtratus ſine prouocatione crearetur: qui ſecus feciſſet, eum ius, faſq. eſſet occidi. Tertia, ut tr. pl. ſacroſancti eſſent, ita ut qui eis nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet: familia, liberi, liberaeq. ad aedem Cereris uenum irent. Liuius lib. 3. CONCIONES ʒ Hyſteron proteron, prius conciones Valer. & Horatius priuati habuerunt: poſt conſules facti leges tulerunt: unde & Horatianae leges dictae. Liuius. MITIGAVERIT ʒ Ita ut cuncti ipſis permiſerint, facerent ut uellent. Liu. 1.

PAVLLVS. MANVTIVS. QVIS *enim putet aut celeritatem ingenij L. Bruto*, ʒ alterum, Aut, deſideratur: nec tamen corruptum locum ſuſpicor. familiare enim Ciceroni, ut ipſe ſibi non reſpondeat in uerbis. itaque interdum, cum dixerit, Primum, non ſubiungit, Deinde: epiſt. 9. ad Coelium, lib. 2. & epiſt. 23. ad Gallum, lib. 7. Eodem modo, cum hic ſubiuncturus eſſet, Aut M. Valerio; inſtitutum orationis filium interrupit, & dixit, Videmus item M. Valerium &c.

C I C E R O

POSSVMVS App. Claudium ſuſpicari deſertum, quia ſenatum iam inclinatum a Pyrrhi pace reuocauerit: poſſumus C. Fabricium, quia ſit ad Pyrrhum de captiuis recuperandis miſſus orator: Ti. Coruncanium, quod ex pontificum commentarijs longe plurimum ingenio ualuiſſe uideatur: Man. Curium, quod is tribunus pl. interrege Appio Caeco, diſerto homine, comitia contra leges habente, cum de plebe conſulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit: quod fuerit permagnũ, nõdum lege Maenia lata. Licet aliquid etiam de M. Popillij ingenio ſuſpicari: qui cum conſul eſſet, eodemq. tempori ſacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis; plebis contra patres concitatione & ſeditione nunciata, ut erat laena amictus, ita uenit in concionem, ſeditionemq. cum auctoritate, tum oratione ſedauit. ſed eos oratores habitos eſſe, aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuiſſe, nihil ſane mihi legiſſe uideor; tantummodo coniectura ducor ad ſuſpicandum. Dicitur etiam C. Flaminius, is, qui tribunus pl. legem de agro Gallico & Piceno uiritim diuidendo tulerit, qui conſul apud Thraſimenum ſit interfectus, ad populum ualuiſſe dicendo. Quinctus etiam Maximus Verrucoſſus orator habitus eſt temporibus illis; & Q. Metellus, is, qui bello Punico ſecundo cum L. Veturio Philone conſul fuit.

E X P L A N A T I O

POSSVMVS ʒ A L. Valerij conſulatu, ad Appij Caeci cenſuram CXXXVI anni Interfuerunt: a qua usque ad Pyrrhi bellum, quod ipſo Appio auctore geſtum eſt, anni undetriginta. APP. ʒ Appius Claudius Craſſus, ab oculorum calamitate Caecus appellatus. Appius autem, & praenomen, & nomen, fuit Veteribus: ut ex Cic. & Veterum monumentis patet. Gens uero fuit Claudia, de qua copioſe Sueton. in uita Cl. Tiberij Caeſaris. DISERTVM, ʒ Appij eloquentiam ut eximiam, commendat Liuius lib. 10. eumq. conſultum iuris, & eloquentiae uocat. INCLINATVM ʒ Cum ſententia ſenatus inclinaret ad pacem, & foedus faciendum cum Pyrrho, ut loquitur in Catone. PYRRHI ʒ Regis Epirotarum, qui ſe ab illo Pyrrho Achillis filio eſſe dicebat oriundum: ueneratq. in Italiam, ut Tarentinis auxilium ferret: ac primo proelio Romanos uicerat, & tamen Cyneam legatum de pace Romam miſerat. Liu. Plut. Flo. REVOCAVERIT ʒ Oratione, de qua dicetur infra. Pacem Pyrrhi diremi: ut ipſe inquit in oratione Ciceronis pro Coelio. C. ʒ Haec littera, Comitiales, in ueterum faſtis ſignificabat: apud Probum uero, Cum, & Caium. Inuerſa uero Ɔ. Caiam. C. ſcribitur, ſed ſaepe G. profertur, quod ego errore uicinae litterae factum eſſe arbitror: etiam apud Graecos, qui Gaius ſcribunt. Caium a gaudio parentum primum appellatum eſſe aiunt: quod ſi eſt, recte per G. litteram notatur. FABRICIVM ʒ Hic eſt C. Fabr. Luſcinus, qui bis conſul & cenſor fuit, qui aurum a Samnitibus, Pyrrhoq. oblatum cõtempſit. Huius eſt de Voluptate dictum, Samnitibus & Pyrrho ut ad uoluptatem omnia referrent, optare. Hic eum, qui Pyrrhum tollere ueneno uoluit, reiecit. Hic Romae talis fuit, qualis Athenis Ariſtides, nimirum, iuſtus. Hic P. Corn. Rufino gratias agenti, quod conſulem homo inimicus feciſſet, dixit: nihil eſt, quod mihi gratias agas: ſi malui compilari a ciue, quam ab hoſte uenire. Hic bellicoſos imperatores, plus quam pateram, & ſalinum ex argento habere uetabat, ut ait Plin. Hic cum audiſſet a Pyrrho Romanos uictos, dixit: non Epirotae Romanos, Pyrrhus Albinum, ſiue, ut alij uocant, Leuinum uicit. Hic, cum legatus ad Pyrrhum, ut patriam deſereret, auro tentatus fruſtra: poſtridie diſcedenti, Rex elephantum admoueret: nec heri aurum, inquit, nec hodie beſtia me mouebit. DE *capt. recup.* ʒ Redimendis, ut Liuius lib. 3. De captiuis reddendis, Cic. de Off. lib. 1. illa praeclara:

Nec mi aurum poſco &c.

MISSVS *orator* ʒ Cum aliis, inter quos primum, ut ſolet, obtinuit locum. T. ʒ T. & Titum, & Titium ſignificat, primo loco: ſecundo uero Tullium. Hos a Tito Sabino dictos quidam putant: alij, a tuenda patria: unde & Titi praenomen ortum. Et Perſius Romanos Titos uocat, quod Romani inter ceteros mortales patriam tuerentur. CORVNCANIVM ʒ Sic enim legendum, non Coruncanum. Hic ab urbe condita 473. conſul cum P. Valer. Laeuino fuit: & primus ex plebe pont. max. Liu. lib. 18. Hunc ſapientem ueteres iudicabant: Cic. in Laelio. PONT. *commentarijs* ʒ Liuius lib. 1. de Anco Rege loquens, etiam commentarios uocat: Cicero in libros, in quibus ſacra, caerimoniae, & ius pontificium, contineretur.

INGENIO} Eloquentia. Pomponius tamen iuriſconſultus nihil illum ſcripſiſſe teſtatur: de Or.iuris. M'.} Id eſt Manium. Manios Sex. Pomp. dictos putat, quod mane ſint nati. Alij ominis cauſſa, quod manum, bonum ueteres dicebant. CVRIVM} Cognomento Dentatum, quod, ut ait Plin. cum dentibus ſit natus. Hic Samnites, Sabinos, Pyrrhum iterum in Italiam ex Sicilia reuerſum uicit: magnam partem aetatis in uita ruſtica conſumpſit, ut & agrum foderet. Hic quoque aurum oblatum a legatis Samnitum reſpuit: dixitque, eum, qui rapo ueſceretur, auro opus non habere. Vir adeo bonus, ut Iuuenalis dixerit:

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia uiuunt.

INTERREGE} Hunc patricij ſine ſuffragio populi prodebant. Liu. lib. 5. & Cic. pro Domo ſua: Cum populo poſt communicata dignitas. Interrex cum inſignibus imperij, & lictoribus erat: & quinque dierum ſpatio finiebatur imperium. Dictus interrex, quod eſſet quaſi rex inter mortuum, & ſucceſſorem regem: atque id ipſum a principio cum reges eſſent. Poſt autē, cum reip. cauſſa abeſſent cōſules, neque habendis comitiis intereſſe poſſent, ſi ue uitio creati conſules eſſent, ſi dictatorem comitiorum cauſſa dici non placuiſſet, res ad interregem deducebatur, & per interregē conſularia comitia habebantur: Feneſtella. Hic animaduertenda ſunt illa proprie dicta: dicere dictatorem, ut ſupra: Creare conſulem: prodere interregem, flaminem, augurem. COMITIA} Centuriata, quae & conſularia. HABENTE} Liu. lib. 10. P. Sulpicium interregem haec comitia habuiſſe ſcribit: ergo, aut habere uolente intelligendum, aut aliud interregnum Cic. ſignificat: quod non inuenimus. NON *accipiebat*} Vt qui more maiorum ſuorum ſemper plebeiis aduerſaretur. PATRES} Patricios, ut Liu. loquitur ad fi. lib. 6. ANTE *auctores f.*} Et ante, & poſt comitia patres auctores fieri poterant: ante, in re de qua nulla eſſet diſſenſio: poſt, ſiquid diſſenſionis fuiſſet, & poſtea conueniſſet: ut de L. Seſtio, quem conſulem factum dolebāt: & iccirco, ne poſt comitia quidem auctores fieri uolebant. Auctores, ideſt, ut ſupra diximus, comprobatores, duces, ut qui factum ratum haberent. FIERI *coegerit*} Sic loquitur Corn. Nepos, ſiue Plin. de Viris illuſtribus: Curius tribunus pl. patres auctores fieri coegit comitiis, quibus plebeius magiſtratus creabatur. Nam patres plebeios conſules non libenter accipiebant. LEGE *Maenia*} Quae fuit, ut conſules etiā ex plebe creari poſſent, eiuſq. rei patres auctores fierent, ut ex hoc loco aperte colligitur. Maeniae quidem legis M. Varro, & Nonius Marcellus mentionem faciunt, ſed quae ad Ciceronis mentem nihil faciat. Nam de Gabinia quod quidam dicunt, ſomnium eſt. Quod ſi a ſcripto ſit recedendum, Manilia malim legere: quae, ut ſcribit Pomp. Laetus, ſiquando res a nobilibus aduerſae geſtae fuerant, illos ad magiſtratus gerendos admitti iubebat, quorum maiores in Rom. rep. magiſtratum non exercuiſſent: quemadmodum hoc loco plebeius ad conſulatum admiſſus eſt, haud dubie propter malam patrum adminiſtrationem. Verum nihil hic tutius afferri, dum nihil aliud inuenitur, poteſt, quam dicere, eius legis caput, quod ad hanc rem attinet, intercidiſſe. LICET} Attende immutatam tractationem exemplorum, ut ante admonui, ad uitandam ſimilitudinis ſatietatē. M. *Popillij*} Ordinem immutat: nam Curium praepoſuit, multo iuniorem Popillio, a cuius conſulatu ad Curij conſulatum, ſex & ſexaginta anni interfuere: nec eo tempore alius Popillius fuit. Popillius hic, quater conſul fuit, plebeius tamen, ut Liuius ait. SACRIFIC. *publ.*} Id puto eſſe, quod Ouid. libro primo Faſt. uocat,

Arcadiae ſacrum pontificale deae.

Publicum uero, quod ſacra & publica, & priuata cuiuſque gentis eſſent: unde ſcribit Liuius, Numam ſacra omnia publica, priuataq. pontificis ſcitis ſubieciſſe. Facere ſacrificium, & facere, ſimpliciter: & facere uitula, poetice. LAENA} Hic pro Augurali ueſte ſumitur. FLAMEN} Cicero de Leg. 2. Diuis aliis, alij ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis Flamines ſunto. Hinc multos legimus Flamines, ut Diales, Martiales, Florales, & alios. CARMENTALIS} A Carmente, nympha Arcadiae, ut Dionyſius, & Strabo teſtantur. Hinc uates:

Carmentis nymphae monita, & deus auctor Apollo.

Haec primo Nicoſtrata dicta fuit, auctore Strab. & Plut. deinde Carmentis, quaſi mente ſua careret, quod diuino ſpiritu eſſet afflata. Sunt, qui a carmine dictum putent, ut Ouid. lib. 1. Faſt. a Liuio Carmenta uocatur. Hanc litteris in Italiam tuliſſe exiſtimant. Huic ſacra faciebant Romani, quae Carmentalia dicebantur. CVM *auctor. tum or.*} Periphraſis eſt Oratoris, qui a Catone definitur uir bonus, dicendi peritus. Auctoritas ex bonitate, oratio ex uſu dicendi, & ſcientia comparatur. Permagni enim intereſt, ut Ariſtot. Rhetoric. lib. 2. ait, ad faciendam fidem, ut Orator uir bonus eſſe uideatur. Haec duo, quae dixit, innuit Virgil. illis uerſibus:

Tum pietate grauem, ac meritis, ſi forte uirum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſq. auribus adſtant:

quae ad auctoritatem pertinent. Quae ſequuntur, ad orationem:

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

DICITVR} A Curij conſulatu tertio, ad huius Flaminij ſecundum conſulatum, anni 58. numerantur. Hic C. Quinctius Fl. dictus eſt: fuit enim ex Quinctiis, quos ſcribit Liuius a Tullo rege in patres lectos: cum inter Albanorum principes eſſent. Sed, cum hic legatur tribunus pl. eum ex alia Quinctiorum familia fuiſſe puto, nimirum Plebeia. Flaminium quidam a flamma ductum uolunt: ſed cum ſemper tum Graeci, tum Latini Flaminium ſcripſerint, a Flamine potius deductum uidetur, ut eſt apud Sex. Pompeiū. Hic annis paucis ante bellum Punicum ſecundum trib. pl. fuit. Huius ſaepe mentionē facit Cic. Sed de Leg. 3. pro Cn. C. Flaminium lege LEGEM *de agro &c.*} Legem agrariam 2. de Inu. & 2. Acad. uocat. Huius quoque de Senect. meminit.

GALLICO,

GALLICO, *& Piceno* } Columel. lib.3. Agrum Gallicum Piceno contributum ſcribit. Erit igitur epexegeſis, Gallico, id eſt, Piceno. TVLERIT } Inuito ſenatu, ut in Catone dicit, & alibi. CONSVL } Bis conſul fuit, ſed primum contemptis auſpiciis: nec conſul iterum inauſpicato creatus fuit, ut libro 1. cap. 6. putauit Val. Max. male intellecto Liuio libro 21. qui de primo conſulatu loquitur. APVD *Thraſimenum* } Qui Lacus Peruſinus hodie uocatur. INTERFECTVS } Ab Inſubre quodam, cui nomen erat Ducario, IX. Kal. Quinctil. quem diem infauſtum, & uitandum eſſe Ouid. ait lib. 6. Faſt. AD *populum* } Inter populares, eum numerat Acad. 2. Q. } Q. Fab. Max. Verrucoſſus, Ouicula, Cunctator. Fabij, quaſi Fouij, ut Sex. Pomp. & Plutar. a foueis. Plin. a fabis ferendis, ut Lentuli, Piſones, & alij a leguminibus. Verrucoſſus, a uerruca ſiue caruncula in labris. Auctor de Viris illuſtr. & Plutar. Ouicula, a clementia, ut iidem auctores ſcribunt. Cunctator, quod contra Hannibalem miſſus,

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:

ut & Virg. ſcribir. Vitam ſcribit Plutarchut.

ORATOR } Hinc Liuius lib. 28. illum orantem induxit. HABITVS *eſt* } Quamuis fortaſſis reuera non fuerit. Q. *Metellus* } Q. Caecilius Metellus. Caeculus Praeneſte condidit, unde putant Caecilios ortos. Alii Caecade Troiano, ut Sex. Pomp. qui tamen a caculis militum ſeruis deducit. Metellos, a Metellis, qui lege militari Mercenarii appellabantur. BELLO } Anno eius belli 13. Liu. 28. PVNICO } Carthaginienſi, qui Phoenicum coloni fuerunt: unde Romani Ionico more φ. in π. mutato: & Attico οι in ου, Poenos, & Punicum dixere, quod a uictis bella fere uocentur: ut bellum Tarentinum, Samniticum, Gallicum, Iugurthinum, &c. PHILONE } Hoc nomen interdum in Curiatijs, ſaepius in Veturiis: In Furiis non Philo, ſed Philus uſurpat Cicero: ut L. Furius Philus, ut infra uidebimus. Hic L. Veturius Philo, iiſdem honoribus functus, quibus Metellus, eſt. Fuit enim aedilis, legatus, magiſter equitum, conſul: non legi tamen fuiſſe Dictatorem, ut Metellum. conſul fuit anno ab V.C. 547.

C I C E R O

QVEM uero exſtet, & de quo ſit memoriae prodi tum eloquentem fuiſſe, & ita eſſe habitum, primus eſt M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae eſt auctor, & idoneus quidem mea ſententia, Q. Ennius; praeſertim cum & ipſe eum audiuerit, & ſcribat de mortuo: ex quo nulla ſuſpicio eſt, amicitiae cauſſa eſſe mentitum, eſt igitur ſic apud illum in nono, ut opinor, annali:

„ Additur orator Cornelius ſuauiloquenti
„ Ore Cethegus Marcus, Tuditano collega,
„ Marci filius. -

& oratorem appellat; & ſuauiloquentiam tribuit: quae nunc quidem non tam eſt in pleriſque: latrant enim iam quidem oratores, non loquuntur. ſed eſt ea laus eloquentiae certe maxima:

„ - ductis ollis popularibus olim,
„ Qui tum uiuebant homines, atque aeuum agebãt,
„ Flos delibatus populi, —

probauero: ut enim hominis ingenium, ſic ingenij ipſius lumen eloquentia: qua uirum excellentem praeclare tum illi homines florem populi eſſe dixerunt:

„ - Suadaeq. medulla.

πειθὼ quam uocant Graeci, cuius effector eſt orator, hanc ſuadam appellauit Ennius. eius autem Cethegum medullam fuiſſe uult; ut, quam deam in Periclis labris ſcripſit Eupolis ſeſſitauiſſe, huius hic medullam noſtrum oratorem fuiſſe dixerit. At hic Cethegus conſul cum P. Tuditano fuit bello Punico ſecundo, quaeſtorq. his conſulibus M. Cato, modo plane, annis CXL ante me conſulem: & id ipſum niſi unius eſſet Ennij teſtimonio cognitum, hunc uetuſtas, ut alios fortaſſe multos, obliuione obruiſſet.

E X P L A N A T I O

QVEM *uero exſtet.* } Hactenus ſuſpicari potius de Veterum eloquentia licuit, quam certo quidquam affirmare. Iam nunc primum profert Cethegum, ex cuius ſcriptis, & Veterum teſtimonio, certum aliquid proferri poteſt. EXSTET } ut illud primo de Orat. Apparet atque exſtat, utrum ſimus earum rerum rudes, an didicerimus. ELOQVENTEM *fuiſſe, & ita eſſe habitum.* } Nam multi ſaepe ſunt, qui non habentur: ſed ſaepius habentur, qui non ſunt: ut poſt ipſe oſtendet. CORNELIVS } Cornelios patricios fuiſſe, nemo Antiquitatis peritus ignorat. Cornelii appellati ſunt Scipiones, Lentuli, Sullae, Cinnae, Labeones, Celſi, Taciti, Rufini, Nepotes, Coſſi, Aſinae, Naſicae, Cethegi, & alii: de quibus ſuo loco. CETHEGVS } Is eſt M. Cornel. Cethegus, qui cenſor ante conſulatum fuit: deinde conſul Etruriam prouinciam ſortitus eſt: poſtremo proconſul in Gallia cum Magone Poeno collatis ſignis feliciter pugnauit: Liu. li. 27. 29. & 30. Horat. poeta in Arte Cethegos cinctutos appellat:

Verbaq. cinctutis non exaudita Cethegis:

quod is mos eſſet Cethegis, ut cincti, & paene nudi in bellum proficiſcerentur: unde Lucanus, & Silius eos nudos, & exertos uocant, quod ſignum erat eos eſſe bellicoſos: cum de Afris contra dicatur a Virgilio, qui eos diſcinctos uocat. AVCTOR } Quaſi teſtis hoc loco. ut ſupra: Thucydides locuples auctor. Q. *Ennius* } Quem Cicero ſummum poetam ſolet appellare: Ouidius:

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Sed de eo plura Infra. PRAESERTIM } Cur ſit Ennius idoneus auctor, confirmat ex duobus, quod audierit, & quod de mortuo ſcripſerit. Tales enim teſtes requirunt etiam Iuriſconſulti, qui audierint ipſi, & uiderint.

rint. De mortuo autem, ut nihil gratiae tribuiſſe uideatur. Fuit autem annis ſex natu maior Ennio, qui ad ſummam ſenectutem perueniſſe, infra dicetur. IN *nono* } Nam duodecimum annalem addidit, cum 76. annum ageret, ut Varro poſtea retulit. VT *opinor* } Ad uitandam meditationis ſuſpicionem, ut in Dialogo. ANNALI } Sic enim inſcripſit libros Annalium ſuos Ennius, ut Annalem primum, ſecundum, ac deinceps appellaret. Hinc luſus ille, cum rogatus, ut de Sex. Annali homine Romano diceret, ſi poſſet: ex Ennij ſexto Annali uerſus recitare coepit:

Qui potes ingentis cauſſas euoluere belli.

ADDITVR } Verſus Ennii de Cethego: & additur uerbum Eſt, quo frequenter in huiuſmodi rebus Veteres utebantur: ut Liuius lib. 27. Marcellum conſulem centuriae creant: additur collega T. Quinctius Criſpinus. & lib. 28. Centuriae ingenti fauore P. Scip. conſulem dixerunt: collega additur ei P. Licin. Id autem faciebant, quod alter conſulum, qui primus dicebatur, maioris eſſet exiſtimationis: cui alter poſt quaſi minor, addebatur. CORNELIVS } S. abiicitur ueteri more: ut etiam in ſequenti Marcus. SVAVILOQVENTI } Quinque ſyllabarum eſt. Nam V. in prima conſonans eſt. ORE } Oratione, denominatio eſt. TVDITANO } Qui cum Cethego cenſor & conſul fuit. Liu. 27. & 29. Appellatus eſt autem P. Sempronius Tudit. non Titus, ut male ſcriptum eſt apud Liu. lib. 36. Tudites, mallei ſunt, ut Sex. Pomp. ait, a tundendo: inde cuidam Tuditano nomen, quod caput ſimile malleo haberet. M. FILIVS } Non Marci legendum, ſed M. tantum littera: alioqui uerſus non conſtabit: uel, Vs, abiiciendum in uerbo, Dictus, quod Grammatici fieri poſſe putant. SVAVILOQVENTIAM } Vt Ennium imitetur, uerbum fingit: nam, a ſuauiloquenti, ſuauiloquentia, deductum eſt nomen. LATRANT } Tamquam proclamatores, & rabulae, ut de Oratore appellat: uel potius, ut canes, ut pro Sex. R. Amer. Sic olim latrare Catulum, eius inimicus Philippus dixit: cum illum interrogaret, ad eius cognomen reſpiciens, quid latraret? cui ille, ſe furem uidere reſpondit. EA } Suauiloquentia. LAVS } Vt fuit in Catulis, patre, & filio: quorum ſuauitas de Offic. lib. 1. & infra commendatur. Vt in Demetrio Phalereo, qui ſuauis uideri maluit: ut ſupra. Poteſt etiam ea laus, non ad ſuauiloquentiam, ſed ad ſequentia referri: Flos delibutus populi. OLLIS } Illis, antiquum: utimur, cum antiqui uideri uolumus, ut Cic. in Leg. & Virg.

Olli ſubridens. ——

In ollis uero & olim iucunda eſt allitteratio. POPVLARIBVS } Ciuibus: uel, de populo amicis: uel, populo ſtudentibus: uel, popularibus, uulgo & populariter, nomen pro aduerbio. DELIBVTVS } Aliter, Delibatus. nam Delibare floſculos, dixit Cic. pro Sextio. VT *enim.* } Ratio ſubiecta per ſententiam. HOMINIS *decus ingenium.* } Hinc Zeno ſummum bonum ponebat in ingenii praeſtantia, quam uirtutem dicimus. de Fin. lib. 4. LVMEN *eloq.* } Qua quantum ingenio ualeamus, oſtendimus. Hinc Socrates, Loquere, inquit, ut te uideam. QVA } In qua: utrumque dicit Cicero. SVADAEQ. *medulla.* } πειθοῦς μυελὸν. Gaza librum de Senect. Cic. in Graecum uertens, μελίγηρυν uno uerbo uertit, cum tamen duo ſint. quo fit, ut minus recte Ennii ac Ciceronis mentem expreſſiſſe quibuſdam uideatur. πειθώ } Hanc Horat. Suadelam uocat; Cicero etiam Leporem: Quinct. Deam perſuadendi. Hanc Graeci etiam ψυχάγωγον uocant, quod animum quo uelit, ducat. CVIVS } πειθοῦς, uel Suadae. EFFECTOR } Quia officium Oratoris, eſt dicere appoſite ad perſuadendum: finis, perſuadere dictione. Ab efficiendo autem, Officium dictum arbitrantur. SESSITAVISSE } Male in Cornucopiae legitur, Sitam eſſe. MEDVLLAM } Medulla, pro re ſuaui atque optima: quod Natura, quod optimum ſit, interius ſoleat recondere. BELLO *Pun. ſecundo.* } Anno eius belli 15. QVAESTORQ. } Id etiam ſcribit Liu. lib. 29. & Plutar. Sed Cic. de Senect. uidetur huic loco contradicere, Sed ille locus eſt corruptus, quem ſic legendum putem: Cum Fabio quartum conſule adoleſcentulus miles ad Capuam profectus ſum, quinctoq. anno poſt ad Tarentum: quaeſtor deinde factus ſum, quem magiſtratum, &c. M. *Cato, modo plane* } Aut corruptus eſt locus, aut Modo plane, ad ornatum, non ad ſententiam poſitum: ut ante, Modo primum. ME *conſulem.* } Cum C. Antonio, ab V. C. an. 690. OBRVISSET } Dichoreus, quo obrutum e fluctibus, quaſi educit.

PAVLLVS. MANVTIVS. *Additur Orator Cornelius ſuauiloquenti*

Ore Cethegus Marcus, Tuditano collega,

Marci filius. }

Ita placet hoc loco uiri optimi, ac doctiſſimi, Octauij Pantagathi coniectura, ut eam in libro noſtro, diſſentientibus antiquis libris, ſcribere non dubitauerim. ac libri quidem antiqui, quos ego uiderim, ſic: Cethegus Marcus ſtudio collegam filius. Pantagathus autem meus, hiſtoriam ſequens, nec a ueſtigis longe diſcedens ueterũ exemplarium, ita olim, me adoleſcentulo, reſtituit: Cethegus Marcus, Tuditano collega, Marci filius. fortaſſe enim ex, Tudit. quod celeritatis cauſſa ſcriptum erat, factum eſt a deſcribente librario, Studio. nam ex, Collega M. filius, facilis lapſus in collegam filius. porro M. Cethegum & Marci filium fuiſſe, & conſulem cum P. Sempronio Tuditano, ex lapidibus Capitolinis, & hiſtoria, atque etiã ex ipſo Cicerone conſtat. ſequitur enim: At hic Cethegus conſul cum P. Tuditano fuit bello Punico ſecundo. Miror autem, unde in libros quoſdam, qui uulgo ueneunt, tanta labes irrepſerit, ut pro, Cethegus Marcus Tuditano collega Marci filius, legatur, Cethegus Veturio collega Philoni. quod non modo a ueteribus libris, uerum etiam ab hiſtoria diſcrepat. non. n. Veturium Cethegus hic, ſed Tuditanum collegam habuit. Integri, autem Ennij uerſus, quos Cicero diſiunctos recitat, hi ſunt.

Additur orator Cornelius ſuauiloquenti
Ore Cethegus Marcus, Tuditano collega

Marci

Marci filius, dictus ollis popularibus olim,
Qui tum uiuebant olim, atque aeuum agebant,
Flos delibatus populi, ſuadaeq. medulla.

ſecundus uerſus, a Pantagatho emendatus, habet ſpondeum in quincta ſede: quod poetis uſitatum: & Virgil. ipſe lib. 2. Aen. Phrygia agmina circumſpexit. in tertio uel eſt dactylus, Dictus o. ut Terentius quoque primam in, Ille, ſyllabam, corripuit: uel ſpondeus, abiectis duabus litteris, us, hoc modo, Dict'ol- quam ſibi ueteres poetae licentiam aſſumpſere. in quarto ego repoſui, Aeuum agebant, ex antiquo hominis bene docti, ingenioq. praeſtantis, Latini Latinij, Viterbienſis libro: cum quo Borromaei liber congruit. in peruulgatis, Aeuum agitabant. error manauit ex ignoratione ueteris licentiae, cum omitteretur colliſio. eſt enim dactylus, Aeuum a: & dixit Annalium x, ut ait Priſcianus, idem Ennius, eadem licentia, & in eadem ſede,

,, Inſignita fere tum millia militum octo.

Flos *delibatus populi* ʒ ne quis hunc locum in dubium reuocet, & legendum putet, Illibatus, aut, Delibutus; in quo, propter breuitatem ſecundae ſyllabae, metri ratio repugnat; ſciendum eſt, in duobus antiquis libris, Borromaei, & Latinij, legi, Delibatus: quod probat ſententia: nam, ut ex multis floribus delibatur is, qui ſpecie, odoreq. excellit: ſic, ut excellere in ciuitate Cethegum Ennius oſtenderet, non modo florem populi, ſed florem delibatum appellauit, eodem modo: florem hominum libare, pro, eos, qui praecipua laude excelluerãt, nominare, dixit Plinius lib. 7. cap. 37. Vt *enim hominis ingenium, ſic ingenij ipſius lumen eloquentia:* ʒ ſic in Borromaei libro, & apte, atque eleganter: quod aliter uiſum eſt imperitis: itaque uerbum addiderunt, quaſi deeſſet, legendumq. putarunt, Vt enim hominis decus ingenium: quod uitium e ſcriptis aliquot libris etiam in eos irrepſerat, qui typis aeneis impreſſi diuulgantur. Modo *plane,* ʒ in mendo, ſatis aperto, conſentium ueteres libri: nec ingenio quidquam licuit inuenire, quod probarem.

C I C E R O

I*llivs autem aetatis, qui ſermo fuerit, ex Naeuianis ſcriptis intelligi poteſt. his enim conſulibus, ut in ueteribus commentarijs ſcriptum eſt, Naeuius eſt mortuus. quamquam Varro noſter, diligentiſſimus inueſtigator antiquitatis, putat in hoc erratum, uitamq. Naeuij producit longius. nam Plautus P. Claudio, L. Porcio, uiginti annis poſt illos, quos ante dixi, conſulibus mortuus eſt, Catone cenſore. Hunc igitur Cethegum conſecutus eſt aetate Cato, qui annis* ix *poſt eum fuit conſul. eum nos ut perueterem habemus, qui L. Marcio, Man. Manilio cos. mortuus eſt, annis* lxxxvi *ipſis ante me conſulem. nec uero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem ſcripta proferenda putem. niſi ſi quem Appij Caeci oratio haec ipſa de Pyrrho, & non nullae mortuorum laudationes forte delectant. & hercules hae quidem exſtant. ipſe enim familiae ſua quaſi ornamenta, ac monumenta ſeruabant, & ad uſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam. quamquam his laudationibus hiſtoria rerum noſtrarum eſt facta mendoſior. multa enim ſcripta ſunt in eis, quae facta non ſunt; falſi triumphi, plures conſulatus, genera etiam falſa, & a plebe tranſitiones, cum homines humiliores in alieaum eiuſdẽ nominis infunderentur genus; ut, ſi ego me a Man. Tullio eſſe dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio conſul anno decimo poſt exactos reges fuit.*

E X P L A N A T I O

Illivs *autem aetatis* ʒ Iudicium de eius aetatis ſermone: nam ſingulis fere aetatibus ſuus eſt ſermo. Scriptis ʒ Vt bello Punico, ut ait in Catone Cic. ut Tragoediis, & Comoediis: quarum multas Varro, Gellius, Nonius, Sex. Pomp. citant. Intelligi *poteſt* ʒ Nam ita ſcribebant, ut loquebantur. Hinc L. Craſſus, cum audiret ſocrum ſuam Laeliam, Plautum, & Naeuium uidebatur audire. lib. 3. de Orat. Naevivs ʒ Cn. Naeuius, cuius uitam Crinitus, & Lilius deſcribunt. Est *mortuus* ʒ Vticae in Africa, Roma pulſus factione nobilium, ut Euſebius ait. Qvamqvam ʒ Correctio, cum prolepſi. Varro ʒ M. Terentius Varro. Pvtat ʒ In libris antiquitatum 41. Vel in libris de Poetis, ut Cicero, & Gellius aiunt. Naeuius poſt Plautum, & Plautus annos 20. poſt illos conſules mortuus eſt. Hvnc *igitur* ʒ Reditus ad propoſitum. M. Porcius Cato fuit conſul cum L. Valerio Flacco. Liu. 33. Evm *nos* ʒ M. Porcium Catonem. Perveterem ʒ Oratorem ſcilicet. L. Marcio ʒ Cenſorino, ad quem Clitomachus ſcripſit librum, de quo Cic. Acad. lib. 1. Marcij, patricij. Liu. Dionyſ. & omnes. Fuerunt tamen aliqui plebeij. Duplex igitur familia Marciorum: quorum nomina non a Marte, ſed a Marco uidentur deducta: iccirco per c. non per t. ſcribenda. Mortvvs *eſt* ʒ Cato annum agens 85. ut infra dicet. Ipsis ʒ Quaſi dicat, integris: ut lib. 3 Epiſt. ad Att. Triginta dies erant ipſi: & aliis locis eodem modo. Antiqviorem ʒ M. P. Catone, quem perueterem uocauit. Nisi *Appij Caeci* ʒ De quo ſupra. Vtitur prolepſi. Mortuus is eſt annis 45. ante quam Cato naſceretur. Oratio ʒ Quam in Pyrrhi uita habet Plutarchus. De *Pyrrho* ʒ De pace cũ Pyrrho non facienda. Mortvorvm *laud.* ʒ Honoratorum uirorum laudes in concione memoranto: Cic. de Leg. Primus P. Val. Poplicola Brutum collegam laudauit. Ad feminas quoque uſus hic peruenit. Primus enim Catulus Popilliam matrem laudauit: quae laudatio M. Ant. oratorem delectauit: de Orat. Graeci has laud. ἐπιταφίους uocabant, ut eſt apud Platonem. Hercvles ʒ Libentius, inquit in Oratore, dixerim mehercule, quam me hercules: ſed hic uocalium concurſum uitare uoluit. Sva *quaſi* ʒ Ouid.

Et

Et genus & proauos, & quae non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto. ——

Mvlta *enim* } Idem teſtatur Liu. 8. A *plebe* } Recte, non, ad plebem: ut in plerisque legitur: uolebant enim illa tranſitione nobilitari. Eivsdem *nominis* } Cum altera patricia, altera plebeia eſſet: ut Claudiae, & Maniliae, & aliae: ut ante diximus. A *M. Tullio* } M. Manlio Tullio Longo, Dionyſ. lib. 5. Ipſe tamen Tuſcul. 1. Seru. Tullium ſextum Rom. regem ſuum gentilem appellat. & de Leg. lib. 2. ſe Arpini ſtirpe antiquiſſima ortum eſſe teſtatur. Quin & Euſebius, & Silius Italicus, quod nec Plutar. negat, eum a Tullio Volſcorum rege originem duxiſſe, ſcribunt. Ser. } Seruius, praenomen proprium fere Sulpiciorum. Hic fuit Ser. Sulpicius Camerinus: ut Dionyſ. uocat. Anno x. } Aliter, Annos x. ab urbe C. 254. Exactos *reges* } In Tarq. Superbo: uel, Reges, totam regum ſtirpem, patrem cum filiis, & aliis.

PAVLLVS. MANVTIVS. Hercvles } In Oratore: Pomeridianas quadrigas, quam Poſtmeridianas, libentius dixerim, & Mehercule, quam Mehercules. Bis tamen in Verrem, Mehercules, dixit, & in Catilinam, & pro Plancio. pro Amerino autem, Hercules. A *plebe tranſitiones* } moneo lectorem, in antiquis omnibus, quos ego uiderim, libris legi, Ad plebem tranſitiones. poſtulare tamen ſententia uidetur, A plebe: quod ea, quae ſequuntur, declarant. Man. *Tullio* } miror, hominem in Romanarum antiquitatum ſtudio uerſatum, qui hunc librum explanandum ſuſcepit, exiſtimaſſe, hunc eſſe M. Manlium Tullium Longum. nam ita coniungerentur duarum gentium nomina. quis enim Manlios, & Tullios ignorat? quod uero idem ait, a Dionyſio quoque lib. 5. ſic eum appellari: hoc quam ſit falſum, intelliget qui Graecam Dionyſij hiſtoriam legerit. nam ea, quae conuertuntur, ita ſaepe a ueritate aberrant, ut lectorem in turpiſſimos errores inducant. Dionyſius quidem, Manium Tullium cum Ser. Sulpicio conſulem factum, plane oſtendit. & Manium praenomen eſſe, quod, M', ſcribebatur, ita notum iam eſt, ut docere paene pudeat. Anno *decimo poſt exactos reges* } ſic libri ueteres Borromaei, & Latinii, & recte: ſic enim poſtulat uſus Latinae linguae. alijs, Annos decem, magis placet, quibus non aſſentior.

C I C E R O

Catonis autem orationes non minus multae fere ſunt, quam Attici Lyſiae; cuius arbitror plurimas eſſe. eſt enim Atticus: quoniam certe Athenis eſt, & natus, & mortuus, & functus omni ciuium munere: quamquam Timaeus eum quaſi Licinia & Mucia lege repetit Syracuſas: & quodam modo eſt, nonnulla in ijs etiam inter ipſos ſimilitudo. acuti ſunt, elegantes, faceti, breues: ſed ille Graecus ab omni laude felicior. habet enim certos ſui ſtudioſos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates conſectentur: quos, ualetudo modo bona ſit, tenuitas ipſa delectat. quamquam in Lyſia ſunt ſaepe etiam lacerti, ſic, ut eo fieri nihil poſſit ualentius. uerum eſt certe genere toto ſtrigoſior. ſed habet tamen ſuos laudatores, qui hac ipſa eius ſubtilitate admodum gaudeant.

E X P L A N A T I O

Catonis *autem orationes.* } Orationes, & pro ſe multae, & pro aliis, & in alios. Liu. lib. 39. Non *minus multae.* } Quater, & quadragies cauſſam eum dixiſſe ſcribit Plinius. Orationes autem eius amplius 150. ſe legiſſe paullo poſt Cicero teſtatur. Plvrimas *eſſe.* } Lyſiae orationes 325. ut Plutar. Vltra 300. ut Suidas: quod & ſupra retulimus. Athenis *eſt natus.* } Cum pater eo Syracuſis multo prius immigraſſet, ut ante diximus. Mortvvs } Forte, non Mortuus, ſed Altus, legendum: ut, nata & alta eloquentia: ſupra. quamquam & alibi Cicero naturalem ordinem inuertit. Qvasi *Licinia & Mucia lege.* } Quaſi, dixit: quia Timaeus ea lege uti non potuit, cum ipſe eſſet Syracuſius, & Sicilia eo tempore Romanis legibus uteretur, utpote Rege Agathocle regnante, & nondum lex ea a L. Licinio Craſſo, & Q. Mucio Scaeuola pontifice max. eſſet lata. Hi enim eam legem de regundis in ſua ciuitate ſociis, & ciuibus, in ſuo conſulatu tulerunt. Cic. de Off. & pro L. Cornelio Balbo, & de Orat. 2. explicat. Aſconius Pedianus etiam meminit. Repetit } In hiſtorijs ſuis quaſi uindicat, & repetit ab Athenienſibus, quaſi qui abſtulerint. Hoc fecit homo Siculus in ſua hiſtoria, dum magnopere laudaret Syracuſas: ut Suidas ait. Timaevs } Andromachi filius, Taurominitanus, (Siciliae ea urbs eſt) non autem Locrenſis, ut quidam uolunt, Philiſci Mileſii diſcipulus: pulſus ab Agathocle Sicilia uenit Athenas, ubi hiſtorias ſcripſit, & Rhetorica argumenta libris 68. collegit. Proclus eum maledicum uocat. Plutar. eius hiſtoriam parum probat. Et *quodam modo* } Id eſt, non omnino, aut omni ex parte. In *ijs* } Lyſia, & M. Catone. Similitvdo } Hic ironiam eſſe putauit Atticus, ut infra uidebitur: neque enim exiſtimat ille Catonem Lyſiae prorſus eſſe ſimilem. Acvti } Subtiles, paullo poſt uocat: neque enim admodum acutum a ſubtili ſeiungit. nam & de Fin. 3. Stoicorum dicendi genus ſubtile uocat, quod infra uocabit acutum. Elegantes } Lyſias etiam ſupra elegans eſt appellatus: de Catone poſt. Faceti } Vrbani: a fando dicti, qui fando faciunt, quod uolunt. Et Lyſiam facetum ſatis, in Orat. uocat. Et Catonem facetum fuiſſe, eius dicta, quae ſunt a Cicerone, Plinio, Plutar. Macrobio, & aliis collecta, demonſtrant. Breves } Id ex ſcriptis utriuſque, quae pauca exſtant, cognoſci poteſt. Ille *Graec. ab o. l. fel.* } Lyſias in eo felicior, ut laudaretur. Habet *enim* } Ratio, cur ſit felicior. Certos } Vt olim Cariſium, qui Lyſiam ipſum uidebatur imitari, ut infra: ut Hegeſiam, qui uolebat illum imitari: ut in Orat. ait. Habitvs *corporis* } ἕξεις τοῦ σώματος, translatio: neruos quoſdam, uimq. orationis intelligit,

telligit. Opimos. } Alij, Optimos habitus: quem habitum, εὐεξίαν Graeci dicunt: ut καχεξίαν, malum habitum, ſed ἀντίθετον oſtendit Opimos legendum: nam gracilem opponit opimo. quamuis Corn. Celſ. obeſo potius opponat. Sed obeſus forſitan, quod uult Cicero, non efficeret qui orationem plenam roboris, & neruorum, aut tale aliquid uoluit ſignificare. nam & opima patrimonia, & opima ſpolia, & hominem praeda opimum, dicit Cicero. Vale. *modo bo. ſit.* } Modo ſit quaedam orationis ſanitas: ut infra, & de opt gen. Orat. loquitur tranſlate. Hanc tranſlationem in opt. gen. Or. ſic explicat: Qui carent omni uitio, non ſunt contenti quaſi bona ualetudine, ſed uires, lacertos, ſanguinem quaerunt: quandam etiam ſuauitatem coloris. Tenuitate } Quae fuit in Lyſia, ut de opt. gene. Orat. teſtatur. Quamquam } Correctio, ne Lyſiam nimis deprimere uideatur. Lacerti } Vis orationis, oratio fortis, robuſta, uires, lacertos, & neruos habens: ut ſaepe loquitur Cicero. Genere *toto.* } Dicendi, ſi quis uniuerſam eius dictionem, phraſimq. ſpectet. Strigosior } Tenuior, ſubtilior, ut ipſe ſtatim interpretatur, cum ait: Hac ſubtilitate. Translatio eſt ab equis, qui ſtrigoſi dicunrur, cum morbus aliquis eos, fames ue ita ſtringit, ut, quod ait Poeta, uix oſſibus haereant. Nonius Marcellus. Subtilitate } Hic Supra, egregie ſubtilis ſcriptor eſt appellatus.

PAVLLVS. MANVTIVS, Non *nulla in ijs etiam inter ipſos ſimilitudo.* } hic non Lyſias, & Cato, ut alij putarunt, ſed Lyſias, & Timaeus, comparantur: ut ideo Syracuſanus uideri fortaſſe poſſit Lyſias, quod inter eius, Timaeiq. ſcripta eſt quaedam ſimilitudo. Timaeus autem Siculus. nam, quod ſubiungit, Ille Graecus ab omni laude felicior; non diſtinguitur Graecus Lyſias a Romano Catone, ſed a Siculo Timaeo. nam & ſi Graeca lingua Siculi uterentur; non tamen Graeci, ſed Siculi dicebantur. & ep. 11. lib. 2. ad Q. Fr. ubi Calliſthenem, & Philiſtum comparat, perſpicue Siculum a Graeco diſtinguit.

C I C E R O

Catonem *uero quis noſtrorum oratorum, qui quidem nunc ſunt, legit? aut quis nouit omnino? at quem uirum, dij boni. mitto ciuem, aut ſenatorem, aut imperatorem: oratorem enim hoc loco quaerimus. quis illo grauior in laudando? acerbior in uituperando? in ſententijs argutior? in docendo, ediſſerendoq. ſubtilior? refertae ſunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim, & legerim, & uerbis, & rebus illuſtribus. licet ex ijs eligant ea, quae notatione & laude digna ſint: omnes oratoriae uirtutes in eis reperientur. Iam uero Origines eius quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent?*

E X P L A N A T I O

Catonem *uero quis.* } Laudat Catonem, & reprehendit eos, qui ab eius lectione abhorrent. Qui *quidem nunc ſunt* } Nam maiores legebant. Quem *uirum?* } Grauem, ſanctum, eruditum. Civem } Ciuium ſtudioſum, adeo ut legem tulerit, quae Porcia dicitur, qua graui poena in eum animaduertebatur, qui ciuem Rom. uiolaſſet: cuius ſaepe Cicero meminit. Senatorem } nemo enim Catone melior ſenator fuit. lib. 3. de Orat. Imperatorem } Vt qui facile optimus imperator dicitur: lib. 3. de Orat. Et lib. 7. Plin. cap. 27. eum optimum oratorem, opt. imperatorem, optimum ſenatorem uocat. Oratorem *enim* } Nihil alienum a propoſita quaeſtione accerſendum eſſe docet. Gravior *in lau.* } In laudando grauitas requiritur, id eſt, integritas. neque enim recte laudarit ſobrietatem ebrioſus. Cato grauiſſimus orator, apud Liu. appellatur. Acerbior } Propria enim haec ſunt ſingularum cauſſarum. Catonem uero Liuius linguae acerbae, & oratorem non ſolum grauem, ſed interdum etiam trucem, uocat. In *ſententijs* } Alij intelligunt dicta, & γνώμας, tam morum, quam orationis: quod ut uerum ſit, tamen, quod duo genera cauſſarum poſuerit, demonſtratiuum, & iudiciale, in laudando, & uituperando, ſententias pro genere deliberatiuo accipimus. Argutior } Eruditior, & feſtiuior. Subtilior } Acutus enim paullo ante dictus eſt. His tribus Cicero tria genera dicendi quaſi notauit: nam grauior, & acerbior, ad ſublime: argutior, ad medium: ſubtilior, ad attenuatum refertur. Eſt enim ſublime, in flectendo: medium, in delectando: ſubtile, in probando: ut ait in Orat. Item de op. gen. Orat. Sunt ſententiae commouendi, graues: delectandi, quaſi argutae: docendi, acutae. Verbis *& rebus* } In quibus uis oratoris poſita eſt: ut in Part. Orat. & alibi docet. Illustribus } Verba illuſtria uocat in 3. de Orat. in quibus plenum quiddam & ſonans ineſſe uideatur. Quin ut ibidem ait, Si eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exſiſtit ex rei natura quidam ſplendor in uerbis. Res uero illuſtres ſunt, quae magnae appellantur, & honeſtae: ut in Part. Notatione } Non etymologia, ſed animaduerſione, & conſideratione. Virtutes } Facultates, ornamenta, lumina, flores, laudes. Origines } De quibus ipſe Cato, de Senectute. Florem } Sic Parad. Florem orationis. Lumen } Ornamentum, Schema. ut enim ingenij lumen eſt eloquentia, ſic eloquentiae lumina ſunt ſchemata: quae 3. de Orat. lumina etiam uertit.

C I C E R O

Amatores *huic deſunt, ſicuti multis iam ante ſaeculis & Philiſto Syracuſio, & ipſi Thucydidi. nam, ut horum conciſis ſententijs, interdum etiam non ſatis apertis cum breuitate, tum nimio acumine, officit Theopompus elatione, atque altitudine orationis ſuae; quod idem Lyſiae Demoſthenes:*

ſic

ſic Catonis luminibus obſtruxit haec poſteriorum quaſi exaggerata altius oratio. ſed & in noſtris inſcitia eſt; quod ij ipſi, qui in Graecis antiquitate delectantur, eaq. ſubtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non nouerunt. quid enim? Hyperidae uolunt eſſe, & Lyſiae. laudo: ſed cur nolunt Catonis? Attico genere dicendi ſe gaudere dicunt. ſapienter id quidem: atque utinam imitarentur, nec oſſa ſolum, ſed etiam ſanguinem: gratum eſt tamen, quod uolunt.

EXPLANATIO

AMATORES *huic deſunt* ʒ Nam ſi Catonis dictionem amarent, legerent eius orationes.

— Trahit ſua quemque uoluptas.

SICVT *multis iam ante ſaeculis* ʒ Tribus ſaeculis, id eſt, annis 300. & amplius 30. Tot enim anni numerantur a Platone, cuius aequalis fuit Philiſtus. Archonidae filius, & Euheni poetae Elegiaci diſcipulus, qui Philiſtus primus hiſtoriam Rhetorice ſcripſit, & alia: Suidas. Platoni ſemper eſt aduerſatus, Dionyſij Syracuſanorum tyranni partes ſecutus contra Dionem. Hunc Cic. doctum, & diligentem appellat, putatq. illum uoluiſſe Thucydidem imitari: lib. 2. de Orat. SYRACVSIO ʒ Latini ſaepius Syracuſanus dicunt. Suidas dubitat, fuerit ne Syracuſius, an Naucratites? CONCISIS *ſententijs* ʒ In quibus aliquid deſideres. Vide Halicarnaſſaeum. NON *ſatis apertis* ʒ Obſcuris. λιτότης. Hinc ἀσαφὴς τὴν διάνοιαν, a Graecis dictus. Thucydidis enim conciones ita multas habent obſcuras, abditasq. ſententias, uix ut intelligatur: ut ſupra ex Oratore retulimus. THEOPOMPVS ʒ Chius, Damaſiſtrati filius, & Iſocratis diſcipulus, qui Epitomen hiſtoriarum Herodoti duobus libris complexus eſt. Res Philippi Macedonis 50. uel, ut alij, 70. libris. Res Graecorum, lib. 2. & alia plurima. Male φιλικὰ apud Suidam, cum φιλιππικὰ legendum ſit, pro Philippi rebus geſtis. Et hic maledicus dicitur ſcriptor a Luciano, Probo, Halicarnaſſaeo. ELATIONE, *&c.* ʒ Graui & grandi genere dicendi. Hinc Cic. elata uerba, elate dicere, altam orationem dicit. Fuit enim eius oratio ſublimis, & elegans. Hic eſt ille Theopompus exſultans uerborum audacia, ut Cic. lib. 3. de Orat. cui Iſocrates frenis opus eſſe dicebat, Euphoro uero calcaribus, utpote tardiori. LYSIAE ʒ Quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere: ut ſupra. DEMOSTHENES ʒ Orator perfectus, ita ut elate, & ſummiſſe poſſit dicere, Lyſias elate non poſſit. CATONIS *lum. obſtruxit* ʒ Supra dixit, Officit: quod uerbum Iuriſconſultis uſitatius eſt. nam inde ſumptae ſunt hae tranſlationes, ut uidere licet Pand. lib. 8. tit. de ſeruit. urb. praed. Vrbanorum, inquit Caius, praediorum iura talia ſunt: altius tollendi, & officiendi luminibus uicini, aut non extollendi, &c. Et ibidem ſaepius. Sic pro Domo ſua: Primum ſe luminibus eius eſſe obſtructurum minabatur. HAEC *poſteriorum* ʒ Huius aetatis oratorum. QVASI *exaggerata* ʒ Tranſlatio ab aedificijs, id eſt, grandior, & ſublimior. IN *noſtris* ʒ Vt in Caluo, de quo poſt. ANTIQVITATE ʒ Tum, quod Graecorum ſunt antiquiſſima: tum Lyſia, qui fuit antiquus, quem iſti ſequi uolebant. EAQ. *ſubtilitate* ʒ Qualis in Lyſia, quem ſupra ſubtilem uocauit. QVAM *Atticam appel.* ʒ Iſti, qui uolunt uideri Attici, quos confutat infra. HYPERIDAE ʒ Volunt eſſe, ſcilicet amatores, uel ſimiles: ut Infra, Atticorum ſimiles eſſe uolumus. Optime. ATTICO *gen. dic.* ʒ Quod ipſi uocant Atticum: ut infra dicetur. OSSA ʒ Tenuitatem, ſubtilitatem, exſilitatem, gracilitatem. nam Lyſias eſt certe toto genere ſtrigoſior: ut ſupra dixit. SANGVINEM ʒ Habitus corporis opimos, qui gracilitatem conſectantur: ut ſupra. GRATVM *eſt tamen quod uolunt* ʒ Hyperidae, & Lyſiae eſſe ſimiles, id eſt, Attici: quando in magnis, & uoluiſſe ſat eſt.

PAVLLVS. MANVTIVS. HANC *in Catone non nouerunt. quid enim? Hyperidae uolunt eſſe, & Lyſiae.* ʒ antiqui libri: Hancin Catone non nouerunt quidem. Hyperidae &c. utrumque recte: ſed malo, Quid enim? aut, Quod enim: ut haec legantur coniuncte: Quod enim Hyperidae uolunt eſſe, & Lyſiae, laudo: ſed cur nolunt Catonis?

CICERO

CVR igitur Lyſias, & Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato? Antiquior eſt huius ſermo, & quaedam horridiora uerba. Ita enim tum loquebantur. id muta; quod tum ille non potuit: & adde numeros, ut aptior ſit oratio: ipſa uerba compone, & quaſi coagmenta; quod ne Graeci quidem ueteres factitauerunt: iam neminem antepones Catoni. Ornari orationem Graeci putant, ſi uerborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους; *& ſententiarum, orationisq. formis, quae uocant* σχήματα: *non uериſimile eſt, quam ſit in utroque genere & creber, & diſtinctus Cato.*

EXPLANATIO

CVR *igitur* ʒ A pari: nam parium & ſimilium, par ſimilisq. eſt ratio. Idem quod paullo ante, Hyperidae uolunt eſſe, & Lyſiae. Laudo. Sed cur nolunt Catonis? IGNORETVR *Cato* ʒ Catonem quis legit, aut nouit? Supra. ANTIQVIOR ʒ Pergit in ſuo dialogiſmo. HORRIDIORA *uerba* ʒ Aſpera, ut Cicero: incompta, ut ait Gellius: quibus contraria ſunt, quae leuiora uocat, in Part. Orat. NON *potuit* ʒ Quamuis tentarit. Qui conſideret, inquit Gellius, Catonis orationem, intelliget illum contentum eloquentia aetatis ſuae non fuiſſe: & id iam tum facere uoluiſſe, quod Cicero poſtea perfecit. NVMEROS ʒ Qui

tunc

tunc apud Latinos nulli ſeruabantur, licet oratio ſaepe caſu, aut natura numeroſe caderet: ut ſupra dixit de Graecis: & numeri apud Graecos quadringentis ante annis inuenti fuiſſent: ut ait in Oratore. Qvasi *coagmenta*] Vt in Oratore, Verba uerbis quaſi coagmentare. Ne *Graecis quidem*] Vt ſupra quoque dixit: & quamuis Graecia ſemper eloquentiae princeps eſſe uoluerit: ut de Orat. lib. 1. Veteres] Qui fuerunt ante Iſocratem, qui primus, ut ſupra dictum eſt, intellexit etiam in ſoluta oratione, dum uerſum effugeres, modum tamen & numerum quendam oportere ſeruari: & ante quem uerborum quaſi ſtructura, & quaedam ad numerum concluſio nulla erat. Graeci] Vt Gorgias, Hermagoras & alij, qui de Rhetorica ſcripſere. Verborvm *mut.*] Cic. in Oratore, Dico mutata, in quibus pro uerbo proprio ſubijcitur aliud, quod idem ſignificet, ſumptum e re aliqua conſequenti: ut cum Ennius pro Afris immutat Africam. Idem lib. 3. de Orat. & Part. Quinctil. uero non ſecus libro nono, capite primo, Tropos eſt dictio ab eo loco in quo propria eſt, tranſlata in eum, in quo propria non eſt. τρόπους, mores Aquila Romanus uertere uidetur, Cicero modos, Cornif. ad Heren. exornationes uerborum: quas idem Aquila σχήματα λέξεως, opinor, dixit. Sententiarvm] διανοίας, ut Aquila Rom. & Quinctil. qui etiam uertit mentis, uel ſenſus, uel ſententiarum, uel orationis figuras. Cornif. ad Heren. Sententiarum exornationes. Cic. hoc loco, Sententiarum orationisq. formas: alibi, ut 3. de Orat. Sententiarum ornamenta, lumina, conformationes: & in Oratore, inſignia, & quaſi geſtus orationis. Aduerte hic, & in Oratore Verborum exornationes prius nominari, deinde ſententiarum, ut oratio creſcat: quod non tam docere, quam commemorando ornare uoluit: de Orat. uero lib. 3. Sententiarum praepoſuit, quia docet, artemq. tradit. Rationem reddit Aquila: Percurramus igitur, inquit, ſententiarum figuras: naturae eſt enim prius ſentire, quam eloqui. Idem ſentit Fabius. Quidam tamen ſecus fecere, ut Cornif. ad Heren. lib. 4. & alij. Formis] Figuras etiam uocat, ſed rarius. Vocabula ſunt a Geometris ſumpta: quos in uerbis, & ſententijs, tamquam punctis, & lineis ponendis, imitantur Oratores. Non *ueriſimile eſt*] Obſeruandum, pro, non credibile eſt. Creber] Ad uerborum immutationes refertur. Distinctvs] Ad ſententiarum, & orationis formas pertinet: de Orat. lib. 3. Tum eſt quaſi luminibus diſtinguenda, & frequentanda omnis oratio, ſententiarum atque uerborum. Diſtinguere, ad ſententias: frequentare, ad uerba retulit.

CICERO

NEc uero ignoro, nondum eſſe ſatis politum hunc oratorem, & quaerendum eſſe aliquid perfectius; quippe cum ita ſit ad noſtrorum temporum rationem uetus; ut nullius ſcriptum exſtet dignum quidem lectione, quod ſit antiquius, ſed maiore honore in omnibus artibus, quam in hac una dicendi, uerſatur antiquitas. quis enim eorum, qui haec minora animaduertunt, non intelligit Canachi ſigna rigidiora eſſe, quam ut imitentur ueritatem? Calamidis dura illa quidem, ſed tamen molliora, quam Canachi. nondum Myronis ſatis ad ueritatem adducta, iam tamen quae non dubites pulchra dicere. pulchriora etiam Polycleti, & iam plane perfecta, ut mihi quidem uideri ſolent. Similis in pictura ratio eſt: in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non ſunt uſi plus quam quattuor coloribus, formas, & lineamenta laudamus. at in Aetione, Nicomacho, Protogene, Apelle iam perfecta ſunt omnia: & neſcio, an reliquis in rebus omnibus idem eueniat. nihil eſt enim ſimul & inuentum, & perfectum.

EXPLANATIO

NEc *uero ignoro*] λιτότης. Nondvm] Quod nondum a Romanis cognitus eſſet numerus, quem paullo ante Ciceronem cognouerant: ut in Oratore oſtenditur. Aliqvid *perfectius*] Quale fuit, quod Cicero praeſtitit. nam Cato uoluit, quod Cicero poſtea perfecit: ut Gellius ait lib. 10. cap. 5. Qvippe *cum*] Ratio ab uetuſtate rudi. Vetvs] Quippe qui mortuus ſit annis 86. ipſis, ante Ciceronem conſulem: ut ſupra. Vt *nullius ſcriptum*] Nec uero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem ſcripta proferenda putem, niſi quem Appii Caeci, &c. delectent. Sed *maiorem*] Obiiciat aliquis, Immo eo laudatior eius oratio, quo antiquior: quando quidem uetera ita ſoleant laudari, ut antiquum ſaepe pro bono ponamus: ut, fides antiqua, mores antiqui. Soluit diſtinctione: In quibuſdam rebus, non in omnibus id accidit. Qvis *enim*] Ratio, quod antiquitas minus in reliquis artibus contemnatur, quam in arte dicendi. Digreſſio eſt ad lectorem longa Oratorum relatione fatigatum, artium uarietate recreandum. Animadvertvnt] intelligunt, & iudicare poſſunt, delectantur. Canachi] Sculptoris, & ſtatuarii inſignis: de quo Plin. lib. 34. & 36. Calamidis] De quo etiam Plin. Lucianus, & Fab. Dvra *illa quidem*] Minus rigida, ut Quinctilianus lib. 12. cap. 10. Myronis] De hoc etiam Plinius, & Quinctil. ut & aliorum. Et *iam plane perfecta*] Itaque Plin. lib. 34. c. 8. Hic conſummaſſe hanc ſcientiam iudicatur. Quinctil. tamen ſcribit quoſdam deeſſe pondus putaſſe.

Zeuxidis, & Parrhaſii certamen, illius uuas, huius linteum. Helenam pinxit. Cic. de Inuen. lib. 2. in prooemio. De Nicoſtrato pictore admirante Helenam Zeuxidis, reſpondit, non interrogaſſes, ſi meos oculos habuiſſes. De anu ab eo picta, quam dum ſine fine ridet, ridens moritur. Polygnotus etiam inter argenti caelatores a Plin. refertur. Timanthem] Cum θ in tertia ſyllaba ſcribendum docent Plutar. & Suidas. Hic in Iphigeniae immolatione cum Calchantem triſtem pinxiſſet, triſtiorem Vlyſſem, Menelaum maeſtiſſi-

mum, Agamemnonis uultum quomodo pingeret conſumptis affectibus non inueniens, uelauit eius caput, & ſic patris dolorem ſuo cuique animo reliquit aeſtimandum. Eorvm § Vt Apellis, Echionis, Melanthij, & Nicomachi: ut Plin. lib. 35. cap. 7. Qvattvor *coloribus* § Ex albis, Melino, hoc eſt, candidiſſimo: ex ſilaceis, Attico, qui luteus eſt: ex rubris, ſinopide Pontica: ex nigris, atramento; Plin. ibidem. Protogene § Quem manum de tabula neſcire tollere dixit Apelles: qua re ſe Protogeni praeſtare aiebat: memorabili praecepto, nocere ſaepe nimiam diligentiam. Plin. Apelle § Eius cum Protogene in linea certamen, Rhodi ubi agebat Protogenes. Nulla dies ſine linea, Apellis dictum. Item, Apelles faciebat: opera ſua in pergula propoſuit. Alexander Macedo ab alio, quam ab Apelle, ſe pingi uetuit. Apellem omnes, qui fuerant, & futuri erant, longe ſuperaſſe ſcribit Plin. qui tamen hoc non diceret, ſi Michaeli Angeli Bonaroti, & Titiani, & ſimilium opera uidiſſet. Et *neſcio* § Concluſio inductionis. Nihil *eſt enim* § Sententia. Idem dicit Ariſt. Ethic. lib. 1. Artes ab exiguo principio ad tantum decus perueniſſe.

PAVLLVS. MANVTIVS. *Similis in pictura ratio eſt: in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non ſunt uſi plus, quam quattuor coloribus, formas, & lineamenta laudamus, at in Aetione, Nicomacho, Protogene, Apelle iam perfecta ſunt omnia* § diſſentit a Cicerone Plinius, nam lib. 35. cap. 10. commemoratis operibus Apellis, haec ſubiungit: Legentes meminerint, omnia ea conſtare quattuor coloribus. idemq. confirmat eodem libro, cap. 7. Cicero igitur plus quam quattuor colores Apelli, Plinius quattuor tantum tribuit. nec de mendo ſuſpicio eſt: ſed uel memoriae uitium in alterutro, uel opinionum diſſimilitudo ex ueterum annalium uarietate: ut multa ſaepe ab alijs aliter ſcripta animaduertimus. certiora tamen a Plinio narrari, cum de pictura proprie ſcriberet, quam a Cicerone, aliud agente, fortaſſe aliquis non iniuria crediderit.

CICERO

Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poetae: quod ex eis carminibus intelligi poteſt, quae apud illum & in Phaeacum, & in procorum epulis canuntur. quid, noſtri ueteres uerſus ubi ſunt?

Quos olim Fauni, uatesq. canebant,
Cum neque muſarum ſcopulos:
Nec dicti ſtudioſus erat.
Ante hunc

ait ipſe de ſe, nec mentitur in gloriando. ſic enim ſeſe res habet. nam & Odyſſea Latina eſt, ſic, tamquam opus aliquod Daedali: & Liuianae fabulae, non ſatis dignae, quae iterum legantur. atque hic Liuius, qui primus fabulā C. Clodio Caeci filio & M. Tuditano cos. docuit, anno ipſo ante, quam natus eſt Ennius. poſt Romam conditam autem quartodecimo & quingenteſimo, ut hic ait, quem nos ſequimur; eſt enim inter ſcriptores de numero annorum controuerſia. Attius autem a Q. Maximo, quintum conſule, captum Tarento ſcripſit Liuium, annis XXX poſt, quam eum fabulam docuiſſe & Atticus ſcribit, & nos in antiquis commentarijs inuenimus: docuiſſe autem fabulam annis poſt XI, Cn. Cornelio, Q. Minucio cos. ludis Iuuentutis, quos Salinator Senenſi proelio uouerat. in quo tantus error Attij fuit, ut his conſulibus XL annos natus Ennius fuerit: cui ſi aequalis fuerit Liuius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ij, qui multas docuerant ante hos conſules, & Plautus, & Naeuius.

EXPLANATIO

Nec *dubitari* § A rebus non admodum ſimilibus probauit, quod uolebat: nunc a ſimili arte probat, id eſt, a poetica, quae multis in rebus Rhetoricae ſimilis eſſe dicitur. Hinc a Cic. de Orat. Oratori poeta finitimus appellatur: & Cornificius ad Herenn. Poema, loquens pictura uocatur: & pictura, tacitum poema. Et Hor. Vt pictura, ſic Poeſis erit. Ante *Homerum* § Iam poetam perfectum. Poetae § Sed rudes, & imperfecti. De his enim agit Cicero: cuiuſmodi fuerunt, Asbolus, Eueolus, Orpheus, Linus, Muſaeus, Epimenides, & alij. Liuius in uitis poet. Phaeacvm § De quibus, & rege ipſorum Alcinoo, Homerus Odyſſ. lib. 6. Procorvm § De quibus idem Homerus Odyſſ. lib. 14. & ultra. Item Penelope apud Ouid.

Turba ruunt in me luxurioſa proci.

A procacitate dicti: uel a procieo, quod eſt peto, qui eandem amant, & petunt connubij cauſſa. Canvntvr § A Demodoco in Phaeacum, a Phemio in procorum epulis. Adde Ioppam apud Vergilium, qui Cythera aurata

—— Canit errantem Lunam, Solisq. labores.

Qvos *olim* § Adde, Verſus, ex ſuperioribus, ut integer ſit uerſus, ut eſt apud M. Varronem. In Orat. & de Diuinat. lib. 1. Verſibu' pro uerſibus uſurpauit. Sic,

Verſibu' quos olim Fauni, uateſq. canebant.

Siue hoc modo:

Verſus quos olim &c.

Favni § Vt Varro ait, Dei Latinorum, Faunus, & Fauna. In ſilueſtribus locis traditum eſt ſolitos fari, ita a fando Faunos dictos. Hinc Virg. fingit Faunum Latino regi eſſe uaticinatum uerſibus. Vates § Quaſi ates. Varro autem, antiquos poetas, Vates appellatos ait, a uerſibus uiendis; Viere autem uincire eſt. Canebant § Canunt, qui uaticinantur, & qui uerſibus utuntur. Cvm *neque Muſarum* § Quo tempore nondum

dum homines montes illos,quos Muſae incolebant, ut Poetae fingunt, adſcendebant, ut eorum afflatu poetae fierent,ut Ennius ipſe de ſe dicit. Hinc Perſius:

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini,ut ſic repente poeta prodirem: &c. Ibidem.

Et Virg. in Bucol.

Aonas in montes,ut me duxerit una ſororum.

Dicti] Dictionis, & elegantiae poeticae. Ante *hunc*] Ennium, ut ex Oratore intelligitur. Gloriando] Et uera contemnendo: ut ait in Orat. Odyssea *Latina eſt*] A Liuio Andronico facta: ut ueteres Grammatici teſtantur. Opus *aliquod Daedali*] Vt nimis antiquum,& rude,qualia Daedali opera,etiam Platonis tempore uidebantur,qui ſcripſit in Hippia maiore: Fore,ut,ſi Daedalus uiueret, & ea faceret, ex quibus ſibi olim nomen compararat, qui ſtatuas tunc faciebant, eum irriderent. Aliter tamen opus Daedali dicitur prouerbio,nimirum pro ingenioſo opere,& admirando,ut eſt apud Virg. lib. 6. Hinc a Lucretio Daedala tellus dicitur,id eſt,ingenioſa. Livianae *fabulae*] Eiuſdem Liuij Andronici. nam Odyſſea uerſa eſt potius,quam ſcripta. Fabulas autem, Comoedias,& Tragoedias intelligimus. Caeci F.] C. Claudio Centone: uide Gell. lib. 17. cap. 21. Ergo pro Cethego, de Seneɛt. Centone legendum. nam hic Tuditanus Marcus dicitur: is uero,qui cum Cethego conſul fuit,Publius. Quam *natus eſt Enn.*] Ante Ennium. Tuſcul. 1. Quinctum *conſule*] Quinctum conſulatum gerente. nam Quincto, quattuor ante factos ſignificaret,non ipſum quinquies conſulatum geſſiſſe. Gell. lib. 10. cap. 1. Tarento] Vt illud Terentij,Captam e Sunio,ſcilicet puellam. Docuisse] Docere fabulam,& dare, dicunt Veteres: ſed docere,Graecorum imitatione, qui ἐδίδαξε dicunt. Datur fabula, cum agitur. Atticus] Haec ad Brutum, non ad Atticum praeſentem,ut paullo poſt,Brute. Annis *poſt*] Poſt Fabij Max. quinctum conſulatum. Cn. *Corn. Q. Minu.*] Cn. Cornel. Cethego, Q. Minucio Rufo. Liu. 32. Ivventvtis] Deae Iuuentutis. Liuius lib. 5. & lib. 36. Qvos *Salinator*] M. Liuius Salinator, qui, cum hos ludos uouit, nondum Salinator dicebatur: nam cenſor annis tribus poſt, propter uectigal ſalis commentum, appellatus. Liuius. Ergo prolepſis eſt temporis. Senensi] Ad Senam geſto,quae urbs ita a Senonibus Gallis eius conditoribus appellata eſt. Polybius lib. 2. Ea eſt in litore Hadriatici maris ſita,hodie Senogallia dicitur: ne forte quis Senam Etruriae putet: quo in praelio Haſdrubal cecidit,& 56. milia hoſtium,& 400. Liu. 27. Voverat] tunc conſul, poſt cenſor. Error] In quem poſt incidit etiam Euſebius, qui poſt Plauti mortem Liuium Andronicum agnouit. Attii] Poetae,& hiſtorici.

PAVLLVS. MANVTIVS. Cvm *neque Muſarum ſcopulos:*] deeſt finis uerſus. antiquus Borromaei liber hoc ſubiungit: Neque dicti ſtudioſus quiſquam ante hunc. Latinij: Nec dicti ſtudioſus quiſquam erat ante hunc. utrocumque modo, remanet mendum, nec uidetur ſine ueterum librorum ope tolli poſſe.

CICERO

Haec *ſi minus apta uidentur huic ſermoni, Brute, Attico aſſigna, qui me inflammauit ſtudio illuſtrium hominum aetates & tempora proſequendi. Ego uero, inquit Brutus, & delector iſta quaſi notatione temporum: & ad id, quod inſtituiſti, oratorum genera diſtinguere aetatibus, iſtam diligentiam eſſe accommodatam puto. Recte,inquam,Brute, intelligis. atque utinam exſtarent illa carmina, quae multis ſaeculis ante ſuam aetatem in epulis eſſe cantitata a ſingulis conuiuis de clarorum uirorum laudibus, in Originibus ſcriptum reliquit Cato. tamen illius, quem in uatibus, & Faunis enumerat Ennius, bellum Punicum quaſi Myronis opus delectat. Sit Ennius ſane, ut eſt certe perfectior: qui ſi illum, ut ſimulat, contemneret, non omnia bella perſequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum reliquiſſet, ſed ipſe dicit, cur id faciat:*

„ *Scripſere, inquit, alij rem*
„ *Verſibus:*

Et luculente quidem ſcripſerunt, etiam ſi minus, quam tu, polite. nec uero tibi aliter uideri debet: quia Naeuio uel ſumpſiſti multa, ſi fateris; uel, ſi negas, ſurripuiſti.

EXPLANATIO

Haec] Digreſſionem excuſat, & in Atticum,ſi qua eſt culpa, reiicit: qui tamen non uere & uolens, ſed fortuito cauſſam dedit, in quo Atticum laudat, cuius ſcripta poſſent homines inflammare. Illvstrivm *hominum*] Clarorum uirorum: Atticus uero, ait Nepos in eius uita, ſic familiarum originem ſubtexuit, ut ex ea clarorum uirorum progenies poſſimus cognoſcere. Ego *uero*] Ciuiliter probat, quae Cicero dixit, huic ſermoni minus forte apta eſſe, quae attulit, ut perſonae decorum ſeruet. Qvasi *notatione*] Quia notatio locus eſt argumenti in Topicis: iccirco mollit, particula Quaſi. Notare tamen tempora dixit Cic. in Oratore, & Nepos de hac ipſa re, in Attici uita. Institvisti] A principio Cicero tria propoſuit, quando eſſe coepiſſent Oratores, qui,& quales fuiſſent. Hoc igitur ad primum pertinuit. Oratorvm *genera*] Vnum genus eſt oratorum perfectum, plura imperfecta, quae diſtinguuntur inter ſe non modo bonitate, uerum etiam aetatibus. Vide de opt. gen. Orat. Carmina] Iam tum carmina fuiſſe, &

cantus, praeter Catonem, etiam XII. tabulae declarant, quae ne fieri liceret ad alterius iniuriam, uetant: ut legitur Tuſc.4. SAECLIS } De Poetis loquens poetico utitur uerbo,& συγκοπὴ: uel eo uerbo uſus eſt Cato: ut & ſequenti, Cantitata. Canebant uero ad tibicinem, uel ad tibiam: utrumque legitur in Tuſc.1. & 4. De hoc more multa quoque Plato non uno loco: nam id mos apud Graecos quoque fuit: unde Themiſtocles, cum in epulis, ut ait Cicero, lyram recuſaſſet, eſt habitus indoctior. Et Virg. in Didonis conuiuio Ioppam citharā canentem inducit. SCRIPTVM *reliquit* } Dixit, ut ait Tuſcul.4. ILLIVS } Naeuii, qui bellum Punicum primum ſcripſit. Cic. in Catone, Suetonius in Grammaticis, & Gellius lib. 17. cap. 21.

VATIBVS *& Faunis* } Supra:

—— Fauni, uateſq. canebant.

ENVMERAT } Et Naeuium, & alios omnes, qui ante ſe ſcripſerunt. Ex quo apparet Ennium Naeuio minorem natu fuiſſe. In prima tamen Tuſc. dicit: Ennius maior natu, quam Plautus & Naeuius: ſed, uel mendum eſt in Tuſc. uel alios eſt ſecutus ſcriptores. nam uaria fuit opinatio de horum aetate. Certe Gell. Ennium Naeuio ſeniorem facit, lib.17. cap.21. Et Terentius, quaſi aetates notans, Naeuium, Plautum, Ennium, dixit. BELLVM *Punicum* } Primum, ut dixi, quod unico uolumine ſine librorum diſtinctione ſcriptum, poſt C. Octauius Lampadio Grammaticus in ſeptem libros diuiſit. Suet. in Grammaticis. MYRONIS *opus* } Nondum ſatis ad ueritatem adductum, qualia erant Myronis opera, ut ſupra: uel, tamquam opus aliquod Daedali. SIT } συγχώρησις, id eſt, Conceſſio. VT *eſt* } Cum ſit optimus Epicus poeta, ut de opt. gen. Orat. qui illum ſummum etiam poetam uocat Ibidem. PERFECTIOR } Naeuio potiſſimum. ILLVM } Naeuium. CONTEMNERET } Vt uetera contemnebat, in Orat. OMNIA *bel. perſequens* } Omnia, quae Romani geſſeranl, in ſuis Annalibus. ACERRIMVM } Acerrimum per 22. annos terra mariq. geſtum. Ex minore. Si minima bella, multo magis hoc acerrimum deſcrip ſiſſet. Si Naeuium contempſiſſet, & indignum putaſſet qui legeretur. Reliquit igitur Ennius illud, ut a Naeuio ſatis bene ſcriptum. CVR *id faciat* } Cur id bellum relinquat. SCRIPSERE *alij rem verſibu'.* } Verba Ennii, ut in Oratore patet. ALII } Naeuium ſignificans. REM } Bellum Punicum primum. Male igitur de Oratore in multis libris, pro Rem, legitur Item. VERSIBV' } Quia s. tamquam M. abiiciebatur, ut alibi notauimus. ET *luculente* } Verba ſunt Ciceronis, dictum Ennij confirmantis: Luculente, plane, & dilucide. QVAM *tu* } Enni. POLITE } Ornate, libro 3. de Orat. Ab Ouid. tamen de Triſt. lib.2. dicitur

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

SVMPSISTI } δίλημμα eſt, complexio. SVMPSISTI } Sumimus, quae licet: ſurripimus, quae non licet. Sumimus palam, ſurripimus clam & furtiue, ait Cornel. Fronto. NEGAS } Vt negare ſolent, qui furantur.

CICERO

CVM hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Craſſus, qui cum ſuperiore Africano conſul fuit. Ipſum Scipionem accepimus non infantem fuiſſe. filius quidem eius, is, qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptauit, ſi corpore ualuiſſet, in primis habitus eßet diſertus. indicant cum oratiunculae, tum hiſtoria quaedam Graeca, ſcripta dulciſſime. Numeroq. eodem fuit Sex. Aelius, iuris quidem ciuilis omnium peritißmus, ſed etiam ad dicendum paratus. De minoribus autem C. Sulpicius Gallus; qui maxime omnium nobilium Graecis litteris ſtuduit; isq. & oratorum numero eſt habitus, & fuit reliquis rebus ornatus, atque elegans. iam enim erat unctior quaedam, ſplendidiorq. conſuetudo loquendi. nam, hoc praetore ludos Apollini faciente, cum Thyeſtem fabulam docuiſſet, Q. Marcio, C. Seruilio cos. mortem obijt Ennius.

EXPLANATIO

CVM *hoc Catone* } Ad rem reuertitur, atque adeo ad eos, qui Catone maiores natu fuere, quorum nonnullos ſupra omiſerat. C. VARRO } C. Terentius Varro, patrem lanium habuit: ipſo inſtitore mercis, filioq. hoc ipſo miniſterio ſeruili uſus: ſed cum ipſe nequaquam animo ſeruili eſſet, omnes honorum gradus adeptus eſt in ciuitate. de quo Liuius. P. LENTVLVS } P. Cornelius Lentulus Caudinus, qui cum C. Licinio Varo anno ab urbe condita 517. conſul fuit. Liu. P. CRASSVS } P. Licinius Craſſus, Diues, Pont. Max. Hunc Cic. in Catone pontificij, & ciuilis iuris peritiſſimum fuiſſe oſtendit. CONSVL *fuit* } An. ab urbe condita 549. IPSVM } Quem Africanum dixi. SCIPIONEM } P. Cornelium Scipionem, qui Africanus primus eſt appellatus. de quo Liu. & Plutarc. ſi modo is eſt Plutarchus, de quo docti dubitant. NON *infantem* } Satis diſertum. λιτότης: cuius multae orationes apud Liuium leguntur. Idem Liuius, & Gellius ſe eius uidiſſe orationes teſtantur. FILIVS } Quem ceteri ſcriptores omnes uituperant, praeter Ciceronem. De altero alij, de altero Cicero uidetur intelligere. unde etiam dicit: Is, ut in Catone, quaſi dicat, qui laudatus eſt, non qui male audiuit: hoc eſt, Publius, non Cnaeus. Errant ergo Appianus, & auctor de Viris illuſtr. qui dicunt, Aemilianum Scipionem Paulli F. ab Africano adoptatum, cum ab eius filio, non a patre, factum fuerit. HVNC *minorem* } P. Scip. Afric. Aemilianum, P. Aemilij F. SI *corpore ualuiſſet* } Niſi imbellicis, & tenui, aut nulla potius ualetudine fuiſſet, ut ait in Catone. HABITVS *eſſet diſertus* } Alterum exſtitiſſet lumen ciuitatis. in Cat. SEX. *Aelius* } Sex. Ael. Paetus Catus. De quo ex Ennio Cicero Tuſc. 1. & lib. 1. de Orat.

Egregie

Egregie cordatus homo Catus Aeliu' Sextus.
Aelij plebeij fuerunt. De hoc Pompon. de orig. iuris. C. *Sulp. Cal.* ʒ Apud Liu. lib. 43. male legitur, M. Sulp. & apud Frontinum, L. Sulp. Hic eſt ille Sulpicius, qui in Graecia eclypſim Lunae militibus praedixit. Iccirco a ſcientia Aſtrologiae a Cicerone laudatur, lib. 1. de Offic. & in Catone. RELIQVIS *rebus* ʒ Vt Aſtrologia, & arte militari, qua Ligures uicit. VNCTIOR ʒ Nitidior, ſplendidior: translatio ſumpta a palaeſtra, & oleo: nam uncta, quod humore abundent, ſplendent: ſiue exercitior, ab eadem palaeſtra, ideſt, exercitatione. LVDOS *Apollini* ʒ De qua re Liuius lib. 25. Apollinares dicti, fere ſemper a Cicerone, & Liuio. THYESTEM *fabulam* ʒ Ennij tragoediam de Thyeſte. Huius fabulae ſaepe mentionem facit Cicero. Q. *Marcio* ʒ Q. Mar. Philippo, & Q. Ser. Caepione. OBIIT ʒ Annos 70. natus, in Catone. Ab urbe cond. an. 542.

CICERO

ERAT iiſdem temporibus Ti. Gracchus P. F. qui bis conſul, & cenſor fuit: cuius eſt oratio Graeca apud Rhodios: quem ciuem cum grauem, tum etiam eloquentem conſtat fuiſſe. P. etiam Scipionem Naſicam, qui eſt Corculum appellatus, qui item bis conſul, & cenſor fuit, habitum eloquentem aiunt, illius, qui ſacra acceperit, filium. dicunt etiam L. Lentulum, qui cum C. Figulo conſul fuit; Q. Nobiliorem, M. filium, iam patrio inſtituto deditum ſtudio litterarum; qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militauerat, ciuitate donauit, cum III uir coloniam deduxiſſet. & T. Annium Luſcum, huius Q. Fuluij collegam, non diſertum dicunt fuiſſe. Atque etiam L. Paullus, Africani pater, perſonam principis ciuis facile dicendo tuebantur.

EXPLANATIO

ERAT *iiſdem temporibus* ʒ Sic eſt. nam & iis conſulibus cenſor fuit. TI. ʒ Tiberij uocitari coeperunt, qui ad flumen Tiberim naſcebantur: ut liber, qui Valerius Maximus aſſcribitur, docet. Gens porro Sempronia plebeia fuit, id, quod tribunatus oſtendit. GRACCHVS ʒ Matrem eius, qui primum ſic eſt dictus, 12. menſes in utero geſtaſſe aiunt: unde Gracchos a geſtando dictos uolũt: ſcribiq. ſine adſpiratione, ut Cic. in Orat. & Quinctil. ſcribunt. Hic minorem ex duabus Africani filiabus duxit. Cornelia uocabatur, ex qua 12. filios ſuſtulit; quos moriens, omnes uiros reliquit. Plutarc. Hi poſtea rempubl. uexarunt, de quibus multa Cicero cum alibi, tum in Laelio. P. F. ʒ Filij nota apponebatur, ne confunderentur nomina. Addebant etiam N. nepotis. Publij uero, ſi Grammaticis credimus, dicti ſunt, qui prius pupilli facti erant, quam praenomina haberent: uel ex pube, uel ex eo, quod populo grati eſſent. CONSVL ʒ Ab urbe cond. anno 577. & iterum 591. Prius cum C. Claud. Pulchro: iterum cum M. Iuuentio Helua. Cenſor cum eodem C. Claud. Pulchro. GRAVEM ʒ De Diuin. lib. 1. Vir ſapiens, ciuisq. praeſtans. de Nat. deor. Vir ſapientiſſimus, atque omnium praeſtantiſſimus. de Orat. 1. Homo prudens, & grauis, appellatur. ELOQVENTEM ʒ Lib. 1. de Orat. Haudquaquam eloquens dicitur. In Oratoriis libris, perfectum Oratorem inſtituebat. hic quemlibet Oratorem nominat. Atque hic Gracchum Naſicae, in Laelio Naſicam Graccho anteponit. In Laelio generis nobilitatem ſequebatur: hic aetates Oratorum perſequitur. Naſica Graccho minor natu fuit, tametſi Corneliam maiorem duxerit. NASICAM ʒ Hic eſt, cuius iocum de ancilla cum Ennio refert Cic. 2. de Orat. Naſicae dicti uidentur, uel ab adunco naſo, uel a maioribus naribus. CORCVLVM ʒ Sic infra: qui eſt Corculum dictus. Item Tuſc. 1. Alijs cor ipſum animus uidetur, ex quo excordes, uaecordes, concordes dicuntur: & Naſica ille prudens bis conſul, Corculum appellatus. BIS *conſul* ʒ Primum cum C. Marcio Figulo: iterum cum M. Claudio Marcello. CENSOR ʒ Semel, non bis, cum M. Popillio Laenate: qua in cenſura, ut ait Plin. lib. 7. cap. 60. primus aqua diuiſit horas aeque noctium, ac dierum: idq. horologium ſub tecto dicauit an. urbe condita 595. Fuit & hic Naſica pont. max. ut Cicero in Catone teſtatur. & de Orat. lib. 3. Fuit etiam Iuriſconſultus: ut ibidem, & in hoc dialogo dicit. ELOQVENTEM ʒ Ita ut ter M. Catone aduerſante eloquentia euicerit: non eſſe bellum Carthaginienſibus inferendum. Liuius lib. 48. Cic. tamen Tuſc. 3. Lentulo attribuit. M. *alium* ʒ Haec duo uerba expungenda cenſeo. Nam, quid hic faciant, ſcire arbitror neminem. QVI *ſacra acceperit* ʒ Et ipſe P. Corn. Scipio Naſica dictus. Confundunt autem hoſce duos patrem, & F. Val. Max. Plin. Cornel. Nepos, & Liuiana Epitome. Vnus Paterculus recte diſtinxit. Ille ſacra accepit, hic Iugurthae bellum indixit: non unus, utrumque effecit. Ille, uir optimus: hic, Corculum dictus. L. *Lentulum* ʒ L. Cornel. Lentulum Lupum, Cn. F. C. *Figulo* ʒ C. Marcio Figulo, qui bis conſul fuit. Liuius, & Appianus. Q. *Nobiliorem* ʒ Q. Fuluium Nobiliorem, qui cum T. Annio conſul fuit, ut paulo poſt dicetur, anno ab urbe cond. 601. qui bellum in Hiſpania non ſatis feliciter geſſit. Appianus in bello Hiſpanienſi. M. *filium* ʒ Qui de Aetolis triumphauit. ut Cic. pro Murena, & Liuius lib. 39. Male Cor. Nepos de Viris illuſtr. Q. uocat. DEDITVM *ſtudio litt.* ʒ Eloquentiae, ita ut Catoni pro Galba reſponderit. Liu. 49. Q. *Ennium* ʒ Idem Nepos, M. uocat. Pro Archia: Qui cum Aetolis Ennio comite bellauit Fuluius, non dubitauit Martis manubias, Muſis conſecrare. Idem habet Tuſc. prima. T. *Annium Luſcum* ʒ Male in conſulibus T. Annium Fuſium, quem Luſcum uocat Liu. lib. 42. Anniorum gentem plebeiam fuiſſe oſtendit T. Annius Milo trib. pl. & L. Annius in Salluſtio. COLLEGAM ʒ In conſulatu. NON *indiſertum* ʒ Satis eloquentem: quippe qui inter legatos

in Macedoniam ſit miſſus. ut Liuius libro 42. teſtatur. L. *Paullus* ⁏ L. Aemilius Paullus: cuius res geſtas Plut. Liu. Florus ſcripſerunt. Referam tantum, quod hodie quoque Romae in tabula aerea legitur: Paullus Aemilius imp. Macedoniam terrarum imperio potius, cepit: cuius uno die LXXII urbes uendidit: etiam Indiae uictor per ueſtigia liberi patris, aque Herculis Romana ſigna circumtulit. AFRICANI ⁏ Minoris, de quo ſupra. PATER ⁏ Naturalis, ut Cic. Philipp. 3. loquitur. PRINCIPIS *ciuis* ⁏ Princeps non ſolum conſulares, uerum etiam reliquos optimates, & patres uocare ſolet Cicero: ut in orat. pro Sextio. Princeps uero ſenatus, is erat, qui primus a conſule ſententiam rogabatur: ut M. Aemilius Lepidus, & Cn. Pompeius fuerunt. DICENDO ⁏ Quod Liuius, Plutarc. & Val. Max. teſtantur. Contra tamen Cicero de Offic. libro I. Quidam ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, etiam ſuam addunt: ut Africanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam. Sed Cumulauit, hic intelligimus, auxit, & addidit maiorem eloquentiam. TVEBATVR ⁏ Magnum, in ciuitate perſonam principis tueri. Philipp. 8.

C I C E R O

AT uero, etiam tum Catone uiuo, qui annos quinque & LXXX. natus exceſſit e uita, cum quidem eo ipſo anno contra Ser. Galbam ad populum ſumma contentione dixiſſet, quam etiam orationem ſcriptam reliquit; ſed, uiuo Catone, minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. nam & A. Albinus, is, qui Graece ſcripſit hiſtoriam, qui conſul cum L. Lucullo fuit, & litteratus, & diſertus fuit: & tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fuluius, & una Ser. Fabius Pictor, & iuris, & litterarum, & antiquitatis bene peritus. Quinctusq. Fabius Labeo fuit ornatus iiſdem fere laudibus. Nam Q. Metellus, is, cuius quattuor filij conſulares fuerunt, in primis eſt habitus eloquens: qui pro L. Cotta dixit, accuſante Africano: cuius & aliae ſunt orationes, & contra Ti. Gracchum expoſita eſt in C. Fannij annalibus. Tum ipſe L. Cotta ueterator habitus. Sed C. Laelius, & P. Africanus in primis eloquentes: quorum exſtant orationes, ex quibus exiſtimari de ingenijs oratorum poteſt.

E X P L A N A T I O

AT *uero etiam tum Catone uiuo* ⁏ Sed admodum ſene: eo enim notat Cicero tempora oratorum. QVI *annos* V. & LXXX. Natus eſt M. Aemilio Lepido, & M. Poblicio Malleolo coss. an. ab V. C. 521. ut ex libris de ſeneƈt. cognoſcitur: & L. Marcio, M. Manilio cos. an. ab V. C. 605. mortuus eſt. Errat igitur Plutarchus, & alij, qui ab hoc numero diſſentiunt. EO *ipſo anno* ⁏ Quo exceſſit e uita. Paucis ante quam mortuus eſt, an diebus? an menſibus? ut infra loquitur. SER. *Galbam* ⁏ De quo ſuo loco. SCRIPTAM *reliquit* ⁏ In Origines ſuas retulit: ut infra. In Originibus ſuis expoſuit, libro I. de Orat. In annalibus ſuis incluſit, Liu. ait lib. 49. SED *uiuo Catone* ⁏ Alij dicunt, uiuente: Cicero ſemper, uiuo. MINORES ⁏ Catone, & ijs quos diximus. FLORVERVNT ⁏ Dichoreus apertus. AVLVS ⁏ Auli dicti, qui dijs alentibus naſcerentur. Val. Max. Vel, ut ego cenſeo, ab ollis faciendis, quae aulae ueteribus dictae ſunt: hinc figuli. ALBINVS ⁏ Aulus Poſtumius Alb. melius tamen Poſtumus: huius mentionem facit Cic. Acad. 2. IS ⁏ Plures enim fuerunt Albini. GRAECE *ſcripſit hiſtoriam* ⁏ In cuius principio ueniam petit, ſi Romanus homo minus eleganter Graece ſcripſiſſet. quam cum legiſſet M. Cato, Nae tu, inquit, Aule, nimium nugator es, qui maluiſti culpam deprecari, quam culpa uacare. Gellius, Macrob. Plutar. in quo error eſt, quod Albinum Labienum uocat. L. *Lucullo* ⁏ Auo eius, qui amicus Ciceronis fuit, & cuius nomine primum Academicas quaeſtiones inſcripſerat: libro 2. Acad. ET *litteratus, & diſertus.* ⁏ Quod ni fuiſſet, ſcribere hiſtoriam non potuiſſet, quae quanti oratoris ſit, docetur de Orat. 2. Acad. 2. SER. ⁏ Seruius dicebatur, qui mortua matre in utero ſeruatus eſſet, quod praenomen frequens in gente Sulpicia fuit. FVL. ⁏ Ser. Fuluius Flaccus, is quem C. Curio defendit. qua de re infra. VNA *Ser. Fab. Pictor.* ⁏ Aliter, Vna Fabricius Pictor. Fortaſſis hic eſt ille Q. Fab. Max. Seruilianus, qui pacem cum Viriato Luſitano fecit. nam Annalium auctor Fabius Pictor non eſt, qui, ut Liuius teſtatur, fuit bello Punico ſecundo. Q. *Fab. Labeo.* ⁏ A labris ſine dubio tumidioribus, Labeones & Bronci dicti, ut inquit Plinius. NAM ⁏ Incipiendi uim habet, & hic & lib. I. de Leg. & apud Comicos ſaepe. Q. *Metellus* ⁏ Q. Caecilius Metel. Macedonicus, a domita Macedonia dictus: qui, ut Cic. de Fin. 5. cum ipſe conſul, cenſor fuiſſet, augur eſſet, triumphaſſet, ut uir ſapiens, & beatus deceſſit. Alia de huius felicitate, & laudibus uide apud Plin. lib. 7. cap. 44. QVATTVOR *filij* ⁏ Quinctus, Lucius, Marcus, & Caius Metelli: ab his quattuor illatus rogo fuit, ut Plin. ſcribit. CONSVLARES ⁏ Quia fuerunt omnes conſules, ut Cic. ait Philip. 8. Sed non omnes ante patris mortem. Cic. de Fin. 5. Q. Metellus tres filios conſules uidit, e quibus unum etiam, & cenſorem, & triumphantem, quartum autem praetorem. Et Plin. uno praetore, tribus conſularibus, duobus triumphalibus, uno cenſorio. Idem ſcribit Valerius. L. *Cotta* ⁏ L. Aurelio Cotta, qui cum Ser. Sul. Galba conſul fuit. Cotta, ἀπὸ τοῦ κότου, quod qui primus ita uocatus eſt, iracundus, & toruus fuerit. DIXIT ⁏ L. Cottam defendit. Et Oratores, in fine orationis, hoc uerbum Dixi, uſurpabant, ut Aſconius teſtatur. ACCVSANTE ⁏ Qui tamen poſt ſepties ampliatam cauſſam, octauo iudicio eſt abſolutus: ut Val. Max. libro octauo cap. primo ſcribit. AFRICANO ⁏ Aemiliano: de quo alibi. CVIVS ⁏ Metelli. ALIAE ⁏ Vt oratio de prole augenda. Liuius 59. & Suet. in Auguſto. EXPOSITA *eſt* ⁏ Deſcripta. C. *Fannij* ⁏ De C. Fannio dicetur infra. ANNALIBVS ⁏ Infra, hiſtoriam uocat, ut ibi dicetur. VETERATOR ⁏ Sex. Pomp. Veteratores callidi dicti, a multa rerum

agendarum

agendarum uetuſtate. Ergo ueterator, id eſt, callidus orator: de Orat. lib. 1. C. *Laelius* } Illius C. Laelij filius, qui Maioris Africani comes, & amicus fuit: praetor, conſul, & augur fuit, & ſapiens appellatus. Cic. Philipp. 11. & in Laelio. P. *Africanus* } Aemilianus: de quo iam dictum, & dicetur infra. ORATIONES } Vt Laelij, de collegiis: ut Africani laudatio, de Orat. 2. Ex *quibus ex. de ing. or. p.* } Sic loquitur infra de Curione. Laelius quidem, & Scipio omnia ſermone conficiebant paullo intentiore: numquam, ut Ser. Galba, lateribus, aut clamore contendebant. lib. 1. de Orat.

CICERO

SED inter hos, aetate paullum his antecedens, ſine controuerſia Ser. Galba eloquentia praeſtitit: & nimirum is princeps ex Latinis illa oratorum propria, & quaſi legitima opera tractauit, ut egrederetur a propoſito ornandi cauſſa, ut delectaret animos; ut permoueret, ut augeret rem. ut miſerationibus, ut communibus locis uteretur. ſed neſcio quo modo huius, quem conſtat eloquentia praeſtitiſſe, exſiliores orationes ſunt, & redolentes magis antiquitatem, quam aut Laelij, aut Scipionis, aut etiam ipſius Catonis: itaque exaruerunt, uix iam ut appareant. De ipſius Laelij, & Scipionis ingenio, quamquam ea eſt iam opinio, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tantum laus eſt in Laelio illuſtrior. at oratio Laelij de collegijs non melior, quam de multis quam uoles Scipionis: non quo illa Laelij quidquam ſit dulcius, aut quod de religione dici poſſit auguſtius: ſed multo tamen uetuſtior, & horridior ille, quam Scipio; &, cum ſint dicendo uariae uoluntates, delectari mihi magis antiquitate uidetur, & libenter uerbis etiam uti paullo magis priſcis Laelius. ſed eſt mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. nam, ut ex bellica laude adſpirare ad Africanum nemo poteſt: in qua ipſa egregium Viriati bello reperimus fuiſſe Laelium. ſic ingenij, litterarum, eloquentiae, ſapientiae denique, etſi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio. nec mihi ceterorum iudicio ſolum uidetur, ſed etiam ipſorum inter ipſos conceſſu ita tributum fuiſſe. erat omnino tum mos, ut in reliquis rebus melior, ſic in hoc ipſo humanior, ut faciles eſſent in ſuum cuique tribuendo.

EXPLANATIO

SED *inter hos* } Ad perſonam oratorum, non ad aetatem referendum eſt: cum aetate eis antecederet, ut ipſe ait. SER. *Galba* } Seruius Sulp. Galba: male, qui Sergium interpretantur, cum Sergius ſit nomen gentis, illud praenomen: ut L. Serg. Catil. Male etiam Plutarchus in Catone, Seruilium Galbam dixit, pro Seruio. ELOQVENTIA *praeſtitit* } Dicendi gloria praeſtitit: lib. 1. de Orat. ubi & diuinum hominẽ in loquendo uocat: alijs etiam modis in hoc libro. PRINCEPS. } Primus. Infra: Princeps illius aetatis. OPERA } ἔργα, ut Ariſtoteles τέχνης ἔργον, lib. 1. Rhet. dixit. EGREDERETVR. } Hinc Egreſſio a Quinctil. dicitur. Cicero uero libentius digredi, & Digreſſionem dicit. παρέκβασις Graece dicitur. A *propoſito* } A cauſſa, atque a iudicatione: de Inuent. lib. 1. ORNANDI *cauſſa.* } 2. de Orat. Oruandi, aut angendi cauſſa. quidquid dicitur praeter illas ſex partes, digreſſio eſt. DELECTARET. } Probare, neceſſitatis eſt: delectare, ſuauitatis: flectere, uictoriae: quod fit permouendis animis: in Oratore. AVGERET *rem* } Amplificatione, de qua in Orat. Nam, cum omnis pars orationis eſſe debet laudabilis, ſic ut uerbum nullum niſi aut graue, aut elegans excidat, tum ſunt maxime luminoſae, & quaſi actuoſae partes duae, quarum alteram in uniuerſi generis quaeſtione pono, quam, ut ſupra dixi, Graeci appellant θέσιν: alteram in augendis, amplificandisq. rebus, quae ab eiſdem αὔξησις eſt nominata; quae etſi aequabiliter toto corpote orationis fuſa eſſe debet, tamen in communibus locis maxime excellet, &c. Ibidem. Praecepta uero amplificationis traduntur, de Inuent. lib. 1. ubi de digreſſione diſſerit, ad quam ipſa pertinet amplificatio. Vide etiam Part. Orator. MISERATIONIBVS. } De qua in Oratore, & de Orat. lib. 2. & in Part. Orat. ad Her. lib. 2. COMMVNIBVS *locis* } De quibus alibi dictum: hic eos ſignificat, qui habent deprecationem, ut lib. 3. de Orat. docet. ORATIONES } Galbae orationes tres exſtabant. Liuius lib. 49. ANTIQVITATEM } Quae maiore honore in omnibus artibus, quam in hac una dicendi ratione uerſatur: ut ſupra dixit. EXARVERVNT } Translatio ſumpta a ſtirpibus, aut floribus. Cur autem exaruerint, in cauſſa eſt exſilitas, & antiquitas. Nam, quod eſt exſile, & tenue, ſignum eſt minos humoris, & roboris habere: quod autem ita eſt, citius areſcit, ut in plantis: & tempus omnia deterit. LAELIO } Quem cum Galba conſtat dicendi gloria praeſtitiſſe: de Orat. 1. AT *oratio* } Quae nobilis, & aureola oratiuncula libro 3. de Nat. deor. dicitur, ut puto. DE *collegiis* } Quam habuit contra C. Licinium Craſſum. de qua in qua Laelio. DVLCIVS } Habuit etiam lenitatem Laelius, grauitatem Africanus, aſperitatem Galba. de Orat. 3. DE *religione* } Defendebat enim auctoritatem collegiorum. VETVSTIOR } uerbis uetuſtioribus utitur contra oratoria praecepta, quibus praecipitur, ne uerbis inuſitatis utamur. Inuſitata uero ſunt, priſca fere, ac uetuſta, & ab uſu quotidiani ſermonis iam diu intermiſſa. Sic de Catone ſupra, Antiquior eſt huius ſermo, & quaedam horridiora uerba. VARIAE *uoluntates* } Et naturae uariae, & uoluntates multum inter ſe diſtantia effecerunt genera dicendi: de Orat. 1. & in Orat. EVNDEM } Vt Scipio excelleret, ſi eloquentia etiam Laelio praeſtare diceretnr. NOLINT } Inuidia quadam permoti, quamuis fieri poſſit. Vel haec ſententia ad hominum opinionem referenda eſt, qua exiſtimant, naturam non uni cuncta tribuete: quod & Cicero de Inuent. 2. teſtatur. BELLICA *laude* } Re militari. Africanus talis fuit, qualis nemo umquam erit: nemo certe fuit. Laelius in Laelio. Non tulit ullum haec

ciuitas

ciuitas Africano clariorem : de Orat. 2. Viriati } Viriatus ex paſtore uenator, ea uenatore latro: mox iuſti quoque exercitus dux factus, uniuerſam Luſitaniam occupauit, & bellum cum Romanis per 14. annos geſſit. de Offic. libro 2. De hoc bello ſcripſit Appianus Alexand. librum unum. Vtriqve } Vterque enim Panaetio philoſopho operam dedit, Laelius etiam Diogeni Stoico, cum eſſet adoleſcens. Primas } Inter omnes aequales. Priores } Inter ipſos duos. In *ſuum cuique tribuendo* } Iuſtitiae definitio: ut lib. 5. de Fin. Iuſtitia in ſuo cuique tribuendo cernitur. Item lib. 2. de Inuent. Iuſtitia eſt habitus animi communi utilitate, conſeruata, ſuam cuique tribuens dignitatem. Et obſerua, In ſuum cuique tribuendo: ſic etiam locutus eſt Tuſc. 3. Hoc uerbum ductum a minus intuendo fortunam alterius: & alibi ſaepe.

C I C E R O

Memoria teneo, Smyrnae me ex P. Rutilio Rufo audiſſe, cum diceret, adoleſcentulo ſe accidiſſe, ut ex S. C. P. Scipio, & D. Brutus, ut opinor, conſules de re atroci, magnaq. quaererent. nam, cum in ſilua Scantia facta caedes eſſet, notiq. homines interfecti; inſimulareturq. familia, partim etiam liberi ſocietatis eius, quae picarias de P. Cornelio, L. Mummio cenſoribus redemiſſe; decreuiſſe ſenatum, ut de ea re cognoſcerent, & ſtatuerent conſules: cauſſam pro publicanus accurate, ut ſemper ſolitus eſſet, eleganterq. dixiſſe Laelium: cum conſules, re audita, Amplius, de conſilij ſententia pronunciauiſſent, paucis interpoſitis diebus iterum Laelium multo diligentius, meliusq. dixiſſe: iterumq. eodem modo a conſulibus rem eſſe prolatam: tum Laelium, cum eum ſocij domum reduxiſſent, egiſſentq. gratias, &, ne defatigaretur, orauiſſent, locutum eſſe ita: ſe, quae feciſſet, honoris eorum cauſſa, ſtudioſe, accurateq. feciſſe, ſed ſe arbitrari cauſſam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo fortior, acriorq. eſſet, grauius, & uehementius poſſe defendi: itaque auctoritate C. Laelij publicanos cauſſam detuliſſe ad Galbam: illum autem, quod ei uiro ſuccedendum eſſet, uerecunde, & dubitanter recepiſſe: unum, quaſi comperendinatus, medium diem fuiſſe, quem totum Galbam in conſideranda cauſſa, componendaq. poſuiſſe: &, cum cognitionis dies eſſet; & ipſe Rutilius rogatu ſociorum domum ad Galbam mane ueniſſet, ut eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret; uſque illum, quoad ei nunciatum eſſet conſules deſcendiſſe, omnibus excluſis, commentatum in quadam teſtudine cum ſeruis litteratis fuiſſe, quorum aliud dictare eodem a tempore ſolitus eſſet: interim, cum eſſet ei nunciatum, tempus eſſe, exiſſe in aedes eo colore, & ijs oculis, ut egiſſe cauſſam, non commentatum putares. addebat etiam, idq. ad rem pertinere putabat, ſcriptores illos male multatos exiſſe cum Galba. ex quo ſignificabat, illum non in agendo ſolum, ſed etiam in meditando uehementem, atque incenſum fuiſſe. quid multa? magna exſpectatione, plurimis audientibus, coram ipſo Laelio, ſic illam cauſſam, tanta ui, tantaq. grauitate dixiſſe Galbam, ut nulla fere pars orationis ſilentio praeteriretur: itaque, multis querellis, multaq. miſeratione adhibita, ſocios, omnibus approbantibus, illa die quaeſtione liberatos eſſe.

E X P L A N A T I O

Memoria *teneo* } Morem dictum probat digreſſione, ad animos recreandos. P. *Scip.* } P. Scipio Naſica Serapion, de quo infra: ut etiam de Bruto. Atroci, *magnaq.* } Iccirco magna, addidit, quia poteſt parua res atrox eſſe. Qvaererent } Quaeſtionem, ſiue iudicium exercerent. In *ſilua Scantia* } Quam Rullus Cicerone cos. uendere uolebat: in Rullum prima, & tertia oratione. Scantiana poma, & uuas Scantianas, Cato, Varro, & Plinius celebrant. Et de uuis quidem lib. 14. cap. 4. ait, Aminaeam proxime dictam. Varro Scantianam uocat. Et lib. 2. cap. 107. Aquas Scantias nominat, e quibus flammam exire ſcribit, quae in alia materia longe non durat. & adiungit, Viret aeterno hunc fontem igneum contingens fraxinus. Familia } Serui, ex quibus familia conſtat: pro Caecina, & Lege Manil. Vlp. Dig. lib. 39. Liberti } Liberti, non Liberi, lego: per ſeruos enim, & libertos negotia publicani adminiſtrabant, ut ex Veterum lectione cognoſcimus. Societatis } Publicanorum. Picarias } Vbi pix fieret, cuius magnus fuit uſus apud Veteres, cum ad alia, tum ad uina condienda. Plinius. Sed Pecuarias, uel Pecuaria legere, eſt melius: nam ſcribit Plin. in tabulis cenſoriis paſcua dicta fuiſſe omnia, ex quibus Populus Romanus reditus haberet. Cic. in prima contra Rullum, Veniat, inquit, ſilua Scantia: utrum tandem hanc ſiluam in relictis poſſeſſionibus, an in cenſorum paſcuis inueniſti? Sunt autem Pecuaria, loca ubi pecora nutriuntur, id eſt, paſcua. Si in aeſtiuis legamus, paſcua quoque intelligemus, in quibus aeſtate pecora habentur: ex Varrone lib. 1. de re Ruſtica. P. *Cor.* } Scipione Aemiliano Africano, & L. Mummio Achaico, qui ſimul cenſores fuerunt: Val. Max. Auctor de Viris illuſtr. & Cic. lib. 16. Atti. & de Off. 2. nam a cenſoribus publicani uectigalia conducebant. Cic. lib. 1. Att. epiſt. 14. Redemisset } Conduxiſſet: hinc Redemptores. Eleganterq. } Att. lib. 7. Secutus ſum Terentium, cuius fabellae propter elegantiam ſermonis, putabantur a C. Laelio ſcribi. Amplivs } Id eſt, ampliaſſent, ampliandi ſignum, N. L. dediſſent, quo ſignificabant, non liquere. Hinc Ampliatio, de qua Aſconius. Consilii } Senatus, uel eorum quibus conſiliarii in ea cauſſa uterentur conſules: qua de re Philip. 2. & ad Att. ſaepe. Pronvnciavissent } Magiſtratus, & iudicum proprium uerbum. Diligentivs } Aliter, Melius elegantiusque. Prolatam } Ampliatam, dilatam, in alium diem reiectam. Se *arbitrari* } Hoc probare uoluit, tum eum morem fuiſſe, ut

faciles

faciles eſſent, in ſuum cuique tribuendo. Ser. *Galba* ℥ De quo adoleſcente, Liu. lib. 45. Fortior ℥ Sic L. Lentulus infra, Fortis orator dicitur. Aliter, Ornatior: aliter, Ardentior: quod placet. nam paullo poſt uehemens, & incenſus dicitur. Vnvm ℥ Vnum trium dierum, medium. Comperendinatvs ℥ Id eſt, in tertium diem uocatus in iudicium. Comperendinatio, ut Aſconius ait, eſt ab utriſque litigatoribus inuicem ſibi denunciatio in perendinum diem. Ampliatio certum numerum dierum non habet. In *conſideranda cauſſa* ℥ Quod 2. de Orat. praecipitur eſſe faciendum. Componendaq. ℥ Componitur cauſſa, cum ſuis quaeq. locis collocantur. nam componere, eſt diſponere, & collocare. Sociorvm ℥ Publicanorum. Coss. *deſcendiſſe* ℥ In forum ad rem cognoſcendam ſibi a ſenatu datam. Commentatvm ℥ Meditatum: ut Infra, Meditando. In *quadam teſtudine* ℥ In conclaui, ſub quadam fornice. Locus erat ſecretior, & ab aedibus ſeparatus, ne a familia turbaretur eius commentatio. Cvm *ſeruis litteratis* ℥ Quibus & in ſcribendo, & in erudiendis liberis Veteres utebantur, ut ex Comoedijs, & Ciceronis epiſtolis apparet: quod etiam Suetonius & Macrobius ſcribunt. Qvorvm *aliud alij dictare eodem tempore ſolitus eſſet* ℥ Quod argumentum eſt mirificae cuiuſdam ingenii celeritatis: qua re Iul. Caeſar maxime commendatur. Exisse *in aedes* ℥ Scilicet ex teſtudine ſeu conclaui. Legitur etiam, Exiſſe aedes, hoc eſt, ex aedibus: quod quidem Latine dicitur, etſi magis ſit poetae quam oratoris. Forte alludit ad iocum, cuius fit mentio lib. 2. de Orat. Quando tandem Galba de Triclinio tuo exibis? Nam conclaue, etiam triclinium dicitur. Eo *colore & his oculis* ℥ Facie nimirum rubente, & oculis ardentibus, qui oris habitus ſolet commotis & indignantibus eſſe: ut Ariſtoteles, & Aphrodiſieus oſtendunt, & indicant poetae. Scriptores *illos* ℥ Seruos litteratos. Male *multatos* ℥ Valde uexatos eius uehementiori commentatione: uerberatos, quaſi aduerſus eos egiſſet, aut dictando nimium fatigaſſet. P. Victorius legit ex uetuſto exemplari, Mulcatos: idq. probat in caſtig. Ciceronianis, a Mulco, mulcas, ueteri uerbo, pro mulceo, ut ego arbitror. Male enim mulcentur, qui male accipiuntur.

PAVLLVS. MANVTIVS. In *dicendo fortior, acriorq.* ℥ ueteres libri pro, Fortior, habent Adortor. quod etiam ante nos uiri docti animaduerterunt. omnino, Fortior, ad ſententiam uidetur pertinere: quia ſequitur, Acrior: nec tamen in hac plane coniectura conquieſco. Alii legunt, Ardentior: quod placeret, ſi dixiſſet Cicero, Acrior, ardentiorq. ſic enim adderetur ſententiae uis: uerum, Ardentior, acriorq. ideo mihi non probatur, quia poſteriore uerbo minuitur, quae potius eſt augenda ſententia. Qvorvm *aliud dictare eodem a tempore ſolitus eſſet* ℥ ſic & Borromaei liber, & alij. legendum fortaſſe, Quorum alii aliud. Male *multatos* ℥ cum ita ſcriptum uideam in duobus, quibus utor, antiquis libris; cauſſae nihil uideo, cur locus mutetur, praeſertim aperta ſententia. Alij legunt, Mulcatos.

CICERO

Ex hac Rutiliana narratione ſuſpicari licet, cum duae ſummae ſint in oratore laudes, una ſubtiliter diſputandi ad docendum, altera grauiter agendi ad animos audientium permouendos; multoq. plus proficiat is, qui inflammet iudicem, quam ille, qui doceat; elegantiam in Laelio, uim in Galba fuiſſe. quae quidem uis tum maxime cognita eſt, cum, Luſitania a Ser. Galba praetore contra interpoſitam, ut exiſtimabatur, fidem interfectis, L. Libone, tribuno pl. populum incitante, & rogationem in Galbam priuilegij ſimilem ferente, ſumma ſenectute, ut ante dixi, M. Cato, legem ſuadens, in Galbam multa dixit; quam orationē in Origines ſuas retulit; paucis ante quam mortuus eſt an diebus, an menſibus? tum igitur recuſans Galba pro ſe ſe, & populi R. fidem implorās, cum ſuos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat; cuius orbitas, & fletus mire miſerabilis fuit propter recentem memoriam clariſſimi patris: isq. ſe tum eripuit flamma, propter pueros miſericordia populi commota, ſicut idem ſcriptum reliquit Cato. Atque etiam ipſum Libonem non infantem uideo fuiſſe, ut ex orationibus eius intelligi poteſt.

EXPLANATIO

Ex *hac Rutiliana nar.* ℥ Quid ex Rutilij narratione ſit colligendum, docet. Dvae *ſummae* ℥ Non excludit tertiam delectandi, quae & in permouendo eſt, & cōmunis omnium: icciſco media dicta, quaſi extremorum particeps. Deinde, hae duae ſummae: ſeparat nunc ea non natura, ſed Oratoris facultate, ut, quid utraque ſeparata poſſit, cognoſcatur. Vna *ſubt. diſp. ad doc.* ℥ Officium in diſputando, finem in docendo ponit. Loquitur de attenuata figura. Et oratores tenues acuti ſunt, omnia docentes, & dilucidiora, nos ampliora facientes. Altera ℥ Sublimioris generis: in qua Oratores grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt, cum ampla & ſententiarum grauitate, & maieſtate uerborum: uehementes, uarij, copioſi, graues, ad permouendos & conuertendos animos inſtructi & parati: in Oratore. Mvltoq. *plus* ℥ In flectendo enim, ut ait in Oratore, & permouendo uis omnis Oratoris eſt; in quo Pericles, & Demoſthenes excelluerunt. Inflammet. ℥ Permoueat, flectat, quod eſt uictoriae. in Oratore. Doceat ℥ Probet, quod neceſſitatis eſt: ut in Orat. Et debitum: de opt. gen. Orat. Elegantiam ℥ Quae facit, ut unumquodque pure & aperte dici uideatur: ad Her. lib. 4. Vim ℥ *δύναμιν*, quae tanta fuit in eo, ut falſa pro ueris etiam P. Craſſo probaret: de Orat. lib. 1. Cvm *Luſitanis, &c.* ℥ De hac re Val. lib. 8. cap. 1. Ser. quoque Galba ſummae perfidiae: trium enim Luſitaniae ciuitatum conuocato populo tamquam de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis con

ſiſtebat, electa, & armis exſuta, partim trucidauit, partim uendidit. Suet. in Galba, Triginta mill a ſcribit perfidia trucidatos, Viriatini belli cauſſam exſtitiſſe. Plura Appianus de bello Hiſpanienſi. L. *Libone* ʒ L. Scribonio Libone: de Orat. 1. & 2. Val. Max. lib. 8. cap. 1. Liu. 49. Scribonij plebeii fuerunt, ut huius tribunatus docet. ROGATIONEM ʒ Vt Luſitani, qui ex foedere populo Rom. dediti, a Ser. Galba in Gallia ueniſſent, in libertatem reſtituerent. Liu. lib. 49. Quaeſtionem uocat Cicero de Orat. lib. 1. PRIVILEGII ʒ Quae lex eſt priuatis hominibus irrogata: de qua re Cic. pro Domo ſua, pro Sextio, & de Legibus. SIMILEM ʒ Neque enim erat priuilegium, quod ferri & irrogari non poterat, ex lege XII. tabularum. Erat ſimilis priuilegii, quia ferebatur quidem de Luſitanis in libertatem reſtituendis, ſed ita tamen, ut in Galbam, qui contra fidem eos uendiderat, ferri uideretur. SVMMA *ſenectute* ʒ Annos quinque, & octuaginta natus. IN *Galbam* ʒ Ad cuius perniciem M. Cato uehementer incumbebat. pro Murena. MVLTA *dixit* ʒ Vt Galbae inimicus, & Hiſpanorum patronus. IN *Orig. retulit* ʒ Scriptam reliquit: ut ſupra. Incluſit, Liuius. PAVC. *ante* ʒ Eo ipſo anno, quo exceſſit e uita. ſupra. TVM *igitur recuſans* ʒ Vereor, ut ſit legendum: Tum nihil recuſans. nam Val. Max. qui res interdum, & uerba ſolet mutuari, lib. 8. cap. 1. ſic ait: Reus Galba pro ſe iam nihil recuſans, paruulos liberos ſuos, & Galli ſanguine coniunctum ſibi filium flens commendare coepit. Et Liu. lib. 49. Miſerabiliter Galba pro ſe locutus. Ego Nihil recuſans: intelligo, nullam poenam recuſans: ut ſit de ſe deſperantis uerbum. nam & de Orat. lib. 1. Cicero oſtendit eum de ſe prorſus deſperaſſe. Hic autem recuſans Galba pro ſeſe, id eſt, pro ſe nihil dicere, aut deprecari uolens, filios tantum commendauit: qua tamen arte, ſe quoque una ex ea flamma eripuit. POPVLI *Ro.* ʒ Quem tutorem inſtituere dixit puerorum orbitati: Cic. lib. 1. de Orat. FIDEM *implorans* ʒ Miſericordiam concitans: de Orat. lib. 1. SVOS *pueros* ʒ Suos liberos paruulos. Quinctil. lib. 2. cap. 16. Duos filios paruos, lib. 1. de Orat. Cic. Duos filios praetextatos, Liu. 49. Intelligo Ser. & Caium Sulpicios. FILIVM ʒ Q. Pupillum uocat lib. 1. de Orat. cuius Galba erat tutor, Liu. 49. FLENS ʒ Flebat ipſe, & puer populo fletum mouebat. COMMENDABAT ʒ Tutelae populi. lib. 1. de Orat. ORBITAS ʒ Vt qui ſine patre eſſet: ergo orbus. CLARISS. *patris* ʒ C. Sulpicij Galli: de quo ſupra. SE *tum eripuit* ʒ Ita miſerabiliter pro ſe locutus eſt, ut rogatio antiquaretur. Liu. His enim tragoediis liberatum Rutilius ferebat: lib. 1. de Orat. Appianus ſcribit, ſuis diuitiis abſolutum fuiſſe, adiuuante etiam Q. Fuluio Nobiliore. Liuius. FLAMMA ʒ Virgilius:

Heu fuge, nate Dea, teq. his, ait, eripe flammis.

ſed hic tranſlatum eſt, pro inuidia, & odio populi, quo flagrabat. PROPTER *pueros* ʒ Reſpectu puerorum. Val. COMMOTA ʒ Concitata. lib. 1. de Orat. SCRIPTVM *reliquit* ʒ Lib. 1. de Orat. Apud Catonem ſcriptum eſſe uideo, Niſi pueris, & lacrymis uſus eſſet, poenas eum daturum fuiſſe. NON *infantem* ʒ Satis diſertum: ut ſupra de Scipione.

C I C E R O

CVM haec dixiſſem, & paullum interquieuiſſem, Quid igitur, inquit, eſt cauſſae, Brutus, ſi tanta uirtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus eius apparet? quod mirari non poſſum in eis, qui nihil omnino ſcripti reliquerunt. Nec enim eſt eadem, inquam, Brute, cauſſa non ſcribendi, & non tam bene ſcribendi, quam dixerint. nam uidemus alios oratores inertia nihil ſcripſiſſe, ne domeſticus etiam labor accederet ad forenſem: pleraeque enim ſcribuntur orationes habitae iam, non ut habeantur: alios non laborare, ut meliores fiant: nulla enim res tantum ad dicendum proficit, quantum ſcriptio; memoriam autem in poſterum ingenij ſui non deſiderant, cum ſe putant ſatis magnam adeptos eſſe dicendi gloriam, eamq. etiam maiorem uiſum iri, ſi in exiſtimantium arbitrium ſua ſcripta non uenerint: alios, quod melius putent dicere ſe poſſe, quam ſcribere: quod peringenioſis hominibus, neque ſatis doctis, plerumque contigit, ut ipſi Galbae: quem fortaſſe uis non ingenij ſolum, ſed etiam animi, & naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatq. ut & incitata, & grauis, & uehemens eſſet oratio: dein, cum otioſus ſtylum prehenderat, motusq. omnis animi, tamquam uentus, hominem defecerat, flacceſcebat oratio: quod ijs, qui limatius dicendi conſectantur genus, accidere non ſolet: propterea quod prudentia numquam deficit oratorem; qua ille utens, eodem modo poſſit & dicere, & ſcribere: ardor animi non ſemper adeſt: isq. cum conſedit, omnis illa uis, & quaſi flamma oratoris exſtinguitur. hanc igitur ob cauſſam uidetur Laelij mens ſpirare etiam in ſcriptis, Galbae autem uis occidiſſe.

E X P L A N A T I O

CVM *haec dix.* ʒ Digreſſioni digreſſionem aliam annectit, in qua Brutus πρόβλημα ponit, quod Cicero explicat, ut oſtendam. CVR. ʒ Quaſi a modeſte Ciceronis de Oratoribus Romanis ſententiarum refellente, haec proponuntur. Neque Galba, neque alij tales fuerunt, quales deſcripſiſti: nam Galba in ſcriptis orationibus talis non eſt, alij nihil ſcripſerunt, ex quo iudicium de illorum ingeniis fieri poſſet. Ergo ſcribere neſciuerunt: non fuerunt igitur Oratores. NEC *enim* ʒ Anceps, & copulatum problema diuidit: & utrumque ſeorſim cauſſas inquirit. Alia eſt enim cauſſa non ſcribendi: alia non tam bene ſcribendi, quam dixerunt. ALIOS ʒ Prima cauſſa, cur poſt non ſcribant, inertia: eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus, ut ait de Orat. lib. 1. ALIOS ʒ Altera cauſſa, cur neque ante, neque poſt, quidam ſcribant: quia non curant meliores in dicendo fieri. NVLLA *enim res* ʒ Eſt enim caput, quam plurimum ſcribere. de Orat. lib. 1.

Item,

Item, Stylus optimus, & praeſtantiſſimus dicendi effector, ac magiſter. MEMORIAM *autem*] id eſt, orationes ſcriptas. nam memoria ingenij potiſſimum litteris conſeruatur. Hinc, mandare litteris, & tradere memoriae, pro eodem uſurpantur. CVM *ſe putant*] Hanc falſam opinionem refutat Antonius de Orat. libro 2. Nam etſi Hortenſium magnum Oratorem fuiſſe credimus, Ciceronem tamen multo maiorem ex ſcriptis iudicabimus. ALIOS] intellige ex ſuperioribus, Alios uidemus nihil ſcripſiſſe. Tertia eſt cauſſa, cur nihil ſcripſerint quidam: nimirum, quod melius ſe putent dicere poſſe, quam ſcribere: quod & Galbae, & Hortenſio contigit, qui melius dicebant, quam ſcripſerint: ut hic de Galba, & in Orat. de Hortenſio teſtatur Cicero. Sunt & hodie tales nonnulli. QVOD *peringenioſis*] Cur id fiat, diſputat Quinctil. Scriptio ſpatiū concedit diligentius cogitandi: uox ipſa & actio etiam indocti, multa obruit uitia orationis. VIS *non ing. ſolum, ſed etiam animi*] Ingenij uis, in quo prudentia, & acumen: Vis animi, in quo motus excitantur. In illo ſunt artes & ſcientia, in hoc appetitiones & commotiones. Illa eſt rationis particeps, haec expers, niſi quatenus obtemperat rationi. Iccirco de ſe Cic. in Orat. Nulla, inquit, me ingenij, ſed magna uis animi inflāmat: qui tamen modeſtiae cauſſa ingenij uim ſibi detrahit. NATVRALIS *quidam dolor*] Quem in omnibus bonis oratoribus eſſe oportere, docet Antonius de Orat. lib. 2. DICENTEM] Agentem. tunc enim res maiores uideri ſolent. Hoc ſignificans Aeſchines de Oratione Demoſthenis recitata, dixit: Quid, ſi ipſum audiuiſſetis? Carent enim libri ſpiritu illo, ut in Orat. ait Cicero, propter quem maiora eadem illa cum aguntur, quam cum leguntur, uideri ſolent. Vide lib. 1. Att. INCENDEBAT] Vt, quod de Craſſo de Orat. 2. dicitur, Ardere ipſe uideretur. VT *incitata*] παθετικὸν genus deſcribit: de quo 2. de Orat. lib. TAMQVAM *uentus*] Similitudo a nautis, quorum uela uentis deſtituta, flacceſcunt, & langueſcunt, & torpent. QVOD *ijs, qui limatius*] Cur, quod uehementibus Oratoribus accidit, non etiam contingat limatis, preſſis, & ſubtilibus. PROPTEREA *quod prud.*] Naturalia ſunt perpetua: fortuita modo adſunt, modo auolant: ut in definitione Accidentium in Dialecticis dicitur. At prudentia, ſiue mens Oratoris eadem perpetuo eſt: animi motus, & ardor non ſemper adeſt.

C I C E R O

FVERVNT etiam in oratorum numero mediocrium L. & Sp. Mummij fratres, quorum exſtant amborum orationes: ſimplex quidem Lucius, & antiquus, Spurius autem nihilo ille quidem ornatior, ſed tamen adſtrictior: fuit enim doctus ex diſciplina Stoicorum. Multae ſunt Sp. Albini orationes. ſunt etiam L. & C. Aureliorum Oreſtarum; quos aliquo uideo in numero oratorum fuiſſe. P. etiam Popilius cum ciuis egregius, tum non indiſertus fuit: C. uero filius eius diſertus. Caiusq. Tuditanus cum omni uita, atque uictu excultus, atque expolitus, tum eius elegans eſt habitum etiā orationis genus. Eodemq. in genere eſt habitus is, qui, iniuria accepta, fregit Ti. Gracchum patientia, ciuis in rebus optimis conſtantiſſimus, M. Octauius.

E X P L A N A T I O

FVERVNT] Ad rem redit, ex digreſſione. L. *Mummius*] Qui primus ex nouis hominibus cognomē uirtute partum uindicauit. nam conſul Achaeos deuicit, Corinthum deleuit: unde Achaicus eſt appellatus. Paterculus. De quo Poeta:

Ille triumphata, Capitolia ad alta Corintho:
Victor aget currum, caeſis inſignis Achiuis.

Cicero Verr. 3. & 5. SP. *Mumm.*] Spurij, patre incerto nati appellati ſunt. Scribitur tamen interdum ſic, S. P. & tunc ſine patre ſignificat. Hic de Luſitanis in Hiſpania triumphauit. Appianus. SIMPLEX] Etiamſi hic ad orationem reſpexerit, tamen ita etiam animo ſimplex fuit, ut capta Corintho cum maximorum artificum tabulas perfectas, ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, nouas eos reddituros: quaſi uero ijdem artifices inueniri poſſent. ANTIQVVS] Quod uerbis antiquis uteretur. Sic Laelius, antiquior dictus. ADSTRICTIOR] Vt Stoicus, qui dicendi genus exſile ſunt ſecuti, ut infra. SP. *Albini*] Sp. Poſtumij Albini: qui Iugurthae bellum intulit. L. *Aurelij Oreſtae*] Qui cos. cum M. Aemil. Lep. Sardos ſubegit. AVRELIORVM] Aurelij, quaſi Auſelij, ut Valeſij, Papiſij, a ſole nomen habuere, quod eis datus ſit a P. R. locus, in quo ſacra facerent Soli. Sex. Pompeius auctor. P. *etiam Popillius*] Cognomento Laenas, qui cum C. Sulp. Galba conſul fuit. Lucius, Att. 3. epiſt. 32. male uocatur. Lege Gracchi in exſulium abiit: Cic. pro D. ſua, & poſt R. ad Q. & in ſenatu. Quare pro Cluent. ſic legendum eſt: Nec P. Popill. nec Q. Metellus clariſſimi, atque ampliſſimi uiri, uim tribuniciam ſuſtinere potuerunt. CIVIS *egr.*] Fortis, & conſtans in opt. ratione ciuis. pro D. ſua. C. Q. *Tudit.*] C. Sempronius Tuditanus, qui cum M'. Aquilio cos. fuit anno ab urbe cond. 625. lib. 3. ad Q. Fr. ſcripſitq. Commentarios, quos Plin. & Gell. citant, & Aſconius. His conſulibus ſermo a Cicerone de Repub. fuit inſtitutus. lib. 13. ep. ad Q. Fr. INIVRIA] Poteſtatis abrogatae. Liu. 58. nam Tib. Gracchus, illi pro bono publico ſtanti, imperium abrogauit. Paterculus. FREGIT] Impediuit, ac repreſſit. Plutarc. in Gracchis. Vel, Fregit, poſt depoſitum tribunatum. Tib. Sempr. Gracchum leges agrarias ferentem. Paterculus. IN *reb. opt.*] In rebus optimatium, in optima ratione. pro D. ſua.

CICERO

AT uero M. Aemilius Lepidus, qui eſt Porcina dictus, ijſdem temporibus fere, quibus Galba, ſed paullo minor natu ſummus orator eſt habitus, & fuit, ut apparet ex orationibus, ſcriptor ſane bonus. hoc in oratore Latino primum mihi uidetur & lenitas apparuiſſe illa Graecorum, & uerborum comprehenſio, etiam artifex, ut ita dicam, ſtylus. hunc ſtudioſe duo adoleſcentes ingenioſiſſimi, & prope aequales, C. Carbo, & Ti. Gracchus audire ſoliti ſunt: de quibus iam dicendi locus erit, cum de ſenioribus pauca dixero. Q. enim Pompeius non contemptus orator temporibus illis fuit; qui ſummos honores, homo per ſe, cognitus, ſine ulla commendatione maiorum eſt adeptus. Tum L. Caſſius multum potuit, non eloquentia, ſed dicendo tamen; homo non liberalitate ut alij, ſed ipſa triſtitia, & ſeueritate popularis: cuius quidem legi tabellariae M. Antius Briſo tribunus pl. diu reſtitit, M. Lepido conſule adiuuante. eaq. res P. Africano uituperationi fuit, quod eius auctoritate de ſententia deductus Briſo putabantur.

EXPLANATIO

AT *uero M.* ʒ Marcus. Florus Cnaeum uocat. M. Octauius Caecina appellatur a Iulio Obſequente. De Octauiorum familia Suet. in Auguſto. AEMILIVS ʒ Aemilij, ab humanitate, & lepore dicti ſunt, ut ait Sex. Pomp. eſtq. idem, quod Lepidus, Aemilius. Hic cum C. Hoſtilio Mancino cos. fuit, nec in Numantinos felicior, ut ſcribit Appianus. MINOR ʒ Galba ipſo. nam ſex annis poſt cos. fuit. SVMMVS *orator* ʒ Vt cum Galba in 1. de Orat. hunc coniungat. LENITAS ʒ γλυκύτης, ab Hermogene dicitur: ἠθικὸν dicendi genus ponit Cic. in Oratore, quo oratio efficitur placida, ſummiſſa, lenis, ſuauis, aequalis, comis, & iucunda. GRAECORVM ʒ Vt Demetrij Phalerei praeſertim. ſupra. VERB. *comprehenſio* ʒ Verborum quaſi ſtructuram, & quandam ad numerum concluſionem, ſupra de Iſocrate uocauit: & in Oratore, Verbis apte comprehenſam ſententiam, quam Veteres plerumque caſu, ſaepe natura faciebant. ETIAM ʒ Melius, Et iam, ſeparatim. ARTIFEX ʒ Praeſtantiſſimus dicendi effector, ac magiſter. de Orat. 1. VT *ita dicam* ʒ Duritiem ſiqua eſt, excuſat. ut faciendum docet de Orat. 3. PROPE *aequales* ʒ Triennium interfuit, Gracchus Senior. *Q. enim Pomp.* ʒ Q. Pomp. Aufidium uocat Val. Max. lib. 8. cap. 5. Conſul cum Cn. Seruilio Caepione ab urbe cond. 613. Termantiuos in Hiſpania ſubegit. TEMPORIBVS *illis* ʒ Quibus Ser. Galba, & M. Aemil. Lepidus fuerunt. SVMMOS *hon.* ʒ Ampliſſimos, uocat Verr. 7. ut ſunt: praetura, cenſura, conſulatus. Liuius 59. PER *ſe cognitus* ʒ Homo nouus, pro Fonteio: & pro Murena, Humili, atque obſcuro loco natus. Verr. 7. Sua, non maiorum uirtute nobilitatus. EST *adeptus* ʒ Plurimis inimicitiis, maximiſq. ſuis periculis, & doloribus. Verr. 7. pro Font. Item Val. Max. ut ſupra. TVM ʒ Cum Q. Pomp. uiueret: quo tamen L. Caſſius annis 13. minor fuit, ut ex conſulibus apparet. L. *Caſſius* ʒ L. Caſſ. Longinus, Ranilia dictus, cos. cum L. Cornel. Cinna ab urbe cond. 627. MVLTVM *pot.* ʒ Vt qui legem tabellariam aduerſante M. Antio Briſone trib. pleb. & bonis omnibus tulerit. ut Cic. de Leg. 3. NON *eloquentia, ſed dicendo* ʒ ut qui non eloquens, ſed diſertus eſſet. nam diſertus, ab eloquente ita differt: ut imperfectum, a perfecto. NON *liberalitate* ʒ Non largitione, qua plebs deleniri ſolet. de Off. lib. 2. VT *alij* ʒ ut Sp. Caſſius, ut Sp. Melius, C. Flaminius, & alij. SED *ipſa triſtitia, & ſeuer.* ʒ Triſtitia autem & in omni re ſeueritas abſit. de Amic. Et de Orat. lib. 2. Triſtitiam, & ſeueritatem mitigare: ut alterum ad alterius declarationem poſitum intelligamus. Hinc triſte, ac ſeuerum genus dicendi, infra. Hinc Caſſiani iudices apud Cic. Verr. 5. Nam Caſſius hic, cum praetor olim eſſet, ſcopulus reorum dictus eſt. Val. Max. lib. 3. cap. 7. Hic eſt ille Caſſius, qui in criminibus inquirendis dicere ſolebat, Cui bono fuit, ut ſaepe Cicero, praeſertim pro Sex. Roſcio Amer. teſtatur. LEGES *tabellariae* ʒ Tabellariae leges fuerunt ab auctoribus nominatae, Gabinia, Caſſia, Papiria, Coelia. Hae leges latae erant de ſuffragiis occulte ferendis, ut Cic. 3. de Leg. ſcribit. Iudicibus ternae dabantur: quarum una A. altera C. tertia N. L. litteras habebat. ex iis iudex, quam uolebat, in ciſtam coniiciebat: ita ab odij, uel beneuolentiae ſuſpicione aberat. In reliquis ſuffragiis, binae, ni fallor, tradebantur. in una punctū notum erat: in altera nihil. puncto fauebant, altera aduerſabantur. Hinc ſaepe apud Ciceronem de comitiis loquentem & ſuffragiis, ferre puncta legimus. Hinc & illud Horatij:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

De tabellis, & ciſtis Aſconius. de ciſtis etiam ad Herenn. lib. 1. Hunc occulti ſuffragij morem Plato de Legibus nono, non admodum uidetur probare. Cicero probat: & tabellam, uindicem libertatis contra Rullum, & de Leg. 3. uocat: forte populo Romano id concedens, ut Moſes Iudaeis repudij libellum. EAQ. *res* ʒ Lex illa tabellaria. P. *Africano* ʒ Aemiliano. VITVPERATIONI *fuit* ʒ Apud illos, qui legem tabellariam non probabant, qualis fuit poſtea Q. Cic. qui lib. 3. de Leg. ſic loquitur: Caſſiae legis culpam Scipio tuus ſuſtinet, quo auctore lata eſſe dicitur. Ob id, opinor, Scipio popularis a quibuſdam putabatur. ut lib. 2. Academ. Sed pro ſe dixit ipſe in libris de Repub. ut Cic. 3. de Leg. teſtatur. PVTABATVR ʒ De Leg. lata eſſe dicitur, nihil affirmans.

CICERO

CICERO

TVM duo Caepiones multum clientes conſilio, & lingua, plus auctoritate tamē, & gratia ſubleuabant: ſed Publij ſunt ſcripta nec nimis extenuata, (quamquam ueterum eſt ſimilis) & plena prudentiae. P. Craſſum ualde probatum oratorem iiſdem fere temporibus accepimus; qui & ingenio ualuit, & ſtudio, & habuit quaſdam etiam domeſticas diſciplinas. nam & cum ſummo illo oratore Ser. Galba, cuius Caio filio filiam ſuam collocauerat, affinitate ſe ſe deuinxerat: &, cum eſſet P. Mucij filius, fratremq. haberet P. Scaeuolam, domi ius ciuile cognouerat. in eo induſtriam conſtat ſummam fuiſſe, maximamq. gratiam; cum & conſuleretur plurimum, & diceret. Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannij, Caij Marci filij, fuerunt: quorum Caij filius; qui conſul cum Domitio fuit, unam orationem de ſocijs & nomine Latino cōtra Gracchum reliquit ſane & bonam, & nobilem.

EXPLANATIO

TVM *duo* ʒ Cn. & Q. Cic. pro Font. Valer. lib. 8. cap. 5. qui etiam illos fratres fuiſſe ait: & per omnes honorum gradus ad ſummam amplitudinem perueniſſe. Q. Viriatum dolis interficiendum curauit. Liu. 54. & Appianus de bello Hiſpan. ex quo Val. Max. illum inter perfidos numerauit lib. 9. cap. 6. CAEPIONES ʒ Seruilij Caepiones. Male Plutarc. καπίωνες ſcribit. CONSILIO, *& lingua* ʒ Periphraſis eloquentiae, prudentia, & oratione. AVCTORITATE ʒ Cic. pro Font. eidem uirtutem, genus, res geſtas, fidem, & auctoritatem tribuit. SED *Pomp.* ʒ Quaſi diceret, L. Caſſius, & Caepiones nihil ſcripſerunt, ſed Q. Pompeij ſcripta exſtant, & orationes. VETERVM *eſt ſimilis* ʒ Quaſi diceret: Cetera Veterum ſimilis: illo excepto, quod eius ſcripta non ſunt extenuata. P. *Craſſum* ʒ P. Licinium Craſſum Mucianum Diuitem. Mucianus, quod P. Mucii Scaeuolae filius. Licinius, quod a P. Licinio Craſſo eſſet adoptatus. Diues, tum, quod is, qui adoptauit, diues diceretur: tum, quod ipſe quoque ditiſſimus eſſet. Nam habuiſſe traditur rerum bonarum maxima, & praecipua: ditiſſ. nobiliſſ. eloquentiſſ. iuriſconſultiſſ. & pont. Max. Gell. lib. 1. cap. 13. VALDE *probatum oratorem* ʒ Eloquentiſſimum, ut Gell. Hic, neque ius ciuile probauit ſine dicendi copia; neque dicendi copiam ſine iuris ciuilis ſcientia: ut L. Craſſus lib. de Orat. primo teſtatur. IISDEM *fere temp.* ʒ Nouem annis poſt Q. Pompeium. INGENIO *ualuit* ʒ Ita, ut, cum in Aſiam contra Ariſtonicum Regem conſul ueniſſet, tanta cura Graecae linguae notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque diuiſam genera per omnes partes ac numeros penitus cognoſceret: Val. lib. 8. cap. 7. DISCIPLINAS *domeſticas* ʒ Eloquentiam, & ius ciuile. CVIVS, *Caio F.* ʒ De quo infra. ET *filio filiam* ʒ Liciniam appellatam, proſonomaſia. AFFINITATE ʒ Quae proprie ſit inter eos, qui per nuptias coniunguntur. P. *Muc.* ʒ Qui conſul cum Sp. Poſtumio fuit ab V. C. 580. FRATREMQ. ʒ Hos etiam fratres appellat Acad. 2. & ſapientiſſ. uocat: qui & ipſe pont. max. fuit, fratre mortuo. P. ʒ Publius, ſemper a Cic. & Paterculo uocatur. Errant igitur Caſſiodorus, & alij, qui Caium uocant. MVCIVM ʒ Mucij, & Scaeuolae, ab eo qui Porſenam uoluit interficere, dicti ſunt; a clade dextrae manus: ut Liuius ait. DOMI ʒ Alludit ad prouerbium, Domi habet. Ac de hoc Scaeuola lib. 1. de Orat. inquit: Iura ciuilia iampridem in noſtra familia uerſantur. INDVSTRIAM ʒ De qua Val. Max. lib. 8. cap. 7. GRATIAM ʒ Vt quod numquam antea factum fuerat, impetrarit, ut ipſe Pont. Max. bellum extra Italiam gereret. FANNII ʒ A fando dicti, quaſi fandij. DOMITIO ʒ Cn. Dom. Aenobarbo. DE *ſocijs* ʒ De ſociorum cauſſa, ſiue de ſocijs ciuitate donandis. De bello Sociali loquitur, quod & Italicum dicitur & Latinum: quamquam Socij, & Latini interdum diſtinguuntur. GRACCHVM ʒ C. Gracchum. nam ciuitatem Tib. Gracchus toti Italiae eſt pollicitus, & poſtea C. Gracchus dabat, cui Fannius conſul aduerſatus eſt. Paterculus.

CICERO

TVM Atticus, Quid ergo? eſt ne iſta Fannij? nam uaria opinio pueris nobis erat. alij a C. Perſio, litterato homine, ſcriptam eſſe aiebant, illo, quem ſignificat ualde doctum eſſe Lucilius: alii multos nobiles, quod quiſque potuiſſet, in illam orationem contuliſſe. Tum ego, Audiui equidem iſta, inquam, de maioribus natu; ſed numquam ſum adductus, ut crederem; eamq. ſuſpicionem propter hanc cauſſam credo fuiſſe, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus eſſet, oratio autem uel optima eſſet, illo quidem tempore, orationum omnium. ſed nec eiuſmodi eſt, ut a pluribus confuſa uideatur, unus enim ſonus eſt totius orationis, & idem ſtylus: nec de Perſio reticuiſſet Gracchus, cum & Fannius de Menelao Maratheno, & de ceteris obieciſſet, praeſertim cum Fannius numquam ſit habitus elinguis. nam & cauſſas defenſitauit: & tribunatus eius, arbitrio, & auctoritate P. Africani geſtus, non obſcurus fuit. Alter autem C. Fannius M. F. C. Laelij gener, & moribus, & ipſo genere dicendi durior, is ſoceri inſtituto, quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praeſertim cum ille Q. Scaeuolam ſibi, minorem natu generum, praetuliſſet: cui tamen Laelius ſe excuſans, non genero minori dixit ſe illud, ſed maiori filiae detuliſſe: is tamen inſtituto Laelij Panaetium audiuerat. eius omnis in dicendo facultas ex hiſtoria ipſius, non ineleganter ſcripta, perſpici poteſt: quae neque nimis eſt

infans,

infans, neque perfecte diſerta. Mucius autem augur, quod pro ſe opus erat, ipſe dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. is oratorum in numero non fuit: iuris ciuilis intelligentia, atque omni prudentiae genere praeſtitit.

EXPLANATIO

TVM *Atticus* ʒ Vtpote antiquitatis peritiſſimus. C. *Perſio* ʒ Lucilius doctiſſimum Perſium non uerbo quidem appellauit, ſed ſignificauit. Significauit autem, cum ſua ſcripta eum legere noluit, eius iudicium reformidans: ut lib. 1. de Fin. Sed in libris de rep. & de Orat. lib. 2. Cic. addidit doctiſſimum, Lucilium explicans: quem & Plinius in Praefatione Nat. hiſtoriae ſecutus, recte Perſium, tum a Lucilio, tum a Cicerone doctiſſimum appellatum ſcripſit. VALDE *doctum* ʒ Omnium Romanorum doctiſſimum: de Orat. lib. 2. CONTVLISSE ʒ Nobilem orationem ſuo dichoreo ornat. ILLO *quidem tempore* ʒ Quo haec pigmenta nondum erant inuenta, &c. Infra. SONVS ʒ Vt in lyra: quare Aegyptij, eundem uitae tenorem ſignificare uolentes, lyram pingebant, ut Orus ſcribit. Aut illud ſignificat, ut uarij ſunt hominum in uoce ſoni, ſic uariam neceſſario eſſe dicendi formam. IDEM *ſtylus* ʒ Ab inſtrumento ad ipſam dictionem, quae tam uaria eſt, quam uarij ſunt ſcribendi ſtyli, & pennae. DE *Menelao Maratheno* ʒ Rhetore Graeco. GRACCHVS ʒ Caius Gracchus. P. *Africani* ʒ P. Cor. Scip. Afr. Aemiliani. Putauit aliquando Cic. tunc trib. pl. fuiſſe, C. Fannium, M. F. ad Att. lib. 16. ſed uidetur Attico monente errorem correxiſſe, & hunc pro illo repoſuiſſe. NON *obſcurus* ʒ Propter multas habitas conciones. C. *Laelij generum* ʒ Sic enim uult Cic. Hortenſio auctore: ſecus autem Atticus, ut in epiſt. lib. 16. DVRIOR ʒ Vtpote Stoicus, qui Panaetium audiuit, ut ſequitur. Exſilis, etiam de Leg. 1. appellatur. COOPTATVS *non erat* ʒ In Laelio tamen uidetur fuiſſe, cum ipſe Fannius dicat, In Bruti Auguris hortis commentandi cauſſa nonis conueniſſe. Dicendum, uel alios praeter augures conuenire potuiſſe, uel Fannium poſtea cooptatum: uel Ciceronem alios alibi ſcriptores ſecutum: uel certe deceptum: nam de Fannio ſaepe uiſus eſt dubitare in epiſt. ad Atticum. SIBI ʒ Fannio. Eſt enim ambiguum: nam & ad ſocerum, & ad Fannium referri poteſt. Ei, uel Ipſi, uel Illi, eſſet clarius. ſed fruſtra haec reprehendit Valla in eloquentiae principe. MAIORI *filiae* ʒ Laeliae: de qua infra. NEQVE *nimis eſt infans* ʒ Infra, Exiguam enim eloquentiam in Fannio uideo fuiſſe. MVCIVS ʒ Q. Muc. Scaeuola Laelii gener, & L. Craſſi oratoris ſocer: lib. 1. de Orat. Cuius perſonam in eum librum inducit contra Craſſum diſputantem. AVGVREM ʒ Sic fere ſemper hunc uocat, ut ab altero, qui fuit pontifex & iunior, diſtingueret: quod eſt notandum. Vide principium Laelij. QVOD *pro ſe* ʒ Opus eſt pro ſe, non Latine dici uidetur: ſi uero coniungimus, pro ſe dicebat, quod opus erat, certe potuit etiam pro aliis. Ergo melius, per ſe: non, ut alii, quibus orationes ſcribebantur: uel, qui ab aliis iuuabantur, ut paullo ante de Fannio dubitatum eſt, & infra de Caepione. DE *pec. rep.* ʒ De quibus T. Albucius, ut opinor, a Scaeuola fuerat accuſatus. Fuerat enim praetor in Sardinia: Cic. in Piſonem. Albucius cum in Sardinia triumphaſſet, Romae damnatus eſt: Appul. in 2. Apolog. Verſus Scaeuolae in Albucium ex Lucilio uide lib. 3 de Orat. & de Albucio ipſo infra. IS ʒ Q. Muc. Scaeuola augur, non eſt habitus orator. Itaque M. Antonius ſic loquitur: Craſſus ciuitatum regendarum oratori gubernacula ſua ſententia tradidit: in quo per mihi mirum uiſum eſt Scaeuola te hoc illi concedere, cum ſaepiſſime tibi ſenatus breuiter, impoliteq. dicenti, maximis ſit de rebus aſſenſus: & ipſemet ius ciuile in ſua familia ſine eloquentia uerſari diceret. Praeterea, fuit Stoicus. IVRIS *ciuilis* ʒ Ab hoc Craſſus, ab hoc Cicero ius ciuile didicerunt. Huius fit mentio de Orig. iuris Dig. lib. 1. ATQVE *omni prud. gen.* ʒ Prudentiae enim ſunt uaria genera, Ethica ſiue monaſtica, oeconomica, politica: quorum etiam uaria ſunt genera: ut in Politica, militaris, ſiue caſtrenſis, & urbana. De hoc uiro Cic. in Laelio: Fieri ſtudebam eius prudentia doctior.

CICERO

L. Coelius Antipater, ſcriptor, quemadmodum uidetis, fuit, ut temporibus illis, luculentus, iuris ualde peritus, multorum etiam, ut L. Craſſi, magiſter. Vtinam in Ti. Graccho, Caioq. Carbone talis mens ad remp. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit: profecto nemo is uiris gloria praeſtitiſſet. ſed eorum alter, propter turbulentiſſimum tribunatum, ad quem ex inuidia foederis Numantini bonis iratus acceſſerat, ab ipſa rep. eſt interfectus: alter, propter perpetuam in populari ratione leuitatem, morte uoluntaria ſe a ſeueritate iudicum uindicauit. ſed fuit uterque ſummus orator: atque hoc memoria patrum teſte dicimus. nam & Carbonis, & Gracchi habemus orationes, nondum ſatis ſplendidas uerbis, ſed acutas, prudentiaeq. pleniſſimas. Fuit Gracchus, diligentia Corneliae matris, a puero doctus, & Graecis litteris eruditus: nam ſemper habuit exquiſitos e Graecia magiſtros, in eis iam adoleſcens Diophanem Mitylenaeum, Graeciae temporibus illis diſertiſſimum: ſed & breue tempus ingenij augendi, & declarandi fuit.

EXPLANATIO

L. COELIVS *Antipater* ʒ De hoc lib. 1. de Leg. & de Or. lib. 2. & in Oratore, ubi ſimplex, & rudis appellatur. VT *temporibus illis* ʒ Pro illorum temporum ratione, ut ferebant illa tempora: in qui

bus

bus pauci bene ſcribebant hiſtoriam. VTINAM } εὐχὴ, qua ſequentia cum ſuperioribus coniungit, & facere incipit, quod ſupra fuerat pollicitus. Nam de ſenioribus cum dixerit, reſtat, ut de Tib. Graccho, & Carbone dicat. TIB. *Grac.* } Tib. Sempronio Graccho, cuius uitam Plutar. ſcribit. C. *q. Carbone* } C. Papirio Carb. de quo poſt. AD *rempub.* } Quam Gracchi praeſertim diſſipauerunt: lib. 1. de Orat. INGENIVM } Vnde ſupra ingenioſiſſimos appellauit. GLORIA } Quia praeſtantiſſima gloria ex bona reipubl. adminiſtratione, & eloquentia comparatur. PRAESTITISSET } Dichoreus, quod de gloria eloquentiae loquitur. ALTER } Tib. Grac. propter leges agrarias promulgatas. FOEDERIS *Numantini* } Paterculus: Immanem deditio Mancini ciuitatis mouit diſſenſionem: quippe Tib. Gracchus Tib. Gracchi clariſſ. atque eminentiſſimi uiri filius, P. Africani ex filia nepos, quo quaeſtore, & auctore id foedus ictum erat, nunc grauiter ferens aliquid a ſe factum infirmari: nunc ſimilis uel iudicii, uel poenae metuens diſcrimen, tribunus plebis P. Mucio, L. Calpurnio cos. a bonis deſciuit. Eadem habet Cic. pro Domo ſua. EST *interfectus* } Auctore P. Cornelio Naſica, in Capitolio a primatibus occiſus eſt. Liu. 58. Plutar. & alii. ALTER } C. Papirius Carbo. Hunc Cic. 3. de Orat. ſeditioſum, & improbum ciuem appellat. De quo etiam lib. 2. de Orat. ubi locum a Conſentaneis tractat. PERPETVAM } Atqui rediiſſe ad bonos conſtat, uel ex 2. de Orat. Reſpondeo: Rediit, ſed ſimulans. Vel, Perpetuam leuitatem: quod modo hos, modo illos ſequeretur. A *ſeueritate iudicum* } Apud quos illum Craſſus adoleſcens accuſauit: ut eſt de Offic. lib. 1. & de Orat. lib. 2. VINDICAVIT } liberauit, cum Cantharides ſumpſit, ut ad Papirium Cicero ſcribit in Famil. epiſt. quamuis Val. Max. alios auctores, ut uidetur, ſecutus dicat, In exſulium miſſum fuiſſe, lib. 3. cap. 7. DICIMVS } Aliter, Didicimus. SPLENDIDAS *uerbis* } Cornel. Tacitus de cla. Orat. Carbonem horridum, impolitum, rudem, & informem uocat. DILIGENTIA *Corneliae matris* } Talis fuit Aurelia Caeſaris, & Atia Auguſti mater in filiis educandis. Cornelia Africani maioris filia Tiber. Sempronio Graccho nupſit, cui XII. filios, ut ait Plutarchus, genuit, quos tanti fecit, ut eorum cauſſa Ptolemaei Regis nuptias ſpreuerit. Pop. Rom. illi ſtatuam poſuit. Plut. Plin. BREVE *tempus* } Nam ante XXX. annum aetatis ſuae eſt interfectus.

CICERO

CARBO, quoad uita ſuppeditauit, eſt in multis iudicijs, cauſſisq. cognitus. hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noſter L. Gellius, qui ſe illi contubernalem in conſulatu fuiße narrabat, canorum oratorem, & uolubilem, & ſatis acrem, & uehementem, atque eundem & ualde dulcem, & perfacetum fuiſſe dicebat, induſtrium etiã, & diligentem, & in exercitationibus, commentationibusq. multum operae ſolitum eße ponere. hic optimus illis temporibus eſt patronus habitus, eoq. forum tenente plura fieri iudicia coeperunt. nam & quaeſtiones perpetuae hoc adoleſcente conſtitutae ſunt, quae antea nullae fuerunt: (L. enim Piſo tribunus pl. legem primus de pecunijs repetundis Cenſorino & Manilio conſulibus tulit: ipſe etiam Piſo & caußas egit, & multarum legum auctor, aut dißuaſor fuit: iſq. & orationes reliquit, quae iam euanuerunt, & annales ſane exſiliter ſcriptos) & iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum deſiderabant tabella data: quam legem L. Caßius Lepido, & Mancino conſulibus tulit.

EXPLANATIO

CARBO, *quoad uita ſuppeditauit*, } Quamdiu uixit. Suppeditare, hoc eſt, non deeſſe, ſuppetere: uel, uita ſuppeditauit uires, & dicendi facultatem. PRVDENTES } Locus a teſtibus idoneis: nam prudentes poſſunt iudicare. L. GELLIVS } De quo ſuo loco dicetur. Hunc etiam familiarem ſuum in primo de Leg. appellat. CONTVBERNALEM } In re militari contubernales, auctore Vegetio lib. 2. cap. 13. erant, qui eodem tabernaculo, & contubernio in caſtris uterentur: erantq. decem, quibus praeerat Decanus unus. Et contubernium, etiam manipulus uocabatur. At Cic. contubernium, non tam militum, quam ducis, & familiarium: nec tam militiae, quam domi: & eos, qui ſimul habitant, contubernales uocat: atque eos potiſſimum, qui conſules tam domi, quam foris, uel politiae cognoſcendae, uel militiae diſcendae cauſſa, ſequebantur: ut ex multis eius locis uidere licet. CANORVM } L. Craſſus de Orat. 3. Profluens quiddam habuit Carbo, & canorum. Et, ut Carbonem ſummum Oratorem fuiſſe probet, quod paullo ante dixit, ex teſtimonio Gellij in eo tres dicendi figuras fuiſſe dicit, quas κατὰ περίφρασιν exprimit. DICEBAT } Homines dicebant, intelligendum eſt, in quibus Gellius dicebat. MVLTVM *operae* } Vide de Orat. lib. 1. OPTIMVS } Atticus, infra, ſummus. Cic. de Orat. 3. Princeps temporibus illis. PLVRA *fieri iudicia* } Cum iam plures eſſent improbi ciues, & publica iudicia, intellige: ut repetundarum, ambitus, maieſtatis. Nam erant & priuata, tutelae, ſocietatis, & id genus. QVAESTIONES } Iudicia publica. PERPETVAE } Quibus Romani perpetuo uterentur. unde queritur Cic. pro Mil. Nouam quaeſtionem latam eſſe. Sic opinor a Iuriſconſultis perpetuum edictum uocari. Vetera exemplaria tamen habent P. id eſt, publicas quaeſtiones. ADOLESCENTE } 14. annum agente, ſi ſuo anno factus eſt cos. L. *enim Piſo* } L. Calpurnius Piſo, cognomento Frugi: Piſones a piſis leguminibus, uel a pinſendo dici uolunt. LEGEM } Calpurniam. PRIMVS } Idem Verrina quinta ait: Haec lex ſocialis eſt, ſociorum cauſſa lata, cum eis ſunt ereptae pecuniae. DISSVASOR } Vt legis frumentariae

mentariae

mentariae C. Gracchi: Tuſcul. 3. pro Font. Annales } Quos Dionyſius, & Liu. & Gellius citant. Exsiliter } Lib. 2. de Leg. Quid tam exſile, quam iſti omnes, Fabius, Cato, Piſo, Fannius, & Venonius? Vide lib. 2. de Orat. Et } Abſoluta parentheſi, redit ad ſuperiora. Nam & quaeſtiones perpetuae conſtitutae ſunt, & iudicia pop. &c.

CICERO

Vester etiam D. Brutus M. filius, ut ex familiari eius L. Attio poeta ſum audire ſolitus, & dicere non inculte ſolebat, & erat cum litteris Latinis, tum etiam Graecis, ut temporibus illis, eruditus. quae tribuerat idem Attius etiam Q. Maximo, L. Paulli nepoti. Et uero, ante Maximum, illum Scipionem, quo duce priuato Ti. Gracchus occiſus eſt, cum omnibus in rebus uehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuiſſe. Tum etiam P. Lentulus ille princeps, ad remp. dumtaxat quod opus eſſet, ſatis habuiſſe eloquentiae dicitur. Iiſdemq. temporibus L. Furius Philus perbene Latine loqui putabatur, litteratiuſque, quam ceteri. P. Scaeuola ualde prudenter, & acute. paullo etiam copioſius, nec multo minus prudenter M'. Manilius. Appij Claudij uolubilis, ſed paullo feruidior erat oratio. In aliquo numero etiam M. Fuluius Flaccus, & C. Cato, Africani ſororis filius, mediocres oratores: etſi Flacci ſcripta ſunt, ſed ut ſtudioſi litterarum. Flacci autem aemulus P. Decius fuit, non infans ille quidem, ſed ut uita, ſic oratione etiam turbulentus. M. Druſus C. filius, qui in tribunatu C. Gracchum collegam iterum tribunum fecit, uir & oratione grauis, & auctoritate: eiq. proxime adiunctus C. Druſus frater fuit.

EXPLANATIO

Vester } Ex ueſtra gente Iunia, Brute. D. } Decimus, uel Decius: nam uariant Veteres. Hunc tamen Aulum, non Dec. uocat Paterculus, ſi locus uacat menda. Conſul fuit cum Scip. Naſica Serapione ab urbe cond. 616. qni ambo a C. Curiatio trib. pl. in uincula conuecti fuerunt, non magna ſane de cauſſa. Liuius 55. Cic. de Leg. 3. Poſt in Hiſpania Gallaecios uicit, caeſis ex iis ſexaginta millibus: unde Gallaecius eſt appellatus. Augurem fuiſſe teſtatur Cicero in Laelio. Familiari } Perfamiliarem Attij, de Leg. 2. & amiciſs. pro Archia uocat. Fuit Poeta Comicus, & hiſtoricus. Sunt qui putent duos Attios fuiſſe: unum poetã, alterum hiſtoricum: nec putant fieri potuiſſe, ut Cicero illum priorem audierit, ſed alterum qui Caeſari in collegium poetarum uenienti non aſſurrexerit: ut Val. Max. lib. 3. cap. 7. ſcribit. Sed falluntur. unus & idem fuit. nec Caeſar, cuius meminit Valerius, dictator ille fuit, ſed Sex. Iulius Caeſar, Catuli frater. Nam Attius ante Caeſaris principatum aliquot annos erat mortuus: quem Cicero & uidere, & audire ſeptuagenarium potuit adoleſcens. ut ex 1. de Leg. cognoſci poteſt. Non *inculte* } Satis ornate, & polite. Vt *temporibus illis* } Obſeruanda locutio Ciceroni familiaris. Ervditvs } Dichoreus, ad Bruti commendationem. Q. *Max.* } Q. Fabio Max. Q. filio, eius quem Fabius quidam adoptauerat, ut ipſe Paullus apud Liu. 45. ait. Illvm *Scip.* } Naſicam Serapionem, eius, qui Corculum eſt appellatus, filium: cuius cum alibi, tum pro Plancio mentionem facit Cicero. Qvo *duce* } Quo auctore. Hinc dicitur ipſe Gracchum interfeciſſe: prima in Catil. 2. de Orat. 1. de Offic. Vide Val. lib. 3. Vehementem } Vt in Tib. Graccho etiam conſobrino occidendo fuit. Acrem } Ita ut nullam comitantem ſermonis haberet. de Offic. lib. 1. P. Lent. } P. Corn. Lent. de quo uide Val. lib. 5. cap. 3. Ille } Emphaſis, qua etiam de hoc loquens de Orat. 1. utitur. Princeps } Princeps ſenatus. & Verr. 1. & 2. contra Rullum. Ad *rempubl.* } Cuius adminiſtrandae peritiſſimus fuiſſe uidetur. ſiquidem M. Antonius lib. 1. de Orat. cum reip. rectorem deſcribit, hunc in primis nominat. L. } Lucius, a Cic. & Iulio Obſequente, ſed Publius a Val. Max. & Caſſiodoro, & ab iis, qui conſules collegerunt, appellatur. Niſi forte duo fuerunt: & Publius conſul fuit, Lucius non fuit. nam Pub. fere nominatur, cum de conſule agitur. ut Cic. Att. lib. 12. Fvrivs } Furij, qui olim Fuſij, ut Quinct. ait, ut Valeſij. Philvs } Eſt Furiae gentis cognomen. Male Philones dicuntur. Pilus etiam legitur non male. P. *Scaeuola* } Quem ſupra P. Craſſi fratrem uocauit. Prvdenter, *& acute.* } Prudenter, ut Iuriſconſultus: acute, ut Orator tenuis. M. *Manilius* } Hunc etiam cum Scaeuola coniungit, de Orat. lib. 1. & pro Caecina, quod iiſdem temporibus fuerint, & uterque iuriſconſultus. De Manilio etiam in 3. de Orat. Phili uero, & M. Manilij perſonam de republ. loquentem facit, ut in Laelio, & ad Atticum legimus. Volvbilis } Supra, Carbonem uolubilem Oratorem, nunc huius uolubilem orationem: ſiquid uni coniugatorum conuenit, & alteri. Et uolubilis, & profuſa. ut de Orat. Fervidior } Sic infra, Feruidum dicendi genus, ideſt acrius, & uehementius. Appii *Claudij* } Qui Pulcher dictus eſt: conſul cum Metello Macedonico Salaſſos uicit. In *aliquo numero* } Oratorum uidelicet: utrumque Ciceroni familiare. M. *Ful. Flac.* } Qui cum M. Plautio Hypſaeo anno ab urbe cond. 629. conſul fuit, uir quidem magnus, ſed ſuperbus, & factionis Gracchanae: ob quam etiam interfectus eſt cum duobus filiis, & domus eius conſecrata. ut multis in locis Cic. & Liuius. C. *Cato* } Male, opinor, in Paterculo uocatur, Marcus Cato. Fuerunt duo fratres, M. & Caius, ex Catonis filio minore procreati: quod Plutarchus non intelligens, unum tantum fuiſſe ſcribit. Africani } P. Corn. Scip. Afr. Aemiliani. Verr. 6. Sororis } Tertiae, ut Plutarchus in Catone: quae fuit filia L. Paulli, & ob id Africani ſoror. Filivs } Ex M. Catone M. F. Oratores } Non Caij, ſed Marci Catonis orationes nominat Gellius: quia ille ſcripſit, Caius non ſcripſit. Aemvlvs }

Vita,

Vita, & orationibus ſeditioſis, Gracchanas partes ſecutus. PVBLIVS ꝫ Sic a Cic. dicitur ſemper. Male legitur in quibuſdam Liuiis lib. 61. Q. i. Quinctus. Hic L. Opimium accuſauit, Liu. 61. Cic. in Part. de Orat. 2. M. *Druſus* ꝫ M. Liuius Druſus, qui ob eximiam aduerſus Gracchos operam, patronus ſenatus eſt dictus: Suet. in Tiber. trib. pl. fuit: Plutar. Cic. 4. de Fin. Quo in tribunatu collegae ſemper aduerſatus eſt. Praetor urbanus, ut ad Herennium legitur, & ad Att. lib. 7. Conſul cum L. Piſone, Liu. 63. C. ꝫ Caii, qui cum P. Africano conſul fuit an. urbis 607. ITERVM *trib.* ꝫ C. enim Gracchus alterum tribunatum continuauit: Paterculus, & Plutarchus. FECIT ꝫ Quamuis poſt ſit ei aduerſatus, a patribus perſuaſus, ut Plutarchus. Sed, Fregit, melius: ut ſupra, Octauius Tib. Cracchum fregit. VIR *& or.* ꝫ Sic Plutar. in Gracchis, & plura. PROXIME ꝫ Quod ad eloquentiam, & auctoritatem attinet, non aetatem, qua maiorem fuiſſe praenomen paternum teſtatur.

CICERO

TVVS etiam gentilis, Brute, M. Pennus facile agitauit in tribunatu C. Gracchum paullum aetate antecedens: fuit enim M. Lepido, & L. Oreſte conſulibus quaeſtor Gracchus, tribunus Pennus, illius M. filius, qui cum Q. Aelio conſul fuit: ſed is, omnia ſumma ſperans, aedilicius eſt mortuus. Nam de T. Flaminio, quem ipſe uidi, nihil accepi, niſi Latine diligenter locutum. Iis adiuncti ſunt C. Curio, M. Scaurus, P. Rutilius, C. Gracchus. de Scauro, & Rutilio breuiter licet dicere: quorum neuter ſummi oratoris habuit laudem, & uterque in multis cauſſis uerſatus.

EXPLANATIO

TVVS *etiam gentilis* ꝫ Quod ex eadem Iunia gente, ex qua tu, ſit natus, & M. Iunius Brutus appellatus: nam gentiles ſunt, qui inter ſe eodem ſunt nomine: Part. Orat. PENNVS ꝫ A penna, uel a pinna. AGITAVIT ꝫ Quod oſtendit eum dicendo aliquid ualuiſſe. TRIBVNATV ꝫ Suo, non Gracchi: ut ſtatim, Tribunus Pennus. C. *Gracchum* ꝫ Volentem tribunum pleb. fieri, uel ex Sardinia reuerſum contra ſenatus uoluntatem: uel, tamquam Fregellanae coniurationis participem: ut ex Plutar. coniicimus. CONSVLIBVS ꝫ Ab urbe condita, 628. QVAESTOR ꝫ Cum ipſo L. Oreſte conſule, in Sardiniam profectus: Plutarchus. TRIB. *Pennus* ꝫ Ab initio Iunia familia patricia fuit, poſt plebeia facta. nam per 184. annos nullus in ea conſul fuit. Q. *Aelio* ꝫ P. F. quem Valer. Max. lib. 4. cap. 3. Tuberonem etiam uocat, quod Tubero eſſet cognomen Aeliorum, ut infra. CONSVL *fuit* ꝫ Anno ab V. C. 587. AEDILICIVS ꝫ Aedilitate functus. VIDI ꝫ Infra, Pueri uidimus. LOCVTVM ꝫ Infra, Exiſtimabatur bene Latine loqui, ſed litteras neſciebat. C. *Curio* ꝫ De quo poſt Scaurum, & Rutilium ordine conuerſo. M. *Scau.* ꝫ M. Aemilius Scaurus, cum M. Caecilio Metello conſul anno urbis 639. cuius uitam Auctor de Viris illuſtribus ſcripſit. Augur etiam fuit, ut Aſcon. innuit. Scauri Latinis dicti ſunt, qui talos pedum tumentes, ac porrectos habent: Acron in Horat. Plin. lib. 11. Aemilia gens patricia quidem fuit, uerum hic Scaurus, ob paupertatem, carbonariam exercuit. P. *Rutilius* ꝫ Cognomento Rufus, qui cum C. Manlio conſul fuit anno urbis 649. Et Rutilius Rufus dictus eſt, ut Aemilius Lepidus ſupra: utrumque enim Lepidum ſignificat. Sic Rutilius Rufum ſignificat, ut ait Sex. Pomp. QVORVM *neuter* ꝫ Scaurus tamen orator, ut Paterculus: & eloquentiae conſultus, ut de Viris illuſtrib. ſcribitur. IN *multis cauſſis* ꝫ Suis & alienis, accuſando & defendendo.

CICERO

ERAT in quibuſdam laudandis uiris, etiam ſi maximi ingenij non eſſet, probabilis tamen induſtria: quamquam his quidem non omnino ingenium, ſed oratorium ingenium defuit. neque enim refert uidere, quid dicendum ſit, niſi id queas ſolute, & ſuauiter dicere. ne id quidem ſatis eſt, niſi id, quod dicitur, ſit uoce, uultu, motuq. conditius. quid dicam opus eſſe doctrina? ſine qua, etiam ſi quid bene dicitur adiuuante natura, tamen id, quia fortuito fit, ſemper paratum eſſe non poteſt.

EXPLANATIO

ERAT *in quibuſdam* ꝫ Intelligitur, enim: ut ſit ratio. Vel, Erat in quibuſdam: ut ſit digreſſiuncula ad ingenij, & induſtriae diſtinctionem. INDVSTRIA ꝫ Diligentia. Ex tribus enim illis, natura, doctrina, induſtria, de quibus ſupra, induſtriam eorum maxime commendat. QVAMQVAM ꝫ Correctio, ab ingenij diſtinctione: nam & phyſice conſideratur, & oratorie. ORATORIVM *ingenium* ꝫ Hoc deſcribit de Orat. lib. 1. Animi atque ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumq. ſint uberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni. VIDERE ꝫ Quod pertinet ad acumen. SOLVTE ꝫ Ad explicandum hoc: quod, qui lingua ſunt haeſitantes, efficere non poſſunt, nec in Oratorum numerum peruenire. lib. 1. de Orat. SVAVITER *dicere* ꝫ Ad uocem refer: quod, qui ſunt uoce abſoni, nihil huiuſmodi poſſunt. VOCE, *&c.* ꝫ Haec pertinent ad actionem. Sic in Part. Vox, motus, uultus. Et uultum diſtinguit a motu, cum tamen motus ſit etiam uultus, ſed obſcurior, reliqui corporis clarior.

rior. Quidam autem ſunt ita uoce abſoni, aut ita uultu, motuq. corporis uaſti, atque agreſtes, ut in Oratorum numerum uenire non poſſint. de Orat. 1. CONDITIVS } Tranſlatio a ſaporibus. Actio decora commendat totam orationem: atque in dicendo una dominatur: libro tertio de Orat. & alibi. DOCTRINA } Quae certior eſt dux, quam natura: excitat enim, & dirigit naturam, tamquam lumen. FORTVITO *fit* } Caſu, non ratione: abeſſe & adeſſe poteſt. Sententia, & maior ſyllogiſmi.

CICERO

IN Scauri oratione, ſapientis hominis, & tecti, grauitas ſumma, & naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut cauſſam, ſed ut teſtimonium dicere putares, cum pro reo diceret. hoc dicendi genus, ad patrocinia mediocriter aptum uidebatur, ad ſenatoriam uero ſententiam, cuius erat ille princeps, uel maxime: ſignificabat enim non prudentiam ſolum, ſed, quod maxime rem continebat, fidem. habebat hoc a natura ipſa, quod a doctrina nõ facile poſſet. quamquam huius quoque ipſius rei, quemadmodum ſcis, praecepta ſunt. huius & orationes ſunt, & tres ad L. Fufidium libri, ſcripti de uita ipſius acta, ſane utiles, quos nemo legit. at Cyri uitam, & diſciplinam legunt, praeclaram illam quidem, ſed neque tam rebus noſtris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam.

EXPLANATIO

IN *Scauri* } Reditus ad Scaurum, eiusq. dicendi genus. SAPIENTIS } Sine tamen magna eloquentia. Qui uere eloquens eſt, idem & ſapiens, ſed non contra. Vide pro Font. huius laudes. RECTI } Vel conſtantis, uel ſancti, & incorrupti, & iuſti. Legitur etiam, Tecti, quod caute loqueretur, nec quidquam diceret, quod cauſſae obeſſe poſſet. Vel, Tecti, callidi, qui ſua conſilia tegeret: ut Balbum, hominem tectum ad Atticum uocat. AVCTORITAS } Idem ei tribuit lib. 1. de Offic. & primo de Orat. NON *ut cauſſam* } Quae eloquentiam deſiderat: ut de Offic. ſecundo. TESTIMONIVM } Quod religionem requirit. Infra, Vide ne religio nobis tam adhibenda ſit, quam ſi teſtimonium diceremus. De Scauri uero religione in teſtimonio, Valer. lib. 8. cap. 5. Cic. pro Fonteio. PRINCEPS } Primus ſententiam rogabatur, qui a cenſoribus in ſenatu princeps lectus erat. Gel. lib. 4. cap. 10. Et 2. de Orat. non ſolum ſenatus, ſed ciuitatis etiam principem uocat. PRVDENTIAM } Prudens, ſiue ſapiens, prudentia, coniugata, & conſequentia. nam cognitionem, prudentiamq. ſequitur conſiderata actio. de Offic. lib. 1. REM } Quamcumque ageret, uel rempub. HOC } Hoc dicendi genus, hanc grauitatem, & auctoritatem. NON *facile poßet* } Quia nihil decet inuita Minerua. IPSIVS *rei* } Vt quiſque in ijs, quae naturalia ſunt, decorum ſeruet: cuius praecepta multa de Offic. lib. 1. traduntur. DE *uita ipſius* } Sua ipſius uita, ut Xenophon, Aratus, Catulus, Iul. Caeſar, & Hadrianus Imperator. CYRI *uitam* } Quam 8. libris ſcripſit: quam fictam putauit Plato, teſte Diogene. Et Cic. ad Q. Fr. Cyrus ille a Xenophonte non ad hiſtoriae fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperii. LEGVNT } Vt Scipio Africanus, qui libros illos de manibus ponere non ſolebat: & Cicero ipſe παιδείαν κύρου, quam contriuerat legendo, totam in imperio Ciliciae explicauit. PRAECLARAM *illam quidem* } Nullum enim praetermiſſum eſt in ea officium diligentis, & moderati imperii. Cic. lib. 1. epiſt. ad Q. Fr. SED *neque tam rebus* } Vel, quia poteſtas regia deſcribitur, a qua nos abhorremus: uel, quia mores a noſtris diuerſos contineat.

CICERO

IPSE etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit. Rutilius autem in quodam triſti & ſeuero genere dicendi uerſatus eſt: & uterque natura uehemens, & acer. itaque, cum una conſulatum petiuiſſent, non ille ſolum, qui repulſam tulerat, accuſauit ambitus deſignatum competitorem, ſed Scaurus etiam abſolutus Rutilium in iudicium uocauit: multaq. opera, multaq. induſtria Rutilius fuit; quae erat propterea gratior, quod idem magnum munus de iure reſpondendi ſuſtinebat. ſunt eius orationes ieiunae: multa praeclara de iure: doctus uir, & Graecis litteris eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis; quorum peracutum, & artis plenum orationis genus, ſed tamen & exſile, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum.

EXPLANATIO

IPSE *etiam Fufidius* } Et hic Cicero περιτρεῖ, & parergos, de Fufidio agit paucis, etiamſi non propoſuit: ſed ipſo nomine admonitus, noluit praetermittere: atque hoc ſaepe facit: ut ſupra de Libone, & Piſone. TRISTI, *& ſeuero* } Id eſt, cum Stoica diſciplina congruenti: ut & ſupra admonuimus de L. Caſſio, & dicetur iterum. VTERQVE } Scaurus, & Rutilius: ſed Rutilius primum, Scaurus uero ſecundum, ut ex conſulibus patet. ILLE } Rutilius. COMPETITOREM } M. Aemilium Scaurum. RVTILIVM } Cuius uitam in iuriſconſultis ſcripſit noſtro tempore Rutilius. IN *iudicium uocauit* } Ambitus accuſauit, cum ipſe conſul eſſet factus, & Rutilius repulſam tuliſſet: in cuius tabulis cum Scaurus oſtenderet litteras A. F. P. R. idq. diceret eſſe, Actum fide P. Rutilij:

tilij: Rutilius autem, Ante factum, poſt relatum, C.Canius exclamauit, neutrum illis litteris declarari. Quid ergo? inquit Scaurus: Aemilius fecit, plectitur Rutilius: de Orat. lib. 2. SVSTINEBAT ʒ Vt iuriſconſultus, cuius adoleſcentiam ad opinionem & innocentiae, & iuris ſcientiae P. Mucii commendauit domus: de Offic. lib. 2. ORATIONES ʒ De modo aedificiorum, ut ex Suetonio in Auguſto ſuſpicari licet. DOCTVS ʒ De Orat. lib. 1. Rutilius homo doctus, & philoſophiae deditus. Fuit igitur Rutilius Orator, iuriſconſultus, & philoſophus: ſed & hiſtoricus a Paterculo nominatur. PANAETII *auditor* ʒ Quod etiam de Offic. lib. 3. dicitur. IN *Stoicis* ʒ Vel, inter Stoicos: uel, In Stoicis, ut in phyſicis, id eſt, in Stoicorum doctrina, & placitis. PERACVTVM ʒ Vel ſpinoſum potius differendi genus. lib. 3. & 5. de Fin. ARTIS ʒ Differendi, & iudicandi praeſertim, quam Dialecticen appellant, ut ait Cicero initio Topicorum, & infra. Vel, Artis definiendi, & partiendi, ut Tuſcul. 4. Nam de Rhetorica non eſt intelligendum, quam Stoici reliquerunt. de Fin. 4. POPVLARI *aſſenſioni* ʒ Quae copiam, & motum deſiderat. Iccirco pro Murena irridet Catonem, Stoicum, Oratorem, & de Fin. 4.

C I C E R O

ITAQVE illa, quae propria eſt huius diſciplinae, philoſophorum de ſe ipſorum opinio, firma in hoc uiro, & ſtabilis inuenta eſt. qui cum innocentiſſimus in iudicium uocatus eßet, quo iudicio conuulſam penitus ſcimus eße remp. cum eſſent eo tempore eloquentiſſimi uiri, L. Craßus, & M. Antonius conſulares, eorum adhibere neutrum uoluit, dixit ipſe pro ſeſe, & pauca C. Cotta, quod ſororis erat filius, & is quidem tamen ut orator, quamquam erat admodum adoleſcens: ſed Q. Mucius enucleate ille quidem, & polite, ut ſolebat, nequaquam autem ea ui, atque copia, quam genus illud iudicij, & magnitudo caußae poſtulabat. Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis: utrumque tamen laudemus; quoniam per illos ne haec quidem in ciuitate genera hac oratoria laude caruerunt. uolo enim, ut in ſcena, ſic etiam in foro non eos modo laudari, qui celeri motu, & difficili utantur, ſed eos etiam, quos ſtatarios appellant, quorum ſit illa ſimplex in agendo ueritas non moleſta.

E X P L A N A T I O

ITAQVE *illa, &c. de ſe ipſorum opinio* ʒ Omnia enim in ſe poſita habere, nec quidquam extra ſe eſſe, quod in bonis ducant. Tuſcul. 5. & Parad. Hoc Stoicorum eſt proprium in ſola uirtute omnia ponentium, non Peripateticorum, qui etiam corporis, & fortunae bona adiungunt. QVI *cum* ʒ Aliter, Qui quamquam. INNOCENTISSIMVS ʒ Lib. 3. de Nat. de. & pro Fonteio. Exemplum innocentiae, de Orat. 1. Specimen innocentiae, in Piſonem. Vir ſummae innocentiae, Liu. lib. 70. Vir non ſaeculi ſui modo, ſed omnis aeui optimus, Paterculus: Vir integerrimus, Oroſius: ut Valer. Max. omittam, libro ſexto, cap. quarto. IN *iudicium* ʒ Lege repetundarum interrogatus, Paterculus. Conſpiratione publicanorum, propter res Aſiaticas: Liu. 70. CONVVLSAM ʒ Ordinum diſſenſione, quae magis, quam ulla culpa ſua reus factus eſt, & condemnatus. ELOQVENTISSIMI ʒ De Orat. lib. 1. & infra. ADHIBERE *patronum* ʒ Sic, Perhibere, in epiſt. ad Atticum. NEVTRVM ʒ Socratis exemplo, ne fuco orationis magis, quam innocentiae, confidere uideretur: quo modo interdum optimi, & ſummi uiri periere. Vide de Orat. lib. 1. Quinctil. lib. 11. cap. 1. Val. Max. lib. 6. cap. 4. PAVCA ʒ Rutilius enim paullum Cottae tribuit partium diſertiſſimo adoleſcenti ſororis ſuae filio: lib. 1. de Orat. SORORIS ʒ Rutiliae, de cuius mulieris uirtute multa Seneca in Conſolatione ad Albinam: quam rem Cic. quaeſiuit, & Atticus dubitauit: Att. lib. 12. Q. *Mucius* ʒ Augur, non ille pont. max. de quo Augure ante dixit, in Oratorum numero non fuiſſe, cuius in Aſia quaeſtor fuit Rutilius. ENVCLEATE ʒ Lib. 1. de Orat. more ſuo, nullo apparatu, pure, & dilucide. Tranſlata ſunt uerba, Enucleate, & Polite. GENVS *illud iudicij* ʒ Repetundarum: quod iudicium publicum erat. MAGNITVDO *cauſſae* ʒ Quam poſſumus enim reperire ex omnibus rebus ciuilibus cauſſam, contentionemq. maiorem, quam de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis conſularis? de Orat. 1. At de iis omnibus in eo iudicio agebatur, & ideo maiorem uim cauſſa poſtulabat. Et, poſtulabat, Dichoreus eſt. HABEMVS *ig.* ʒ Epilogus ſuperiorum. IN *antiquis* ʒ Quales Cato, & Galba. GENERA ʒ Cuiuſmodi fuit Scauri, & Rutilii. VT *in ſcena* ʒ Similitudo: Scenae ſeruire, uti foro. STATARIOS ʒ Duo agendi principales modi, motorius, & ſtatarius, ex quibus tertius naſcitur μικτὸς: quod in comoediis cernitur. Motoria, eſt Phormio: Stataria, Heautontimorumenos: Reliquae, paene mixtae. SIMPLEX ʒ Cuiuſmodi eſt ueritatis oratio. NON *moleſta* ʒ λιτότης: igitur grata, & iucunda. Tam enim actor in imitanda, quam orator in ſuſcipienda ueritate iucundus, ut ait Cic. lib. 2. de Oratore.

C I C E R O

ET, quoniam Stoicorum eſt facta mẽtio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, ſed uita ſeuerus, & congruens cum ea diſciplina, quam colebat, paullo etiam durior, qui quidem in triumuiratu iudicauerit contra P. Africani, auunculi ſui, teſtimonium, uacationem, augures, quo minus iudicijs operam darent, non habere: ſed, ut uita, ſic oratione durus, incultus,

horridus:itaque honoribus maiorum reſpondere non potuit. fuit autem conſtans ciuis, & fortis, & in primis Graccho moleſtus: quod indicat Gracchi in eum oratio. ſunt etiam in Gracchum Tuberonis. is fuit mediocris in dicendo, doctiſſimus in diſputando.

EXPLANATIO

ET, *quoniam* } Tranſitio, & ὑπόμνησις quaedam. nam, cum paullo ante Stoicorum mentionem feciſſet, ea re quaſi admonitus, Q. Aelium Tuberonem Stoicum ponit: ut appareat hunc ſermonem ex tempore factum fuiſſe. Et ueniam accipit, quod Tuberonem inſerat inter eos, quos propoſuerat. Nam Curio, uel Gracchus ſequi debuit. ILLO *tempore* } Quo Scaurus, & Rutilius fuerunt: aequales iccirco Tuberonem, & Rutilium fuiſſe oſtendit, Att. epiſt. 10. lib. 4. L. *Paulli nepos* } Habuit L. P. duas filias, quam alteram M. Catoni Cenſorij F. alteram Q. Tuberoni collocauit, ut Plut. in Aemilio Paullo: unde natus eſt hic Q. Aelius Tubero: iccirco nepos, & hic, & pro Murena L. filius uocatur. NVLLO *in or. nu.* } Hinc, cum uellet Africanum auunculum ſuum laudare, ei C. Laelius orationem ſcripſit. de Orat. lib. 2. VITA *ſeuerus* } Qualis in oratione pro Murena deſcribitur. CVM *ea diſciplina* } Stoicorum. Triſtis igitur, ut Rutilius, quorum ſententiae ſunt: Sapientem gratia numquam moueri: numquam cuiuſquam delicto ignoſcere: neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & leuem, &c. pro Muraena. DVRIOR } Quam Stoica diſciplina poſtulabat. IN *triumuiratu* } Erant Romae Trium uiri agris diuidendis interdum creati: & Triumuiri capitales, & Monetales: in quo genere num fuerit Tubero, nondum inueni. P. AFRICANI } Cornelij Aemiliani, de quo ſupra. Fuit hic L. Paulli filius, Aemiliae frater, quae mater huius Tuberonis fuit. Iccirco, & hic, & 2. & 3. de Orat. auunculus dicitur Africanus. VACATIONEM } Sic contra Africanum dicebat Tubero. Sententia eſt ambigua: poſſumus enim intelligere, uacationem augures non habere a iudiciis, quo minus & ipſi ſuo ordine iudicarent. Vel, uacationem non habere a ſuo munere augurali, ut conſules & alij magiſtratus: ſed perpetuo in ſuo munere eſſe debere: quod ſi uacationem haberent, id eſt, ſi aliquando illorum ceſſaret munus, poſſent cogi iudiciis operam dare. VT *uita* } Durus, ſcilicet. Sic dixit ſupra de Druſo: Sed, ut uita, ſic oratione etiam turbulentus. DVRVS } compoſitione. INCVLTVS } Quod ad ornamenta. HORRIDVS } Quod ad uerba. nam uerborum delectum nullum habebat, non concinne collocabat, non luminibus orationis diſtinguebat. MAIORVM } Quorum multi conſules fuerant. RESPONDERE } Par eſſe maioribus ſuis: ut qui praetura deiectus fuerit. Cic. pro Murena. CONSTANS *ciuis, & fortis* } Sic pro Mur. Homo integerrimus, & ciuis optimus appellatur. GRACCHO } Tib. ne, an Caio, ignoratur, ueriſimile tamen Caio, quod poſt Rutilium de Caio Graccho propoſuit dicere. MEDIOCRIS *in dicendo* } Dicere, eſt Oratorum: ut Diſputare, Dialecticorum, ut Cic. in Oratore ait. Supra autem, nullo in oratorum numero eum fuiſſe dixit. Contraria ſunt. Sed ſupra ex aliorum opinione, qui tum uixerunt, locutus eſt: hic ſua, & ex ueritate. DOCTISSIMVS } Eruditiſſimus, pro Murena dicitur.

CICERO

TVM Brutus; *Quam hoc idem in noſtris contingere intelligo, quod in Graecis, ut omnes fere Stoici prudentiſſimi in diſſerendo ſint, & id arte faciant, ſintq. architecti paene uerborum; ijdem, traducti a diſputando ad dicendum, inopes reperiantur. unum excipio Catonem, in quo perfectiſſimo Stoico ſummam eloquentiam non deſiderem: quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam uideo fuiſſe. Et ego, Non, inquam, Brute ſine cauſſa: propterea quod iſtorum in dialecticis omnis cura conſumitur; uagum illud orationis, & fuſum, & multiplex non adhibetur genus: tuus autem auunculus, quemadmodum ſcis, habet a Stoicis id, quod ab illis petendum fuit; ſed dicere didicit a dicendi magiſtris, eorumq. more ſe exercuit. quod ſi omnia a philoſophis eſſent petenda; Peripateticorum inſtitutis commodis fingeretur oratio. quo magis tuum, Brute, iudicium probo, qui eorum, id eſt ex uetere Academia, philoſophorum ſectam ſecutus es, quorum in doctrina, atque praeceptis diſſerendi ratio coniungitur cum ſuauitate dicendi, & copia. quamquam ea ipſa Peripateticorum, Academicorumq. conſuetudo in ratione dicendi talis eſt, ut nec perficere oratorem poſſit ipſa per ſeſe, nec ſine ea orator eſſe perfectus. nam, ut Stoicorum adſtrictior eſt oratio, aliquantoq. contractior, quam aures populi requirunt: ſic illorum liberior, et latior, quam patitur conſuetudo iudiciorum, & fori.*

EXPLANATIO

TVM *Brutus* } Digreſſio, ad Stoicorum, & aliorum philoſophorum iudicium. ARTE } Dialectica. Sic enim Stoici iudicandi uias appellant. Cic. Top. ARCHITECTI } Iccirco de Finib. 3. Zenonem Stoicorum principem, non tam rerum inuentorem fuiſſe ait, quam nouorum uerborum. CATONEM } Aut illum, de quo antea dixit, maiorem: aut potius M. Porcium Catonem Vticenſem. PERFECTISS. *Stoico* } Qualis pro Murena, & de Fin. 3. deſcribitur, & Parad. prooemio. NVLLAM } Iccirco ſupra, nullo in oratorum numero fuiſſe, dixit. SINE *cauſſa* } Cauſſas reddit, cur Stoici in diſputando ualeant, in dicendo non ualeant: curq. ſit eloquens Cato, quamuis Stoicus. VAGVM *illud or.* } Eloquentiae periphraſtica deſcriptio, ut Dialecticae opponatur. SCIS } Vt ſororis filius, ipſius in Cypro comes, & tandem etiam gener. Plutarch.

Plutarch. Sic lib. 3. de Fin. Erat, ut ſcis, in Catone inexhauſta auiditas legendi. HABET *a Stoicis* ꝫ Sic lib. 4. de Fin. Habet a Rhetoribus. Et a Stoicis, ab Antipatro Tyrio. Plutarchus. ID ꝫ ut poſſit, & ſciat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude uirtutis, de diis immortalibus, de caritate patriae, Stoice dicere. ut in Parad. prooem. & pro Murena. DICERE *didicit a dicendi* ꝫ προσονομασία, agnominatio, allitteratio. A *dicendi mag.* ꝫ Periphraſis Rhetorum: ut magiſter morum, cenſor. SE *exercuit* ꝫ Ipſe ſolus intra priuatos parietes, ne poſſet audiri. OMNIA *a philoſophis* ꝫ Vt olim cum ijdem erant uiuendi praeceptores, atque dicendi: ſed Socrates res iſtas ita ſeparauit, ut alij nos ſapere, alij dicere doceant: ut de Orat. 3. Craſſus ait. INSTITVTIS ꝫ Scriptis, & inſtitutis, lib. 5. de Fin. Vide lib. 2. Acad. de Orat. 3. & in Oratore. ID *eſt, ex uet. Acad.* ꝫ Iidem Academici, & Peripatetici, de Off. lib. 2. Academia Vetus, Media, Noua: principes, Plato, Arceſilas, Lacydes. NAM *ut Stoicorum* ꝫ Si Stoicornm oratio eſt adſtrictior, & Peripateticorum, Academicorumq. liberior, & latior; ergo inter has media eſt oratorum. Et Stoicorum adſtrictior, quod minutis interrogatiunculis quaſi punctis, quod propoſuit, efficit, nec dilatat argumenta. Academicorum uero latior, tum quod inductionibus, & multitudine argumentorum pugnant: tum quod de genere uniuerſo tantum dicunt, numquam de parte aut ſingularibus. Latius enim de genere, quam de parte diſceptare licet. ut in Oratore ſcribit. Atqui Orator, etiamſi hypotheſim ad theſim nonnumquam transfert, frequentius tamen de rebus ſingulis diſceptat, locisq. utitur perſonarum, & temporum.

CICERO

QVIS enim uberior in dicendo Platone? Iouem ſic, ut aiunt philoſophi, ſi Graece loquatur, loqui. quis Ariſtotele neruoſior? Theophraſto dulcior? lectitauiſſe Platonem ſtudioſe, audiuiſſe etiam Demoſthenes dicitur: idq. apparet ex genere, & grandi-tate uerborum. dicit etiam in quadam epiſtola hoc ipſe de ſeſe. ſed & huius oratio in philoſophiam translata, pugnantior, ut ita dicam, uidetur; & illorum in iudicia, pacatior.

EXPLANATIO

QVIS *enim* ꝫ Exemplis probat, quod de Academicis, & Peripatetis dixit. VBERIOR ꝫ Nam Plato uarius, & multiplex, & copioſus fuit. ut Acad. lib. 1. ait. IN *dicendo* ꝫ Fuit enim Plato non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi grauiſſimus auctor. in Oratore. Et Quinctil. lib. 10. cap. 1. Quis dubitet, inquit, Platonem eſſe praecipuum, ſiue acumine diſſerendi, ſiue eloquendi facultate quadam diuina, & Homerica: multum enim ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem Graeci uocant, ſurgit: ut mihi non hominis ingenio, ſed quodam Delphico uideatur oraculo inſtinctus. Hinc a Cic. de N.D. quaſi quidam deus philoſophorum uocatur. IOVEM *ſic* ꝫ Idem dicit Plutarchus, & attribuit quoque Ciceroni. ARISTOTELE ꝫ Peripateticorum principe, atque adeo (excepto Platone) philoſophorum. de Fin. lib. 5. & Tuſcul. 1. NERVOSIOR ꝫ cur igitur in Oratore ſcribit eius orationem, neque neruos, neque aculeos oratorios, ac forenſes habere? Quia neruoſior quidem inter philoſophos intelligitur, inter oratores non habet. Et neruoſior, translatum uerbum a corporibus, ſiue animalibus, quae ſi neruoſa ſint, eadem de cauſſa robuſta, & firma intelliguntur. THEOPHRASTO *dulcior* ꝫ Theophtaſtus enim, ut diximus ſupra, a diuinitate loquendi nomen inuenit, & dulcis ipſe fuit, & eius diſcipuli: ut Demetrius Phalerens, qui fuit orator parum uehemens; dulcis tamen, ut Theophraſti diſcipulum poſſit agnoſcere. in prooem. de Officiis. LECTITAVISSE *Platonem* ꝫ Eius libros, ſed Platonem ipſum audiuiſſe, ut ſit anacoluton, id eſt, inconſequens. Hoc idem teſtatur in Oratore, & lib. 1. de Orat. & lib. 1. de Offic. Idem Quinctil. Lucianus, & Laertius. APPARET *ex gen. & grand.* ꝫ Imitationem ſimilitudine deprehendi. Eſt enim imitatio, qua impellimur cum diligenti ratione, ut alicuius ſimiles in dicendo eſſe ualeamus. ad Herenn. lib. 1. GRANDITATE ꝫ σεμνότητι. σέμνος enim grandis a Cicerone uerti ſolet. Hinc Demoſthenes ab eodem ad Att. lib. 2. σεμνότερός τις appellatur. Idem ſentit Theon, & Hermogenes, qui σεμνότητα iis, quae μέγεθη uocat, ſubiicit. IN *quadam epiſtola* ꝫ Exſtant quidem epiſtolae eius aliquot, in quibus nihil tale de ſe dicit: in aliis igitur, quae non exſtant. HVIVS ꝫ Demoſthenis. PHILOSOPHIAM ꝫ Cuius orationis genus, eſt aequabile, & temperatum. de Off. lib. primo. PVGNACIOR ꝫ Vt in forenſibus cauſſis debet eſſe. VT *ita dicam* ꝫ Verbum translatum mollit, cum dicit, Quaſi, ut ita dicam, paene. ut lib. 3. de Orat. faciendum docet. PACATIOR ꝫ Opponitur ei, quod dixit, Pugnacior. Et quietum eſt philoſophorum diſputandi genus.

CICERO

NVNC reliquorum oratorum aetates, ſi placet, & gradus perſequamur. Nobis uero, inquit Atticus, & uehementer quidem; ut pro Bruto etiam reſpondeam. Curio fuit igitur eiuſdē fere aetatis, ſane illuſtris orator; cuius de ingenio ex orationibus eius exiſtimari poteſt: ſunt enim & aliae, & pro Ser. Fuluio de inceſtu nobilis oratio. nobis quidē pueris haec omnium optima putabatur: quae uix iam comparet in hac turba nouorum uoluminum. Praeclare, inquit Brutus, teneo, qui iſtam turbam uoluminum effecerit. Et ego, inquam, intelligo Brute, quem dicas. certe enim & boni aliquid attulimus iuueututi, magnificentius, quam fuerat, genus dicendi, & ornatius: & nocuimus fortaſſe; quod ueteres ora-

tiones

tiones poſt noſtras,non à me quidem, (meis enim illas antepono) ſed a pleriſque legi ſunt deſitae. Enumera, inquit,me in pleriſque. quamquam uideo mihi multa legenda iam te auctore, quae antea contemnebam. Atqui haec,inquam, de inceſtu laudata oratio, puerilis eſt locis multis: de amore, de tormentis,de rumore,loci ſane inanes,uerumtamen,nōdum tritis noſtrorum hominum auribus,nec erudita ciuitate, tolerabiles. ſcripſit etiam alia non nulla; & multa dixit,& illuſtria; & in numero patronorum fuit: ut eum mirer, cum & uita ſuppeditauiſſet, & ſplendor ei non defuiſſet, conſulem non fuiſſe.

EXPLANATIO

NVNC} Ad ordinem propoſitum,ſed hac digreſſione intermiſſum, reuertitur. GRADVS} Non modo temporum, ſed multo magis generum in dicendo. PERSEQVAMVR} Dichoreo iucundo utitur. CVRIO} C. Scribonius Curio, quem ſupra in propoſitione primum poſuerat. Curiones, a curiis, in quibus ſacra facerent, dictos eſſe Varro ait: & ſacra, quae in Curij fiebant, Curionia dicebantur, auctore Sex. Pompeio: & aes Curionium, quod dabatur Curioni ob ſacerdotium Curionatus. Hinc apud Liuium maximos Curiones legimus, quia erant & minores. Iidem & Curiales flamines dicti. Curio etiam, & Curioſus macilentum ſignificat. Hinc Plautus agnum Curionem uocat, qui ſit cura macer, ut ipſe Plautus interpretatur. ILLVSTRIS *orator.*} Iccirco ab Antonio lib. 2. de Orat. eloquentiſſimus illis temporibus fuiſſe dicitur. Ex *orat. eius exſiſt. poteſt*} Sic de Libone, Ex orationibus eius intelligi poteſt. arbor enim ex fructibus cognoſcitur. SER. *Ful.*} Seruio Fuluio Flacco, de quo ſupra. DE *inceſtu*} Exiſtimo eum de illo inceſtus iudicio loqui,cum damnatam legimus Aemiliam,abſolutas Marciam,& Liciniam. ut infra dicemus,& oſtendit Liu. lib. 63. NOBILIS} Laudata, ut infra: nota, non obſcura. Sic de opt. gen. Orat. Aeſchinis,& Demoſthenis orationes nobiliſſimas dixit. VIX *iam compareat*} Quia plura Solem orientem,quam occidentem adorant: quia nouitas ſemper eſt grata: quia lumen maius,ut dici ſolet,minus obſcurat: ut obſcuratur,& offunditur luce ſolis lumen lucernae. ut Cicero 3. de Fin. ait: ut, praeſente Sole, ſtellae euaneſcunt. TVRBA} multitudine,& copia. NOVORVM *uoluminum*} Orationum. ALIQVID} Immo multum: ſed deminutione utitur, ne arroganter de ſe loqui uideatur. MAGNIFICENTIVS} Genus dicendi ſignificat uehemens,incenſum, & incitatum, quo ſe mediocrem fuiſſe in Oratore teſtatur. ORNATIVS} Exquiſitius, ut infra. Duo dicendi genera, ſummum, & medium ſignificat, his duobus uerbis: ultimum reliquit attenuatum, ut indignum, quo ſe ualde iactaret. NOCVIMVS} Diſſimulatio: profuit enim. TE *auctore*} Suaſore & laudatore,qui Catonis, & aliorum quorundam ſcripta nobis tantopere laudaſti. LAVDATA} Nobilis,ut ſupra. PVERILIS} Inepta, & leuis. LOCIS} communibus: de amore,& reliquis. DE *amore*} Quo prudenter uſus eſt Cicero pro Coelio,ut de tormentis pro Milone. INANES} Pueriles,minus bene tractati. nam non locos ipſos uituperat,ſed ineptam locorum tractationem. Niſi enim ab iis, qui multa exercitatione magnam ſibi & uerborum, & ſententiarum copiam comparauerint,tractari non poterunt ornate,& grauiter. ut ait lib. 2. de Inuent. TRISTIS} Litteris,philoſophia, iure ciuili, ceteris rebus cognoſcendis. NOSTRORVM *hominum*} Latinorum,& Romanorum: cum nondum doctrina illa tranſmarina Romam eſſet importata. AVRIBVS} Quibus tamquam feneſtris,ad animum doctrinam tranſmittimus. CVM *& uita ſuppeditauiſſet*} Id eſt,ſatis diu uixiſſet, ita ut ad aetatem conſularem peruenerit, quae fuit annorum quadraginta tres. SPLENDOR} Dignus conſulatu.

CICERO

SED ecce in manibus uir & praeſtantiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio, & doctus a puero C. Gracchus. noli enim putare quemquam, Brute, pleniorem, & uberiorem ad dicendum fuiſſe. Et ille, Sic prorſus, inquit, exiſtimo: atque iſtum de ſuperioribus paene ſolum lego. Immo plane inquam, Brute, legas, cenſeo. damnum enim illius immaturo interitu res Romanae, Latinaeq. litterae fecerunt. utinam non tam fratri pietatem, quam patriae, praeſtare uoluiſſet: quam ille facile tali ingenio, diutius ſi uixiſſet, uel paternam eſſet, uel auitam gloriam conſecutus: eloquentia quidem neſcio an habuiſſet parem neminem. grandis eſt uerbis, ſapiens ſententijs genere toto grauis. manus extrema non acceſſit operibus eius; praeclare inchoata multa, perfecta non plane. legendus, inquam, eſt hic orator, Brute, ſi quiſquam alius, iuuentuti: non enim ſolum acuere, ſed etiam alere ingenium poteſt.

EXPLANATIO

SED *ecce*} ἰδοὺ: aut ut librum demonſtret, aut ut improuiſum, & triſte ſignificet, ut ſequentia indicant. IN *manibus uir*} Id eſt,uiri opus,ut ſupra,Platonem lectitaſſe. PRAESTANTISS. *ingenio*} Pro Font. Hominum noſtrorum longe ingenioſiſſimum,uocat. Atque hic omnia Graccho attribuit,quae ſupra Bruto, & de Orat. lib. 3. Hortenſio: ingenium,naturam admirabilem: doctus,exquiſitam doctrinam: & ſingularem induſtriam, diligentia, ſtudio, exercitatio: ordine tamen mutato. Nam hic pro natura, ingenium: pro doctrina, doctum: pro induſtria, ſtudium,in quo diligentia,exercitatioq. comprehenditur, poſuit. DOCTVS} Diligentia Corneliae matris, ut ſupra de Tiberio fratre. C. *Gracchus*} C. Sempronius Gracchus, cuius

uitam

uitam Plutarchus ſcripſit. E T *ille*] Brutus. I M M A T V R O] cum uixdum annum 32. ageret. I N T E R I T V] Fuit enim a L. Opimio conſule interfectus. Liu. 61. V T I N A M] σύχη: precatur Cicero, uel potius dolet, non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem, uoluntatemq. eſſe conuerſa. de haruſp. reſp. P A T R I A E] Cui maxima pietas debetur. nam patria omnes omnium caritates eſt complexa. Cic. de Offic. lib. 2. Val. Max. Q V A M] Per interrogationem, & dolorem poſitum. P A T E R N A M] Pater enim eius bis conſul, & cenſor fuit. de quo ſupra. Idem de proauo eius eſt dicendum, aliisq. maioribus. C O N S E C V T V S] De uiro eloquentiſſimo. Dichoreus, & hyperbaton. G R A N D I S] σεμνὸς, ut de Demoſthene paullo ante. V E R B I S] Verba praeponit, ut oratio creſcat, ut alibi diximus. μερισμός, id eſt, diſtributio oratotia. G R A V I S] Grauis enim figura conſtat ex uerborum granditate, & ſententiarnm pondere, ad commouendum.

C I C E R O

*H*VIC *ſucceſſit aetati C. Galba, Seruij illius, eloquentiſſimi uiri, filius, P. Craſſi, eloquentis et iuris periti, gener. laudabant hunc patres noſtri, fauebant etiam propter patris memoriam; ſed cecidit in curſu. nam rogatione Manilia, Iugurthinae coniurationis inuidia, cum pro ſeſe dixiſſet, oppreſſus eſt. exſtat eius peroratio, qui epilogus dicitur: qui tanto in honore pueris nobis erat, ut eum etiam ediſceremus. hic, qui in collegio ſacerdotum eſſet, primus poſt Romam conditam iudicio publicio eſt condemnatus. P. Scipio, qui eſt in conſulatu mortuus, non multum ille quidem, nec ſaepe dicebat, ſed & Latine loquendo cuiuis erat par, & omnes ſale, facetijsq. ſuperabat. eius collega L. Beſtia, bonis initijs orſus tribunatus, (nam P. Popillium, ui C. Gracchi expulſum, ſua rogatione reſtituit) uir & acer, & non indiſertus, triſtes exitus habuit conſulatus. nam inuidioſa lege Manilia quaeſtione C. Galbam ſacerdotem, quattuor conſulares, L. Beſtiam, C. Catonem, Sp. Albinum, ciuemq. praeſtantiſſimum L. Opimium Gracchi interfectorem, a populo abſolutum, cum is contra populi ſtudium ſtetiſſet, Gracchani iudices ſuſtulerunt.*

E X P L A N A T I O

HVIC *ſucceſſit aetati*] Qua uixit C. Gracchus, & alij, quos nominaui. C. *Galba*] Male quidam codices habent P. pro C. I L L I V S *eloquentiſſ.*] ἔμφασις, qui eloquentia praeſtitit. ſupra. E L O Q V E N T I S] Oratoris ualde probati: ut ſupra. I V R I S P E R I T I] Vt qui domi ius ciuile cognouiſſet: ſupra. R O G A T I O N E] Vt quaereretur in eos, quorum conſilio Iugurtha ſenatus decreta neglexiſſet: quiq. ab eo corrupti pecunia fuiſſent: ut eſt apud Salluſtium. M A N I L I A] Salluſtij libri omnes habent Mamilius. Mamilia familia fuit Romae, ex qua Q. Mamilius Vitulus conſul fuit. I V G V R T H I N A E *coniur.*] Quorundam nobilium, qui, pecunijs corrupti, Iugurthae fauebant. I N V I D I A] Odio: qua de re multa Salluſtius de bello Iugurthino. P E R O R A T I O, *qui Epilogus dicitur*] Qui & lib. 1. ad Herennium definitur: & ſecundo diuiditur. S A C E R D O T V M] Pontificum, an Augurum, non dixerim, cum utrique ſacerdotes appellentur. P R I M V S] Nam Scipio Naſica, & ipſe pontifex, non fuit condemnatus, ſed, ut inuidiam uitaret, Pergamum conceſſit. P. *Scipio*] Naſica, Publij illius filius, qui Tib. Gracchi conatus perditos uindicauit. N O N *multum*] Neque longas, neque multas orationes habebat, ut infra de M. Aurelio Scauro. S V P E R A B A T] Efficiebat, ut unus de multis eſſe uideretur. lib. 1. de Offic. C O L L E G A] In conſulatu. L. *Beſtia*] L. Calpurnius Beſtia, qui & ipſi Iugurthae fauebat: Liu. lib. 64. V I] Non iure. E X P V L S V M] Sic territum, ut ex urbe diſcederet, quod etiam Ciceroni accidit a Clodio. V I R *& acer*] In Lucio Beſtia (inquit Salluſtius) multae, bonaeq. artes animi, & corporis erant, quas omnes auaritia praepediebat: patiens laborum, acri ingenio, ſatis prouidens, belli haud ignarus, firmiſſimus contra pericula, & inſidias. T R I S T I S *exitus*] Quod finito conſulatu ſit condemnatus. Poſt. I N V I D I O S A] Inuidiae, & odij plena. L E G E] Rogatione, ſupra. Q V A E S T I O N E] Iudicio publico. paullo ante. S P. *Albinum*] Sp. Poſtumium Albinum, qui cum Minucio cos. fuit, & cum Iugurtha bellum ignauum geſſit: ut Liuius lib. 64. & Salluſtius oſtendunt. C I V E M Q. *praeſt.*] Virum praeclare de repub. meritum, pro Sextio: Seruatorem reipub. pro Plancio: Virum ſanctum, & grauem, Paterculus. L. *Opimium*] Panſam cognomento. A B S O L V T V M] Liberatum: Liu. lib. 61. Cic. pro Sextio. S V S T V L E R V N T] Condemnauerunt, quod & ipſe cum Iugurtha conſpiraret. Salluſtius.

C I C E R O

*H*VIVS *diſſimilis in tribunatu, reliquaq. omnia uita, ciuis improbus C. Licinins Nerua non indiſertus fuit. C. Fimbria temporibus iiſdem fere, ſed longius aetate prouectus, habitus eſt ſane, ut ita dicam, luculentus patronus, aſper, maledicus, genere toto paullo feruidior, atque commotior, diligentia tamen, & uirtute animi, atque uita bonus auctor in ſenatu. idem tolerabilis patronus, nec rudis in iure ciuili, & cum uirtute, tum etiam ipſo orationis genere liber: cuius orationes pueri legebamus, quas iam reperire uix poſſumus. Atque etiam ingenio, & ſermone eleganti, ualetudine incommoda, C. Sextius Caluinus fuit, qui, etſi, cum remiſerant dolores pedum, non deerat in cauſſis, tamen id non ſaepe faciebat. itaque conſilio eius, cũ uolebãt, homines utebantur; patrocinio, cum licebat. Iiſdem tem*

poribus

poribus M. Brutus: in quo magnum fuit, Brute, dedecus generi ueſtro; qui, cum tanto nomine eſſet, patremq. optimum uirum habuißet, & iuris peritiſſimum, accuſationem factitauerit, ut Athenis Lycurgus: is magiſtratus non petiuit, ſed fuit accuſator uehemens, & moleſtus; ut facile cerneres, naturale quoddam ſtirpis bonum degenerauiſſe uitio deprauatae uoluntatis. Atque eodem tempore accuſator de plebe L. Caeſidenus fuit: quem ego audiui iam ſenem, cum ab L. Sabelio multam lege Aquillia de iniuria petiuißet. non feciſſem hominis paene infimi mentionem, niſi iudicarem, qui ſuſpicioſius, aut criminioſius diceret, audiuiſſe me neminem. Doctus etiam Graecis T. Albucius, uel potius paene Graecus. loquor, ut opinor; ſed licet ex orationibus iudicare. fuit autem Athenis adoleſcens: perfectus Epicureus euaſerat, minime aptum ad dicendum genus.

EXPLANATIO

HVIVS } Vel L. Opimij, uel L. Beſtiae: utrumque recte. NERVA } Exiſtimo hunc eſſe C. Licinium Neruam, quem Varro ſcribit in Macedonia praetorem fuiſſe. lib. 2. cap. 4. de re ruſt. Nerua porro cognomen fuit Liciniorum, Cocceiorum, Siliorum, ductum a neruis, id eſt a robore, ut quidam ſcribunt. C. *Fimbria* } C. Flauius Fimbria: qui primum tribunatum pleb. petens, repulſam paſſus, poſt an. urbis 650. conſul eſt factus: ut Cic. pro Plancio ait. Error eſt apud Val. Max. lib. 7. Licinius Fimbriae, pro C. Fla. Fimb. TEMPORIBVS *iiſdem fere* } Fere, inquit, quia inter conſulatum Fimbriae, & Beſtiae, ſex anni tantum numerantur. LONGIVS } Quam Nerua, L. Beſtia, & reliqui nominati: nam uixit uſque ad cos. Cn. Octauium, & L. Cornelium Cinnam: quo tempore a Marianis fuit interfectus: ut Florus ſcribit libro tertio capite uigeſimoprimo. LVCVLENTVS *patronus* } Ad Att. & luculentum ſcriptorem, auctorem, hominem, nauigium, ſine uenia dixit. VITA *bonus auctor* } Vir bonus, qualis fuiſſe dicitur de Offic. lib. 3. Et auctor dicit, in ſententia dicenda in ſenatu: unde auctoritates perſcriptae ſaepe dicuntur. Erat enim poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu: ut lib. 3. de Legibus oſtenditur. IDEM } Epanalepſis ſpecies eſt. TOLERABILIS } Quia luculentus. NEC *rudis* } Satis peritus, & gnarus: λιτότης. IN *iure ciuili* } Quod perdiſcendum Oratori ait de Orat. lib. 1. ORATIONIS *genere* } Paullo feruidiore, atque commotiore. LIBER } Vt aſper, & maledicus. PVERI *legebamus* } Ego cum meis aequalibus. VIX *poßumus* } In tanta turba uoluminum, ut ſupra de ſe. INGENIO, *& ſermone* } Ingenium, ad inuentionem, & cetera officia: Sermo, ad elocutionem refertur. SEXTIVS *Caluinus* } Quis hic fuerit, ignoramus, niſi is ſit, quem Cicero de Orat. lib. 2. Luſcum uocat. DOLORE *pedum* } Dolores podagrae: Tuſcul. 2. VTEBANTVR } Illum domi conuenientes: ut de M. Druſo Tuſcul. 5. CVM *licebat* } Per pedum dolores. M. *Brutus* } M. Iunius Brutus. DEDECVS } Quod ſordidum ſit ad famam, committere, ut accuſator nominere: quod ipſi M. Bruto contigit, ut lib. 2. de Offic. ait. L. Craſſus lib. 2. de Orat. illum Gurgitem uocat, utpote cuius libidines totum patrimonium abſumpſerint. TANTO *nomine* } Iunio, atque etiam Bruto, quod fuit cognomen illius, qui reges exegit. PATREMQ. } M. Iunium Brutum, in oratione pro Cluentio. OPT. *uirum* } Et ſapientem, pro Cluent. & 2. de Orat. IVRISPERITISSIMVM } Iuris ciuilis in primis peritum: lib. 2. de Offic. qui tres de iure ciuili libros reliquit, lib. 2. de Orat. & pro Clu. ACCVSATIONEM } Quam turpiſſimum calumniae quaeſtum lib. 2. de Orat. uocat. Et factitare accuſationem dixit, ut facere nauticam, facere medicinam: quae quidem omnia in ſordida uerſantur. LYCVRGVS } Qui fuit orator ex decem, magnamq. partem improbos inſectatus eſt, & in accuſando uerſatus: de quo ſupra ſatis multa diximus in Graecis Oratoribus. IS } M. Iun. Brutus, de quo coepit dicere. NON *petiuit* } Forte, quod male audiret, & ſe poſſe adipiſci non ſperaret: lib. 2. de Orat. & 2. de Offic. FVIT *accuſator* } Atque ita uocatus eſt: eodem de Orat. & de Offic. lib. 2. VEHEMENS } Adde etiam callidus: ut pro Cluentio. MOLESTVS } Vt L. Craſſo, cum L. Plancium accuſaret, ita ut eum Craſſus ulciſci coactus ſit: de Oratore ſecundo pro Cluentio Quinctilianus libro ſexto capite quarto. DEGENERAVISSE } Corruptum fuiſſe. DEPRAVATAE *uoluntatis* } Nam hanc deprauationem a minoribus non acceperat. SENEM } Sexagenarium, cum ipſe xx annos natus eſſem. MVLTAM } Poenam lege conſtitutam. LEGE *Aquillia* } Quam Aquillius trib. pl. a plebe rogauit de damno iniuria illato: de qua Vlp. Digeſt. lib. 9. l. ij. Qui Aquillius, an fuerit ille C. Aquill. Gallus collega in praetura Ciceronis, ignoratur: certe non uidetur, ſed alter natu grandior. Sed de Aquilliis infra. DE *iniuſtitia* } De iuſtitia habent omnes fere codices, quos uidi, ſed perperam, nam uel de Iniuſtitia, uel de Iniuria, quod magis probo, legendum eſt: nam lex Aquillia potiſſimum de iniuria loquebatur, ut docet Vlp. lib. 9. tit. 2. Digeſtorum: qui Iniuriam interpretatur, damnum culpa datum. QVI *ſuſpic.* } Qui dicendo plures ſuſpiciones moueret: aut, crimina proferret: aut, qui crimina magis augeret. GRAECIS } Litteris, ita ut Graece uellet ſalutari: de Fin. lib. 1. Et hiſtoriam Graece ſcripſerit, ut ſupra diximus. PAENE *Graecus* } correctio. Hinc Cicero eum Graecum, ac leuem uocat de Prou. conſ. ORATIONIBVS } In quibus locutiones prorſus Graecas uſurpat. MINIME *aptum* } Quod Epicurus Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti orationis ornamenta neglexerit: lib. 1. de Finib.

CICERO

IAMQ. Q. Catulus, non antiquo illo more, ſed hoc noſtro, niſi quid fieri poteſt perfectius, eruditus. multae litterae: ſumma non uitae ſolum, atque naturae, ſed orationis etiam comitas: incorrupta quaedā

Latini

Latini ſermonis integritas; quae perſpici cum ex orationibus eius poteſt, tum facillime ex eo libro, quem de conſulatu, & de rebus geſtis ſuis conſcriptum, molli, & Xenophontio genere ſermonis, miſit ad A. Furium poetam, familiarem ſuum: qui liber nihilo notior eſt, quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri. Tum Brutus: Mihi quidem nec iſte notus eſt, nec illi: ſed nec mea culpa eſt, numquam enim in manus inciderunt: nunc autem & a te ſumam, & conquiram iſte poſthac curioſius. Fuit igitur in Catulo ſermo Latinus: quae laus dicendi non mediocris ab oratoribus pleriſque neglecta eſt. nam de ſono uocis, & ſuauitate appellandarum litterarum, quoniam filium cognouiſti, noli exſpectare, quid dicam. quamquam filius quidem non fuit in oratorum numero; ſed non deerat ei tamen in ſententia dicenda cum prudentia, tum elegans quoddam, & eruditum orationis genus. nec habitus eſt tamen pater ipſe Catulus princeps in numero patronorum: ſed erat talis, ut, cum quoſdam audires, qui tum erant praeſtantes, uideretur eſſe inferior; cum autem ipſum audires ſine comparatione, non modo contentus eſſes, ſed melius non quaereres.

EXPLANATIO

IAMQVE *Q. Catulus* ¿ Q. Lutatius Catulus, Catuli pater. Hic cum Mario de Cimbris triumphauit, Plutar. Porticum in domo M. Flacci euerſa, de manubiis Cimbrorum fecit, Cic. pro domo ſua. Poſt in uictoria Mariana mori iuſſus ſe odore calcis recentis, & igni in cubiculo exſtinxit. Cic. de Orat. lib. 3. Valerius, Paterculus, Florus. NON *antiquo* ¿ Id eſt, rudi & inculto. NOSTRO ¿ Quo philoſophiam, ius ciuile, & reliqua, quae libro primo de Orat. commemorat, complectimur. ERVDITVS ¿ Peripateticorum praeceptis inſtructus: nam fuiſſe Peripateticum innuit Cicero de Orat. 3. MVLTAE *litterae* ¿ Hinc libro primo de Offic. litteratum uocat. COMITAS ¿ Iccirco Tuſc. 5. paene alterum Laelium uocat: Et 3. de Orat. omnem humanitatem, ac leporem ei tribuit. Hanc oſtendit cum aliquando a Philippo interrogatus (quaſi Catulus a cane duceretur) quid latraret? furem ſe uidere reſpondit. de Orat. lib. 2. INCORRVPTA ¿ Pura ſic, ut Latine loqui paene ſolus uideretur. lib. 3. de Orat. PERSPICI ¿ exiſtimari. ſupra de C. Curione. CONSVLATV ¿ Quem cum C. Mario geſſit, Cimbrosq. debellauit. lib. 1. & 2. ad Att. Commentarium ſui conſulatus Graece ſcripſit. MOLLI ¿ Modico, ſiue medio, & ſuaui: in Oratore de Phalereo. ET *Xenophonteio* ¿ Id eſt, molli, ſuaui, dulci, cuius ſermonem melle dulciorem fuiſſe ſcribit in Orat. Cicero. *A. Furium* ¿ De quo Gellius lib. 18. cap. 12. & Macrob. lib. 6. meminit: oſtenditq. Virgilium ex Furij annalibus multos uerſus mutuatum fuiſſe. SED *haec mea culpa eſt* ¿ Alij, Sed nec mea culpa eſt: quod non placet. eſſet enim nimis frigida, quae ſequitur, excuſatio. FVIT *igitur in Catulo* ¿ Epanalepſi, quam uerbi reuocationem uocat Cicero, redit ad Catulum. In quo & illud notandum, quod ſic ſine admonitione ſermo ad Ciceronem redit. Nam uidetur, uel, Tum ego, uel, Inquam, deſiderari. SERMO *Latinus* ¿ Et ſane Q. Catulus ita loquebatur, ut ei non ſolum Romani Latini ſermonis, ſed etiam Graeci ipſi ſolerent ſuae linguae ſubtilitatem, elegantiamq. concedere: ita dicebat, ut ambroſia alendus eſſe uideretur. lib. 2. & 3. de Orat. LAVS ¿ Quia ſperare non poſſumus, qui Latine non poſſit, hunc ornate eſſe dicturum. de Orat. lib. 3. ubi etiam primam elocutionis partem facit pure, & Latine loqui. SONO *uocis* ¿ Nam poteſt eſſe ſonus, qui non ſit uox: uox enim proprie eſt animalis, ut in phyſicis docetur. APPELLANDARVM *litterarum* ¿ Appellare litteras, eſt ſonare, & pronunciare, ſiue nominare: ut a, b, c, &c. qua de re de Offic. lib. 1. In Catulis ſonus erat dulcis, litterae neque expreſſae, neque oppreſſae, ne aut obſcurum eſſet, aut putidum: ſine contentione uox, nec languens, nec canora. FILIVM ¿ Q. Catulum Lutatium, uirum ſapientem, & conſtantem, qui, publici conſilij princeps, frequentiſſimo ſenatu Ciceronem parentem patriae nominauit, ut Cicero in Piſonem, & pro Sextio teſtatur. Quare uidentur erraſſe Plutarchus, & Appianus, qui hoc Catoni tribuunt, niſi & Cato idem fecit, quod dubitamus. Hic eſt qui iudicibus, qui abſoluerant Clodium, corruptis, quiq. praeſidium poſtulauerant, ut iudicarent liberius, dixit: Quid uos praeſidium poſtulabatis? an, ne nummi uobis eriperentur, timebatis? libro primo ad Atticum. QVOSDAM ¿ Vt M. Antonium, & L. Craſſum. NON *modo contentus eſſes* ¿ Q. Catulo patre. Notanda tamen locutio, Contentum eſſe, ſine caſu, quod rariſſimum eſſet.

CICERO

Q. Metellus Numidicus, & eius collega M. Silanus, dicebant de rep. quod eſſet illis uiris, & conſulari dignitati ſatis. M. Aurelius Scaurus non ſaepe dicebat, ſed polite: Latine uero in primis eſt eleganter locutus. Quae laus eadem in A. Albino bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero eſt habitus diſertorum. Q. etiam Caepio, uir acer, & fortis: cui fortuna belli, crimini; inuidia populi, calamitati fuit. Tum etiam C. & L. Memmij fuerunt, oratores mediocres, accuſatores acres, atque acerbi. itaque in iudicium capitis multos uocauerunt, pro reis non ſaepe dixerunt. Sp. Thorius ſatis ualuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum, uitioſa & inutili lege, uectigali leuauit. M. Marcellus, Aeſernini pater, non ille quidem in patronis, ſed & in promptis tamen, & non inexercitatis ad dicendum fuit, ut filius eius P. Lentulus. L. etiam Cotta praetorius in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude proceſſerat; ſed de induſtria cum uerbis, tum etiam ipſo ſono quaſi ſubruſtico perſequebatur, atque imitabatur antiquitatem.

EXPLANATIO

Q. Metellvs } Q. Caecilius Metellus Numidicus, Lucij F. qui cum duobus proelijs Iugurtham fudiſſet, & uniuerſam Numidiam uaſtaſſet, triumphauit, & Numidicus eſt appellatus. Liu. lib. 65. Salluſt. & Paterculus. Hic Metellus adoleſcens Athenis Carneadem admodum ſenem audiuit: ut L. Craſſus eius familiaris teſtatur lib. 3. de Orat. Huic Archias iucundus erat, utpote docto doctus, pro Archia. Hic in cauſſa de pecuniis repetundis, tantae fidei fuit, ut iudicum nemo fuerit, qui non a tabulis remoueret oculos, ne de eius fide dubitare uiderentur. Hunc Paterculus quoque inter oratores numerat, lib. 2. De hoc Cicero pro domo ſua hoc elogium protulit. Q. Metelli praeclarum imperium in re militari fuit: egregia cenſura, omnis uita plena grauitatis. Exſulium uoluntarium accepit, de quo ſaepe, & multis locis Cicero. M. *Silanus* } Hunc Decimum uocat Verrina prima. Dictus eſt etiam Iunius. Vide Aſconium. Hic eſt ille Sillanus, qui aduerſum Cimbros infeliciter pugnauit. Liuius 65. Aſconius: Accuſatus, & abſolutus. Satis } Quod quidem non parum eſt, ita dicere, ut conſulari dignitati ſatisfacias. M. *A. S.* } Ille ſuperior fuit M. Aemil. hic M. Aurel. Scaurus, de quo Liu. lib. 67. in hunc fere modum ſcripſit. M. Aur. Scaurus legatus conſulis a Cimbris fuſo exercitu captus eſt, &, cum in conſilium ab ijs euocatus, deterreret eos ne Alpes tranſirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos uinci minime poſſe, a Bolo rege feroci occiſus eſt. Dicebat } Cauſſas. nam utrumque dicitur. Polite } Ornate, & ſubtiliter. Latine *uero* } Perbene Latine loquebatur, ut ſupra de Philo. Qvae *laus* } Supra, Quae laus dicendi non mediocris. In *A. Albino* } Spurij Albini fratre, ut putamus, qui, cum eſſet fratris in Africa legatus, & propraetor ab eo relictus, cum Iugurtha infeliciter pugnauit, & turpem pacem fecit, quam quidem minime eſſe ſeruandam ſenatus cenſuit. Liu. 64. Bene *loquendi* } Bene Latine loquendi. Omnes enim tunc Latine loquebantur, ſed non omnes bene: ut, & nunc omnes Itali Italice loquimur, uerum pauci bene, & pure. Nam *Flamen Albinus* } De hoc nihil nobis ſuppeditat hiſtoria. Q. *etiam Caepio* } Q. Seruilius Caepio, cum C. Atilio Serrano conſul. Hic proconſul, uel, ut Gellius, conſul capta Toloſa in Gallia Narbonenſi, centum M. ponderis auri, argenti C. X. M. e templo Apollinis ſuſtulit: quod cum ad Maſſiliam amicam populo Romano urbem cum praeſidijs miſiſſet, interfectis clam (ut quidam teſtantur) praeſidijs, & uectoribus, cuncta furatus fuiſſe narratur. Quiſquis uero ex ea direptione aurum attigit, miſere perijt. Gell. lib. 3. cap. 9. Strabo lib. 4. ubi Caepio pro Scipione in libris Latinis reponi debet: ut in Lucullo Plutarchi. Hinc prouerbium natum, Aurum Toloſanum, de quo in Adagijs. Fortvna *belli* } Cornif. ad Heren. lib. 1. cum locum fortunae tractat. Fortunam, inquit, ut Caepio ad tribunum plebis de exercitus amiſſione, & lib. 2. de Oratore. Crimini } Quod eius temeritate clades accepta erat: ut Liu. lib. 67. Quod eius culpa exercitus deletus a Cimbris, & Teutonibus uidebatur, ut Valer. Max. lib. 4. cap. 7. Invidia } Odio, de quo multa de Orat. lib. 2. Calamitati } De qua dictum eſt. C. *Memmius* } Quem conſulatum petentem L. Saturninus occidit. Cic. in 4. in Catil. Liu. 69. Lvcii *Memmij* } Memmij a Mneſtheo Troiano dicti, ut Virg. lib. 5. oſtendit, ubi ait:

Mox Italus Mneſtheus, genus a quo nomine Memmi.

Hos Lucretius claros appellat lib. 1. nam huius filio Caio Memmio, opus ſuum inſcripſit. Mediocres } Salluſtius tamen in Iugurthino ſuo, ſcribit C. Memmij facundiam claram pollentemq. fuiſſe: & unam ex tam multis orationibus eius praeſcribere, operaepretium exiſtimauit. Accvsatores } C. M. L. Calpurnium accuſauit, Cic. de Orat. 2. Acres } Sic Salluſt. in Iugurth. Caium Memmium appellat. Acerbi } Mordaces: metaphorae ſunt e ſaporibus deſumptae. Sp. *Thorius* } De quo, & eius lege, Thoria appellata, Appianus lib. 1. Ciuilium. Popvlari } Populo grato, & accepto. Agrvm *publicum* } Cuiuſmodi Campanus fuit. Vitiosa } Contra auſpicia. Invtili } Quod minueret uectigalia, quae Romani neruos belli eſſe dicebant. Cic. pro lege Manil. Lege } Thoria: de qua Cic. de Orat. 2. Levavit } imminuit, non ſuſtulit prorſus. M. *Marcellus* } M. Claudius Marcellus. Vt *filius eius P. Lentulus* } Ex adoptione ſic appellatus, cum eſſet Marcellus. L. *etiam Cotta* } L. Aurelius Cotta, illius, ni fallor, filius, quem ſupra conſulem fuiſſe diximus. De *induſtria* } Vide de Orat. lib. 3. Svbrvstico } Agreſti; de Oratore tertio.

CICERO

Atqve ego & in hoc ipſo Cotta, & in alijs pluribus intelligo, me non ita diſertos homines & retuliſſe in oratorum numerum, & relaturum. eſt enim propoſitum colligere eos, qui hoc munere in ciuitate functi ſint, ut tenerent oratorum locum: quorum quidem quae fuerit adſcenſio, & quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio, atque abſolutio, ex eo, quod dicam, exiſtimari poteſt. quam multi enim iam oratores commemorati ſunt, & quam diu in eorum enumeratione uerſamur; cum tamen ſpiße, atque uix, ut dudum ad Demoſthenem, & Hyperidem, ſic nunc ad Antonium, Craßumq. peruenimus. nam ego ſic exiſtimo, hos oratores fuiſſe maximos, & in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam. Omnia ueniebant Antonio in mentem: eaq. ſuo quaeque loco, ubi plurimum proficere & ualere poßent, ut ab imperatore equites, pedites, leuis armatura, ſic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabãtur. erat memoria ſumma: nulla meditationis ſuſpicio: imperatus

tus

tus ſemper aggredi ad dicendum uidebatur, ſed ita erat paratus, ut iudices, illo dicente, nonnumquam uiderentur non ſatis parati ad cauendum fuiße. Verba ipſa, non illa quidem elegantiſſimo ſermone: itaque diligenter loquendi laude caruit; (neque tamen eſt admodum inquinate locutus) ſed illa, quae proprie laus oratoris eſt in uerbis. nam ipſum, Latine loqui, eſt illud quidem, ut paullo ante dixi, in magna laude ponendum, ſed non tam ſua ſponte, quam quod eſt a pleriſque neglectum. non enim tam praeclarum eſt, ſcire Latine, quam turpe, neſcire: neque tam id mihi oratoris boni, quam ciuis Romani proprium uidetur.

EXPLANATIO

ATQVE *ego*] Digreſſio, qua delectet, & quaſi recreet auditores, & ſe ſimul excuſet, quod interdum minus diſertos in Oratorum numerum retulerit, & ſit relaturus. QVAE *fuerit aſſenſio*] Alias Adſcenſio, id eſt, per quos quaſi gradus adſcenderint. DIFFICILIS] Difficilia, quae pulchra, ut ſupra, & prooemio lib. 1. de Orat. SPISSE] Tarde, difficulter, uix, ut exponens ſubiungit: ut in epiſt. ad Atticum, Tarda, & ſpiſſa. &, Spiſſum, & operoſum opus, Q. Fratri. DEMOSTH. *& Hyperid.*] Supra, perfectus fuit Demoſthenes, & illi proximus Hyperides. ENVMERATIONE] Commemoratione, forte melius, ut in quibuſdam legitur, ut reſpondeat ei quod dixit, Commemorati. GRAECORVM *gloria*] Nam Graecia ſemper eloquentiae princeps eſſe uoluit: prooem. de Orat. LAT. *dic. copiam*] Quae tanta fuit, ut Cicero Latinam linguam non modo non inopem, ut uulgo putabant, ſed locupletiorem, quam Graecam ſcripſerit. Tuſc. 1. & 3. & de Fin. primo. AEQVATAM] Conſtat enim, ut Tuſc. 1. ſcribitur, ita magnos oratores ad Ciceronis aetatem fuiſſe, ut non multum, aut nihil omnino Graecis cederetur. OMNIA] Approbatio aſſumptionis per enumerationem. M. Antonium, & L. Craſſum maximos oratores fuiſſe: & prius de Antonio, quia triennio maior Craſſo erat, ut ait ipſe lib. 2 de Orat. IN *mentem*] Propter mentis acumen ſingulare, lib. 2. de Orat. Haec uirtus ad celeris animi motus, & ad inuentionem refertur. ANTONIO] M. Antonio. Antoniorum gens plebeia fuit, ut ex tribunatu quorundam intelligimus: quamuis nobilis fuerit uſqueadeo, ut multi putent eam ab Antone Herculis filio deſcendiſſe, quod M. Antonius triumuir praeſeferebat: ut Plutarchus in eius uita ſcribit. EAQ. *ſuo quaeque loco*] Periphraſis diſpoſitionis. Non mirum igitur, ſi Catulo deus in eo uidebatur, id eſt, ſummus: de Orat. 2. VBI *plurimum proficere*] Vide de Orat. 2. ad Heren. libro tertio. VT *ab imperatore*] Haec ſimilitudo etiam ad Heren. lib. 2. Diſpoſitio locorum, tamquam inſtructio militum facillime in dicendo, ſicut illa in pugnando, parere uictoriam poterit. Ita autem collocabantur, auctore Vegetio lib. 3. cap. 14. In primo ordine exercitati, & ueteres milites, quos principes uocabant: in poſtremo fortiſſimi ſcutati, & omni genere armorum muniti, quos Triarios appellabant: in reliquos uero ordines, & mediam aciem, reliqui conijciebantur. MEMORIA *ſumma*] Idcirco ante elocutionem poſita, quod in ea non perinde excelleret. IMPARATVS] Quippe qui ne didiciſſe quidem uolebat uideri, quod probabiliorem populo orationem fore cenſeret ſuam, ſi omnino didiciſſe numquam putaretur: ut lib. 2. de Orat. ipſemet ait. PARATVS] Non enim dicebat, niſi prius rem penitus, cauſſamq. cognouiſſet. Antitheton, Imparatus, Paratus. VERBA *ipſa*] Elocutionem innuit, quae eſt idoneorum uerborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. NON *illa quidem*] Erant. Pendet oratio, uſque ad illa uerba: Sed tamen Antonius. CARVIT] Ob eam cauſſam 2. de Orat. Antonius inſtituit, & creat Oratorem, quem Craſſo, & ueſtiendum, & ornandum tradit. SED *illa*] Laude non caruit. PROPRIE] Oratoris enim proprium eſt apte, diſtincte, ornateq. dicere: de Offic. lib. 1. & lib. 1. de Orat. Hoc proprium oratoris eſt, oratio grauis, & ornata, & hominum ſenſibus, ac mentibus accommodata. IN *uerbis*] Quorum delectus, origo eſt eloquentiae: Caeſar infra. PAVLLO *ante*] De Catulo loquens. MAGNA] Non mediocri, ſupra dixit. NON *enim tam praeclarum eſt*] Nemo enim umquam eſt oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus: libro tertio de Orat. TVRPE] Irrident enim, ſi quis non Latine loquatur; libro 3. de Or. NESCIRE *Latine*] Scire, neſcire, contraria. Iuuen.

Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.

CIVIS *Romani proprium*] Suauitas enim, quae exit ex ore, ut apud Graecos Atticorum eſt, ſic in Latino ſermone urbis Romae maxime propria fuit; lib. 3. de Orat. Idem infra dicet.

CICERO

SED ***tamen Antonius in uerbis & eligendis, neque id ipſum tam leporis caußa, quam ponderis, & collocandis, & comprehenſione deuinciendis, nihil non ad rationem, & tamquam ad artem dirigebat: uerum multo magis hoc idem in ſententiarum ornamentis, & conformationibus. quo genere quia praeſtat omnibus Demoſthenes, iccirco a doctis oratorum eſt princeps iudicatus.*** σχήματα ***enim quae uocant Graeci, ea maxime ornant oratorem: eaq. non tam in uerbis habent pondus, quam in illuminandis ſententijs. ſed etiam haec magna in Antonio, tum actio ſingularis. quae ſi partienda eſt in geſtum, atque uocem: geſtus erat non uerba exprimens, ſed cum ſententijs congruens; manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omnisq. motus cum uerbis, ſententijſq. conſentiens: uox permanẽs, uerum ſubrauca natura; ſed hoc uitium huic uni in bonum conuertebat: habebat enim flebile quiddam in quaeſtionibus, aptumq. cum ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commouendam: ut uerum ui-***

deretur in hoc illud, quod Demoſthenem ferunt ei, qui quaeſiuiſſet quid primum eſſet in dicendo, actionem, quid ſecundum, idem; & idem tertium, reſpondiße. nulla res magis penetrat in animos, eoſq. fingit, format, flectit; taleſq. oratores uideri facit, quales ipſi ſe uideri uolunt.

EXPLANATIO

SED *tamen Antonius* ȝ Abſoluit coeptam & ſuſpenſam orationem, & redit ad Antonium: de quo, non autem de re ipſa coeperat dicere. VEREIS ȝ Praeſertim ſimplicibus, quae ſunt inuenienda: ut in Part. ait: nã inuenire, pro eligere poſitum eſt. LEPORIS ȝ Iucunditatis, ad delectationem. PONDERIS ȝ Grauitatis, ad permouendum. COLLOCANDIS ȝ In coniunctis, ut in Part. & Craſſus de Orat. 3. Collocationis eſt componere & ſtruere uerba ſic, ut ne ue aſper eorum concurſus, ne ue hiulcus, ſit, ſed quodam modo coagmentatus, & lenis. COMPREHENSIONE ȝ περίοδῳ, ambitu. Aliter legitur, Complexione, quod idem eſt, ut lib. 3. de Orat. DEVINCIENDIS ȝ Vinciendis, adſtringendis, illigandis. lib. 3. de Orat. ET *tamquam ad artem* ȝ Icc irco, Tamquam, dixit: quia Antonius nullam ſe ſcire artem uoluit uideri, ut ſupra diximus. HOC *idem* ȝ Faciebat, ut totam orationem ſententiarum quaſi luminibus diſtingueret, & frequentaret: ut de Or. 3. ſcribitur. ORNAMENTIS, *& conformationibus* ȝ Supra formas appellauit: σχήματα Graeci, ut mox ipſe dicet. QVO *genere* ȝ Conformationum. quamquam Elocutionem intelligere poſſumus, quae tamquam genus figuras uerborum, & ſententiarum quaſi partes complectitur. OMNIBVS ȝ Oratoribus. A *doctis* ȝ Et icc irco dignis, quibus ea res credatur. Locus a teſtibus. PRINCEPS ȝ Sic de opt. gen. Orat. Oratorum princeps facile Demoſthenes, IVDICATVS ȝ Dichoreus, quod de principe oratorum loquatur. Σχήματα ȝ Figurae, ornamenta, formae, orationis inſignia, lumina, exornationes, conformationes. Schema proprie dicitur, quod eſt a ſimplici, ac in promptu poſito dicendi modo poetice, uel oratorie mutatum. Quinctil. lib. 9. cap. 1. EAQ. *non tam in uerbis* ȝ Eſt enim commune nomen figuris uerborum, & ſententiarum, ut in Oratore oſtendit pluribus. PINGENDIS ȝ A pictoribus ſumptum uerbum, ornandis, diſtinguendis: unde Latini etiam colores, Graeci χρώματα uocant ipſas exornationes. Hinc Cicero per translationem, μυροθήκια, arculas, pigmenta uocat ad Att. lib. 2. ILLVMINANDIS ȝ Luminibus diſtinguendis, libro tertio de Orat. HAEC ȝ Oratoris officia, de quibus ſupra. ACTIO ȝ De qua nihil adhuc dixerat, quae eadem pronunciatio dicitur. Antonius enim excellebat actione. GESTVM ȝ Motum in oratore, motum corporis. ad Heren. 3. lib. VOCEM ȝ Vocis figuram, ad Herenn. lib. 3. NON *uerba* ȝ Abeſſe enim plurimum a ſaltatore debet orator, ut ſit geſtus ad ſenſus magis, quam ad uerba accommodatus: Quinctil. lib. 2. cap. 3. SED *cum ſententijs* ȝ Aliter, cum ſuis numeris. MANVS ȝ Sine quibus trunca eſſet actio, ac debilis, Fabius: praeſertim dextra, ad Herenn. lib. 3. nam ſiniſtra numquam ſola recte geſtum facit, Fabius. De manus motu ſic Cicero de Orat. lib. 3. Manus debet eſſe minus arguta, digitis ſubſequens uerba, non exprimens. HVMERI ȝ Quorum raro decens alleuatio, atque contractio eſt. Fabius. LATERA ȝ Quorum flexio debet eſſe uirilis: in Oratore, & 3. de Orat. SVPPLOSIO ȝ In contentionibus aut incipiendis aut finiendis. lib. 3. de Orat. Quae debet eſſe rara, ad Herenn. lib. 3. PEDIS ȝ Dextri. ad Her. 3. Sed Antonius non pede modo, ſed genu etiam interdum terram tangebat, Tuſcul. 2. STATVS ȝ Qui debet eſſe erectus, & celſus. in Orat. INCESSVS ȝ Rarus, nec ita longus, in Oratore. contra, Fabius. CONSENTIENS ȝ Actio menti congruens eſſe debet. de Orat. 3. VOX ȝ Quae una maxime eloquentiam, uel commendat, uel ſuſtinet, lib. 1. de Orat. Cuius bonitas optanda eſt, ſed tractatio, atque uſu in nobis. in Oratore. PERMANENS ȝ Non fracta, firma. de quo Herenn. libro tertio. SVBRAVCA ȝ Fuſca. Quinctilianus libro 2. cap. 3. VITIVM ȝ Quod rauis a Plauto dicitur, a Plin. raucitas: cum uox eſt rauca, quae clara, & dulcis eſſe debet. ut ait in Oratore. CONVERTATVR ȝ Aliter, Conuertat. HABEBAT *enim* ȝ Vox ipſa rauca, ſiue raucitas. IN *quaeſtionibus* ȝ In rerum capitalium iudiciis, in quibus flere M. Antonius ſolebat. libro ſecundo de Orat. CVM *ad fidem* ȝ Tunc enim iudices credunt, & tandem commouentur ijſdem motibus, quibus oratorem commotum uident: ut Antonius ait lib. 2. de Orat. FERVNT ȝ Quaſi audiuerit, non legerit. EI ȝ Quis fuerit, ignoratur, & ignorauit forte Cicero. QVAESIVISSET ȝ Rogaſſet, lib. 3. de Orat. interrogaſſet, Fabius. PRIMVM ȝ Sic lib. 3. de Orat. Summum, Fabius: Efficaciſſimum, Val. Max. IN *dicendo* ȝ Sic 3. de Orat. In toto genere dicendi, Fabius. ACTIONEM ȝ ὑπόκρισιν, ait Val. Max. Pronunciationi palmam dedit, Fabius: Actioni primas, ſecundas, & tertias tribuit Demoſthenes: ut Cicero libro tertio de Oratore ſcribit. RESPONDISSE ȝ Non recte reſpondiſſe, ait Cornificius ad Heren. lib. 2. quod in ſola pronunciatione non ſint omnia. MAGIS ȝ Quia in dicendo una dominatur. de Orat. 3. PENETRAT *in animos* ȝ Inuadit animos, Valerius lib. 8. cap. 10. Mouet animos auditorum, lib. 3. de Orat. FINGIT, *format, flectit* ȝ Articulus, caeſa oratio. Dat actioni, quod eſt proprium totius eloquentiae, qua mentes alliciuntur, uoluntates impelluntur, quo uelis, unde autem uelis deducuntur: lib. 1. de Orat. Omnium regina rerum oratio: de Orat. lib. 2. TALESQ. ȝ Bono, ſummos. nam ſine actione ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt: mediocris hac inſtructus, ſummos ſaepe ſuperare: lib. 3. de Orat. VIDERI *uolunt* ȝ Probari uolunt, ait in Oratore.

PAVLLVS. MANVTIVS. Hoc *uitium huic uni in bonum conuertebat:* ȝ ſic antiqui libri: ſic etiam uſus requirit Latinae linguae. Caeſar lib. 3. de bello ci. Detrimentum in bonũ uerteret. Liu. lib. 10. Auſpicia in bonũ uerterunt. & lib. 39. Haec in perniciẽ adoleſcenti uerterunt. Virg. lib. 3. Ge. Et totae ſolidã in glaciem uertere lacunae. ſimilia quaedam notauit Gell. lib. 18. cap. 11. Antea mendoſe, Cõuertebatur.

CICERO

HVIC alij parem eſſe dicebant, alij anteponebant L. Craſſum. illud quidem certe omnes ita iudicabunt, neminem eße, qui, horum alterutro patrono, cuiuſquam ingenium requireret. equidem, quamquam Antonio tantum tribuo, quantum ſupra dixi: tamen Craſſo nihil ſtatuo fieri potuiſſe perfectius. erat ſumma grauitas: erat cum grauitate iunctus facetiarum, & urbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos: Latine loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia: in diſſerendo mira explicatio: cum de iure ciuili, cum de aequo & bono diſputaretur, argumentorum & ſimilitudinum copia. nam, ut Antonius coniectura mouenda, aut ſedanda ſuſpicione, aut excitanda, incredibilem uim habebat: ſic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate, nihil erat Craßo copioſius: idq. cum ſaepe alias, tum apud centumuiros in M'. Curij cauſſa cognitum eſt. ita enim multa tum contra ſcriptum pro aequo & bono dixit, ut, hominem acutiſſimum, Q. Scaeuolam, & in iure, in quo illa cauſa uertebatur, paratiſſimum, obrueret argumentorum exemplorumq. copia: atque ita tum ab his patronis aequalibus, etiam conſularibus, cauſſa illa dicta eſt, cum uterque ex contraria parte ius ciuile defenderet, ut eloquentium iuris peritiſſimus Craſſus, iuris peritorum eloquentiſſimus Scaeuola putaretur: qui quidem, cum peracutus eſſet ad excogitandum, quid in iure, aut in aequo uerum aut eßet, aut non eßet; tum uerbis erat ad rem cum ſumma breuitate mirabiliter aptus. quare ſit nobis orator in hoc interpretandi, explanandique, & diſſerendi genere mirabilis, ſic, ut ſimile nihil uiderim: in augendo, in ornando, in refellendo magis exiſtimator metuendus, quam admirandus orator. Verum ad Craßum reuertamur.

EXPLANATIO

HVIC ⁓ M. Antonio Oratori, qui illius M. Antonij triumuiri auus fuit, a quo Cicero interfectus eſt: cuius Antonij Oratoris in ipſis roſtris, in quibus ille remp. conſtantiſſime conſul defenderat, quaeq. cenſor imperatoriis manubijs ornarat, poſitum caput illud fuit, a quo erant multorum ciuium capita ſeruata: de Orat. prooemio lib.3. Cinnana procella. PAREM ⁓ Gloria, & laude dicendi: quamuis forma, & ratione dicendi inter ſe diſſimiles eſſent, ut ex de Oratore libris patet. ANTEPONEBANT ⁓ Vt dubiam palmam horum duorum facerent. Hinc eſt, quod ipſemet Cicero, alibi Antonium, alibi Craſſum, omnium eloquentiſſimum uocat. L. *Craß.* ⁓ L. Licinium Craſſum, de quo deinceps dicendum. PERFECTIVS ⁓ Hinc Mucius Scaeuola illum in dicendo ſemper deum putauit: de Orat. lib.2. ERAT ⁓ Confirmatio propoſitionis: Et uidetur ita dicere, haec in Craſſo fuiſſe, praeter ea, quae erant in M. Antonio. SVMMA *grauitas* ⁓ Tanta, ut eius etiam ſermo teſtimonij auctoritatem haberet: pro Fonteio. LEPOS ⁓ De Offic.1. Erat L. Craſſo multus lepos, quo caruit Antonius: ut infra ait. Hinc de Orat.2. Craſſum uenuſtiſſimum, urbaniſſimum, grauiſſimum, & ſeueriſſimum ſimul eſſe contendit. ORATORIVS, *non ſcurrilis* ⁓ Vitandum eſt enim oratori utrumque, ne aut ſcurrilis iocus ſit, aut inimicus: de Orat.2. Quamquam alij legant Mimicus, Inimicus tamen placet. SINE *moleſtia* ⁓ Quia moleſta nimia diligentia. DILIGENS ⁓ Contra: M. Ant. diligenter loquendi laude caruit: ſupra. ELEGANTIA ⁓ Quae tanta fuit, ut ad filias etiam peruenerit: infra. EXPLICATIO ⁓ Tractatio, quod aſſequebatur definiendo, diuidendo, argumentando. AEQVO & *bono* ⁓ Aequitate, quae iuri reſpondet. SIMILITVDINVM ⁓ Infra, & lib.1. de Orat. uocat exempla. nam & exempla ſimilia, & diſſimilia eſſe poſſunt. CENTVMVIROS ⁓ Apud quos uoluit populus Rom. de priuatis hereditatibus iudicare: in Rullum 2. de qua re lib.1. de Orat. & 2. Hinc cauſſae centumuirales. M'. *Curij caußa* ⁓ De qua 2. de Orat. & infra dicetur. Q. *Scaeuolam* ⁓ pontificem, de quo dicemus: nam de augure dictum eſt. VTERQVE ⁓ Cum uterque in medio iure ciuili uerſaretur: lib.1. de Orat. ELOQVENTIVM ⁓ Hoc totum Scaeuolae lib.1. de Orat. tribuitur. Et eſt commutatio, de qua ad Heren. lib.4. PERACVTVS ⁓ Acutiſſimus, paullo ante. EXCOGITANDVM ⁓ Vt cum excogitauit naſci prius oportere, quam mori. IN *aequo* ⁓ Aequitate, & iure. VERVM ⁓ Rectum, & iuſtum, ſaepe uſurpatum. VERBIS ⁓ Oratione, qua maxime limatus erat, atque ſubtilis: de Orat.1. nam cum perite, & ſcienter, tum breuiter, & preſſe, & ſatis ornate, & pereleganter dicebat: infra. INTERPRETANDI ⁓ Excogitandi, quid in iure uerum aut eſſet, aut non eſſet. EXPLANANDI ⁓ Aliter, Explicandi. MIRABILIS ⁓ Quod praeter iuris ſcientiam, etiam dicendi copiam aſſumpſiſſet: de Orat.1. VIDERIM ⁓ Qui auditor illius fuerim, ut in Laelio.

CICERO

TVM Brutus, Etſi ſatis, inquit, mihi uidebar habere cognitum Scaeuolam ex ijs rebus, quas audiebam ſaepe ex C. Rutilio, quo utebatur propter familiaritatem Scaeuola noſtri: tamen iſta mihi eius dicendi tanta laus nota non erat: itaque cepi uoluptatem, tam ornatum uirum, tamq. excellens ingenium fuiße in noſtra rep. Hic ego, Noli, inquam, Brute, exiſtimare his duobus quidquam fuiſſe in noſtra ciuitate praeſtantius. nam, ut paullo ante dixi conſultorum alterum diſertiſſimum, diſertorum alterum conſultiſſimum fuiſſe: ſic in reliquis rebus ita diſſimiles erant inter ſeſe, ſtatuere ut tamen non poßes, utrius

te

e malles ſimiliorem. Craſſus erat elegantium parciſſimus, Scaeuola parcorum elegantiſſimus. Craßus in ſumma comitate habebat etiam ſeueritatis ſatis: Scaeuolae multa in ſeueritate, non deerat tamen comitas. licet omnia hoc modo. ſed uereor, ne fingi uideantur haec, ut dicantur a me, quodam modo. res ſe tamen ſic habet. cum omnis uirtus ſit, ut ueſtra, Brute, uetus Academia dixit, mediocritas; uterque horum medium quiddam uolebat ſequi: ſed ita cadebat, ut alter ex alterius laude partem, uterque autem ſuam totam haberet. Tum Brutus, Cum ex tua oratione mihi uideor, inquit, bene Craſſum, & Scaeuolam cognouiße: tum de te, & de Ser. Sulpicio cogitans, eſſe quandam uobis cum illis ſimilitudinem iudico. Quonam, inquam, iſtuc modo? Quia mihi & tu uideris, inquit, tantum iuris ciuilis ſcire uoluiſſe, quantum ſatis eßet oratori; & Seruius eloquentiae tantum aßumpſiſſe, ut ius ciuile facile poßit tueri: aetatesq. ueſtrae, ut illorum, nihil, aut non fere multum differunt. Et ego, De me, inquam, dicere nihil eſt neceße: de Seruio autem & tu probe dicis, & ego dicam, quod ſentio. Non enim facile quem dixerim plus ſtudij, quam illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe. nam & in iiſdem exercitationibus ineunte aetate fuimus; & poſtea Rhodum una ille etiam profectus eſt, quo melior eßet, & doctior: &, inde ut redijt, uidetur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe, quam in prima ſecũdus. atque haud ſcio, an par principibus eße potuiſſet: ſed fortaſſe maluit, id quod eſt adeptus, longe omnium non eiuſdem modo aetatis, ſed eorum etiam, qui fuißent, in iure ciuili eße princeps.

EXPLANATIO

TVM *Brutus* ʒ Auget Scaeuolae laudes a teſtibus. HABERE *cognitum* ʒ Cognouiſſe, ut idem paullo poſt, quaſi interpretatur. Ex *ijs rebus* ʒ Ex orationibus, infra. SCAEVOLAE *noſtri* ʒ Scaeuola pontifex utebatur Rutilio propter familiaritatem, quam habebat cum altero Scaeuola. locus obſcurus. DIXI ʒ Idem quod ſequitur, ſed alijs uerbis, & ordine. ALTERVM ʒ Scaeuolam pontificem. ALTERVM ʒ L. Craſſum. PARCISSIME ʒ Ipſe ſubiectis uerbis, ſeuerum interpretatur. LICET ʒ Id eſt, eodem modo licet de alijs eorum uirtutibus dicere, ut commutatione utriuſque communes eſſe dicantur. QVODAMMODO ʒ Oratorio nimirum, laudandi cauſſa. OMNIS *uirtus* ʒ Philoſophi, qui fuerunt a Platone & Ariſtotele, & dixerunt: Omnes uirtutes, mediocritate quadam eſſe moderatas, pro Murena: qua de re Ariſt. Eth. lib. 2. Et Horat.

Virtus eſt medium uitiorum utrimque redactum.

VETVS *Acad.* ʒ Veterem, Mediam, & Nouam Plutarchus in Bruto, & Lucullo facit, cui adſtipulatur Diogenes Laertius. Et Veteris quidem principem Platonem: Mediae, Arceſilaum, uel Arceſilam: Nouae, Lacydem. Cicero Veterem, & Nouam agnoſcit. SER. *Sulpicio* ʒ Q. F. Lemonia Rufo, ut Philipp. 9. uocat. TANTVM *iuris ciuilis* ʒ Tantum, ut pro Murena dicere potuerit, Si mihi homini uehementer occupato ſtomachum moueritis, triduo me iuris conſultum eſſe profitebor. ET *Seruius eloquentiae tantum* ʒ Hinc Pomp. de Orig. iuris ſcribit, In cauſſis orandis illum a principio primum locum, aut certe poſt M. Tullium obtinuiſſe. AETATESQ. *ueſtrae* ʒ Anno maior fuit Cicero, ſiquidem Ciceronis conſulatu, conſulatum petijt Scaeuola, ut ſequenti anno fieret conſul, ſed repulſam paſſus eſt. DIXERIM ʒ Aliter, Dixeris: & recte quoque. BONARVM *rerum* ʒ Legitur &, Bonarum artium. IN *ſecunda arte* ʒ In iuris ſcientia, cui ſecundas tribuit pro Murena, & in Oratore: at de Officiis 2. ut philoſophus, primas. Pars certe ciuilis ſcientiae eſt, Rhetorica, ut Ariſtoteles & Cicero teſtantur. PRIMVS ʒ Vt Caeſar, qui malebat eſſe primus in opidulo, quam Romae ſecundus. IN *iure ciuili eße princeps* ʒ Omnes enim, qui ex omni aetate in hac ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi unum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non ſunt comparandi. Philip. 9.

CICERO

HIC Brutus. Ain' tu, inquit? etiam ne Q. Scaeuolae Seruium noſtrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, exiſtimo, iuris ciuilis magnum uſum & apud Scaeuolam, & apud multos fuiſſe, artem in hoc uno: quod numquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam praeterea didiciſſet artem, quae doceret rem uniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primum uidere, deinde diſtinguere, poſtremo habere regula, qua uera, & falſa iudicarentur, & quae quibus propoſitis eßent, quaeq. nõ eßent conſequentia. hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea, quae confuſe ab alijs aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi uideris dicere, inquit. Recte, inquam, inquam, intelligis. ſed adiunxit etiam, & litterarum ſcientiam, & loquendi elegantiam: quae ex ſcriptis eius, quorum ſimilia nulla ſunt, facillime perſpici poteſt. cumq. dicendi cauſa duobus peritiſſimis operam dedißet, L. Lucilio Balbo, C. Aquillio Gallo: Galli, hominis acuti, & exercitati, promptam in agendo, & in reſpondendo celeritatem ſubtilitate, diligentiaq. ſuperauit: Balbi, & docti, et eruditi hominis, in utraque re conſideratam tarditatem uicit, expediendis, conficiendiſq. rebus. ſic & habet, quod uterque eorum habuit; & expleuit, quod utrique defuit. itaque, ut Craſſus mihi uidetur ſapientius feciße, quam Scaeuola: (hic enim caußas ſtudioſe recipiebat; in quibus a Craßo ſuperabatur: ille ſe conſuli uolebat; ne qua in re inferior eſſet, quam

Scae-

Scaeuola) ſic Seruius ſapientiſſime. cum enim duae ciuiles artes, ac forenſes plurimum & laudis haberent, & gratiae; perfecit, ut altera praeſtaret omnibus, ex altera tantum aßumeret, quantum eſſet, & ad tuendum ius ciuile, & ad obtinendam conſularem dignitatem ſatis.

EXPLANATIO

HIc *Brutus, ain' tu?* } Comicum eſt, & dialogis aptum, pro Aiſne tu? SER. *noſtrum* } Id eſt, tuum, meumq. amicum. Attici, ut ex Epiſt. 18. lib. 3. Famil. apparet: Ciceronis, pro Murena, & lib. 4. Famil. & Bruti, propter Catonem auunculum, & pro Murena. ARTEM } De qua de Orat. lib. 1. REM *uniuerſam* } Genus, & totum. TRIBVERE } Diuidere. Haec ex Sophiſta Platonis Cicero accepit. DEFINIENDO } Definitionis explanatio, quae id, quod definitur, explicat, quid ſit. Top. Definiendi munus Dialectici eſſe, teſtis eſt Plato de repub. lib. 7. INTERPRETANDO } Quod fit deſcriptione ea, quae ex attributis ſumitur, non a rei natura. AMBIGVAM } Ambiguorum complura genera ſunt, quae mihi uidentur ij melius noſſe, qui Dialectici appellantur: de Orat. lib. 2. & in Orat. & de Fin. lib. 1. REGVLAM } Viam, artem, rationem, ſcientiam, diſciplinam, doctrinam. Ariſt. initio Top. μέθοδον. Haec ad eam dialecticae partem pertinet, quae κριτικὴ, alias etiam ἀναλυτικὴ appellatur. nam altera τοπικὴ dicitur. Iccirco de Orat. lib. 2. Dialectica dicitur ars bene diſſerendi, & uera, ac falſa dijudicandi. Idem Tuſcul. 5. ET *quae quibus propoſitis* } Propoſitionum, & argumentationum diſciplinam intelligit. MAXIMAM } μεγίστην etiam Plato in Sophiſta uocat, ſed ἐπιστήμην, non τεχνὴν, id eſt, ſcientiam, non artem. AB *alijs* } Iuriſperitis, qui illa ſine Methodo tractarent. AVT *reſpond. aut ag.* } Paene deſcribit iuriſconſultum; qui lib. 1. de Orat. is definitur, qui ſit ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus. DIALECT. } Ad unum uerbum reuocatur oratio, Part. Orat. LITTERARVM *ſcientiam* } Quidam Grammaticam intelligunt, ut de Orat. 3. litteras ab Ariſtophane tractatas fuiſſe ſcribit. Sed ego hic litteras, uariam eruditionem intelligo, ut ſaepe apud Ciceronem. Ex *ſcriptis* } Tribus praeſertim orationibus, de quibus Fab. lib. 10. cap. 1. Nunc duae tantum exſtant epiſtolae in Famil. Ciceronis ſane bonae. DICENDI *cauſſa* } Hoc eſt, ut dicendo dicere diſceret. nam de exercitatione loqui uidetur. Si cui tamen uideatur pro Dicendi, Diſcendi reponendum eſſe, non repugnabo. C. *Aquillio Gallo* } Hic a Liuio conſul dicitur, ab Vlpiano uero lib. 9. tit. 2. Digeſt. tribunus pleb. Duae familiae fuerunt, una patricia, altera plebeia. Porro Aquillios Sex. Pomp. ab Aquilo, id eſt, fuſco colore appellatos ſcribit: ab aqua, ut Grammatici putant, quae medij, & dubij coloris inter atrum, & album eſſe uidetur, cuiuſmodi etiam Aquila eſt. ACVTI } In definiendo, & cauendo: de Offic. 3. & pro Caecina. EXERCITATI } In iure, & iudicijs, pro Quinctil. & lib. 1. Att. epiſt. 1. DILIGENTIAMQ. } In qua cura, attentio, cogitatio, uigilantia, aſſiduitas, labor. DOCTI, *& eruditi* } Peritiſſimi, paullo ante. Haec duo ſaepe iungit Cicero. CONSIDERATAM } Non naturalem, uoluit oſtendere: antitheton. EXPLEVIT } Maturitatem adhibuit: nam alter celer, alter tardus fuit. HIC } Scaeuola: & eſt ſubiecta per parentheſim ratio. SVPERABATVR } Vt in Curij cauſſa apparuit. CONSVLI *nolebat* } Malebat Craſſus in arte dicendi primus, quam in iure ciuili ſecundus eſſe: in quo fuit Scaeuola ſapientior. Si enim de iure ciuili reſpondere uetuiſſet, cum in eo non tantum ſtudii, quantum Scaeuola poſuiſſet, inferior ſine dubio uiſus fuiſſet. SIC *Ser. ſapientiſſime* } In eo nimirum, quod ſequitur, fecit. CIVILES } Eſt enim Rhetorica Ciuilis diſciplinae pars. Ariſt. ad Nicomachum lib. 1. Rhet. lib. 1. Cic. de Inuent. Plato in Gorgia. PRAESTARET *omnibus* } Princeps omnium eſſet, primus. Periphraſim ſupra ex 9. Philip. recitauimus. CONSVLAREM } Ergo conſulem, & principem in ciuitate uirum decet eloquentia.

CICERO

TVM Brutus, Ita prorſus, inquit, & antea putabam: audiui enim nuper eum ſtudioſe, & frequenter Sami, cum ex eo, ius noſtrum pontificum qua ex parte cum iure ciuili coniunctum eſſet, uellem cognoſcere: & nunc meum iudicium multo magis confirmo teſtimonio, & iudicio tuo: ſimul illud gaudeo, quod & aequalitas ueſtra, & pares bonorum gradus, & artium, ſtudiorumq. quaſi finitima uicinitas tantum abeſt ab obtrectatione, & inuidia, quae ſolet lacerare pleroſque, uti ea non modo non exulcerare ueſtram gratiam, ſed etiam conciliare uideatur. quali enim te erga illum perſpicio, tali illum in te uoluntate, iudicioq. cognoui. itaque doleo, & illius conſilio, & tua uoce populum R. carere tam diu. quod cum per ſe dolendum eſt, tum multo magis conſideranti, ad quos iſta non translata ſint, ſed neſcio quo pacto deuenerint. Hic Atticus, Dixeram, inquit, a principio, de rep. ut ſileremus: itaq. faciamus. nam, ſi iſto modo uolumus ſingulas res deſiderare, non modo querendi, ſed ne lugendi quidem finem reperiemus. Pergamus ergo, inquam, ad reliqua, & inſtitutum ordinem perſequamur.

EXPLANATIO

TVM *Brutus* } Confirmat Brutus Ciceronis de Seruio iudicium. NVPER } Anno quo Caeſar IV. COS. bellum in Hiſpania cum Pompeij filijs geſſit: quo itẽ anno Tullia Ciceronis deceſſit e uita & Brutus ac Ser. Sulp. in Aſia fuerunt: & redeuntes in Italiam, Sami conuenerunt. SAMI } Si nomen eſt urbis, uſitate dicit: ſin eſt inſulae, non caret auctoritate. nam Att. lib. 5. multitudo mihi Sami praeſto fuit. Sic Poe-

ta,

ta, Cretae, lib.3.& Varro de Agric.lib.1. Ithacae.3.de Offic.Sami:& Siciliae, Verrina 6.Cypri, Caeſar de bello Gal.lib.3. IVS *noſtrum* ʒ Vel Romanum, uel noſtrum, qui ſumus pontifices, erat enim augur Brutus, ut alibi diximus, & pontifex. CONIVNCTVM ʒ Ita ut ciuile ſine pontificio eſſe poſſit: pontificium ſine ciuili non poſſit. AEQVALITAS ʒ Aetatis, nimirum. PARES ʒ Vterque fuit quaeſtor, aedilis, praetor, & conſul. QVASI ʒ Tamquam. Hac enim particula ſimilitudinis, mollit tranſlationem ab agris ſumptam. VICINITAS ʒ Quae tanta eſt iuris ciuilis & eloquẽtiae, quanta li.1.de Orat. a Craſſo demonſtratur. QVAE *ſolet lacerare* ʒ Nam figulo, ut aiunt, inuidet. ET *illius conſilio* ʒ Diſtributio. TVA *uoce* ʒ Oratione. TAMDIV ʒ Annos quinque, quibus bellum ciuile exarſit, ad illud tempus. AD *quos* ʒ Improbos ciues, Caeſarianos notat. ISTA ʒ Conſilium, & uox. Vel, Reſp. uel, quae ad Remp. pertinent. NON *tranſlata* ʒ Conſenſu ciuium communi, ut a regno ad x. uiros, &c. NESCIO *quo pacto* ʒ Seditione, & Pompeij imprudentia. DIXERAM ʒ Eo ad te animo uenimus, ut de Republ. eſſet ſilentium. REPERIEMVS ʒ Non reperiemus finem: tanta eſt rerum amiſſarum multitudo, magnitudoq. PERGAMVS ʒ Cum ſit de Rep. ſilendum.

CICERO

PARATVS igitur ueniebat Craſſus: exſpectabatur: audiebatur: a principio ſtatim, quod erat apud eum ſemper accuratum, exſpectatione dignus uidebatur: non multa iactatio corporis, non inclinatio uocis, nulla inambulatio, non crebra ſupploſio pedis: uehemens, & interdum irata, & non plena iuſti doloris oratio: multae, & cum grauitate facetiae: quodq. difficile eſt, idem & perornatus, & perbreuis. iam in altercando inuenit parem neminem. uerſatus eſt in omni genere cauſſarum. mature in locum principum oratorum uenit. accuſauit C. Carbonem, eloquentiſſimum hominem, adoleſcens: ſummam ingenij non laudem modo, ſed etiam admirationem eſt conſecutus. defendit poſtea Liciniam uirginem, cum annos XXVII. natus eſſet: in ea ipſa cauſſa fuit eloquentiſſimus, orationisq. eius ſcriptas quaſdam partes reliquit. uoluit adoleſcens in colonia Narbonenſi cauſſae popularis aliquid attingere, eamq. coloniam, ut fecit, ipſe deducere. exſtat in eam legem ſenior ut ita dicam, quam illa aetas ferebat, oratio. multae deinde cauſſae, ſed ita tacitus tribunatus, ut, niſi eo magiſtratu cenauiſſet apud praeconem Granium, idq. nobis narrauiſſet Lucilius, tribunum pl. neſciremus fuiſſe.

EXPLANATIO

PARATVS ʒ Contra, atque Antonius, qui ſemper imparatus aggredi ad dicendum uidebatur. ſupra. EXSPECTABATVR ʒ Vt orator perfectus. Id optat Cicero infra: Volo, inquit, hoc oratori contingat, ut, cum auditum ſit, eum eſſe dicturum, locus in ſubſellijs occupetur, compleatur tribunal, gratioſi ſcribae in dando & cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus. A PRINCIPIO ʒ Nam, cum ſurgebat, ſignificabatur a corona ſilentium. ACCVRATVM ʒ Nam principia dicendi ſemper cum accurata, & acuta & inſtructa ſententijs, apta uerbis, tum uero cauſſarum propria eſſe debent. NON *multa iactatio* ʒ Et modica eſſe debet, in Or. nam multa reprehenditur, ut infra in Curione. NON *inclinata uoce* ʒ Nam, ſi inclinata, ululantiq. uoce more Aſiatico canere coepiſſet, quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri? ut in Oratore ait. Et Quinct. lib.11.c.3. Sint quaedam non ita magnae uocis declinationes. NVLLA *inambulatio* ʒ Nullus inceſſus, ut ſupra de Antonio, qui tamen ſi ſit rarus, non improbatur, ut ſupra diximus. Craſſus de ſe li.3.de Orat. Quibus ueſtigijs primum inſtiti, in ijs fere ſoleo perorare. NON *crebra* ʒ Debet enim eſſe rara, ut ſupra de Antonio. Hanc pedis (dextri ſcilicet) ſupploſionem, Sulpicius imitabatur: de Orat.3. VEHEMENS ʒ παθητικον genus orationis deſcribit. Vide de Orat. lib.2. CVM *grauitate facetiae* ʒ Supra, cum grauitate iunctus facetiarum. ET *perornatus & perbreuis* ʒ Mediocritatem illam laudatam innuit de ornamentis Craſſi, Antonius lib.2. Sic ſtatuo, neminem omnium tot & tanta, quanta fuerunt in Craſſo, habuiſſe ornamenta dicendi. De breuitate ibidem: Breuis, inquit, eſt L. Craſſi oratio, ſi tamen eſt breuitas, cum tantum uerborum eſt, quantum neceſſe eſt. Et ipſe Craſſus lib.1.de Orat. Neque grauabor, breuiter meo more, quid quaque de re ſentiam, dicere. IN *altercando* ʒ De altercatione tamquam oratori neceſſaria Quinctil. lib.6.cap.5. pracepta tradit, & Cicero Epiſt. lib.1.ad Atticum exempla. IN *omni genere cauſſarum* ʒ Demonſtratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali, & ſi qua ſunt alia. MATVRE ʒ Nam mature etiam in forum uenit. Ipſe de ſe lib.1.de Orat. Ante ad agendum, quam ad publicas cauſſas, acceſſi. Et lib.2. Puer in forum ueni. ADMODVM *adoleſcens* ʒ Sic lib.1.de Offic. Adoleſcentulus, lib.1.de Orat. Annos natus unum & uiginti, libro 3. de Orat. Cor. Tacitus in dialogo de Orat. Decimum nonum. EST *conſecutus* ʒ De tanto oratore loquens dichoreo utitur. Craſſus tamen ipſe, ſe nullius rei tam paenitere dicebat, quam quod umquam C. Carbonem in iudicium uocauiſſet: ut Verrina quincta teſtatur Cicero. DEFENDIT ʒ De inceſtu. LICINIAM ʒ Vt propinquam: nam Craſſus erat Licinius: ſummo certe loco natam, & ſanctiſſimo ſacerdotio praeditam, pro Domo ſua: de qua Liu. lib.63. RELIQVIT ʒ Quid eſt igitur, quod Cicero dicit in proemio lib.2. de Orat. Nihil eum reliquiſſet? Hyperbolicos hoc dictum ibi uidetur, cum parum admodum reliquiſſet. nam ſic etiam de Socrate loquitur de Orat.lib.3. Litteram eum nullam reliquiſſe, cum Diogenes in eius uita uerſus eius ponat: & ipſemet apud Platonem in Phaedone, ſe quaedam Aeſopi more ſcripſiſſe teſtetur. Aut hic de orationibus intelligit, ſecundo uero lib. de Orat. de arte. nam nihil prorſus de arte ſcripſit VOLVIT *adoleſcens* ʒ Annos

nos duos & uiginti natus. Colonia} Ciuium Romanorum, pro Fonteio: Decumanorum, Plin. lib. 3. cap. 4. quod, ut exiſtimare licet, milites decimae legionis in eam coloniam ſint deducti. Popvlaris} Nam populare eſt deducere colonos, & illis in alieno ſolo agros aſſignare, contra Rullum. Exstat} Exſtabat tum, ut etiam lib. 2. de Orat. oſtendit. In *eam legem*} Quae contraria erat coloniae deducendae: uel, in eam legem, id eſt, pro ea lege, quam Q. Marcius conſul tulit: unde & Narbo Marcius appellatus. Senior} Stylo, & genere dicendi remiſſiore, quali ſenes uti ſolent. Senilis, Catachreſis, iccirco addit, ut ita dicam. Senior maſculinum eſt: & tamen Cicero 2. de Leg. uim & aetatem ſeniorum: & infra, auctoritatem ſeniorem: & Tibullus lib. 1. eleg. 6. feminam ſenem dixit. Tacitvs} Obſcurus: ut,

—— Tacitae per amica ſilentia Lunae,

dixit Virgil.

Obſcurus autem, quod de eo nihil exſtaret, quod nihil ipſe ſcriptum reliquiſſet, ut ſit hypallage. Granivm} Q. Granium, quo nemo fuit dicacior. de quo plura lib. 2. de Orat. ubi de iocis agitur. Lvcilivs} Si poetam intelligit, nobis narrauit, de ſcriptis intelligendum eſt: ſin L. Lucilium Balbum, proprie narrauit. nam hunc audiſſe potuit, non illum, qui uix nato Cicerone e uita deceſſit. Euſebius.

C I C E R O

Ita prorſus, inquit Brutus. ſed ne de Scaeuolae quidem tribunatu quidquam audiuiſſe uideor: & eum collegam Craſſi credo fuiſſe. Omnibus quidem alijs, inquam, in magiſtratibus: ſed tribunus anno poſt fuit; eoq. in Roſtris ſedente, ſuaſit Seruiliam legem Craßus. nam cenſuram ſine Scaeuola geſſit. eum enim magiſtratum nemo umquam Scaeuolarum petiuit. ſed, haec Craſſi cum edita oratio eſt, quam te ſaepe legiſſe certo ſcio, quattuor & triginta tum habebat annos, totidemq. annis mihi aetate praeſtabat. ijs enim conſulibus eam legem ſuaſit, quibus nati ſumus, cum ipſe eſſet Q. Caepione conſule natus, & C. Laelio, triennio ipſo minor, quam Antonius. quod iccirco poſui, ut, dicendi Latine prima maturitas, in qua aetate exſtitißet, poßet notari; & intelligeretur, iam ad ſummum paene eße perductam; ut eo nihil ferme quiſquam addere poſſet, niſi qui a philoſophia, a iure ciuili, ab hiſtoria fuißet inſtructior. Erit, inquit M. Brutus, aut iam eſt iſte, quem exſpectas? Neſcio, inquam. ſed eſt etiam L. Craſſi in cenſura pro Q. Caepione, defenſione iuncta, non breuis, ut laudatio, ut oratio, autem, breuis, poſtrema cenſoris oratio, qua anno duodequinquageſimo uſus eſt. in his omnibus ineſt quidam, ſine ullo fuco, ueritatis color. quin etiam comprehenſio, & ambitus ille uerborum (ſi ſic periodum appellari placet) erat apud illum contractus, & breuis; & in membra quaedam, quae κῶλα Graeci uocant, diſpertiebat orationem lubentius.

E X P L A N A T I O

Sed *ne de Scaeuolae quidem*} pontificis P. F. qui altero Scaeuola augure iunior fuit. Collegam} In tribunatu, ut falſo putauit Brutus. Omnibvs} quaeſtura, aedilitate, conſulatu. Anno *poſt*} poſt L. Craſſum trib. pleb. Non fuit igitur collega. Eoq.} Q. Scaeuola pontifice. In *roſtris*} Ex quibus cum populo agebatur. Sedente} ut trib. plebis: uel, Sedente, id eſt, praeſente. Serviliam *legem*} Q. Seruilij Caepionis. paullo poſt. Gessit} Cum Cn. Domitio Ahenobarbo, ut mox dicet. Nemo} Liuius tamen lib. 43. ſcribit, P. Mucium Scaeuolam cenſuram petijſſe, quamuis repulſam tulerit. Haec} qua Seruiliam legem ſuaſit. Tvm} C. Atilio Serrano, Q. Seruilio Caepione conſulibus. Gell. lib. 15. cap. 28. Nati *ſumus*} Aliud agens Cicero, uel agere ſimulans, uitam ſuam paene totam in hoc dialogo diuerſis locis, ne res facile deprehendatur, deſcribit: quam qui cupiunt totam ſimul, apud Plutarchum, uel etiam ex recentioribus, Chriſtophorum Pannonium, uel etiam Sebaſtianum Corradum in Quaeſtura, legant. Cvm *ipſe*} L. Craſſus. Q. *Caep. & C. Laelio*} Alias ſolent ſine, Et, conſules coniungi. Consvle} An. ab v. c. 614. Triennio *ipſo*} Triennio integro: ut alibi admonuimus conſueſſe Ciceronem. Ant.} M. Antonius, qui idem lib. 2. de Orat. affirmat. Iccirco *poſui*} Anticipatio, ne quis dicat, iccirco poſuiſſe, ut de ſe loqueretur. Prima *maturitas*} Eſt etiam ultima, quae in Cicerone apparuit. Posset *notari*} hac conſulum, & temporis notatione cognoſci. Iam} Iam tum in Lucio Craſſo. Addere *poßet*} Paullum hic aliquid poterit addere. Nisi *qui*} Quae ſequuntur, de ſe intelligi uoluit, ut etiam Brutus intellexit. Et, a philoſophia inſtructus, dixit, ut imparati a militibus, a pecunia, orba ab optimatibus concio, & id genus alia. Erit} Sine interrogatione lego: ut de Orat. lib. 1. Antonius: qui eloquens dici poſſit, aut hic eſt iam Craſſus: aut ſi quis pari fuerit ingenio, pluraq. quam hic, & audierit, & lectitarit, & ſcripſerit. His uerbis Ciceronem ſignificare uoluit. Nescio} Modeſte dicit ſe neſcire, ne aut Craſſo detrahat, aut ſibi arroget hunc honorem. Sed} Reditus ad rem. Q. *Caep.*} Q. Seruilio Caepione, qui cauſſam dixit de amiſſione exercitus, culpam in fortunam transferens, ad Heren. lib. 1. Non *breuis*} Satis longa: paullo poſt, Breuis, contentione, dixit. Lavdatio} In iudicijs reus decem laudatores dabat, aut nullum: nam nullum, honeſtius erat, quam decem non dare. Cic. Verr. 7. Censoris *oratio*} Cenſoria nimirum L. Craſſi. Vsvs *eſt*} contra Cn. Domitium collegam, ut paullo poſt dicet. In *his omnibus*} orationibus Craſſi. Sine *ullo fuco*} ſine pigmentis, fucoq. puerili. lib. 2. de Orat. Veritatis *color*} Non fucatus nitor. ſupra. Translatio a feminis, quae ſe fucatae uenditant, & fucum ama-

toribus faciunt. PERIODVM } περίοδον in Oratore ſcribit, de quo ibidem ipſe pulchre, & Ariſtoteles in tertio ad Theodecten, & Demetr. Phalereus in libro de Elocutione, & Aquila Rom. & Fabius, & Hermogenes ex Veteribus ſcripſerunt: ex nouis multi. CONTRACTVS } Debet enim eſſe, neque breuior, quam ſatis eſt, neque longior. in Oratore. Κῶλα } Membra, omnes appellant Latini. DISPERTIEBAT } Sic enim plerumque dicebat: quod dicendi genus maxime probat Cicero in Oratore.

CICERO

HOc loco Brutus, Quandoquidem tu iſtos oratores, inquit, tantopere laudas, uellem aliquid Antonio, praeter illum de ratione dicendi ſane exſilem libellum, plura Craßo libuißet ſcribere. cum enim omnibus memoriam ſui, tum etiam diſciplinam dicendi nobis reliquiſſent. nam Scaeuolae dicendi elegantiam ſatis ex ijs orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. Et ego, Mihi quidem a pueritia quaſi magiſtra fuit, inquam, illa in legem Caepionis oratio: in qua & auctoritas ornatur ſenatus, quo pro ordine illa dicuntur: & inuidia concitatur in iudicium, in accuſatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. multa in illa oratione grauiter, multa leniter, multa aſpere, multa facete dicta ſunt: plura etiam dicta, quam ſcripta: quod ex quibuſdam capitibus expoſitis, nec explicatis, intelligi poteſt. ipſa illa cenſoria contra Cn. Domitium collegam non eſt oratio, ſed quaſi capita rerum, & orationis commentarium paullo plenius: nulla eſt enim altercatio clamoribus umquam habita maioribus. Et uero fuit in hoc & popularis dictio excellens: Antonij genus dicendi multo aptius iudicijs, quam concionibus.

EXPLANATIO

HOc *loco Brutus* } Bruti honeſtam optationem inſerit: ſed huic deſiderio ſatisfecit pro Craſſo, Cicero. DE *ratione dicendi* } De Rhetorica: eſt enim ratio, ſeu doctrina, ſeu diſciplina (ut mox dicet) dicendi. MEMORIAM } Quae iam propemodum conſenuiſſet, niſi tu Cicero illam libris Oratorijs immortalem reddidiſſes. lib. 2. de Orat. IN *legem Caepionis* } Vt ſupra, in eam legem, id eſt, pro ea lege Seruilia, qua, ut ſcribit Caſſiodorus, iudicia cum equitibus, & ſenatoribus communicauit. Hanc ſuaſit Craſſus: iccirco infra, ſuaſio dicitur. ORNATVR } Contra atque in cauſſa Narbonenſi, in qua de ſenatus auctoritate detraxit. POPVLARITER } Quia multa ad populi commodum dicebat. GRAVITER, *& leniter* } Contentio. CENSORIA } Cenſoris oratio, ſupra, cuius uerba quaedam profert Antonius 2. de Orat. In qua oratione illud dixit, quod in Nerone ſcribit Suetonius, Non eſſe mirandum, ſi aeneam barbam haberet Domitius, cui eſſet os ferreum, cor plumbeum. NVLLA *eſt enim* } Nec concio maior umquam fuit: nec apud populum grauiter oratio: quam L. Craſſi contra collegam in cenſura, neque lepore, & feſtiuitate conditior. lib. 2. de Orat.

CICERO

HOc loco ipſum Domitium non relinquo. nam, etſi non fuit in oratorum numero, tamen pono ſatis in eo fuiſſe orationis, atque ingenij, quo & magiſtratus perſonam, & conſularem dignitatem tueretur. quod idem de C. Coelio dixerim, induſtriam in eo ſummam fuiſſe, ſummasq. uirtutes, eloquentiae tantum, quod eſſet in rebus priuatis amicis eius, in rep. ipſius dignitati ſatis. Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus Latine & diligenter loquentibus numeratus eſt: qui tamen ſumma nobilitate hominem, cognatione, ſodalitate, collegio, ſumma etiam eloquentia, L. Philippum in conſulatus petitione ſuperauit. Eodem tempore C. Clodius, etſi propter ſummam nobilitatem, & ſingularem potentiam magnus erat, tamen etiam eloquentiae quandam mediocritatem afferebat. Eiuſdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius: qui, meo iudicio, eo perueniße uidetur, quo potuit fere Latinus orator ſine Graecis litteris, & ſine multo uſu peruenire. huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico ſtylo ſcriptae eſſe uideantur. eaſdem argutias in tragoedias ſatis ille quidem acute, ſed parum tragice tranſtulit. quem ſtudebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut ſcitis, diſertus. Fuit etiam Q. Rubrius Varro, qui a ſenatu hoſtis cum C. Mario iudicatus eſt, acer, & uehemens accuſator. In eo genere ſane probabilis, doctus autem Graecis litteris, propinquus noſter, factus ad dicendum, M. Gratidius, M. Antonij perfamiliaris: cuius praefectus cum eſſet in Cilicia, eſt interfectus: qui accuſauit C. Fimbriam, M. Marij Gratidiani pater.

EXPLANATIO

HOc *loco* } Quo de M. Antonio, L. Craſſo, & Q. Scaeuola pont. loquor. DOMITIVM } Cn. Domit. Ahenobarbum, qui legem tulit trib. pl. ut ſacerdotes, quos antea collegae ſufficiebant, populus crearet. Paterculus lib. 2. qua lege ipſe poſtea pont. max. creatus eſt. Liu. 67. Conſul cum C. Caſſio Longino fuit. Sueton. in Neron. PONO } Iudico, duco, exiſtimo. ORATIONIS, *atque ingenij* } Naturalis ordo eſt, Ingenij,

genij, & O rationis. nam oratio, ingenij opus eſt. Tvereтvr } Obtineret, ſupra de Ser. Sulpicio. C. *Coelio* } C. Coelio Caldo, qui fuit homo nouus. de Orat. lib. 1. & Verr. 7. & de pet. conſulatus, ad Q. Fr. Conſul tamen fuit cum Domitio Ahenobarbo. Cognatione } Marcia gente patricia, ut ſupra de L. Marcio. quamuis hic L. Mar. Philippus plebeius fuiſſe uideatur, cum a Cic. de Offic. lib. 2. dicatur in tribunatu legem agrariam tuliſſe. Sodalitate } Sodalitas erat quaedam aequalium amicitia, & ſocietas, qua ſibi mutua auxilia, ſuffragiaq. promittebant, qui ſodales erant, atque in ueterum monumentis Titios ſodales fuiſſe legimus. Reges grauiores quaſdam ſodalitates inſtitutas habent: cuiuſmodi Rex Hiſpaniae, aurei uelleris quae dicitur; Gallus, conchiliati torquis: Anglus, giareteriae, quae ſunt crurium faſciolae ad ornatum comparatae. Collegio } Pro eadem fere capitur ſodalitate. nam apud iuriſperitos ſodales dicuntur, qui ſunt eiuſdem collegij. Ego tamen Collegia intelligo quorumcumque artificum, itemq. dignitatum, aut magiſtratuum ſocietatem: unde collegium fabrorum, eruditorum, augurum, ſacerdotum, praetorum legimus. Eodem *tempore* } Fuit enim conſul inter Herennium, & Philippum. C. *Clod.* } C. Clod. Pulcher, App. F. Svmmam *nobilit.* } De Claudiorum nobilitate Suetonius in Tiberio multa. Potentiam } Hinc pro Plancio, potentiſſimum, & clariſſimum ciuem uocant. Vsv } Qui omnium magiſtrorum praecepta ſuperat. de Orat. lib. 1. qui magiſter eſt optimus, pro Rabirio: quem penes arbitrium eſt, uis, & norma loquendi. Hor. in Poetica: Exercitatione, quae omnia poſſe dicitur. Argvtiarvm } Quae in ſententiis ſpectari ſolent. nam ſententiae, ſi ſunt argutae, delectant. de opt. gen. Orat. Exemplorvm } Quae quantam uim habeant, oſtendit Cic. lib. 1. de Orat. Vrbanitatis } Ioci, ſalis, facetiarum. de quibus lib. 2. de Orat. copioſe. Attico } ſcito, & eleganti. unde prouerbium, Atticus lepos. neque enim Titius Graece ſcripſit. Sic Latinum Atticiſmum, epiſt. 16. lib. 4. Att. Vel, Attico, faceto, quod Attici in eo genere praeter ceteros excellerent. lib. 2. de Oratore. Esse *uideantur* } clauſula Ciceroni familiaris, quae trochaeo, & paeone tertio, uel dactyloſcolio conſtringitur. In *tragoedias* } Nam alter fuit Lyricus poeta, qui Auguſti tempore uixit. Parvm *tragice* } Parum grauiter. nam,

> Omne genus ſcripti grauitate Tragoedia uincit,

ut ait Horatius in Arte. L. *Afranius* } Huius ſunt illi uerſus apud Gellium:

> Vſus me genuit, mater peperit memoria:
> Sophiam me uocant Graij, Latini ſapientiam.

Disertvs } Ita, ut inter oratores locum habere poſſit. A *ſenatu* } Qui XII hoſtes iudicauit, ut Liu. 77. & Paterculus lib. 2. in quibus tamen nullus Q. Rubrius nominatur, neque apud Appianum. C. *Mario* } patre, cuius uitam ſcripſit Plutarchus. In *eo genere* } accuſatorio. M. *Graditius* } M. Marius Graditius, cuius ſororem auus Ciceronis in matrimonio habuit. lib. 3. de Leg. Factvs } A natura. M. *Ant.* } Oratoris illius magni, de quo ſupra.

C I C E R O

Atqve etiam apud ſocios, & Latinos oratores habiti ſunt Q. Vettius Vettianus e Marſis, quē ipſe cognoui, prudens uir, & in dicendo breuis: Q. & D. Valerij Sorani, uicini, & familiares mei, non tā in dicendo admirabiles, quam docti & Graecis litteris, & Latinis: C. Ruſticellus Bononienſis, is quidem & exercitatus, & natura uolubilis: omnium autem eloquentiſſimus extra hanc urbem T. Betutius Barrus Aſculanus, cuius ſunt aliquot orationes Aſculi habitae, illa Romae contra Caepionem, nobilis ſane: cui orationi Caepionis ore reſpondit Aelius; qui ſcriptitauit orationes multas, orator ipſe nūquam fuit. Apud maiores autem noſtros uideo diſertiſſimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Ti. Gracchi P. F. fere aetate. eius autem oratio eſt pro Fregellanis, colonisq. Latinis habita in ſenatu.

E X P L A N A T I O

Atqve *etiam apud ſocios, & Latinos* } De oratoribus extra urbem Italos proponit: & diſtinguit a Latinis ſocios. nam Latini in Latio fuerunt: ſocij in Italiae regionibus ceteris: quod eſt perpetuo in hiſtoria tenendum. E *Marſis* } Hi in Latio non ſunt, ſed ſocij tamen. Q. } Q. Valer. Soranus, qui lib. 3. de Orat. Togatorum omnium litteratiſſimus appellatur. D. } Decimus Valerius Soranus, a Sora inter urbes Latinas habita. Vicini } Romae. nam Sora multum diſtat ab Arpino. Vel, Vicini ruri: ſic enim ſolet uicinos etiam appellare. Volvbilis } Vt ſupra Carbo. Hanc *urbem* } Romam. Asculanvs } Aſculum colonia Piceni nobiliſſima. Plinius. Aelivs } De quo, & de ipſa oratione, infra. Orationes *multas* } Quas alij dicerent, infra. Nvmqvam *fuit* } Numquam ipſe cauſſas egit: ſed orationes aliis ſcripſit. Ex *Latio* } Latium inter Tiberim & Vulturnum amnem eſt. in eo ſunt Fregellae colonia, in agro Volſcorum, quos Plin. in Latio ponit:

> — Genus unde Latinum, Virg. Aen. 1.

Tib. *Gracchi* } Gracchorum hic fuit pater. Pro *Fregellanis* } Qui poſtea euerſi a Romanis fuerunt, de quibus eſt illud ad Herennium: O perfidioſae Fregellae &c. Colonisq. *Latinis* } Malo legere, Coloniisq. Latinis, ut habuiſſe orationem intelligatur pro colonia Fregellana, ceterisq. coloniis Latinis: ut olim M. Sey-

ſius Ftegellanus pro duodeuiginti coloniis reſpondit,ut ait Liuius lib. 27. ubi,& lib. 29. colonias Latinas paene omnes numerat.

CICERO

TVM Brutus, Quid tu igitur, inquit, tribuis iſtis externis quaſi orationibus? Quid cenſes, inquã, niſi idem, quod urbanus, praeter unum, quod non eſt eorum urbanitate quadam quaſi colorata oratio? Et Brutus, Qui eſt, inquit, iſte tandem urbanitatis color? Neſcio, inquam: tantum eſſe quendam ſcio. Id tu, Brute, iam intelliges, cum in Galliam ueneris. audies tu quidem etiam uerba quaedam non trita Romae: ſed haec mutari, dediſciq. poßunt: illud eſt maius, quod in uocibus noſtrorum oratorum recinit quiddã, & reſonat urbanius. nec hoc in oratoribus modo apparet, ſed etiam in ceteris. ego memini, T. Tincam Placentinum, hominem facetiſſimum, cum familiari noſtro Q. Granio praecone dicacitate certare. Eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Iſto ipſo. ſed Tincam, non minus multa ridicule dicentem, Granius obruebat neſcio quo ſapore uernaculo: ut ego iam non mirer illud Theophraſto accidiſſe, quod dicitur; cum percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid uenderet; & reſpondiſſet illa, atque addidiſſet, Hoſpes non pote minoris; tuliſſe eum moleſte, ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cum aetatem ageret Athenis, optimeq. loqueretur. omnium, ſicut opinor, in noſtris eſt quidam urbanorum, ſicut ille Atticorum, ſonus.

EXPLANATIO

TVM *Brutus* ʒ Bona quaeſtio de diſcrimine uocis, ſeu orationis Romanae, & reliquarum urbium. QVASI *oratoribus* ʒ Vel cum Externis, uel cum Oratoribus coniungi poteſt. VRBANIS ʒ In urbe natis, uere Romanis. VRBANITATE ʒ Vrbana, & Romana quadam elegantia. QVASI *colorata* ʒ Translationem paullo duriorem, hac particula, Quaſi, mollit. VRBANITATIS *color* ʒ Translatio ab oculorum ſenſu, ad aures, quae uicinae ſunt. At de Orat. lib. 3. in translatis, odor urbanitatis, dixit, ſumpta ab olfactu translatione. NESCIO ʒ Quod res ea ſit, quae facilius intelligi, quam uerbis explicari poſſit. SCIO ʒ Antitheton, Repugnans. Vniuerſalia ſunt per ſe magis nota: ut, ſi quis herbam eſſe ſciret, quae oſtenditur; quae autem ſit, ignoret. Multa quoque ſunt, quae intelliguntur, oratione explicari non poſſunt. INTELLIGES ʒ Contrarium audies, ut ſi quis aliquid non eſſe Leonem intelligat: quid autem ſit Leo, dicere non poſſit. IN *Galliam* ʒ citeriorem, quae Longobardia dicitur, quae ei erat a Caeſare attributa. VRBANIVS ʒ Hinc lib. 3. de Orat. Suauius dixit. T. *Tincam* ʒ Alij, Tineam: alij, ut Quinctil. lib. 1. cap. 10. Tingam legunt. EON' ʒ Eo ne, apocope. MVLTA ʒ Scripſit. de quo Gell. lib. 4. cap. 17. ubi in uerſibus Lucilij, pro Gtaij, Granij legendum eſt. SED *Tincam* ʒ Epanalepſis, reuocatio uerbi. SAPORE ʒ Suauitate, quae exibat ex ore. de Orat. 3. Eſt translatio a guſtatu. VERNACVLO ʒ Domeſtico, urbano, patrio, Romano: opponitur Placentino. VT *ego iam non mirer* ʒ Theophraſti, uiri in loquendo ſuauiſſimi, exemplo probat, quam difficile ſit proprium, & natiuum linguae ſonum imitari. ANICVLA ʒ Anu Attica, Fabius lib. 8. cap. 2. NON *pote* ʒ Non poteſt: alij, Non potes.

CICERO

SED domum redeamus, id eſt ad noſtros reuertamur. Duobus igitur ſummis, Craßo, & Antonio, L. Philippus proximus accedebat, ſed longo interuallo tamen proximus. itaque eum, etſi nemo intercedebat, qui ſe illi anteferret, neque ſecundum tamẽ, neque tertium dixerim. nec enim in quadrigis eum ſecundum numerauerim, aut tertium, qui uix e carceribus exierit, cum palmam iam primus acceperit, nec in orationibus, qui tantum abſit a primo, uix ut in eodem curriculo eſſe uideatur. ſed tamen erant ea in Philippo, quae qui ſine comparatione illorum ſpectaret, ſatis magna diceret, ſumma libertas in oratione, multae facetiae, ſatis creber in reperiendis, ſolutus in explicandis ſententijs. erat etiam in primis, ut temporibus illis, Graecis doctrinis inſtitutus, in altercando cum aliquo aculeo, & maledicto facetus. Horum aetati prope coniunctus C. Gellius, non tam uendibilis orator, quam ut neſcires quid ei deeſſet. nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, & uerbis ſolutus ſatis; ſed in magnos oratores inciderat eius aetas: multam tamen operam amicis, & utilem praebuit: atque ita diu uixit, ut multarum aetatum oratoribus implicaretur, multũ etiã in cauſſis uerſaretur

EXPLANATIO

SED *domum redeamus* ʒ Prouerbium, per allegoriam, ab ipſo explicatum: Domum, pro Romanis oratoribus: aut, Domum, id eſt, Romam. L. *Philipp.* ʒ L. Marcius Philippus, qui gloriabatur, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quae haberentur ampliſſima. de Offic. 2. Hic eloquentia, grauitate, honore, florentiſſimus, pro Quinctio dicitur. LONGO *interuallo* ʒ Hunc locum Poeta libro 5. eſt imitatus, aut potius uſurpauit:

Proximus huic, longo ſed proximus interuallo

Inſequitur

Inſequitur Salius. —

INTERCEDEBAT } Inter ipſum, & Craſſum, & Antonium. IN *quadrigis* } In quadrigarum curriculo. SVMMA *libertas* } Vt, cum dixit, uidendum ſibi aliud eſſe conſilium: illo ſenatu, ſe rempub. gerere non poſſe, & alia id genus, nec meditabatur quid eſſet dicturus, qui ita ſolebat ad dicendum ſurgere, ut quod primum uerbum habiturus eſſet, neſciret: & aiebat, cum brachium calefeciſſet, tunc ſe ſolere pugnare. de Oratore ſecundo. MVLTAE *facetiae* } Multus lepos, lib. 1. de Officiis. VT *temporibus illis* } In quibus, non uſqueadeo Graece erudiebantur. Sic ſupra de Bruto, & Antipatro dixit. CVM *maledicto* } Quod uetat Cicero lib. 2. de Orat. uelut cum Q. Catulum rogauit, quid latraret? cui tamen ille non minus mordaciter reſpondit, quia furem uideo. L. *Gellius* } Poplicola cognomento, qui omnibus honoribus ad cenſuram uſque defunctus eſt, Valer. Max. lib. 5. cap. 9. nam & praetor, & conſul, & proconſul fuit. Et conſul quidem. cum Cn. Cornelio Lentulo. quare Verrina 4. pro Cn. Lentulus & Lucullus, legendum eſt., Cn. Lentulus & L. Gellius conſules. Cenſor item cum eodem. Bello piratico Pompeij legatus: Florus, App. in Mithridatico. NEC *enim erat indoctus* } Nam Carbonem illum eloquentiſſimum audierat. ſupra. NEC *tardus* } Quod ad inuentionem pertinet. ROMANARVM *rerum* } quarum peritum eſſe debere oratorem, Craſſus lib. 1. de Orat. ait. IMMEMOR } In eo fuiſſe memoriam innuit. VERBIS *ſolutus* } Hoc de elocutione intelligitur. IN *magnos oratores* } Craſſum, Antonium, L. Philippum. AMICIS } Vt Liguri, cuius cauſſam defendit. Verrina 3. DIV *uixit* } Ergo prudentia, & moderatione non caruit, quam oſtendit in filii cauſſa, quem de grauiſſimis criminibus reum, & in his parricidii cogitati, non ſtatim ad uindictam procurrit, ſed, facta filio ſui defendendi poteſtate, cum innocens inuentus eſſet, abſoluit. Valerius Max. libri quincti cap. 9. de Moderatione.

CICERO

ISDEM *fere temporibus D. Brutus, is, qui conſul cum Mamerco fuit, homo & Graecis doctus litteris, & Latinis. Dicebat etiam L. Scipio non imperite. Cnaeuſq. Pompeius Sex. F. aliquem numerum obtinebat. nam Sextus frater eius praeſtantiſſimnm ingenium contulerat ad ſummam iuris ciuilis, & ad perfectam geometriae, & rerum Stoicarum ſcientiam. Item in iure, & ante hos M. Brutus, & paullo poſt eum C. Bilienus, homo per ſe magnus, prope ſimili ratione ſummus euaſerat; qui conſul factus eſſet, niſi in Marianos conſulatus, & in eas petitionis anguſtias incidiſset. Cn. autem Octauij eloquentia, quae fuerat ante conſulatum ignorata, in conſulatu multis concionibus eſt uehementer probata. Sed ab eis, qui tantum in dicentium numero, non in oratorum fuerunt, iam ad oratores reuertamur. Cenſeo, inquit Atticus: eloquentes enim uidebare, non ſedulos, uelle conquirere.*

EXPLANATIO

ISDEM *fere temporibus* } Inter L. Gellii, & huius Bruti conſulatum anni quattuor numerantur. D. *Brutus* } Qui Iunianus in conſulibus appellatur. CVM *Mamerco fuit* } M. Aemilio Mamerco, anno ab urbe condita 677. DICEBAT } Diſertus, non eloquens erat: ut paullo poſt, Dicentes ab Oratoribus ſeparat. L. *Scipio* } Aſiaticus, quem etiam Naſicam dictum quidam uolunt. Hic cum C. Norbano conſul fuit, ut in orat. pro Quinctio. CN. *q. Pompeius* } Strabo, Magni pater, uir honoribus, & rebus geſtis clarus, fulgure exſtinctus eſt in lecto, ut ait Appianus: cuius cadauer e lecto detraxit, & proiecit populus, qui illum oderat, tantum, quantum poſtea filium dilexit. Plutar. in Pomp. SEX. *F.* } Sexti filius, ut Philip. XI. ſcribit. ALIQVEM *numerum* } Nam & T. Albucium uoluit accuſare, Verr. prima. NAM *Sex.* } De quo lib. 1. & 3. de Orat. fit mentio. FRATRE *eius* } Hunc Philippica XII. doctum uirum, atque ſapientem uocat, quem Scato, dux Marſorum, cum ſalutaſſet, Quem te appellem, inquit? at ille, Voluntate hoſpitem, neceſſitate hoſtem. IVRIS *ciuilis* } Hinc a nonnullis inter iuriſconſultos numeratur. GEOMETRIAE } In qua illum multum operae poſuiſſe, Cicero ſe cognouiſſe lib. 1. de Offic. affirmat. RERVM *Stoicarum* } Ob id illum inter Stoicos numerat lib. 3. de Oratore. M. *Brutus* } Videtur hic pater Bruti accuſatoris fuiſſe, quem ſupra uirum optimum, & iuris peritiſſimum uocauit. C. *Bilienus* } Fortaſſe legendo, Bellienus, cuius mentio fit pro Fonteio: & apud Aſconium Pedianum, Bellieni cuiuſdam Catilinae auunculi fit mentio, qui damnatus fuit. PER *ſe* } Sua uirtute. SIMILI } Ac M. Brutus. CONSVLATVS } ſeptem. ANGVSTIAS } quibus excludebantur, qui non poterant potentioribus aduerſari. INCIDISSET } Dichoreus. CN. *Octauij* } Hunc exiſtimo filium fuiſſe illius Cn. Octauij, qui lib. 1. de Orat. Conſularis appellatur. Hic in aedilitate praeteritus, tamen poſtea conſul factus eſt, pro Plancio. Conſul igitur armis collegam ſuum L. Cinnam expulit, in Catil. 3. qui Cinna non multo poſt reuerſus, illi praecidi caput iuſſit. Tuſcul. 5. & pro Roſtris exponi, Flor. lib. 3. cap. 21. CONCIONIBVS } quas Octauius habuit, dum Cinnae, leges pernicioſas ferenti, reſiſtebat. Liu. lib. 79. SED *ab eis* } Reditus ad rem. DICENTIVM *numero* } Hic Dicentes ab Oratoribus aperte diſtinguit, ut Dicentes ſint, qui ſeduli ſunt in dicendo, ſed non magna eloquentia.

CICERO

*F*ESTIVITATE *igitur, & facetijs, inquam, C. Iulius L.F. & ſuperioribus, & aequalibus ſuis omnibus praeſtitit, oratorq. fuit minime ille quidem uehemens, ſed nemo umquam urbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitate conditior. ſunt eius aliquot orationes, ex quibus, ſicut ex eiuſdẽ tragoedijs, lenitas eius ſine neruis perſpici poteſt. Eius aequalis P. Cethegus: cui de rep. ſatis ſuppeditabat oratio: totam enim tenebat eam, penitusq. cognorat: itaque in ſenatu conſularium auctoritatem aſſequebatur, ſed in cauſſis publicis nihil, priuatis ſatis ueterator uidebatur. Erat in priuatis cauſſis Q. Lucretius Veſpillo & acutus, & iuris peritus, nam Offella aptior concionibus, quam iudicijs. prudens etiam T. Annius Velina, & in eius generis cauſſis orator ſane tolerabilis.*

EXPLANATIO

FESTIVITATE] Videtur duo genera facetiarum uoluiſſe complecti, quae hic Iulius lib. 2. de Oratore facit: quorum alterum perpetuam feſtiuitatem, alterum dicacitatem habet. CAIVS] Suetonius in C. Caligula ait, Caeſares omnes, quibus Caius praenomen fuit, ferro periiſſe. Et hic C. Iulius Caeſar dictus eſt, Catuli patris frater. Strabo quoque dictus, ut aiunt Paterculus, & Suet. & ipſe ſeditione Cinnana interfectus eſt. PRAESTITIT] Iccirco inducta eius perſona in libros de Orat. quae de iocis, & facetiis doceret: de quo Craſſus lib. 3. de Orat. Quid noſter hic Caeſar? &c. CONDITIOR] Quoniam per tranſlationem ioci, ſales, & ſal, appellantur: ideo etiam de iocis loquens, Conditior dixit. P. *Cethegus*] P. Cornel. Cethegus. PENITVSQ. *cognorat*] Epexegeſis praecedentis. nam ambiguum eſt, Tenere. CAVSSIS *publicis*] Vt repetundarum, ambitus, maieſtatis, & ceterarum. Inſt. lib. 4. de publicis Iudiciis. VETERATOR] Hinc fortaſſis Staleno minus fidele conſilium dedit. in orat. pro Cluentio. VESPILLO] Auctor de uiris illuſtribus: Tib. Gracchi corpus, Lucretii aedilis manu, in Tiberim miſſum eſt: unde ille Veſpillo dictus, cuius hic uel filius, uel nepos fuit. APHILIA] Alii Aſilia, alii Afilia, alii Aſellam, ut Aſconius, & Liuius: Ofellam alii, ſiue Ophellam, ut Paterculus, Appianus, & Plutarchus. Q. Lucretium alterum intelligit, de quo praeter alios, quos modo poſui, Liuius lib. 88. & 89. APTIOR *concionibus*] Hinc populus indigne tulit interfectum fuiſſe: ut Liuius 89. teſtatur, & adſtipulatur Plutarchus. T. *Annius*] Is, quem in orat. pro Cluentio, Hominem honeſtiſſimum, neceſſarium, & amicum ſuum uocat. VELINA] Scilicet tribu, auferendi caſu: ut Sulpicius Lemonia, in nona Philip. & alibi. De Velina tribu Cicero Att. lib. 4. epiſt. 14. & Horat. epiſt. lib. 1. epiſt. 6. IN *eius generis cauſſis*] Priuatis, in quibus Veſpillo acutus, Annius uero tolerabilis. TOLERABILIS] Non tolerabilis orator ſimpliciter, ſed in eius generis cauſſis, nimirum priuatis. Alioqui, uix ſingulis aetatibus, ſinguli tolerabiles oratores inuenti ſunt. de Orat. 1.

CICERO

*I*N *eodem genere cauſſarum multum erat T. Iuuentius, nimis ille quidem lentus in dicendo, & paene frigidus, ſed & callidus, & in capiendo aduerſario uerſutus, & praeterea nec indoctus, & magna cum iuris ciuilis intelligentia. Cuius auditor P. Orbius, meus fere aequalis, in dicendo non nimis exercitatus, iure autem ciuili non inferior, quam magiſter fuit. Nam T. Aufidius, qui uixit ad ſummã ſenectutẽ, uolebat eſſe ſimilis horum, eratq. & bonus uir, & innocens, ſed dicebat parum. Nec ſane plus frater eius M. Virgilius, qui tribunus pl. L. Sullae imperatori diem dixit. Eius collega P. Magius in dicendo paullo tamen copioſior. Sed omnium oratorum, ſiue tabularum, qui & plane indocti, aut inurbani, aut ruſtici etiam fuerunt, quos quidem ego cognouerim, ſolutiſſimum in dicendo, & acutiſſimum iudicio noſtri ordinis Q. Sertorium, equeſtris C. Gorgonium. Fuit etiam facilis, & expeditus ad dicendum, & uitae ſplendore multo, & ingenio ſane probabili T. Iunius L.F. tribunicius: quo accuſante, P. Sextius, praetor deſignatus, damnatus eſt ambitus. is proceſſiſſet honoribus longius, niſi ſemper infirma, atque etiam aegra ualetudine fuiſſet.*

EXPLANATIO

IN *eodem genere cau.*] In cauſſis priuatis ſcilicet. T. *Iuuentius*] T. Iuuentius Laterenſis, pro Plancio, & Paterculus. Ex municipio Tuſculano oriunda Iuuentia gens fuit. T. *Aufidius*] Is uidetur eſſe, quem in orat. pro Flacco, Aſiae praetorem uocat. & Valer. Max. proconſulem, lib. 6. cap. 10. SIMILIS *horum*] quos modo nominaui. BONVS] bene aliis faciendo. INNOCENS] nemini nocendo. Nam non eſt ſatis nocere nulli, niſi &, quibus potes, facias bene. SED *dicebat parum*] Parum, id eſt, raro. FRATER] Vel ex matre tantum, uel ex patre, & matre quidem, ſed in aliam familiam adoptatur. Aliter enim ipſe quoque Aufidius diceretur: niſi forte Aufidius ipſe fuit adoptatus. L. *Sullae imperatori*] Delecto contra Mithridatem. DIEM *dixit*] Accuſationem intendit, inſtigante Cinna. Plut. in Sulla. EIVS] M. Virgilij, uel Virginij. nam uariant auctores. COLLEGA] in tribunatu plebis. P. *Magius*] Magij uidentur Larinates fuiſſe, pro Cluent. SED *omnium oratorum, ſiue tabularum*] Correctio. nam non oratores, ſed

procla-

proclamatores potius,aut cauſſidicos nunc commemorat,ut ipſe paullo poſt dicet. Eſt enim oratoris nomen longe praeſtantius,quam ut cuiuis in foro declamitanti conueniat. Fuerunt igitur, ij,quos commemorat, rabulae potius quam oratores. SOLVTISSIMVM] Expeditiſſimum : alias, Sollertiſſimum. NOSTRI *ordinis*] ſenatorij, in quo tum erat Cicero,etſi equeſtri ortus eſſet. Q. *Sertorium*] cuius uitam ſcribit Plutarchus,& bellum Florus. Plutarchus certe ei eloquentiam tribuit in eius uita. EQVESTRI T] ordinis. C. *Gorgonium*] De quo nihil inuenio. P. *Sextius*] Non uidetur is eſſe quem defendit Cicero, ſed nec eius pater,nec filius,cum uterque Lucius appellaretur,ut epiſt. 6. lib. 5. & 8. lib. 13. Famil. patet. Aut igitur hic eſt ille, ad quem ſcribit epiſtolam 18. lib. 5. Famil. uel pater eiuſdem. PRAETOR.] urbanus. IS *proceſſiſſet*] maiores honores adeptus eſſet.

CICERO

ATQVE ego praeclare intelligo, me in eorum commemoratione uerſari, qui nec habiti ſint oratores, neque fuerint, praeteririq. a me aliquot ex ueteribus commemoratione, aut laude dignos : ſed hoc quidem ignoratione. quid enim eſt ſuperioris aetatis,quod ſcribi poßit de ijs, de quibus nulla monumenta loquuntur nec aliorum,nec ipſorum? de ijs autem, quos ipſi uidimus, neminem fere praetermittimus eorum, quos aliquando dicentes uidimus. uolo enim ſciri, in tanta, & tam uetere rep. maximis praemijs eloquentiae propoſitis, omnes cupiſſe dicere,non plurimos auſos eſſe, potuiße paucos. ego tamen ita de unoquoque dicam,ut intelligi poſſit, quem exiſtimem clamatorem, quem oratorem fuiſſe.

EXPLANATIO

ATQVE *ego*] Ad rem redit,utiturq. occupatione,tum quod minutos oratores commemorauit,tum quod aliquot ex ueteribus nobiliores praetereat. NVLLA *monumenta*] Oratores enim Latini ſcripta, ex quibus iudicium fieri poſſet,non multa ſane reliquerunt. de Orat. 2. DICENTES *uidimus*] Forſitan melius, Audiuimus. VETERE *repub.*] ſeptingentorum ſeptem annorum, uel circiter. MAXIMIS *praemiis*] Ita,ut nulla fuerint ampliora. de orat. 1. PROPOSITIS] Vel ad gratiam,uel ad opes,uel ad dignitatem,ut loquitur lib. 1. de Oratore. OMNES] Superlatio ad amplificandum, pro paene omnes, neque enim ueriſimile eſt omnes cupiuiſſe dicere. NON *plurimos*] aliquot. PAVCOS] pauciores quam auſos. EGO *tamen*] Propoſitio quaedam. IISDEM *fere temporibus*] Narratio poſt propoſitionem.

CICERO

IISDEM fere temporibus, aetate inferiores paullo quam Iulius,ſed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fuſius, M. Druſus, P. Antiſtius : nec ulla aetate uberior oratorum fetus fuit. ex his Cotta & Sulpicius cum meo iudicio, tum omnium, facile primas tulerunt. Hic Atticus, Quo modo iſtuc dicis, inquit, cum tuo iudicio, tum omnium? ſemper ne in oratore probando, aut improbando uulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit : an alij probantur a multitudine, alij autem ab ijs, qui intelligunt? Recte requiris, inquam, Attice : ſed audies ex me fortaſſe, quod non omnes probent. An tu, inquit, id laboras, ſi huic modo Bruto probaturus es? Plane, inquam, Attice, diſputationem hanc de oratore probando, aut improbando multo malim tibi, & Bruto placere; eloquentiam autem meam populo probari uelim. etenim neceſſe eſt, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. nam, quid in dicendo rectum ſit, aut prauum, ego iudicabo; ſi modo is ſum, qui poſſim, aut ſciam iudicare: qualis uero ſit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi.

EXPLANATIO

IISDEM *fere temporibus*] Locutio in hoc libro ſexcenties uſurpata. QVAM *Iulius*] C. Iulius Caeſar Strabo,de quo ſupra. AEQVALES] Idem habes de Orat. lib. 2. C. *Cotta*] Proponit octo oratorum nomina, de quibus eſt dicturus, ſed non ſemper hoc ordine, quo propoſiti ſunt, ut apparebit. P. *Antiſtius*] In quibuſdam omittitur, P. Antiſtius: in aliis aliter legitur. ſed haec incorrupta lectio mihi uidetur. FETVS] prouentus,numerus. tranſlatio ab animatis rebus. PRIMAS *tulerunt*] Primas partes inter aequales. HIC *Atticus*] Aperitur occaſio digrediendi hac quaeſtione, delectandi, ac docendi cauſſa. RECTE *requiris*] Id eſt, quod bona dubitatio, ſiue quaeſtio. POPVLO *probari*] Placere, ut Terent. Andr.

—— Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.

Popularis eſt enim iſta facultas,& effectus eloquentiae eſt audientium approbatio, Tuſcul. 2. Itaque in dicendo uitium eſt, uel maximum,a uulgari genere orationis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere, lib. 1. de Orat. Atque ob id Cicero uſum loquendi populo conceſſit, ſcientiam ſibi reſeruauit, ut ait in Oratore: quamuis,ut philoſophus,aliter ſentit,& loquitur alibi. VELIM] Non dicit, malim: quoniam & a multitudine & ab ipſis cupiebat probari. NAM *quid in dicendo rectum ſit*] Diſtinctione ſoluit. Differunt

enim

enim rectum in dicendo,aut prauum, ab euentu oratoris,& qualitate,& effectu: illud cognoſcere,eruditi eſt: perſuadere uero , in euentu poſitum eſt. Hinc de Orat. uarios euentus orationis pertimeſcit,qui ab auditoribus pendent,non in oratoris ſunt poteſtate.

CICERO

TRia ſunt enim,ut quidem ego ſentio,quae ſint efficienda dicendo; ut doceatur is, apud quem dicetur,ut delectetur,ut moueatur uehemẽtius. quibus uirtutibus oratoris horum quidq. efficiatur,aut quibus uitijs orator aut non aſſequatur haec , aut etiam in his labatur, & cadat, artifex aliquis iudicabit: efficiatur autem ab oratore,nec ne,ut ij,qui audiunt, ita afficiantur , ut orator uelit; uulgi aßenſu, & populari approbatione iudicari ſolet.itaque numquam de bono oratore,aut non bono doctis hominibus cum populo dißenſſio fuit. an cenſes , dum illi uiguerunt , quos ante dixi , non eoſdem gradus oratorum uulgi iudicio & doctorum fuiſſe? de populo ſi quem ita rogauißes , Quis eſt in hac ciuitate eloquentiſſimus? in Antonio ,& Craßo aut dubitaret , aut hunc alius , illum alius diceret . nemo ne Philippum tam ſuauem oratorem , tam grauem , tam facetum , his anteferret. quem noſmet ipſi , qui haec arte aliqua uolumus expendere,proximum illis fuiſſe diximus?nemo profecto.id enim ipſum eſt ſummi oratoris,ſummum oratorem populo uideri.

EXPLANATIO

TRia *ſunt* ʒ Idem dicit lib.2.de Orat. in Oratore,de opt.gen.Orat. ſed in Partitionibus duo tantum ponit, docere, impellere. Verum in impellendo, intelligitur etiam delectare , quod nihil aliud eſt, quam animum ad laetitiam, ſpem, metum , & cupiditatem impellere , & incitare, quod etiam ipſe Ariſtoteles docet. Ex eodem enim fonte tum leniores, tum uehementiores motus animorum emanant. Vt *quidem ego ſentio* ʒ Alios eſſe, qui aliter ſentiant, innuit. Fuerunt enim, qui totum opus in res, & affectus diuiderent, ut teſtatur Fabius lib.3.cap.5. Quin , & ipſe Cicero magis ſe hanc ſententiam probare oſtendit, quam tot locis inculcauit, cum illam alteram duorum tantum , in ſolis Partitionibus poſuerit , nimirum in diuidendo capitum paucitatem ſecutus , ut ipſe idem praecipit , de Inuentione. Artifex *aliquis* ʒ De cauſſa iudicabit artifex , & doctus: de effectu populus etiam indoctus . nam, hoc artifex ab indocto diſtinguitur, quod Indoctus, qua ratione aliquid fiat, etiamſi factum norit, non uidet: Doctus autem, & uidet, & rationes,cauſſasq. tenet. Ante ʒ Ante, quam ad C. Cottae, & P. Sulpicij aetatem peruenirem. Rogavisses ʒ Fictum exemplum, a fictione, ut Quinctilianus. Qvis ʒ Μίμησις. Nosmetipsi ʒ qui docti ſumus. Proximvm ʒ ſed longo interuallo tamen proximum. ſupra. Nemo *profecto* ʒ Subiectio , uel ad propoſitum ſubiecta ratio. Id *enim* ʒ Ratio per ſententiam poſita ad concludendum. Effectus eloquentiae eſt , audientium approbatio. Tuſcul.2.

CICERO

QVare tibicen Antigenidas dixerit diſcipulo ſane frigenti ad populum,Mihi cane , & muſis: ego huic Bruto, dicenti, ut ſolet, apud multitudinem,Mihi cane, & populo, mi Brute , dixerim: ut, qui audient , quid efficiatur, ego,etiam cur id efficiatur , intelligam . Credit ijs , quae dicuntur,qui audit oratorem, uera putat, aßentitur : probat ; fidem facit oratio. tu artifex quid quaeris amplius ? Delectatur audiens multitudo , & ducitur oratione , & quaſi uoluptate quadam perfunditur . quid habes, quod diſputes ? Gaudet, dolet : ridet, plorat: fauet, odit : contemnit , inuidet : ad miſericordiam inducitur , ad pudendum , ad pigendum : iraſcitur , miratur: ſperat, timet: haec perinde accidunt, ut eorum, qui adſunt, mentes uerbis, & ſententijs , & actione tractantur. quid eſt, quod exſpectetur docti alicuius ſententia? quod enim probat multitudo , hoc idem doctis probandum eſt. Denique hoc ſpecimen eſt popularis iudicij , in quo numquam fuit populo cum doctis , intelligentibusq. diſſenſio . cum multi eßent oratores in uario genere dicendi, quis umquam ex his excellere iudicatus eſt uulgi iudicio,qui non idem a doctis probaretur ? quando autem dubium fuiſſet apud patres noſtros eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut Craſſum? aderant multi alij : tamen, utrum de his potius , dubitaßet aliquis; quin alterum, nemo. Quid , adoleſcentibus nobis, cum eßet Cotta, & Hortenſius,num quis, cui quidem eligendi poteſtas eſſet, quemquam his anteponebat ?

EXPLANATIO

QVare *tibicen* ʒ Μουσικὸς αὐλῳδὸς a Suida uocatur. Antigenidas ʒ Ἀντιγενίδης a Suida,ut Antigenides a Latinis uideatur dicendum. Sed Antigenidas a Plutarcho, Valerio Max.& Gellio & alijs appellatur: qui Thebanus fuit, ut Suidas teſtatur, ubi muſici optimi fuere. Dixerit ʒ συγχώρησις: ut fixerit aeripedem ceruum, & id genus alia, quae permittentium ſunt. Discipvlo ʒ Iſmeniae, ut plerique cenſent. Frigenti *ad populum,* ʒ Parum feliciter populo ſe approbanti , ut ait Valerius Max. lib.3. c.7. Mihi ʒ Tuo magiſtro, & huius artis perito. Et *muſis* ʒ quae cum deae ſint, & ſuos ament, ſemper ad-

adſunt. Vel ; Et Muſis : id eſt, ipſa artis ſcientia contentus, cum uirtus ipſa ſibi ſit merces, & praemium. Vt *ſolet* } Nam multos defenſitare ſolitum eſſe Brutum legimus, ut Appium, Deiotarum, & alios. Vel, Dicenti, ut ſolet: id eſt, eo modo dicenti, quo ſolet dicere, nimirum aliud ab alijs dicendi genus probanti. hicque, ita aliud agens monet Brutum, eo genere dicendi utatur, quod & doctis, & populo probetur. Apvd *multitudinem* } in foro, & in concione. nam, ſi populum dixiſſet, concionem tantum complecti uideretur. Mi *Brute* } delenitio ad uitandam admonitionis offenſionem. Qvid *efficiatur* } effectum ſignificat, id eſt, afficianturne auditores, ut uoluit orator. Ego, } id eſt, quiuis doctus, & artifex. Cvr } quibus uirtutibus oratoris cauſſam ſignificat. Credit } probat auditorem intelligere, quid efficiatur. utiturq. oratione tenui, & ſubtili, & preſſa, quae apta eſt ad docendum : quod unum ex oratorijs officijs eſt. Qvi *audit* } auditor. Haec locutio eſt ex ijs, cum fit unum uerbum ex duobus. Part. Orat. Ariſt. Rhet. 3. Vera *putat, &c.* } articulus eſt. Tv *artifex* } quid peritus aliquis amplius quaerat? Delectatvr } quod eſt ſecundum ex tribus illis propoſitis: & in mediocri figura uerſatur, quam illuſtrant quaſi ſtellae quaedam, tranſlata uerba, atque immutata: ut in Oratore ait. Volvptate *quadam perfunditur* } ſuauitate delenitur. Gavdet } enumeratione quadam affectuum utitur, ad tertium opus ſignificandum, in motu poſitum: & ſimul grandem facit orationem. Patheticon eſt uehemens, incenſum, & incitatum : ut in Oratore ait: Contrarijs, diſſolutis, & paribus conſtat oratio. Verbis, *& ſent.* } Epilogo complectitur ſuperiora: uerbis docemus, ſententijs delectamus, actione permouemus. Qvando *autem* } ab exemplo. Mvlti *alij* } Catulus, & Philippus praeſertim. Cvi *patroni daretur optio* } eligendi patroni poteſtas quidem erat: ſed ei, qui non haberet, praetor dabat, ut eſt libro 3. Digeſt. tit. primo, ait praetor, Si non habebunt aduocatum, dabo. Rei } quorum res eſt, quorum de re diſceptatur. de Orat. 2. lib.

C I C E R O

Tvm Brutus, Quid tu, inquit, quaeris alios? de te ipſo non ne quid optarent rei, quid ipſe Hortenſius iudicaret, uidebamus? qui cum partiretur tecum cauſſas, (ſaepe enim interfui) perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, ſemper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem, inquam, & mihi, beneuolentia credo ductus, tribuebat omnia: ſed ego, quae de me populi ſit opinio, neſcio; de reliquis hoc affirmo; qui uulgi opinione diſertiſſimi habiti ſint, eoſdem intelligentium quoque iudicio fuiſſe probatiſſimos. nec enim poßet idem Demoſthenes dicere, quod dixiße Antimachum, clarum poetam, ferunt. qui cum, conuocatis auditoribus, legeret eis magnum illud, quod nouiſtis, uolumen ſuum; & eum legentem omnes praeter Platonem reliquißent; Legam, inquit, nihilominus : Plato enim mihi unus inſtar eſt omnium. Haec illum : & recte : poema enim reconditum, paucorum approbatione; oratio popularis, aſſenſum uulgi debet mouere. at, ſi eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demoſthenes; cum eſſet relictus a ceteris, uerbum facere non poßet. quid tu, Brute, poſſes, ſi te, ut Curionem quondam, concio reliquiſſet? Ego uero, inquit ille, ut me tibi indicem, in eis etiam cauſſis, in quibus omnis res nobis cum iudicibus eſt, non cum populo, tamen, ſi a corona relictus ſim, non queam dicere. Ita ſe, inquam, res habet. ut, ſi tibiae inflatae non referant ſonum, abijciendas eas ſibi tibicen putet : ſic oratori populi aures tamquam tibiae ſunt: eae ſi inflatum non recipiunt, aut ſi auditor omnino tamquam equus non facit, agitandi finis faciendus eſt. hoc tamen intereſt, quod uulgus interdum non probandum oratorem probat, ſed probat ſine comparatione, cum a mediocri, aut etiam a malo delectatur: eo eſt contentus, eſſe melius non ſentit : illud quod eſt, qualecumque eſt, probat. tenet enim aures uel mediocris orator, ſit modo aliquid in eo; nec res ulla plus apud animos hominum, quam ordo, & ornatus orationis ualet.

E X P L A N A T I O

Qvaeris *alios* } cum tu unus exemplo eſſe poſſis. Ipse *Hortenſius* } emphaſis, homo eloquens, doctus, & ſciens. Pollet *oratio* } quod ibi maxime perturbentur animi, aut tranquillentur. Tibi } qui in perorationibus regnas. in Oratore. Nescio } neſcire uolo, quia de me nihil eſt neceſſe dicere. ſupra. Demosthenes } aut quiuis alius orator bonus. Clarivm } uel a Claro monte, a quo etiam Apollinem Clarium dictum putat Vibius Sequeſter : uel a Claro urbe Colophoni uicina. unde alij Apollinem uocatum uolunt. Quamuis Antimachus Colophonius etiam dicatur a uicinitate fortaſſis, quod ſaepe fieri ſolet. Fortaſſis Clarus poeta legendum, ut quidam habent. nam Antimachus unus eſt ex illis ſex, qui per excellentiam poetae nominantur, ut Lilius refert. Fervnt } aut fama, aut ſcriptis. nam hodie nihil exſtat, unde Cicero hoc diſcere potuerit. Cvm *conuocatis* } Cum uocatis, etiam legitur. Volvmen *ſuum* } Thebaida, quod opus magnum fuit: nam, uigintiquattuor libros ſcripſerat, necdum tamen duces ad urbem perduxerat. Lilius in poetis. Platonem } philoſophorum deum. Vnvs } prouerbium. Me *illum* } alij legunt, Merito ille: ſed male. ſequitur enim, Recte, quod idem eſſet : & nimis multae litterae deeſſent. Alij, Omnium millium, per hyperbolem, ut Att. ep. 5. lib. 2. Vnus pro centum millibus. Alij, Haec illum, ſubaudi, dixiſſe ferunt. Pavcorvm } nam bonus poeta, paucis etiam lectoribus debet eſſe contentus, ut Satyra x. lib. 1. Horatius oſtendit. Verbvm *facere non poſſet* } quoniam in conuentu, & frequentia, oratorum ſtudia niti ſolent: quod alacritatem, populi concurſus ſoleat afferre: pro Deiotaro. Posses? } ſcilicet, uerbum facere? A *corona* } a populo circum ſubſellia ſtante. Aſconius. Vt *ſi tibiae* } du-

plici ſimilitudine, quod dixit, illuſtrat. NON *fuit* } non laborat, non ſimul contendit, etiam agitatus. nam agitator curſum conficere non poteſt, ni ſimul equus faciat, id eſt, laboret, & contendat. AGITANDI } impellendi, & exſtimulandi. Hinc agitatores aurigae, qui in certaminibus equos agitarent. FINIS *faciendus eſt* } melius eſt agitandi finem facere, quam fruſtra laborare. HOC *tamen intereſt* } inter idiotam, & doctum. Vtriuſque diſcrimen oſtendit, ſed exemplis, & quidem prolixe, ad uoluptatem. NON *probandum* } improbandum. ſupra: ex uno uerbo duo, contra ac ſupra unum ex duobus coniunctione factum. Part. Orat. & probat non probandum ὀξύμωρον. SED *probat ſine comp.* } Expoſitio, ne ſibi contrarium dicere uideatur. CONTENTVS } ſi uera eſt lectio, annotandum eſt, Vulgus maſculini generis. Sed Contentum docti quidam malunt. AVRES *pop.* } Tamquam ſuas tibias. ſupra. NEC *res* } ſententia de ordine, & ornatu.

PAVLLVS . MANVTIVS. ANTIMACHVM, *clarum poetam, ferunt* } dubitare uidentur eruditi homines, quorum induſtriam ualde probo, utrum ſit rectius, Clarium, an Clarum: ſed omnem dubitationem tollit Plutarchus in Lyſandro: hunc enim Antimachum non Clarium, ſed Colophonium nominat. praeterea duo ueteres libri, quos ſaepe appello, Clarum, non Clarium, habent.

C I C E R O

*Q*VARE *quis ex populo, cum Q. Scaeuolam pro M. Copio dicentē audiret in ea cauſſa, de qua ante dixi, quidquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut exſpectaret, aut poße fieri putaret? Cum is hoc probare uellet, M'. Curium, cum ita heres inſtitutus eßet, ſi pupillus ante mortuus eſſet, quam in ſuam tutelam uenißet, pupillo non nato heredem eſſe non poſſe; quid ille non dixit de teſtamentorum iure, de antiquis formulis? quid, quemadmodum ſcribi oportuiſſet; ſi etiam filio non nato heres inſtitueretur? quam captioſum eſſe populo, quod ſcriptum eſſet negligi, & opinione quaeri uoluntates: & interpretatione diſertorum, ſcripta ſimplicium hominum peruertere? Quam ille multa de auctoritate patris ſui, qui ſemper ius illud eſſe defenderat? quam omnino multa de conſeruando iure ciuili? quae quidem omnia cum perite, & ſcienter, tum & breuiter, & preſſe, & ſatis ornate, & pereleganter diceret; quis eßet in populo, qui aut exſpectaret, aut fieri poße quidquam melius putaret?*

E X P L A N A T I O

QVARE } probat exemplo, cum interrogatione. Q. *Scaeuolam* } pontificem, de quo ſupra. DICENTEM } ex ſcripto teſtamentorum iura defendentem. de Orat. lib. 1. INSTITVTVS } ſubſtitutus: quem in Topicis ſecundum heredem appellauit. Heredes enim inſtituti dicuntur primo gradu: ſubſtituti ſecundo, Modeſtinus lib. 28. tit. 6. Digeſt. Vt hic Pupillus Coponij filius erat heres inſtitutus, M'. Curius ſubſtitutus: Ergo intelligitur inſtitutus ſecundus heres, non ſubſtitutus ſecundus heres, ut male Boetius in Topicis dicit. Heredem inſtituere ſecundum filium, pro heredem ſubſtituere, dixit Cicero de Orat. lib. 1. SI *pupillus* } Si filius natus eſſet in decem menſibus, isq. mortuus prius, quam in ſuam tutelam ueniſſet, in Topicis, id eſt, prius quam teſtamentum iure facere poſſet. quam rem pluribus Vlpianus explicat Digeſt. 32. tit. 1. PVPILLO *non nato* } negabat enim Scaeuola, niſi poſtumus, & natus, & ante, quam in ſuam tutelam ueniſſet, mortuus eſſet, heredem eum eſſe poſſe, qui eſſet ſecundum poſtumum, & natum, & mortuum heres inſtitutus. lib. 1. de Orat. QVID, *quemadmodum ſcrib.* } cui reſpondit Craſſus, Si nullum erit teſtamentum recte factum, niſi quod tu ſcripſeris, omnes ad te ciues cum tabulis ueniemus, omnium teſtamenta tu ſcribes ſolus. de Orat. 2. QVAM *captioſum* } locus communis pro ſcripto. Ad Heren. lib. 2. Quam periculoſum ſit a ſcripto recedere. PATRIS *ſui* } P. Mucij Scaeuolae. PERITE, *& ſcienter* } ſcienter, & perite: de Oratore ſecundo.

C I C E R O

*A*T *uero ut contra Craſſus ab adoleſcente delicato, qui in litore ambulans ſcalmum reperiſſet, ob eamq. rem aedificare nauem concupiuißet, exorſus eſt; ſimiliter Scaeuolam ex uno ſcalmo captionis centumuirale iudicium hereditatis effeciſſe; hoc in illo initio conſecutus, multis eiuſdem generis ſententijs delectauit, animosq. omnium, qui aderant, in hilaritatem a ſeueritate traduxit: quod eſt unum ex tribus, quae dixi ab oratore effici debere. deinde hoc uoluiſſe eum, qui teſtamentum fecißet, hoc ſenſiſſe, quoquo modo filius non eßet, qui in ſuam tutelam ueniret, ſiue non natus, ſiue ante mortuus, Curius heres ut eßet: ita ſcribere pleroſque, & id ualere, & ualuiße ſemper. Haec, & multa eiuſmodi dicens, fidem faciebat: quod eſt ex tribus oratoris officijs alterum. Deinde aequum bonum, teſtamentorum ſententias, uoluntatesq. tutatus eſt: quanta eßet in uerbis captio, cum in ceteris rebus, tum in teſtamentis, ſi negligerentur uoluntates; quantam ſibi potentiam Scaeuola aſſumeret, ſi nemo auderet teſtamentum facere poſtea, niſi de illius ſententia. Haec cum grauiter, cum ab exemplis copioſe, cum uarie, tum etiam ridicule, & facete explicans, eam admirationem aſſenſionemq. commouit, dixiße ut contra nemo uideretur. hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum.*

EXPLANATIO

AT *uero ut contra Craſſus*} Nunc Craſſi partes contra Scaeuolam explicat. AB *adoleſcente*} Si deſeſſi fuerint auditores, ab aliqua re, quae riſum mouere poſſit, exordiemur. ad Herenn. lib. 1. Id feciſſe Craſſum ex hoc loco apparet. SCALMVM} Ligneum inſtrumentum eſt in nauis apſide, quo remus nititur, ut certius impellatur. Graecum eſt σκάλμος. CAPTIONIS} Quia Scaeuola dixerat, Captioſum: refert, quod eum remordeat. DELECTAVIT} cum multo maiorem partem ſententiarum ſale ſuo, & lepore, & politiſſimis facetiis pellexit. de Orat. lib. 1. HILARITATEM} nam Curiana defenſio tota redundauit hilaritate quadam, & ioco. de Orat. lib. 2. ita ut iudicium plenum hilaritatis fuerit, & laetitiae. lib. 1. de Orat. VOLVISSE} uoluntatem enim, & mentē teſtatoris defendebat Craſſus. HOC *ſenſiſſe*} Hac mente fuiſſe, lib. 1. de Orat. CVRIVS *heres ut eſſet*} ut M'. Curius eſſet heres. de Orat. 1. ITA *ſcribere*} A conſuetudine ſcribentium. ad Herenn. lib. 2. FIDEM *fac.*} docebat, probabat. AEQVVM *bonum*} Locus ab aequitate, qui in huiuſmodi controuerſiis uerſatur. TESTAMENTORVM} Defenſionem teſtamentorum, ac uoluntatis mortuorum arripuit. de Orat. lib. 3. VOLVNTATES} quae, ſi tacitis nobis intelligi poſſent, uerbis omnino non uteremur: quia non poſſunt, uerba reperta ſunt, non quae impedirent, ſed quae indicarent uoluntatem. CAPTIO} Par pari retulit Scaeuolae, qui dixerat, Captioſum eſſe. TVM *in teſtamentis*} quae in priuatis actis debent eſſe firmiſſima. Philipp. 2. SI *negligerentur uoluntates*} Eſt enim calūniatoris officium, uerba & litteras ſequi, negligere uoluntatem. ad Herenn. lib. 2. POSTEA} Si Curius uinceretur, & obtineret Scaeuola. GRAVITER} parcebat enim aduerſarij dignitati, in quo ipſo ſeruabat ſuam. lib. 2. de Orat. AB *exemplis copioſe*} exemplorum copia. ſupra. Exemplis enim plurimis uſus eſt. Topicis & de Orat. 1. VARIE} ornate. pro Caecina. RIDICVLE, *& facete*} ridicule, ac facete. de Orat. lib. 1. TERTIVM} ut auditor moueatur uehementius, ut ante dixit. GENERE *maximum*} neceſſarium, de op. gen. Oratorum: quo uno cauſſae extorquentur: quod eſt uictoriae. in Orat.

CICERO

HIc ille de populo iudex, qui ſeparatim alterum admiratus eſſet, idem, audito altero, iudicium ſuum contemneret: at uero intelligens, & doctus, audiens Scaeuolam, ſentirct eſſe quoddam uberius dicendi genus, & ornatius. Ab utroque autem cauſſa perorata, ſi quaereretur uter praeſtaret orator; numquam profecto ſapientis iudicium a iudicio uulgi diſcreparet. Qui praeſtat igitur intelligens imperito? magna re, & difficili: ſi quidem magnum eſt ſcire, quibus rebus efficiatur, amittatur ue dicendo illud quidquid eſt, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. Praeſtat etiam illo doctus auditor indocto, quod ſaepe, cum oratores duo, aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum ſit, intelligit. nam illud, quod populo non probatur, ne intelligenti quidem auditori probari poteſt. ut enim ex neruorum ſono in fidibus, quam ſcienter ij pulſi ſint, intelligi ſolet: ſic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator. itaque intelligens dicendi exiſtimator non aſſidens, & attente audiens, ſed uno adſpectu, & praeteriēs de oratore ſaepe iudicat. uidet oſcitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnumquam etiam circulantem, mittentem ad horas quaeſitorem, ut dimittat, rogantem: intelligit oratorem in ea cauſſa non adeſſe, qui poſſit animis iudicum admouere orationem, tamquam fidibus manum. Idem, ſi praeteriens adſpexerit erectos intuentes iudices, ut aut doceri de re, idq. etiam uultu probare uideantur; aut, ut auem cantu aliquo, ſic illos uiderit oratione quaſi ſuſpenſos teneri; aut, id, quod maxime opus eſt, miſericordia, odio, motu animi aliquo perturbatos eſſe uehementius: ea, ſi praeteriens, ut dixi, adſpexerit, ſi nihil audierit, tamen oratorem uerſari in illo iudicio, & opus oratorium fieri, aut perfectum iam eſſe, profecto intelliget.

EXPLANATIO

HIC} in hac re, uel tunc. ILLE *de populo iudex*} quare quis ex populo. ſupra. redit enim ad illum, ut ſit epanalepſis paullo longius repetita. ADMIRATVS *eſſet*} & probaſſet ſine comparatione. ſupra. CONTEMNERET} Quod male iudicaſſet. AT *uero intelligens*} Dixit de uulgi iudicio. nunc de docti, quod alterum fuit, dicit. QVI *praeſtat*} Dialogiſmus. Sic Terent. Stulto intelligens quid intereſt? MAGNA *re, & difficili*} artem dicendi ſcire rem omnium difficillimam initio. & in prooemio de Or. oſtendit. QVIBVS *rebus*} quibus uirtutibus oratoris. ſupra. INTELLIGIT} populus tantum probat: doctus etiam, cur probandum ſit, intelligit. Et contra, Si populus non probat, cur non probandum ſit, agnoſcit doctus. VT *enim neruorum*} chordarum jntentarum, quae ad quemque tactum reſpondent. de Or. lib. 3. SONO} omnes uoces, ut nerui in fidibus, ita ſonant, ut a motu animi ſunt pulſae. lib. 3. de Orat. Et, ſaepe pulſis aliis, reſonant alij. lib. 2. de Diuin. PVLSI} plectro, uel digitis. INTELLIGI *ſolet*} a ſciente. In fidibus enim, & in tibiis, quamuis paullum diſcrepent, tamen id a ſciente animaduerti ſolet. de Offic. 1. TRACTANDIS} Orator enim bonus peragrat per animos hominum, ſenſus, menteſq. pertractat. lib. 1. de Orat. VIDET} Primum de improbando, poſt de probando Oratore dicit. OSCITANTEM} quod eſt indicium uagi animi, & alucinantis, & fluxae, atque apertae ſecuritatis. Gellius lib. 4. cap. 20. CIRCVLANTEM} in

circulum ſeſe uertentem. Mittentem *ad horas*] ſeruum, uel alium quempiam ad clepſydram,ſpectatum an dum horae fluxerint ad dicendum datae. Qvaesitorem] praetorem, qui praeſit quaeſtioni, quaeſtionis iudicem. Vvltv] qui, quot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & commutationes poteſt efficere. de Orat. 3. Vt *aues*] ſimilitudo, ab aucupio ſumpta. Teneri] duci, delectari. Qvod *maxime opus eſt*] quia p rmouere neceſſarium.de opt.gen.Orat. Vt *dixi*] Epanalepſis. Oratorem *uerſari in iud.*] in ſcena eſſe Roſcium. infra: & opponitur ei, quod dixit,oratorem in ea cauſſa non adeſſe. Opvs *oratorium*] auditorem doceri,delectari, & uehementius moueri.

C I C E R O

Cvm haec diſſeruiſſem,uterque aſſenſus eſt: & ego,tamquam de integro ordiens, Quando igitur, inquam, a Cotta, & Sulpicio haec omnis fluxit oratio, cum hos maxime iudicio illorum hominum, & illius aetatis dixiſſem probatos, reuertar ad eos ipſos; tum reliquos,ut inſtitui, deinceps perſequar. Quoniam ergo oratorum bonorum (hos enim quaerimus) duo genera ſunt, unum attenuate, preſſeque, alterum ſublate, ampleq. dicentium: etſi id melius eſt,quod ſplendidius,& magnificentius, tamen in bonis omnia, quae ſumma ſunt, iure laudantur. ſed cauenda eſt preſſo illi oratori inopia, & ieiunitas, amplo autem inflatum, & corruptum orationis genus.

E X P L A N A T I O

Cvm *haec diſſeruiſſem*] Reuocat lectorem ad diſputationis ſcopum. Vterqve *aſſenſus eſt*] duorum teſtimonio,& aſſenſione, quod dixit,confirmat. De *integro ordiens*] id eſt,de Cotta,& Sulpicio, quae dicere coeperam,repetens. Dvo *genera*] omittit mediocre genus,ut ſupra,cum de Galba ageret: uel, quod facile in amplo illo intelligitur,cum delectare in motu numeretur: uel, quod haec duo praecipua ſint. nam docere,quod eſt preſſe dicentium,eſt debitum; permouere,neceſſarium; delectare,quod eſt medij generis,honorarium. Splendidivs] in quo qui uerſantur,grandiloqui,uehementes,uarij,copioſi,graues, ad permouendos,& conuertendos animos inſtructi,& parati,in Oratore dicuntur. In *bonis*] ſententia,& locus communis. Bonum,eſt genus omnium figurarum. Et, qui excellunt,etiam in minimis, iure laudantur. Cotta in preſſo illo genere excelluit: ergo laudandus. Sed *cauenda eſt*] quid in ſingulis generibus uitandum ſit,praecipit. Cauenda autem ſunt finitima uitia, quae ſpecie uirtutis plerumque fallunt. De qua re uidendus eſt Orator ad Brutum,& Cornificius ad Herenn. lib.4. in princ. Presso *illi oratori*] Supra dixit, attenuate,preſſeq. dicenti. Hic,etiam alibi ſubtilis,tenuis,ſeu attenuatus,ſummiſſus,humilis,breuis, acutus, enucleatus,callidus,&,ut uno uerbo dicam, Atticus,a quo genus etiam ipſum dicendi iiſdem nominibus appellatur. Quod,ſi preſſo oratori redundans,& inflatus opponitur,quod ipſe fecit ſupra: neceſſe erit dicere,preſſum oratorem eum eſſe,cui nihil redundet,nihil deſit. Is autem optimus erit,ac perfectus orator. ut Cicero de opt.gen. Oratorum oſtendit. Hunc autem preſſum hic uocat,a rebus minime inflatis,ac tumidis,ſumpta uoce: cuiuſmodi ſunt hominum corpora ſana, ac bene temperata. Mihi hoc uerbum in mentem reuocat Grammaticorum quorundam inſcitiam,qui Maronis noſtri uerſum,ex prima ecloga,

—— Sunt nobis mitia poma,
Caſtaneae molles, & preſſi copia lactis,

ſic explanant,ut preſſum lac,pro caſeo poſitum uelint,quod lac coagulatum,ut caſeus fiat,manu prematur: irridentq. ſi quis aliud intelligat. Ego uero aio,eo loco Poetam,qui inter paſtores educatus, uerſatuſq. fuerat; paſtorum delicias ſignificare uoluiſſe. Solent enim illi caſtaneas aridas,& in crate infumatas,elixare,quo molles fiant,& nutrimento aptiores. quo facto,eiecta, qua coctae ſunt, aqua, in catinum caſtaneas molles immittunt,atque ſic lac preſſum, hoc eſt,expreſſum,mulctum ue ſuperinfundunt: quo cibo nihil iis, qui aſſueuere, ſuauius. Id nos quoque & uidimus ſaepe,& guſtauimus. nam commune eſt toti Italiae, praeſertim ubi caſtanearum prouenit copia,cuiuſmodi eſt Mantuae: ubi haec Poeta didicerat. Nam,quaeſo,quid aliud eſt mulgere,quam lac ex mammis exprimere? Sic enim dixit Poeta lac preſſum, ut ubera preſſa, mammas preſſas: & preſſare ubera. Ecloga 3.

Cogite oues pueri: ſi lac praeceperit aeſtus,
Vt nuper,fruſtra preſſabimus ubera palmis.

Et Georg.3.

Quam magis exhauſto ſpumauerit ubere mulctra,
Laeta magis preſſis manabunt flumina mammis.

Item Aeneid.3.

Nam,qualis,quantusq. cauo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes,atque ubera preſſat.

Inopia, *& ieiunitas*] Inopia,cum neceſſaria plura deſunt: ieiunitas, cum cibi non ſatis eſt. Tranſlatio ab animalibus,quae inopia, & ieiunitate deficiunt, & intereunt. Amplo] ſublate,ampleq. dicenti. Amplus non opponitur preſſo: ſed inopi,& ieiuno: ſicut preſſus,inflato, & corrupto. nam preſſus, & amplus uno genere laudabili continentur: illa uitioſa. Sunt tamen illa uitia inter ſe oppoſita: Inopia & ieiunitas, inflato & corrupto dicendi generi,uel inflationi potius,& corruptioni opponitur.

CICERO

INVENIEBAT *igitur acute Cotta, dicebat pure, ac ſolute; & ut ad infirmitatem laterum perſcienter contentionem omnem remiſerat, ſic ad uirium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. nihil erat in eius oratione niſi ſincerum, nihil niſi ſiccum, atque ſanum: illudq. maximum; quod, cum contentione orationis flectere animos iudicum uix poßet, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a ſe commoti, quod a Sulpicio concitati. fuit enim Sulpicius uel maxime omnium, quos quidem ego audiuerim, grandis, & ut ita dicam, tragicus orator. uox cum magna, tum ſuauis, & ſplendida; geſtus, & motus corporis ita uenuſtus, ut tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus uideretur: incitata, & uolubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Craſſum hic uolebat imitari, Cotta malebat Antonium: ſed ab hoc uis aberat Antonij, Craſſi ab illo lepos. O magnam, inquit, artem, Brutus: ſiquidem iſtis, cum ſummi eßent oratores, duae res maximae, altera alteri defuit.*

EXPLANATIO

INVENIEBAT] Oratores ab officij partibus laudari ſolent, ut quiſque fuerit melior, quo in pluribus excelluerit. COTTA] C. Aurelius Cotta, non Lucius, ut quidam putant, appellandus eſt. DICEBAT *pure, & ſolute*] Latine, ac dilucide. nam Cotta limatus erat, ſubtilis, rem explicans proprijs aptiſq. uerbis. de Orat. 3. SINCERVM] purum: nam dicebat pure. SICCVM, *atque ſanum*] Hoc eſt preſſum. Nam, ſiccos, atque ſanos oratores, in quibus non ſit uitioſa abundantia, de opt. genere Oratorum uocat. Tranſlationes ſunt ex corporibus humanis. Eo *genere*] amplo, & uehementi. nam Cotta nihil ample dicebat, ut in Oratore ait. TRACTANDO] tractandis argumentis. nam ſemper in cauſſa haerebat: &, quod iudici probandum eſſet, cum acutiſſime uidiſſet, omiſſis ceteris argumentis, in eo mentem, orationemq. defigebat. de Orat. 3. FACERENT] ut, uel abſoluerent, quem defendebat: uel, quem accuſaret, condemnarent: certe, quod diceret, probarent. COMMOTI] Bacchius, aptus preſſo oratori. CONCITATI] Diiambus, grandis, & amplus pes. FVIT *enim*] Ratio ſubiecta, & tranſitio ad Sulpicium. SVLPICIVS] P. Sulpicius Rufus, ut a Val. Max. uocatur. Partes Marianas, & ipſe, & Cotta ſecuti, periere a Sullanis confecti. De his Cic. in praefatione lib. 3. de Orat. & Val. Max. lib. 6. cap. 5. Plutarchus in Sulla. In Sulpicij morte illud eſt memorabile, quod is ſeruus, qui dominum prodiderat, & praemium indicij peteret, manumiſſus eſt, & ob ſcelus ſaxo deiectus. GRANDIS] Omnino enim in illud genus eum Craſſi magnificum, atque praeclarum natura ipſa ducebat. de Orat. lib. 2. VT *ita dicam*] Durius enim erat, quod eum Tragicum oratorem diceret, hoc eſt grandiloquum, quales perſonae tragicae, quae ſaepe retinent ampullas, & ſeſquipedalia uerba, & non proijciunt, ut ait Horatius: Nam

Omne genus ſcripti grauitate Tragoedia uincit.

Nam & Ariſt. in 3. Rhet. magnum dicendi genus cum tragico coniungit. VOX *cum magna*] pleniſſima, & maxima. de Orat. lib. 3. SVAVIS] Neminem ſe uoce ſuauiorem Craſſus audiuiſſe, ait lib. 1. de Orat. SPLENDIDA] clara: quod unum eſt e duobus, quae ſequimur in uoce. de Offic. lib. 1. VENVSTVS] aptus, lib. 1. & 2. de Orat. Cum dignitate, lib. 3. de Orat. AD *forum*] conuenit enim in geſtu, nec uenuſtatem conſpiciendam, nec turpitudinem eſſe: ne aut hiſtriones, aut operarij uideamur eſſe. lib. 3. ad Heren. ET *uolubilis*] celeris. de Orat. lib. 2. CRASSVM *hic uolebat*] Hinc lib. 2. de Orat. cum etiam tum Craſſus in lecto eſſet, & apud eum Sulpicius ſederet, Antonius cum Cotta in porticu inambulabat. O *magnam*] difficilem artem dicendi eſſe, exclamatione innuit Brutus. DVAE *res maximae*] Vis, & lepos, de quibus lib. 2. de Oratore.

CICERO

ATQVE *in his oratoribus illud animaduertendum eſt, poſſe eße ſummos, qui inter ſe ſint diſſimiles. nihil enim tam diſſimile, quam Cotta Sulpicio: & uterque aequalibus ſuis plurimum praeſtitit. Quare hoc doctoris intelligentis eſt, uidere quo ferat natura ſua quemque; & ea duce utentem ſic inſtituere, ut Iſocratem in acerrimo ingenio Theopōpi, & leniſſimo Ephori dixiſſe traditum eſt, alteri ſe calcaria adhibere, alteri frenos. Sulpicij orationes quae feruntur, eas poſt mortem eius ſcripſiſſe P. Canutius putatur, aequalis meus, homo extra noſtrum ordinem meo iudicio diſertiſſimus. ipſius Sulpicij nulla oratio eſt: ſaepeq. ex eo audiui, cum ſe ſcribere neque conſueße, neque poße diceret. Cottae pro ſe lege Varia quae inſcribitur, eam L. Aelius ſcripſit Cottae rogatu. fuit is omnino uir egregius, & eques Romanus cum primis honeſtus; idem eruditiſſimus, & Graecis litteris, & Latinis, antiquitatisq. noſtrae, & in inuentis rebus, & in actis, ſcriptorumq. ueterum litterate peritus. quam ſcientiā Varro noſter, acceptam ab illo, auctamq. per ſeſe, uir ingenio praeſtans omniq. doctrina, pluribus, & illuſtrioribus litteris explicauit. ſed idem Aelius Stoicus eſſe uoluit, orator autem nec ſtuduit, nec fuit: ſcribebat tamen orationes, quas alij dicerent, ut Q. Metello F. ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo: quamquam is etiam ipſe ſcripſit eas, quibus pro ſe eſt uſus, ſed non ſine Aelio. his enim ſcriptis etiam ipſe interfui, cum eſſem*

ſem apud Aelium adoleſcens, eumq. audire perſtudioſe ſolerem. Cottam autem miror, ſummum ipſum oratorem, minimeq. ineptum, Aelianas leues oratiunculas uoluiſſe exiſtimari ſuas.

EXPLANATIO

ATQVE *in his orat.* ȝ loquitur Cicero, & continuat ſermonem, ſine Inquam, quod notandum eſt. POSSE *eße ſummos* ȝ nam in bonis omnia, quae ſumma ſunt, iure laudantur. ſupra.. nam, in quouis genere, qui excellit, ſummus eſt. PRAESTITIT ȝ nam primas ipſi tulerunt. ſupra. DOCTORIS ȝ Non modo Rhetoris, ſed cuiuſlibet, ut ſit ſententia. Quod hic monet, fecit Plato in Ariſtotele, & Xenocrate, ut Diogenes refert: fecit Iſocrates in Theopompo, & Ephoro, ut hic, & de Orat. 3. dicitur: faciebat Apollonius Molo, ut lib. 1. de Orat. ſcribitur: Faciendum omnibus eſſe, praecipit Antonius lib. 2. de Orat. Theopompus, & Ephorus hiſtorici fuerunt, Cic. de Orat. lib. 2. & Plutarchus in uitis illuſtrium uirorum. TRADITVM *eſt* ȝ tradiderant tunc alij, qui non exſtant: tradunt hodie Cicero ipſe, Suidas, & Quinctilianus. P. *Canutius* ȝ huius ſit mentio in oratione pro Cluentio. DISERTISSIMVS ȝ in primis ingenioſus, & in dicendo exercitatus, ac peritus, pro Cluentio dicitur. NEQVE *conſueſſe* ȝ Ne ad forenſem etiam domeſticus labor accederet, ut ſupra de Galba dixit. LEGE *Varia* ȝ pro lege Varia, etiam legitur: de qua infra. L. *Aelius* ȝ quem Plinius, & Cariſius, L. Aelium Stolonem uocant. PERITVS ȝ de eius peritia, uide Acad. primo, & M. Terentium Varronem ipſum de re ruſt. lib. 3. cap. 12. INGENIO ȝ quod quantum fuerit, teſtatur Cicero lib. 13. ad Atticum. OMNIQ. *doctrina* ȝ ſic etiam Philippica 2. NEC *fuit* ȝ Orator ipſe numquam fuit. ſupra. SCRIBEBAT ȝ ſcriptitabat orationes multas. ſupra. Q. *Metellus* ȝ forſitan Q. Caecilius Metellus Nepos. Hic fuit Balearis F. Q. *Caepioni* ȝ cuius ore reſpondit Aelius orationi, quam T. Betutius Barrus contra Caepionem ipſum ſcripſerat. ſupra. Q. *Pompeio Rufo* ȝ de quo Cic. lib. 1. de Orat. & prima, & ſecunda contra Rullum, & Liuius 77. & Paterculus lib. 2. ſcribunt. SED *non ſine Aelio* ȝ uidetur alludere ad illud: Hercules non ſine Theſeo. HIS *enim ſcriptis* ȝ ratio, qui ſcire hoc ipſum potuerit. LEVES ȝ ut a Stoico ſcriptas, qui orator nec ſtuduit umquam, nec fuit. ſupra. VOLVISSE ȝ cum Aelium rogauit, ut eam ſcriberet, quae pro Varia lege inſcribebatur. ſupra.

CICERO

HIs duobus eiuſdem aetatis annumerabatur nemo tertius: ſed mihi placebat Pomponius maxime, uel dicam minime diſplicebat. locus erat omnino in maximis cauſſis praeter eos, de quibus ſupra dixi, nemini: propterea quod Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in cauſſis recipiendis erat, faſtidioſior Craßus, ſed tamen recipiebat: horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Pilippum fere, aut ad Caeſarem: Cotta, & Sulpicius expetebantur. ita ab ijs ſex patronis caußae illuſtres agebantur: neque tam multa, quam noſtra aetate, iudicia fiebant: neque hoc, quod nunc fit, ut cauſſae ſingulae defenderentur a pluribus: quo nihil eſt uitioſius. reſpondemus ijs, quos non audiuimus. in quo primum ſaepe aliter eſt dictum, aliter ad nos relatum: deinde magni intereſt, coram uidere me, quemadmodum aduerſarius de quaque re aſſeueret; maxime autem, quemadmodum quaeque res audiatur. ſed nihil uitioſius, quam, cum unum corpus debeat eſſe defenſionis, naſci de integro caußam, cum ſit ab altero perorata. omnium enim caußarum unum eſt naturale principiũ, una peroratio: reliquae partes, quaſi membra ſuo quaeque loco locata, ſuam & uim, & dignitatem tenent. Cum autem difficile ſit, in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut ſibi ipſe non conueniat: quanto difficilius cauere, ne quid dicas, quod non conueniat eius orationi, qui ante dixerit? ſed, quia & labor multo maior eſt, totam cauſſam, quam partem, dicere; & quia plures ineuntur gratiae, ſi uno tempore dicas pro pluribus: iccirco hanc conſuetudinem lubenter adſciuimus. Erant tamen, quibus uideretur illius aetatis tertius Curio, quia ſplendidioribus fortaſſe uerbis utebatur, & quia Latine non peſſime loquebatur, uſu credo aliquo domeſtico: nam litterarum admodum nihil ſciebat.

EXPLANATIO

HIS *duobus* ȝ Cottae nimirum, ac Sulpicio. MINIME *diſplicebat* ȝ correctio: minus enim eſt, quam, Maxime placebat. Antitheton, proſonomaſia. Dichoreus eſt. MAXIMIS *cauſſis* ȝ ut maieſtatis, ambitus, repetundarum, &c. FASTIDIOSIOR ȝ durior, difficilior. NEQVE *hoc* ȝ fiebat etiam tunc, ut Antonius de Orat. 2. teſtatur: quamuis ſibi numquam placuiſſe teſtetur. ſed Cicero intelligit non tot, ut ſua aetate, adhiberi ſolitos. NON *audiuimus* ȝ neque enim patroni omnes ſimnl conueniebant. AVDIATVR ȝ a iudicibus. Dichoreus eſt. SED *nihil uit.* ȝ epanalepſis. OMNIVM *enim caußarum* ȝ reliquas etiam partes naturales eſſe teſtatur Cicero de Orat. 2. Hoc autem loco duas naturales facit, quod ſic intelligendum eſt, duas eſſe naturaliter communes, & in quibus minimum erratur, etiamſi ante te dicentes non audiueris. Reliquae ſuam propriam, non communem uim habent. QVANTO ȝ conueniet nulli, qui ſecum diſſidet ipſe. CVRIO ȝ C. Scribonius Curio, C. Curionis oratoris, de quo ſupra, filius: ut lib. 2. de Orat. & C. Curionis, de quo dicetur, pater. trib. plebis, in Aſia praetor, conſul cum Cn. Octauio. Proconſul

ui Dardanos in Thracia domuit, & uſque ad Danubium penetrauit. Liu. Marcellinus, Eutropius. Fuit etiam pont. Max. Cic. de reſp. Ciceronis amiciſſimus fuit: cuius etiam conſulatum ἀποθέωσιν appellauit. Valerius Max. uirum optimum appellat. De eius morte mentionem facit Cicero Famil. epiſt. lib. 2. Graui teſte. SPLENDIDIORIBVS ﹜ C. Cutio uerborum grauitate, & elegantia, & copia ſuam quandam expreſſit quaſi formam figuramq. dicendi. de Orat. lib. 2. VSV, *&c. domeſtico* ﹜ nam pater eius, ut ſupra retulimus, fuit eloquentiſſimus.

C I C E R O

SED magni intereſt, quos quiſque audiat quotidie domi, quibuſcum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur. legimus epiſtolas Corneliae, matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quam in ſermone matris. auditus eſt nobis Laeliae, Caij filiae, ſaepe ſermo: ergo illam patris elegantia tinctam uidimus, & filias eius Mucias ambas, quarum ſermo mihi fuit notus; & neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc uero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audiſti loquentem. Ego uero, ac lubenter quidem, inquit Brutus, & eo lubentius, quod L. Craſſi erat filia. Quid Craſſum, inquam, illum cenſes iſtius Liciniae filium, Craſſi teſtamento qui fuit adoptatus? Summo iſte quidem dicitur ingenio fuiſse, inquit. & uero hic Scipio, collega meus, mihi ſane bene & loqui uidetur, & dicere. Recte, inquam, iudicas, Brute. etenim iſtius genus eſt ex ipſius ſapientiae ſtirpe generatum. nam & de duobus auis iam diximus, Scipione, & Craſſo; & de tribus proauis, Q. Metello, cuius quattuor filij; P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi priuatus in libertatem remp. uindicauit; Q. Scaeuola augure, qui peritiſſimus iuris, idemq. patronus eſt habitus. iam duorum abauorum quam eſt illuſtre nomen, P. Scipionis, qui bis conſul fuit, qui eſt Corculum dictus. alterius, omnium ſapientiſſimi, C. Laelij? O generoſam, inquit, ſtirpem, & tamquam in unam arborem plura genera, ſic in iſtam domum multorum inſitam, atque illumi natam ſapientiam.

E X P L A N A T I O

SED *magni intereſt* ﹜ locus communis de educatione liberorum.

— Adeo a teneris conſueſcere multum eſt;

ut ait Virgil. qua de re Quinctil. & Plutar. plura. PATRES ﹜ In quibus quamplurimum eſſe eruditionis Quinctilianus optat. PAEDAGOGI ﹜ qui aut ſint eruditi plane, aut ſe non eſſe eruditos ſciant. Quinctilianus. MATRES ﹜ in quibus etiam nutrices intelliguntur. LEGIMVS ﹜ de matribus probat, quod ſit rarius, ut matres bene loquantur, & ſint litteratae. IN *gremio* ﹜ ſuus enim cuique filius olim ex caſta parente natus, non in cella emptae nutricis, ſed gremio, ac ſinu matris educabatur. Cornel. Tacitus de Oratoribus. SERMONE ﹜ & quidem doctiſſimo, ut ait Quinctil. AVDITVS ﹜ qui a patre ita eramus deducti ad Scaeuolam (ipſius Laeliae maritum) ut, quoad poſſemus, & liceret, a ſenis latere numquam diſcederemus. in prooemio Laelij. TINCTAM ﹜ Translatio elegans, Imbutam. Idem teſtatur in 3. de Orat. & Quinctil. libro 1. cap. 1. Laelij filia reddidiſſe in loquendo paternam elegantiam elegantiorem, dicitur. MVCIAS ﹜ Mucij Scaeuolae, & Laeliae filias. AMBAS ﹜ Quarum altera L. Craſſo, altera C. Mario. NEPTES ﹜ E filia, & L. Licinio Craſſo natas: unde Liciniae dictae ſunt. SCIPIONIS ﹜ uxorem ſcilicet. SCIPIO ﹜ Liciniae, & Scipionis F. COLLEGA *meus* ﹜ In pontificatu, non ſummo, ſed minori. LOQVI *uidetur, & dicere* ﹜ Non eſt idem loqui, quod dicere. nam diſputandi ratio, & loquendi Dialecticorum eſt, Oratorum autem dicendi, & ornandi. in Oratore. EX *ipſius ſapientiae ſtirpe* ﹜ ὑπερβολὴ quaedam eſt. DVOBVS *auis* ﹜ Scipione paterno, & Craſſo materno. Q. *Metello* ﹜ Caecilio Macedonico. ſupra. P. *Scipione,* ﹜ P. Cor. Scip. Naſica Serapione. de quo ſupra. VINDICAVIT ﹜ Dichoreus, de excellenti uiro. AVGVRE ﹜ qui pater fuit Muciae, L. Craſſi uxoris. PERITISSIMVS *iuris* ﹜ iuris enim ciuilis intelligentia, atque omni prudentiae genere praeſtitit. ſupra. PATRONVS ﹜ Orator. ſed ſupra dictum eſt, hunc Scaeuolam in patronorum numerum non fuiſſe. Legendum fortaſſis, Percomis: nam Scaeuola comis admodum fuit. ABAVORVM ﹜ qui uno gradu proauis antiquiores ſunt.

C I C E R O

SIMILITER *igitur ſuſpicor, (ut conferamus parua magnis) Curionis, etſi pupillus relictus eſt, patrio fuiſse inſtituto puro ſermone aſſuefactam domum: & eo magis hoc iudico, quod neminem ex ijs quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognoui in omni genere honeſtarum artium tam indoctum, tam rudem. nullum ille poetam nouerat; nullum legerat oratorem; nullam memoriam antiquitatis collegerat; non publicum ius, non priuatum, & ciuile cognouerat: quamquam id quidem fuit etiam in alijs, & magnis quidem oratoribus, quos parum his inſtructos artibus uidimus, ut Sulpicium, ut Antonium. ſed ij tamen unum illud habebant, dicendi opus elaboratum: idq. cum conſtaret ex quinque notiſſimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat: in quacumque enim una plane claudicaret, orator eſse non poſset. ſed tamen alius in alia excellebat magis, reperiebat, quid dici opus eſſet, & quo modo praeparari, & quo loco locari, memoriaq. ea comprehendebat Antonius: excellebat autem actio-*

ne:

ne:erantq.ei quaedam ex his paria cum Craſſo,quaedam etiam ſuperiora. at Craſſi magis enitebat oratio. nec uero, Sulpicio, neque Cottae, dicere poßumus, neque cuiquam bono oratori rem ullam ex illis quinque partibus plane, atque omnino defuiße. itaque in Curione hoc uerißime iudicari poteſt, nulla re una magis oratorem commendari, quam uerborum ſplendore, & copia. nam cum tardus in excogitando, tum in inſtruendo diſſipatus fuit. Reliqua duo ſunt, agere, & meminiße. in utroque cachinnos irridentium commouebat. motus erat is, quem & C. Iulius in perpetuum notauit, cum ex eo in utramque partem toto corpore uacillante quaeſiuit, quis loqueretur e lintre: & Cn. Sicinius, homo impurus, ſed admodum ridiculus; neque aliud in eo oratoris ſimile quidquam: is cum tribunus pl. Curionem, & Octauium conſules produxißet; Curioq. multa dixißet ſedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat faſcijs, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus; numquam, inquit, Octaui, collegae tuo gratiam referes; qui niſi ſe ſuo more iactauiſſet, hodie te iſtic muſcae comediſſent. Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cum propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quaereret. qui in iudicio priuato uel maximo, cum ego pro Titinia Cottae perorauißem, ille contra me pro Ser. Naeuio diceret, ſubito totam caußam oblitus eſt; idq. ueneficijs, & cantionibus Titiniae factum eſſe dicebat.

EXPLANATIO

SIMILITER *igitur* ʒ Reuertitur ad Curionem. VT *conferamus parua magnis* ʒ

Sic canibus Catulos ſimiles, ſic matribus haedos,
Noram: ſic paruis componere magna ſolebam:

Virg. Ecl. 1. Res paruas Curionis cum rebus magnis Scipionis comparat: aut Curionem, cum ſuperioribus, qui domeſtico uſu bene loquebantur. ASSVEFACTAM *domum* ʒ Et hic Curionem ipſum Latine non peſſime locutum fuiſſe innuit. HOC *indico* ʒ Curionem uſu domeſtico Latine locutum. TAM *indoctum* ʒ qui litterarum admodum nihil ſciret. ſupra. NVLLVM ʒ Repetitio. Nullum, cum tamen oratori legendi ſint poetae, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores, ac doctores, & legendi, & peruolutandi. de Orat. lib. 1. Nam loquendi elegantia, legendis oratoribus, & poetis augetur. de Orat. 3. NON *publicum ius* ʒ Publicum ius eſt, quod ad ſtatum reip. Romanae ſpectat: Priuatum, quod ſingulorum utilitatem ſpectat. Vlp. Digeſt. lib. 1. tit. 1. Publici partes ſunt, lex, ſenatuſconſultum, foedus: priuati, tabulae, pactum, conuentum, ſtipulatio. Part. Orat. PARVM ʒ Lib. 2. de Orat. Nullius rei, quae quidem eſſet in iis artibus, de quibus aliquid exiſtimare poſſet, Antonium rudem, aut ignarum ſibi uiſum fuiſſe ſcripſit. Sed contrarium non eſt huic loco: non eſſe rudem, ſignificat parum eruditum. HABEBANT ʒ quod Curio non habebat. DICENDI *opus* ʒ artem, eloquentiam. ſupra in principio. IN *quacumque* ʒ Sententia, & locus communis. ORATOR *eſſe non poteſt* ʒ iccirco ad Herennium Cornificius lib. 1. ait, In oratore illa quinque eſſe oportere. VERBORVM *ſplendore, & copia* ʒ ideſt, elocutione. Vide lib. 3. de Orat. ubi ait: In quo igitur homines exhorreſcunt &c. TARDVS ʒ cum in oratore celeres animi motus requirantur. de Orat. lib. 1. IN *cogitando* ʒ excogitando, inueniendo. INSTRVENDO ʒ diſponendo, collocando. DISSIPATVS ʒ quod collocationi contrarium eſt. C. *Iulius* ʒ Caeſar quoque dictus, Catuli frater, homo facetiſſimus. Male apud Quinctilianum Iunius legitur lib. 11. cap. 3. RIDICVLVS ʒ facetus, non qui rideretur. CONSVLES ʒ ab urbe cond. 678. PRODVXISSET ʒ in concionem. Id enim erat tribuni plebis munus, in concionem priuatos, augures, & magiſtratus producere, ſi uellent. SEDENTE ʒ in roſtris aſſidente. Quinctilianus lib. 2. cap. 3. DEVINCTVS ʒ Deligatus, ait Quinctil. eodem loco. De Octauij doloribus, Cic. de Fin. lib. 2. SE *ſuo more* ʒ ſe ex more iactaſſet, Quinctil. IN *iudicio priuato, uel maximo* ʒ priuata in cauſſa magna, & graui. in Orat. TITINIA *Cottae* ʒ uidelicet, uxore. Aliter, Ticinia, quod non probo. OBLITVS *eſt* ʒ & aſſedit. in Orat. VENEFICIIS ʒ ſibi uenenis ereptam memoriam dicebat. in Orat.

CICERO

MAGNA haec immemoris ingenij ſigna: ſed nihil turpius, quam quod etiam in ſcriptis obliuiſcerentur, quid paullo ante poſuiſſet, ut in eo libro, ubi ſe exeuntem e ſenatu, & cum Panſa noſtro, & cum Curione filio colloquentem facit, cum ſenatum Caeſar conſul habuißet, omnisq. ille ſermo ductus e percunctatione filij, quid in ſenatu eßet actum. in quo multis uerbis cum inueheretur in Caeſarem Curio; diſputatioq. eßet inter eos, ut eſt conſuetudo dialogorum; cum ſermo eſſet inſtitutus ſenatu miſſo, quem ſenatum Caeſar conſul habuiſſet, reprehendit eas res, quas idem Caeſar anno poſt, & deinceps reliquis annis adminiſtrauißet in Gallia. Tum Brutus admirans, Tantam ne fuiße obliuionem, inquit, in ſcripto praeſertim, ut ne legens quidem umquam ſenſerit, quantum flagitij commiſiſſet? Quid autem, inquam, Brute ſtultius, quam, ſi ea uituperare uolebat, quae uituperauit, non eo tempore inſtituere ſermonem, cum illarum rerum iam tempora praeterijſſent? ſed ita totus errat, ut in eodem ſermone dicat, in ſenatum ſe Caeſare conſule non accedere, ſed id dicat ipſo conſule exiens e ſenatu. Iam, qui hac parte animi, quae cuſtos eſt ceterarum ingenij partium, tam debilis eſſet, ut ne in ſcripto quidem meminiſſet, quid paullo ante poſuiſſet, huic minime mirum eſt ex tempore dicenti ſolitam effluere mentem. itaque, cum ei nec officium deeßet, & flagraret ſtudio dicendi, perpaucae ad

eum

eum cauſſae deferebantur: orator autem, uiuis eius aequalibus, proximus optimis numerabatur, propter uerborum bonitatem, ut ante dixi, & expeditam, ac profluentem quodam modo celeritatem. itaque eius orationes adſpiciendas tamen cenſeo. ſunt illae quidem languidiores, uerumtamen poſſunt augere, & quaſi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuiſſe concedimus: quod habet tantam uim, ut ſolum ſine alijs in Curione ſpeciem oratoris alicuius effecerit. Sed ad inſtituta redeamus.

EXPLANATIO

MAGNA ʒ ſed quae ſequuntur, maiora, quia in ſcripto, quo memoria iuuatur. PANSA ʒ C. Vibio Panſa. Panſi dicti, quibus lati, ac panſi pedes. De Panſa in epiſtolis, & Philippicis plura. CAESAR *conſul* ʒ qui poſtea dictator fuit: tunc autem conſul cum M. Bibulo. IN *quo* ʒ libro, ſiue dialogo. INVEHERETVR ʒ oderat enim illud, ut apud Suetonium patet. TVM *Brutus* ʒ Brutum admirantem inducit, quo magis lectorem admiratione delectet. FLAGITII ʒ erroris. EA ʒ quae Caeſar in Gallia adminiſtrat. ERRAT ʒ C. Curio pater. NON *accedere* ʒ ne, quae faciebat Caeſar conſul, ea, ſi in ſenatum ueniret, probare, cum aduerſari non poſſet, uideretur. SED ʒ malim legere, Et id dicat. EXIENS ʒ exire uero non poterat, niſi prius acceſſiſſet. HAC *parte animi* ʒ memoria, quae tamen non proprie animi pars, ſed mentis uis, & facultas, ſiue etiam pars, ut Ariſt. de Memoria, & Reminiſcentia, & Cic. de Fin. 5. Quod & comprobans Poeta, animum pro memoria uſurpauit.

Omnia fert aetas, animum quoque: ——

In Bucolicis.

Sed pars multis modis dicitur, ut Ariſt. Metaph. 7. docet. CVSTOS ʒ ſic in Partitionibus, & Theſaurus, libro primo de Orat. INGENII *partium* ʒ de Finib. lib. 5. Memoriam, docilitatem, & reliqua id genus, uno Ingenij nomine appellari ſcribit. MENTEM ʒ memoriam. Synecdoche eſt, pro parte totum, ut cum Virgil. animum appellauit, quo modo citauimus. NEC *officium deeßet* ʒ cum eſſet officioſus. EIVS *aequalibus* ʒ C. Cotta, Sulpicio, Q. Vario, Cn. Pomponio, L. Fuſio, & M. Druſo. PROXIMVS *optimis* ʒ C. Cottae, & P. Sulpicio. VERBORVM *bonitatem* ʒ uerborum ſplendorem. ſupra. id eſt, nitorem, & elegantiam. CELERITATEM ʒ copiam. ſupra. ITAQVE ʒ cum elocutione ualuerit. TAMEN ʒ etiamſi in alijs partibus non ualuerit.

CICERO

IN *eodem igitur numero eiuſdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentiſſimi uiri filius, non ſatis acutus orator, ſed tamen orator numeratus eſt. erat in uerbis grauitas; & facile dicebat; & auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. Acutior Q. Varius rebus inueniendis, nec minus uerbis expeditus; fortis uero actor, & uehemens; & uerbis nec inops, nec abiectus, & quem plane oratorem dicere auderes. Cn. Pomponius, lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus. Multum ab ijs aberat L. Fuſius, tamen ex accuſatione M'. Aquillij diligentiae fructus ceperat. Nam M. Druſum, tum magnum auunculum, grauem oratorem, ita dumtaxat cum de repub. diceret; L. autem Lucullum etiam acutum: patremq. tuum, Brute; iuris quoque, & publici, & priuati ſane peritum M. Lucullum; M. Octauium Cn. filium; qui tantum auctoritate, dicendoq. ualuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis ſuffragijs abrogauerit; M. Octauium M. filium, M. Catonem patrem, Q. etiam Catulum filium abducamus ex acie, id eſt, a iudicijs, & in praeſidijs reip. cui facile ſatisfacere poßint, collocemus.*

EXPLANATIO

IN *eodem igitur numero* ʒ in quo Cotta, Sulpicius, & Curio. IN *uerbis* ʒ quae frequenter dichoreo claudebat, quo tantus olim clamor concionis eſt excitatus, ut admirabile eſſet. in Oratore. DICEBAT ʒ erat enim diſertus. infra. Q. *Varius* ʒ Sucronenſis, a Quinctiliano dictus, ab opido Hiſpaniae Sucrone. erat enim Hiſpanus, & ſic eum uocat Nepos de V. illuſtr. Hybrida quoque propter obſcurum ius ciuitatis, cognominatus, quod Val. Max. teſtatur lib. 8. cap. 6. De Vario uide de Orat. lib. 1. Vir malus fuit. Sociale enim prius, deinde ciuile bellum excitauit, & ſua lege tandem perijt. CN. *Pomponius* ʒ qui mihi placebat. ſupra. Hunc Paterculus inter hiſtoricos uidetur numerare. L. *Fuſius* ʒ de quo Craſſus de Orat. lib. 3. & Antonius lib. 2. Si uitioſe aliquid eſt, id ſumere, & in eo uitioſum eſſe, non magnum eſt, ut ille, qui nunc etiam amiſſa uoce fuerit in repub. Fuſius, &c. EX *accuſatione* ʒ de pecunijs repetundis, ut ait Liuius lib. 70. In accuſando etiam M'. Aquillio, L. Fuſij cognita induſtria. de Offic. lib. 2. Hic alius fuit ab eo, quem Cicero in Diuinatione in Verrem, a P. Lentulo accuſatum fuiſſe ait, qui fuit conſul cum C. Sempronio Tuditano, cum hic cum C. Mario fuerit. M. *Druſum* ʒ M. Liuium Druſum, M. Druſi, & Corneliae F. Hic tanta diligentia fuit, ut ſoleret dicere, Vni ſibi nec puero quidem, umquam ferias contigiſſe. Seneca de breuit. uitae. Hic quaeſtor in Aſia nullis inſignibus uti uoluit, ne quid ipſo eſſet inſignius. Hic a morbo comitiali, ſumpto ex Anticyra ueratro, liberatus eſt. Inter hunc, & Caepionem ex anulo in actione uenali inimicitiae ortae, multas clades Romanis dedere. Plin. 33. cap. 1. MAGNVM *auunculum* ʒ quod maternae auiae

Bruti frater eſſet: nam ſic magni auunculi dicuntur. LVCVLLVM } cuius uitam ſcripſit Plutarchus: & Cicero Academicas Quaeſt. ab hoc nominauerat. ACVTVM } nam in eo incredibilis quaedam ingenij magnitudo fuit. Acad. 2. PATREMQ. *tuum* } M. Iunium Brutum. M. *Lucullum* } L. Luculli fratrem. M. *Octauium* } fortaſſe, quem Verrina 3. Ligurem uocat, & laudat. Vel illum, qui cum C. Cotta conſul, ab urbe condita 679. Lucius uocatur. CN. } Cnaei Cinnae collegae, qui & a Cinna interfectus eſt. SEMPRONIAM } A C. Sempronio Graccho latam. Plut. Cic. Tuſc. 3. Offic. 2. FRVMENTARIAM } qua frumentum uiritim diuideretur. Tuſ. 3. quam Largitionem frumentariam appellat. de Offic. 2. quod exhauriebat aerarium. M. *Octauium* } Cn. Octauium rectius, qui collega Curionis fuit. ſupra. Fuiſſe autem M. F. patet ex 2. de Fin. & monumentis uetuſtis, quae Romae uiſuntur. M. *Catonem* } M. Porcium Catonem, de quo Gellius lib. 13. cap. 19. Hic pater fuit Vticenſis. Q. *etiam Catulum F.* } quem ſupra cum patre nominauit. Ex *acie* } ἀγῶνα uocant Graeci. Cic. ad Att. etiam proelium. Hic interpretatur iudicia, ut intelligas tranſlationem eſſe. Sunt tamen, qui interpretationem irrepſiſſe ex margine putent.

CICERO

EODEM Q. Caepionem referrem, niſi, nimis equeſtri ordini deditus, a ſenatu diſſediſſet. C. Carbonem, M. Marium, & ex eodem genere complures minime dignos elegantis conuentus auribus, aptiſſimos cognoui turbulentis concionibus. quo in genere (ut in his perturbem aetatum ordinem) nuper L. Quinctius fuit, aptior etiam Palicanus auribus imperitorum. Et, quoniam huius generis facta mentio eſt, ſeditioſorum omnium poſt Gracchos L. Appuleius Saturninus eloquentiſſimus uiſus eſt: magis ſpecie tamen, & motu, atque ipſo amictu capiebat homines, quam aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiae. Longe autem poſt natos homines improbiſſimus C. Seruilius Glaucia, ſed peracutus, & callidus, cum primisq. ridiculus. is ex ſummis, & fortunae, & uitae ſordibus in praetura conſul factus eſſet, ſi, rationem eius haberi licere, iudicatum eſſet. nam & plebem tenebat, & equeſtrem ordinem beneficio legis deuinxerat. is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus pl. Mario, & Flacco conſulibus publice eſt interfectus, homo ſimillimus Athenienſis Hyperboli, cuius improbitatem ueteres Atticorum comoediae notauerunt. Quos Sex. Titius conſecutus, homo loquax ſane, & ſatis acutus, ſed tam ſolutus, & mollis in geſtu, ut ſaltatio quaedam naſceretur, cui ſaltationi Titius nomen eſſet. Ita cauendum eſt, nequid in agendo dicendoue facias, cuius imitatio rideatur.

EXPLANATIO

EODEM *Q. Caepionem* } Q. Seruilium Caepionem, M. Druſi inimicum illum. REFERREM } quod olim bello Italico proſpere pro repub. depugnaſſet. EQVESTRI *ordini* } quem contra Druſum defendit. Florus lib. 3. cap. 17. DISSEDISSET } a diſſideo: diſſenſiſſet. CN. *Carbonem* } cognomento Papirium, qui fuit Marianarum partium: tertium conſul, homo ſeditioſus, & turbulentus, in Sicilia tandem a Pompeio captus, & occiſus eſt. Liu. Val. Max. Paterculus, Plutar. Appianus. M. *Marium* } Gratidianum, M. Marij Gratidij, de quo ſupra, filium, cuius caput abſciſſum per urbem ſua manu L. Catilina tulit, Cic. de Leg. Q. Cicero de petitione conſulatus, Liuius, & alij. Vide quoque Senecam de Ira libro 3. cap. 18. COGNOVI } Cognoui, dicit, non Cognouimus, quia Atticus tum aberat, & Brutus cognoſcere non potuerat. PERTVRBEM } de ſeditioſis, & turbulentis loquens, quod aptum eſt. NVPER } annos circiter triginta ante, L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta cos. L. *Quinctius* } tribunus plebis Verre praetore, homo maxime popularis, qui omnes rumorum, & concionum uentos colligere conſueſſet. pro Cluentio. PALICANVS } M. Lollius Palicanus, qui & ipſe trib. pleb. fuit, duobus poſt Quinctium annis. Verr. 4. ad Attic. epiſt. 1. lib. 1. L. *Appul. Satur.* } male Cnaeus, pro Lucio, apud Liu. in epitome 69. legitur. Ab hoc Appuleio leges Appuleiae dictae. A Mario tandem, & L. Valerio Flacco cos. interfectus in curia, una cum Glaucia. RIDICVLVS } cuius iocos leges in 2. de Oratore. SORDIBVS } hinc, Stercus curiae, appellatus, libro 3. de Orat. SI *rationem eius haberi licere* } neque enim licebat habere rationem, niſi prius legibus ſoluti eſſent, abſentis, rei, iunioris quam lex annalis poſcebat, & magiſtratus ut Glauciae, quia erat praetor, ut uides, quod duo anni: ut minimum inter praeturam, & conſulatum intercedere ſolerent. Emendandus eſt error in oratione pro Rabirio, itaque legendum: Adhibent omnes tribunos pl. praeter Saturninum: Praetores, praeter Glauciam. nam Praetores omiſſum a librarijs eſt. BENEFICIO *legis* } quam primus Glaucia tulit, ut comperendinaretur reus, id eſt, ut dilatio ei daretur ad ſe comparandum, Verrina 3. quae lex Glaucia ab Aſconio uocatur, ne ſi Seruilia diceretur, ut debuit, cum alijs Seruilijs confunderetur. MARIO *& Flacco cos.* } ab V. C. anno 654. PVBLICE } ita ut omnes omnium ordinum homines adeſſent, pro Rabir. Vide orationem tertiam in Catilinam. HYPERBOLI } Chremidis F. lucernarum faber, improbus fuit: quippe qui faciendis lucernis ex aere, plumbum admiſcebat, quo pluris eas, ut grauiores uenderet. ATTICORVM *comoediae not.* }

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophanesq. poetae,
Atque alij, quorum comoedia priſca uirorum eſt:

Horatius Satyra 4. libri primi Sermonum. nam hi, ut idem Horatius ait,

— Multa cum libertate notabant.

Hinc

Hinc prouerbium de prodigioſe improbis, Super Hyperbolum. Huius etiam meminit Thucydides lib. 8. & Lucianus in Timone. QVOS *Sex. Titius*] Qui M. Antonio, Aulo Poſtumio Albino coſ. trib. pleb. fuit. lib. 2. de Orat. CONSECVTVS *fuit*] ſequenti anno, quo Saturninus, & Glaucia interfecti fuerunt. Fuit & ipſe ſeditioſus. MOLLIS] uide libro ſecundo de Orat. ubi de iocis praecipitur. TITIVS *nomen eſſet*] de hac etiam Fabius Inſtit. libro ſecundo, capite tertio. Vnde (inquit) ſaltationis quoddam genus, Titius eſt appellatum. ITA *cauendum*] acclamatio narrationi ſubiecta, de turpi, & hiſtrionica geſticulatione oratori uitanda.

C I C E R O

SED ad paullo ſuperiorem aetatem reuecti ſumus: nunc ad eam, de qua aliquantum locuti ſumus. reuertamur. Coniunctus igitur Sulpicij aetati P. Antiſtius fuit, tabula ſane probabilis: qui multos cum tacuiſſet annos, neque contemni ſolum, ſed irridere etiam ſolitus eſſet, in tribunatu primum, contra C. Iulij illam conſulatus petitionem extraordinariam, ueram cauſſam agens eſt probatus, & eo magis, quod, eandem cauſſam cum ageret eius collega ille ipſe Sulpicius, hic plura, & acutiora dicebat. itaque poſt tribunatum primo multae ad eum cauſſae, deinde omnes, maximae quaecumque erant, deferebantur. rem uidebat acute, componebat diligenter: memoria ualebat: uerbis non ille quidem ornatis utebatur: ſed tamen non abiectis. expedita autem erat, & perfacile currens oratio: & erat eius quidam tamquam habitus non inurbanus: actio paullum cum uitio uocis, tum etiam ineptijs claudicabat. hic temporibus floruit ijs, quibus inter profectionem, reditumq. L. Sullae ſine iure fuit, & ſine ulla dignitate reſp. hoc autem magis probabatur, quod erat ab oratoribus quaedam in foro ſolitudo. Sulpicius occiderat: Cotta aberat, & Curio: uiuebat e reliquis patronis eius aetatis nemo praeter Carbonem, & Pomponium; quorum utrumque facile ſuperabat. Inferioris autem aetatis erat proximus L. Siſenna, doctus uir, & ſtudijs optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus reip. non ſine facetijs, ſed quae laboris multi, nec ſatis uerſatus in cauſſis; interiectusq. inter duas aetates, Hortenſij, & Sulpicij, nec maiorem conſequi poterat, & minori neceſſe erat cedere. huius omnis facultas ex hiſtoria ipſius perſpici poteſt; quae cum facile omnes uincat ſuperiores, tum indicat tamen, quantum abſit a ſummo, quamq. genus hoc ſcriptionis nondum ſit ſatis Latinis litteris illuſtratum.

E X P L A N A T I O

SED *ad paullo, &c. reuecti ſumus*] quaſi aliud agentes retrouecti, ac reuerſi ſumus, ut nauigantes interdum reuehi ſolent eo, unde fuerant profecti. Aliter, Reiecti ſumus. fortaſſis non male, ut nauigantes, uentis reflantibus, reiici ſolent. AD *eam*] ad Sulpicii aetatem. nam de turbulentis dicens, ordinem aetatum conturbarat. P. *Antiſtius*] qui ſocer Pompeii cum eſſet, ut Sullanarum partium homo, fuit a Marianis interfectus. Non uidetur is eſſe, cuius mentionem facit Cicero pro Sex. Roſcio Amerino, quem Priamum uocat. RABVLA] uel, a rabie: uel, a raui, id eſt, raucitate: uel, a radendo dictus, is eſt, qui clamoribus forum replet: nec ſe ſuo munere fungi putat, ni ad rabiem, uel rauim uſque clamando, audientium radat aures: quem aduocatum dicimus, inquit Nonius. EXTRAORDINARIAM] cum ſperabat, & id agebat C. Iulius Caeſar, ut, omiſſa praetura, conſul fieret. Aſconius. REM *uidebat acute*] inuentione ualebat. COMPONEBAT] diſpoſitionem intelligit cauſſarum. VERBIS] eodem fere modo ſupra, de Q. Vario, Et uerbis nec inops, nec abiectus. EXPEDITA] ſupra de Vario, Verbis expeditus. ET *perfacile currens oratio*] ſupra de Carbone, Facile dicebat. His uerbis elocutionem in Antiſtio fuiſſe ſignificat. ACTIO] pronunciatio: & ſic omnes partes enumerauit. PROFECTIONEM] contra Mithridatem, Plutarchus. REDITVMQ.] cum pacem cum Mithridate feciſſet, Liuius 83. SINE *iure*] Mario, Cinna, Fimbria, Sertorioq. omnia conturbantibus: quo tempore reſidui ſenatorum tranſuecti in Graeciam, coegere precibus Sullam, ut periclitanti, immo iam paene perditae patriae opem ferret. Oroſius. SVLPICIVS *occiderat*] occiſus fuerat, ante tamen Sullae profectionem. COTTA *aberat*] eiectus e ciuitate, quem Rutilia mater in exſulium ſecuta eſt. Seneca de conſol. ad Albinam. ET *Curio*] C. Curio tum cum Sulla aberat. CARBONEM] C. Carbonem, illius eloquentiſſimi filium. ſupra. ET *Pomponium*] Cn. Pomponium, de quo ſupra. SVPERABAT] ſupra, Pomponium ceteris omnibus eius aetatis, praeter Sulpicium, & Cottam, anteposuit: hic ab Antiſtio ſuperatum dicit. Sed hoc intelligendum eſt, ut Pomponium antepoſuerit iis, qui in ſuperiore propoſitione poſiti ſunt: in qua Antiſtius non fuit: quem nunc adiungit. L. *Siſenna*] de Siſenna Paterculus lib. 2. & Cic. de Diuin. libro 1. & 2. & Ouid. in 2. de Triſt.

Vertit Ariſtidem Siſenna, nec obfuit illi.
 Hiſtoriae turpes inſeruiſſe iocos.

Hic in numero bonorum oratorum non fuit, ut Cic. libro primo de Legibus oſtendit. CARVS *reipub.*] ut Oratores debent eſſe, lib. 1. de Orat. NON *ſine facetijs*] adeo, ut a turpibus iocis non temperaret. Ouidius. ſupra. NEC *ſatis*] quamuis Chirtilium, & C. Verrem accuſante Cicerone, & alios multos defenderit. Verr. 4. & 6. MAIOREM] natu Sulpicium. MINORI] natu Q. Hortenſio. QVANTVM *abſit*] L. enim Siſenna in hiſtoria puerile quiddam conſectatur, ut unum Clitarchum, neque praeterea quemquam de Graecis legiſſe uideatur, eum tamen uelle dumtaxat imitari: quem ſi aſſequi poſſet, aliquantulum ab opti-

mo tamen abeſſet. lib. 1. de Leg. Nondvm *ſit ſatis* § hoc non diceret Cicero, ſi hodie uiueret, & Liuium, Bembum, Iouium legeret.

C I C E R O

Nam Q. Hortenſij admodum adoleſcentis ingenium, ut Phidiae ſignum, ſimul adſpectum, & probatum eſt. is, L. Craßo, Q. Scaeuola conſulibus, primum in foro dixit, & apud hos ipſos quidem conſules; & cum eorum, qui affuerunt, tum ipſorum conſulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio diſceſſit probatus. undeuiginti annos natus erat eo tempore. eſt autem L. Paullo, C. Marcello cõſulibus mortuus: ex quo uidemus enim in patronorum numero annos quattuor & XL fuiße. hoc de oratore paullo poſt plura dicemus: hoc autem loco uoluimus aetatem indiſparem oratorum includere. quamquam id quidem omnibus uſu uenire neceſſe fuit, quibus paullo longior uita contigit, ut & cum multo maioribus natu, quam eßent ipſi, & cum aliquanto minoribus compararentur. ut Attius iiſdem aedilibus ait ſe & Pacuuium docuiße fabulam, cum ille octoginta, ipſe triginta annos natos eſſet: ſic Hortenſius non cum ſuis aequalibus ſolum, ſed & mea cum aetate, & cum tua, Brute, & cum aliquanto ſuperiore coniungitur: ſiquidem & Craſſo uiuo dicere ſolebat; & magis iam etiam uigebat Antonio; & cum Philippo iam ſene, pro Cn. Pompeij bonis dicente, in illa caußa, adoleſcens cum eſſet, princeps fuit; & in eorum, quos in Sulpicij aetate poſui, numerum facile peruenerat; & ſuos inter aequales, M. Piſonem, M. Craßum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram, longe praeſtitit; & me adoleſcentem nactus octo annis minorem, quam erat ipſe, multos annos in ſtudio eiuſdem laudis exercuit; & tecum ſimul, ſicut ego pro multis, ſic ille pro Ap. Claudio dixit, paullo ante mortem.

E X P L A N A T I O

Nam *Q. Hortenſij* § De quo in exordio coepit dicere: & hic paullo poſt, quantus fuerit orator, oſtendet. Vt *Phidiae ſignum* § Prouerbium de re perfecta. nam Phidiae ſimulacris nihil in eo genere perfectius uideri poterat. de quo Strabo lib. 8. & Plinius, & alij. Simvl § Quamuis Lucianus neget in Dialogo de Imaginibus. Primvm *in foro* § Poſt etiam in ſenatu. lib. 1. de Or. Probatvs § Sic Craſſus lib. 3. de Orat. Vndeviginti *annos* § quot a M'. Acilio Balbo, C. Porcio Catone cos. ad L. Craſſum, & Q. Scaeuolam cos. numerantur. L. *Paullo, C. Marcello cos.* § Anno ab urbe cond. 74. de Hortenſio Cic. 8. Fam. epiſt. 13. & lib. 6. Att. epiſt. 6. & huius Dialogi initio. Vt *Attius* § L. Attius Poeta, & hiſtoricus. de quo ſupra. Iisdem *aedilibus* § eodem igitur anno, ideſt, ab urbe cond. 613. uel 14. Ad hoc enim tempus anni triginta, quot natus Attius dicitur, numerantur a conſulibus Mancino, & Serrano, quibus cos. natus eſt Attius, ut Euſebius ſcribit. Et iiſdem aedilibus dicit, quia aediles fabulas emebant, & dabant, ut apud Terentium in Prologis uidemus. Ait § in hiſtoria. Tunc enim erat mortuus Attius. Pacvvivs § Poeta Comicus, cuius uitam Crinitus, & Lilius ſcribunt. Docvisse § dediſſe, ut ſupra. Ille § Pacuuius. Ipse § Attius. Triginta § Et ita Pacuuius Attio quinquaginta annis maior erat. Hinc Gellius dixit, Pacuuio ſene Attium floruiſſe. Mea *cum aetate* § octo annis inferiore, paullo poſt. Et *cum tua* § Quae annis 29. inferior eſt. Svperiore § ut L. Siſennae, Curionis, & aliorum. Crasso § L. Craſſo. Vivo § primum conſule, deinde conſulari annos tres. Antonio § M. Antonio oratore uiuo, qui poſt Craſſum quattuor annos uixit. Philippo *ſene* § annum quinquageſimum agente. Cn. *Pomp.* § Magni, qui & ipſe dixit tunc, ut Plutarchus ſcribit. Adolescens § annos ſeptem & uiginti. Princeps § patronorum, qui multi fuerunt, primus. Hic Pompeius Hortenſij cliens dictus a Seneca nouae editionis Declamationum lib. 3. decl. 2. M. *Piſonem* § aliud agens proponit, de quibus oratoribus ſit deinceps dicturus: & ſic aetatem cum aetate coniungit. Longe *praeſtitit* § Sic, ut a Gellio lib. 1. cap. 5. omnibus ferme oratoribus aetatis ſuae, excepto Tullio, clarior appelletur. Mvltos *annos* § de quibus infra diſtincte dicet. In *ſtudio* § Legitur etiam, Stadio, ideſt, campo, ut ſit metaphora a certantibus. Eivsdem *laudis* § eloquentiae. Exercvit § honeſta inter nos contentione. Sicvt *ego* § tecum dixi. Pro Appio Claudio ſocero tuo, & collega meo. infra. Maieſtatis, & ambitus reo. epiſt. 2. & 12. lib. 3. Famil. A Dolabella facto. epiſt 6. lib. 8. Famil. Pavllo *ante mortem* § perpaucis ante mortem diebus, ut infra.

C I C E R O

Vides igitur, ut ad te oratorem, Brute, peruenerimus, tam multis inter noſtrum, tuumq. initium dicendi interpoſitis oratoribus? ex quibus, quoniam in hoc ſermone noſtro ſtatũi neminem eorum, qui uiuerent, nominare, ne uos curioſius eliceretis ex me quid de quoque iudicarem, eos, qui iam ſunt mortui, nominabo. Tum Brutus, Non eſt, inquit, iſta caußa, quam dicis, quamobrem de iis, qui uiuunt, nihil uelis dicere. Quaenam igitur, inquam, eſt? Vereri te, inquit, arbitror, ne per nos hic ſermo tuus emanet, & ij tibi ſuccenſeant, quos praeterieris. Quid uos, inquam, tacere non poteritis? Nos quidem, inquit, facillime: ſed tamen te arbitror malle id ipſum tacere, quam taciturnitatem noſtram experiri. Tum ego, Vere, inquam, tibi, Brute, dicam; nõ me exiſtimaui in hoc ſermone uſque ad hanc aetatem eſſe uenturum: ſed ita traxit ordo aetatum orationem, ut iam ad maiores etiam peruenerim. Interpo-

ne

ne igitur, inquit, ſi quos uidetur: deinde redeamus ad te, ad & Hortenſium. Immo uero, inquam, ad Hortenſium: de me alij dicent, ſi qui uolent. Minime uero, inquit. nam, etſi me facile omni tuo ſermone te nuiſti: tamen is mihi longior uidetur, quod propero audire de te; nec uero tam de uirtutibus dicendi tuis, quae cum omnibus, tum certe mihi notiſſimae ſunt, quam quod gradus tuos, & quaſi proceßus dicendi ſtudeo cognoſcere. Geretur, inquam, tibi mos: quoniam me non ingenij praedicatorem eße uis, ſed laboris mei.

EXPLANATIO

VIDES, *igitur* ≷ Digreſſio, cur de uiuis nolit dicere. VT *ad te oratorem* ≷ cuius & natura ſit admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria. ſupra. PERVENERIMVS ≷ per oratorum aetates, quaſi per gradus adſcendentes. NOSTRVM ≷ Hortenſij & meum, uel potius meum ſolius. ISTA *cauſſa* ≷ infra cauſſas alias addit Atticus. VERERI *te* ≷ ut olim cum uerſibus tres libros de temporibus tuis ſcripſiſſet. epiſtola longa ad Lentulum, Fam. lib. 1. TACERE ≷ Seneca in Hippolyto, Alium ſilere, quod uoles, prius ſile. MINORES ≷ natu minores & iuniores, non minores orat res. MINIME *uero* ≷ dicant alij, ſed tu uelim dicàs. OMNI *tuo ſermone* ≷ toto tuo hoc ſermone. PROPERO *audire* ≷ Hac praeparatione lenit ea, quae de ſe poſt dicet. VIRTVTIBVS *dicendi tuis* ≷ ſupra de Catone, uirtutes oratorias appellauit. TVM *certe mihi* ≷ qui tuus ſum familiaris, & tecum ſaepe dico. GRADVS *tuos* ≷ Quibus quaſi per gradus ad hanc eloquentiae laudem adſcendiſti: uel, ut Cornelius Tacitus de Oratoribus, Tuae eloquentiae uelut quandam educationem. NON *ingenij praedicatorem* ≷ Ingenij oſtentationem ſemper uitauit Cicero, laborum ſuorum commemorationem non uitauit: quod quidem duabus de cauſſis ſolitus eſt facere: uel, ut ad id faciendum alios inuitaret ſuo exemplo: uel, ut aduerſariis reſponderet. Id ſi cogitauerimus, facile eius iactationem interpretabimur.

CICERO

VERVM interponam, ut placet, alios, & a M. Craſſo, qui fuit aequalis Hortenſij, exordiar. Is igitur mediocriter a doctrina inſtructus, anguſtius etiam a natura, labore, & induſtria, & quod adhibebat ad obtinendas cauſſas curam etiam, & gratiam, in principibus patronis aliquot annos fuit. in huius oratione ſermo Latinus erat, uerba non abiecta; res compoſitae diligenter; nullus flos tamen, neque lumen ullum; animi magna, uocis parua contentio; omnia fere ut ſimiliter atque uno modo dicerentur. Nam huius aequalis, & inimicus C. Fimbria non ita diu iactare ſe potuit: qui omnia magna uoce dicens, uerborum ſane bonorum curſu quodam incitato, ita furebat tamen, ut mirarer tam alias res agere populum, ut eſſet inſano inter diſertos locus. Cn. autem Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat: qui cum eſſet nec peracutus, (quamquam & ex facie, & ex uultu uidebatur) nec abundans uerbis, (etſi fallebat in eo ipſo) ſic interuallis, exclamationibus, uoce ſuaui & canora, admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, quae deerant, non deſiderarentur. ita, tamquam Curio copia non nulla uerborum, nullo alio bono, tenuit oratorum locum; ſic Lentulus ceterarum uirtutum dicendi mediocritatem actione occultauit, in qua excellens fuit. Neque multo ſecus P. Lentulus: cuius & excogitandi, & loquendi tarditatem tegebat formae dignitas, corporis motus plenus & artis, & uenuſtatis, uocis & ſuauitas, & magnitudo. ſic in hoc nihil praeter actionem fuit, cetera etiam minora, quam in ſuperiore.

EXPLANATIO

ET *a M. Craſſo* ≷ M. Licinio Craſſo P. F. Marci uitam ſcripſit Plutarchus. AEQVALIS *Hortenſij* ≷ Anno tamen maior Hortenſio, ſi conſulatus eorum ſpectes. MEDIOCRITER *a doctrina inſtructus* ≷ Hunc locum in deſcribenda Craſſi uita Plutarchus tranſtulit. ANGVSTIVS ≷ Parcius, & malignius, ut ita dicam. SIMILITER *atque uno modo* ≷ Male: nam uarietas probatur in Oratore: unde nata ſunt genera dicendi illa quinque in Part. Orat. explicata. HVIVS *aequalis* ≷ M. Craſſi. Liuius lib. 82. INIMICVS ≷ nam ab eius equitibus Craſſi frater interfectus. Liuius lib. 80. Lucanus lib. 2. C. *Fimbria* ≷ C. Flauius Fimbria: qui, cum L. Valerium Flaccum in Bithynia apud Nicomediam interfeciſſet, & imperium ad ſe tranſtuliſſet, Ilium, quod ſibi portas clauſiſſet, undecimo die cepit, & euertit: & ob id cum gloriaretur, quod quam urbē Agamemnō decimo uix anno cepiſſet, cum mille nauium claſſem, & uniuerſam Graeciam ſecum haberet, eam ipſe undecimo die cepiſſet, reſpondit quidam ex Ilienſibus; non enim Hector aderat, qui pro Ilio pugnaret. Ipſe uero paullo poſt, cum apud Thyatiram ab exercitu Sullae obſideretur, ſua ſe, & ſerui manu interemit. Liuius lib. 83. Strabo 13. Plutarch. in Sulla. Appia. in Mithridatico. Patercul. lib. 2. Hic eſt ille Fimbria homo furioſus, & audaciſſimus, qui cum curaſſet in funere C. Marij, ut Q. Scaeuola pontifex uulneraretur, eidē poſt diem dixit, quam comperit eum poſſe uiuere. Et, cum ab eo quaereretur, quid tandem accuſaturus eſſet eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis commode poſſet? ille, ut erat furioſus, reſpondit, quod non totum telum corpore recepiſſet. Cic. pro S. R. Amer. Val. Max. lib. 9. cap. 2. ALIAS *res agere* ≷ Prouerbium, Agere, quod agendum non ſit, & non agere hoc, ut dicitur. In hoc ſenſu apud Senecam Epiſt. lib. 1, epiſt. 1.

epiſt. 1. legimus: Magnae uitae pars elabitur male agentibus, tota aliud agentibus: in quo loco intelligendo ſe multi torſerunt. CN. *autem Lentulus*] Cn. Cornelius Lent. qui fuit conſul cum L. Gellio, qui Lentulo multo maior natu fuit. Iccirco de eo ſupra dictum eſt, & fere eadem utrique fuere communia.. Ex *facie, & ex uultu*] Facies permanet, uultus mutatur. Facies omnium rerum eſt, tam animatarum, quam inanimatarum: Vultus ſolius hominis eſt proprie, ut Cic. lib. 1. de Legibus teſtatur, ubi etiam Graecos uim habere eius uerbi, nomen non habere ait. nam πρόσωπον, latius patet. Poetae tamen aliis etiam rebus accommodant: Pro facie,

Vnus erat toto terrarum uultus in orbe, Ouidius Meamorph. 1.

ADMIRANDO *irridebat*] Fingebat ſe admirari. COPIA] De Curione ſupra, Verborum ſplendore, & copia. NVLLO *alio bono*] ſupra, Sine aliis bonis. TENVIT *or. lo.*] Orator proximus optimis numerabatur. ſupra. VIRTVTVM] uirtutes appellat, oratoris officia. ACTIONE] Qua plus eſt conſecutus, quam eloquentia. Quinctil. OCCVLTAVIT] Sic, ut ea, quae deerant, non deſiderarentur. ſupra. P. *Lentulus*] P. Cornel. Lent. Sura, qui cum Catilina coniurauit, cui ceruix in carcere cum Cethego, & tribus aliis fracta fuit. Vide Salluſt. in Catil. & Cic. in Catilinam.

C I C E R O

M. Piſo, quidquid habuit, habuit ex diſciplina, maximeq. ex omnibus, qui ante fuerunt, Graecis doctrinis eruditus fuit. habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limauerat, quod erat in reprehendendis uerbis uerſutum & ſollers, ſed ſaepe ſtomachoſum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facetum. is laborem, quaſi curſum, forenſem diutius non tulit; quod & corpore erat infirmo, & hominum ineptias, ac ſtultitias, quae deuorandae nobis ſunt, non ferebat, iracundiusq. reſpuebat, ſiue moroſe, ut putabatur, ſiue ingenio liberoq. faſtidio. is cum ſatis floruiſſet adoleſcens, minor haberi eſt coeptus poſtea: deinde ex Virginum iudicio magnam laudem eſt adeptus: & ex eo tempore quaſi reuocatus in curſum, tenuit locum tamdi, quam ferre potuit laborem: poſtea, quantum detraxit ex ſtudio, tantum amiſit ex gloria. P. Murena mediocri ingenio, ſed magno ſtudio rerum ueterum, litterarum, & ſtudioſus, & non imperitus, multae induſtriae, & magni laboris fuit. C. Cenſorinus Graecis litteris ſatis doctus, quod propoſuerat explicans expedite, non inuenuſtus auctor, ſed iners, & inimicus fori. L. Turius paruo ingenio, ſed multo labore, quoquo modo poterat, ſaepe dicebat. itaque ei paucae centuriae ad conſulatum defuerunt. C. Macer auctoritate ſemper eguit, ſed fuit patronus propemodum diligentiſſimus. huius, ſi uita, ſi mores, ſi uultus denique non omnem commendationem ingenij euerteret, maius nomen in patronis fuiſſet. non erat abundans, non inops tamen: non ualde nitens, non plane horrida oratio: uox, geſtus, & omnis actio ſine lepore; at in inueniendis, componendisq. rebus mira accuratio; ut non facile in ullo diligentiorem, maioremq. cognouerim, ſed eam ut citius ueteratoriam, quam oratoriam diceres. hic etſi etiam in publicis cauſſis probabatur, tamen in priuatis illuſtriorem obtinebat locum.

E X P L A N A T I O

M. PISO] M. Puppius Piſo Calpurnius. Pupius, quod a M. Pupio dicatur adoptatus. Cicero pro domo ſua. Natu maior Cicerone fuit, ideoq. ad eum adductus a patre adoleſcentulus Cicero, quod in eo antiquae uitae ſimilitudo, & multae erant litterae. Ex *diſciplina*] Philoſophorum, praeſertim Peripateticorum. Cic. de Fin. lib. 5. Hinc in oratione in Piſonem, ſic ait: Tu eruditior, quam M. Piſo? Quod autem lib. 1. ad Atticum imperitum uocat, uel iratus facit: uel imperitum reip. adminiſtrandae intelligit. ACVMINIS] ſignificat his, & ſequentibus uerbis, illum facetum fuiſſe. In dicto, inquit Cic. lib. 2. de Orat. ridiculum eſt id, quod uerbi, aut ſententiae quodam acumine mouetur. SAEPE *ſtomachoſum*] Moroſum, inimicum. nam ad Att. lib. 1. uocat illum cauillatorem genere illo moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur, quod in re cautiſſime tractandum praecipit. ARTE *limauerat*] Etſi ars in hiſce rebus parum ualeat. lib. 2. de Orat. Ex *uirginum iudicio*] huius iudicij mentionem facit Cicero oratione tertia in Catilinam, & Plutarchus in Catone. Inter eas uirgines fuit Fabia ueſtalis Terentiae uxoris Ciceronis ſoror, cum qua Catilina inceſtum commiſiſſe arguebatur. ſed abſoluta eſt defendente Catone, & Piſone hoc, accuſante Clodio. P. *Murena*] P. Licinius Murena. Murenae cognomen a Murena piſce, ſicut Auratae, uel Oratae ab Aurata piſce, inditum eſſe Varronem ſcripſiſſe, teſtis eſt Macrobius lib. 3. Saturn. RERVM *ueterum*] antiquitatis, hiſtoriae, quam oratori neceſſariam ſaepe dixit Cicero. C. *Cenſorinus*] qui Cn. Octauium conſulem interfecit, ut Appianus refert. Cenſorini cognomen in multis familiis fuiſſe inuenitur, a cenſura, quam aliquis in eis familiis geſſerit. CENTVRIAE] in quas pop. Rom. diuiſus erat: unde Centuriata comitia dicta, in quibus conſules creabantur. C. *Macer*] C. Licinius Macer. de quo Cic. lib. 1. ad Atticum. & Plut. in Cic. & Val. Max. lib. 9. cap. 2. SEMPER *eguit*] contra ſentit Plut. in Cic. ſed Ciceroni aſſentior, utpote cui notior fuit VITA] turpis: nam repetundarum praetore Cicerone damnatus fuit. EVERTERET] uir enim bonus eſſe debet orator, ut Antonius lib. 2. de Oratore ait, & Quinctiliani definitio docet: Orator, inquit, eſt uir bonus dicendi peritus.

CICERO

C. deinde Piſo, ſtatarius, & ſermonis plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando; uerumtamen uultu & ſimulatione multo etiam acutior, quam erat, uidebatur. Nam eius aequalem M'. Glabrionem, bene inſtitutum aui Scaeuolae diligentia, ſocors ipſius natura, negligensq. tardauerat. Etiam L. Torquatus elegans in dicendo, in exiſtimando admodum prudens, toto genere perurbanus.

EXPLANATIO

C. *deinde Piſo* ʒ Caius Calpurnius Piſo. Male legitur apud Salluſtium & Aſconium, Cn. Piſo. Hic eſt ille Piſo, quo praetore Cicero Q. Roſcij Comoedi cauſſam defendit: quemq. in Caecinae cauſſa aduerſarium habuit: qui & conſul cum M'. Glabrione fuit ab v. c. 687. Qui & tunc legem Calpurniam de ambitu tulit. STATARIVS ʒ ſic ſupra Rutilium, & Scaurum uocauit, ut ibi diximus. Eſt ergo a fabulis tranſlatum uerbum, uel a militibus ſtatarijs, & ſtataria pugna cataphractorum, qua innuitur hunc fide, uirtute, grauitate, auctoritate, ornatum fuiſſe. Cic. pro Roſc. Comoedo. VVLTV, *& ſimulatione* ʒ ſupra dixit, Facie & uultu, de Cn. Lentulo. M. ʒ alij Marcum intelligunt, ſed in hac gente Acilia, non Marcum, ſed aut Manium, aut Manilium, aut Mallium legendum: ſcribebatur enim in Veterum monumentis ſine apoſtropho, cum Marcus adiecto ſigno apoſtropho ſcriberetur, ſic, M'. GLABRIONEM ʒ M'. Acilium, Glabr. non Atilium, aut Aquillium legere ſemper de Glabrione debemus, etiam ſi ſecus ſcriptum reperiemus. Hoc Glabrione praetore, Cicero Verrem accuſauit, ut ipſae Verrinae, & Aſconius teſtantur. AVI ʒ materni, ut arbitror: ſic Verrina ſecunda. L. *Torquatus* ʒ L. Manlius Torq. Hic Ciceronis & Attici condiſcipulus fuit, ut Nepos ait in Attici uita. Idem cum L. Aurelio Cotta conſul eſt factus, quo tempore Catilinae prior coniuratio de interficiendis conſulibus patuit, ut ſcribit Salluſtius. Hunc conſulem fortiſſimum pro Sulla, & de Fin. lib. 2. Cicero uocat.

CICERO

MEVS *autem aequalis Cn. Pompeius, uir ad omnia ſumma natus, maiorem dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. erat oratione ſatis amplus: rem prudenter uidebat: actio uero eius habebat & in uoce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem. Noſter item aequalis D. Silanus, uitricus tuus, ſtudij ille quidem habuit non multum, ſed acuminis, & orationis ſatis. Q. Pompeius A. F. qui Bithynicus dictus eſt biennio, quam os fortaſſe maior, ſummo ſtudio dicendi, multaq. ndoctrina, incredibili labore, atque induſtria: quod ſcire poſſum: fuit enim mecum, & cum M. Piſone cum amicitia, tum ſtudijs, exercitationibusq. coniunctus, huius actio non ſatis commendabat orationem; in hac enim ſatis erat copiae, in illa autem leporis parum. Erat eius aequalis P. Autronius, uoce peracuta, atque magna, nec alia re ulla probabilis. Et L. Octauius Reatinus: qui, cum multas iam cauſſas diceret, adoleſcens eſt mortuus. is tamen ad dicendum ueniebat magis audacter, quam parate. Et C. Stalenus, qui ſe ipſe adoptauerat, & de Staleno Aelium fecerat: feruido quodam, & petulanti, & furioſo genere dicendi: quod quia multis gratum erat, & probabatur, adſcendiſſet ad honores, niſi in facinore manifeſto deprehenſus, poenas legibus, & iudicio dediſſet.*

EXPLANATIO

AEQVALIS ʒ Fuit tamen ante Ciceronem conſul, ſed legibus ſolutus, ut Liu. 97. ait. CN. *Pomp.* ʒ Magnus, a magnitudine rerum geſtarum appellatus, de quo tam multa Cic. Liuius, Paterculus, Val. Max. Plut. Dion, Appianus, & alij, ut nobis tacendum ſit. MAIORIS *gloriae cup.* ʒ Vtra praeſtet, dicendi ne, an belli gloria, infra paucis diſputatur, & de Offic. lib. 1. copioſius. AMPLVS ʒ Fuit in eo grauitas in dicendo, facultas, & copia, pro Corn. Balbo. Fuit ergo uehemens orator. Hoc ad elocutionem pertinet. REM *prudenter uidebat* ʒ quod eſt ingenij, acuminis, & inuentionis. SPLENDOREM ʒ haec ad actionem referuntur. & eſt translatio ſumpta a claris, & lucidis rebus. Actio in uocem, & motum diuiditur: Vultus in motu intelligitur, ne quis requirat forte. D. *Silanus* ʒ Decimus Iunius Sillanus, ut apud Salluſtium legitur. Et ſupra dictum eſt, de M. Iun. Silano. Hic conſul deſignatus cenſuit eos, qui remp. delere conati fuerant, morte multandos eſſe, ut apud Salluſtium, & Ciceronem in orat. 4. in Catil. VITRICVS *tuus* ʒ nam Bruti mater Seruilia, cum eſſet uidua, ei nupſit. Q. *Pompeius* ʒ hunc Oroſius lib. 6. cap. 15. cum Pompeio Magno in Aegypto interfectum fuiſſe ſcribit: apud alios nihil legimus. Auli filium, dicit, eum putamus eſſe, qui obiit in Capitolio, cum deos precatus eſſet, darent quod optimum uideretur: cuius praenomen retulit Aulus Pomp. Q. F. quem poſtea Sex. Magni F. praetorem in Sicilia occidit, ut Liu. 123. App. lib. 4. & Dion lib. 48. Bithynicus Eatris cognomento dictus, cuius etiam Epiſtolae Famil. lib. 6. ad Ciceronem, & Ciceronis ad eum leguntur. EIVS *aequalis* ʒ & ita Cicerone biennio maior. P. *Autronius*, ʒ ſemper Publius apud Salluſtium, quamuis

apud

apud Suetonium Lucius appelletur in Caeſare. Hunc in oratione pro Sulla Sceleſtiſſimum hominem deſcribit. Vide etiam lib.3. Att. Et *L. Octauius* ʒ & de hoc nihil legimus aliud, niſi is ſit forte, qui Verrina 4 nominatur aliter, L. Octauius Theatinus. Et *C. Stalenus* ʒ huius Q. Pompeij erat aequalis. Et *de Staleno Aellum fecerat* ʒ cum prius C. Stalenus Ligur diceretur, C. Aelius Paetus uoluit appellari, uel C. Stalenus Paetus. nam in oratione pro Cluentio cognomen tantum dicitur delegiſſe. In *facinore manifeſto* ʒ de quo crimine Cicero in Topicis, ubi de Teſtimoniis praecipit, ſic ſcribit: Multi etiam in res odioſas inciderunt imprudentes, ut Staleno nuper accidit, qui ea locutus eſt bonis uiris ſubauſcultantibus pariete interpoſito, quibus patefactis, in iudiciumq. prolatis, rei capitalis, iure damnatus eſt. Nam Cominijs accuſantibus, maieſtatis eſt damnatus. Pro Cluentio plura.

C I C E R O

Eodem tempore C. & L. Caepaſij fratres fuerunt; qui multa opera, ignoti homines, & repentini, quaeſtores celeriter facti ſunt, opidano quodam, & incondito genere dicendi. Addamus huc etiam, ne quem uocalem praeterijſſe uideamur, C. Coſconium Calidianum; qui, nullo acumine, eam tamen uerborum copiam, ſi quam habebat, praebebat populo cum multa concurſatione, magnoq. clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius; qui fuit M. Craſſi quaſi ſecundarum. is omnibus exemplo debet eſſe, quantum in hac urbe polleat multorum oboedire tempori, multorumq. uel honori, uel periculo ſeruire. his enim rebus, infimo loco natus, & honores, & pecuniam, & gratiam conſecutus, etiam in patronorum, ſine doctrina, ſine ingenio, aliquem numerum peruenerat. ſed, ut pugiles inexercitati, etiam ſi pugnos, & plagas Olympiorum cupidi ferre poſſunt, ſolem tamen ſaepe ferre non poſſunt: ſic ille, cum, omni iam fortuna proſpere functus, labores etiam magnos excepiſſet, illius iudicialis anni ſeueritatem, quaſi ſolem, non tulit.

E X P L A N A T I O

Eodem *tempore* ʒ quo Q. Pomp. & reliqui fuerunt. C. & *L. Caepaſii* ʒ homines induſtrii, atque eo animo, ut quaecumque dicendi poteſtas eſſet data, in honore atque in beneficio ponerent. Cic. pro Cluentio, ubi potius eos irridere, quam laudare uidetur. C. *Coſconium* ʒ qui in orat. pro Sulla uidetur praetor fuiſſe, Cicerone conſule. Qui uero Cicerone praetore proconſul in Illyrico fuiſſe legitur, is Cnaeus, non Caius ab Eutropio lib. 6. uocatur, ut diuerſi eſſe uideantur. Caii Cicero mentionem facit, pro Cluent. & in Vatinium, & ad Att. ep. 19. lib. 2. Calidianum ʒ natura, ſed adoptione Coſconium. Q. *Arrius* ʒ is uidetur eſſe qui praetor Chryſum fugitiuorum ducem cum XX.M. hominum cecidit, ut Liu. lib. 96. De hoc Cicero Verrina 4. & 6. & ad Attic. lib. 2. epiſt. 5. & 6. Secundarum ʒ ſcilicet partium, ut Spinther ſecundarum, tertiarumq. Pamphilus, apud Plinium lib. 7. cap. 12. Aliter, Secundator, aliter Secundanus, aliter Secundarius, id eſt, ſecundas partes agens: & ſecundum locum a Craſſo obtinens. Seneca tamen lib. 3. de Ira, cap. 8. ſecundas agere ponit, pro eo fere, quod eſt aſſentari. Honores ʒ ut praeturam, & alios. Pecuniam ʒ tantam, ut epulum dederit, ut ex oratione in Vatinium colligitur. Sine *doctrina* ʒ quod oſtendit, cum Chommoda diceret, ſiquando Chommoda uellet dicere: & Hinſidias Arrius inſidias, & cetera, quae ualde facete ſcribit Catulus in Epigrammatis. Vt *pugiles* ʒ Similitudo aptiſſima. Pugiles πύκται a Graecis dicti, & pugna πυγμή. Olympiorum ʒ Ludorum, qui Olympia dicuntur, quae quarto quoque anno, magno totius Graeciae concurſu, celebrabantur, Herculis inſtituto, Ioui Opt. Max. Haec Pindarus carminibus conſecrauit. Iudicialis *anni* ʒ Eum annum ſignificari exiſtimo, quo Pompeius Magnus, cos. III, duas leges ex S. C. promulgauit, alteram de ui in Appia uia facta, cum Clodius occiſus eſt: alteram de ambitu, quibus iubebat una eademq. die ab accuſatore & reo perorari totam cauſſam, ita, ut accuſatori duae horae, reo tres ad dicendum darentur. Aſconius. Tunc enim maxime optimorum oratorum, ut Ciceronis, & Hortenſii, induſtria perſpecta eſt. Hanc iudiciorum ſeueritatem, laboremq. minuti oratores, & inexercitati ferre non poterant.

C I C E R O

Tum Atticus, Tu quidem de faece, inquit, hauris, idq. iamdudum; ſed tacebam: hoc uero non putabam, te uſque ad Stalenos, & Autronios eſſe uenturum. Non puto, inquam, exiſtimare te, ambitione me labi, quippe de mortuis: ſed ordinem ſequens, in memoriam notam & aequalem neceſſario incurro. uolo autem hoc perſpici; omnibus conquiſitis, qui in multitudine dicere auſi ſint, memoria quidem dignos perpaucos, uerum, qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuiſſe. ſed ad ſermonem inſtitutum reuertamur. T. Torquatus, T. filius, & doctus uir ex Rhodia diſciplina Molonis, & a natura ad dicendum ſatis ſolutus, atque expeditus, cui ſi uita ſuppeditauiſſet, ſublato ambitu conſul factus eſſet; plus facultatis habuit ad dicendum, quam uoluntatis: itaque ſtudio huic non ſatisfecit: officio uero nec in ſuorum neceſſariorum cauſſis, nec in ſententia ſenatoria defuit. Etiam M. Pontidius, municeps noſter, multas priuatas cauſſas actitauit, celeriter ſane uerba uoluens, nec hebes in cauſſis, uel dicam plus etiam quam non hebes, ſed efferueſcens in dicendo, ſtomacho ſaepe, iracundiaque,

uehe-

uehementius ; ut non cum aduerſario ſolum , ſed etiam, quod mirabile eſſet, cum iudice ipſo , cuius delenitor eſſe debet orator , iurgio ſaepe contenderet. M. Meßalla, minor natu, quam nos, nullo modo inops, ſed non nimis ornatus genere uerborum , prudens, acutus, minime incautus , patronus in cauſſis cognoſcendis, componendisq. diligens, magni laboris, multae operae, multarumq. caußarum.

EXPLANATIO

TVM *Atticus* ? Attici admonitionem inſerit, ut rationem, cur minutos iſtos recenſeat, Ciceronem cogat reddere. DE *faece* ? de faece haurire, prouerbium, pro eo quod eſt, humilia nimis & plebeia perſequi. Sumptum ab iis, qui, de dolio ut nihil reliqui faciant, etiam faeces cum uiuo hauriunt. STALENOS *& Autronios* ? prorſus indignos, qui in hunc illuſtrium oratorum catalogum uenirent. QVIPPE *de mortuis* ? Subaudi loquentem, a quibus nihil ſperare poſſim. NOTAM *& aequalem* ? notorum nobis & aequalium hominum. INCVRRO ? ita, ut neceſſe ſit aliquid dicere. REVERTAMVR ? ab iſtis uocalibus, & ab hac Oratorum faece. T. *Torquatus* ? de his Torquatis pauca legimus: nam, qui Sullam accuſauerat, contra quem dicit Cicero defendens Sullam, L. L. F. uocatus eſt, eruditus iuuenis: is, ad quem ſcribit in epiſt. Fam. Aulus Torquatus appellatur. DISCIPLINA *Molonis* ? de Molone Apollonio ſupra dictum, & infra dicetur. SVBLATO *ambitu* ? uel, ſi ſublatus fuiſſet: uel, cum ſublatus eſſet, una cum lege Calpurnia, & Tullia. pro Murena. M. *Pontidius* ? aliter, Potidius. MVNICEPS *noſter* ? Arpinas, & ipſe. DELENITOR ? iccirco praecepta conciliandi dantur. Nam, & docere debet orator, & conciliare, & permouere, ex Ariſtotelis, & Ciceronis diſciplina. M. *Meſſala* ? uir conſularis egregius, fortis, conſtans, diligens, Ciceronis laudator, amator, & imitator. epiſt. ad Att. lib. 1. Tres fuerunt M. Meſſalae, omnes egregij uiri, & eruditi, de quibus alibi. MINOR *natu* ? nam conſule Cicerone praeturam petiuit. Cic. pro Sulla. Oſtenditur etiam in oratione pro Sex. Roſc. Amerino.

CICERO

DVO etiam Metelli, Celer, & Nepos, nihil in cauſſis uerſati, nec ſine ingenio, indocti, hoc erant populare dicendi genus aßecuti. Cn. autem Lentulus Marcellinus, nec umquam indiſertus, & in conſulatu pereloquens uiſus eſt, non tardus ſententijs, non inops uerbis, uoce canora, facetus ſatis. C. Memmius, L. filius, perfectus litteris, ſed Graecis, faſtidioſus ſane Latinarum, argutus orator, uerbisq. dulcis, ſed fugiens non modo dicendi, uerum etiam cogitandi laborem, tantum ſibi de facultate detraxit, quantum imminuit induſtriae.

EXPLANATIO

DVO ? & quidem fratres, ut epiſt. 1. & 2. lib. 5. Fam. oſtenditur: ſed germani ne, an patrueles, incertum. Horum alter Q. Caecilius Metellus Celer, Q. F. qui conſule Cicerone praetor fuit, eiq. in coniuratione praeſtantem operam nauauit: alter Q. Caecil. Metel. Nepos: qui niſi Nepotis a moribus cognomen accepiſſet, Pamphili Retiarij, cui ſimillimus eſſe ferebatur, habuiſſet, ut Val. Max. lib. 9. cap. 10. ſcribit. Celer autem ille, nomen traxit a Celere Romuli milite, ut eſt apud Plutar. in Romulo. CN. *autem Lent. Marcel.* ? ante Claudius Marcellus fuit: poſt in Corneliam familiam adoptatus, ut uidetur, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus appellatus eſt. Et Claudiorum duae familiae fuerunt, una Marcellorum, plebeia: altera Pulchrorum, patricia, ut ex Aſconio, Suetonio, & Cicerone diſcimus. Marcelli autem, & Marcellini inter ſe gentiles fuerunt, ut idem Aſconius docet. De hoc Marcellino multa Cicero in epiſt. Famil. epiſt. 1. & ad Atticum epiſt. 2. lib. 4. Pompeio infenſus fuit, iccirco Caeſaris partes in bello ciuili ſecutus eſt. PERELOQVENS ? cum prius non uideretur, ut Plutarchus oſtendit. C. *Memmius L. F.* ? de patre ſupra dictum eſt, cum de Catulo ageretur. Hic eſt dictus eſt C. Mem. Gemellus, ut epiſt. 19. lib. 13. Famil. patet. Iccirco autem Caius patrui, non L. patris praenomine, quia fratrem ſe maiorem natu habuit, qui de morte Lucius dictus eſt. Hic non ſolum orator, uerum etiam poeta fuit: iccirco Bithyniam ſortitus prouinciam, ſecum eo Valerium Catullum poetam duxit, ut ipſe Catullus ad Varennium, & Fabullum ſcribit: & eadem de cauſſa Lucretius ei opus ſuum de Rerum natura ſcripſit, poeta poetae, Epicureus Epicureo. nam & laſciuum poetam eum fuiſſe teſtis eſt Plin. epiſt. 3. lib. 5. & Ouid. libro 2. de Triſtibus. Vide Cic. Famil. epiſt. lib. 13. epiſt. 1. GRAECIS ? hinc Athenis libenter manebat, & Patris urbe exſulauit, ad Att. 11. lib. 5. FASTIDIOSVS *ſane Latinarum* ? obſeruanda locutio. TANTVM *ſibi de facul.* ? ſupra de M. Piſone: Quantum detraxit ex ſtudio, tantum amiſit ex gloria. Facultas, gloriae: ſtudium, reſpondet induſtriae.

CICERO

HOc loco Brutus, Quam uellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie ſunt, tibi dicere luberet, &, ſi de alijs minus, de duobus tamen, quos a te ſcio laudari ſolere, Caeſare, & Marcello: audirem non minus lubenter, quam audiui de ijs, qui fuerunt. Cur tandem, inquam? an exſpectas, quid ego iudicem de iſtis, qui tibi ſunt aeque noti, ac mihi? Mihi mehercule, inquit, Marcellus ſatis eſt notus,

Caeſar autem parum. illum enim ſaepe audiui: hic, cum ego iudicare iam aliquid poſsem, abfuit. Quid igitur de illo iudicas, quem ſaepe audiſti? Quid cenſes, inquit, niſi id, quod habiturus es ſimilem tui? Nae ego, inquam, ſi ita eſt, uelim tibi eum placere quammaxime. Atqui & ita eſt, inquit, & uehementer placet: nec uero ſine cauſsa: nam & didicit, &, omiſſis ceteris ſtudijs, id egit unum, ſeſeq. quotidianis commentationibus acerrime exercuit: itaque & lectis utitur uerbis, & frequentibus; & ſplendore uocis, dignitate motus fit ſpecioſum, & illuſtre, quod dicitur: omniaq. ſic ſuppetunt, ut ei nullam deeſſe uirtutem oratoris putem: maximeq. laudandus eſt, qui hoc tempore ipſo, cum liceat, in hoc communi noſtro, & quaſi fatali malo conſoletur ſe cum conſcientia optimae mentis, tum etiam uſurpatione & renouatione doctrinae. uidi enim Mitylenis nuper uirum, atque, ut dixi, uidi plane uirum. itaque, cum eum antea tui ſimilem in dicendo uiderim; tum uero nunc, a doctiſſimo uiro, tibique, ut intellexi, amiciſſimo Cratippo inſtructum omni copia, multo uidebam ſimiliorem. Hic ego, Etſi, inquam, de optimi uiri, nobisq. amiciſſimi laudibus lubenter audio: tamen incurro in memoriam communium miſeriarum; quarum obliuionem quaerens, hunc ipſum ſermonem produxi longius.

EXPLANATIO

HOc *loco Brutus* ʒ ut propoſitum ſeruet, ſe rogari uult, ut de uiuis aliquid dicat, ſaltem duobus praeſtantioribus. Qvi *hodie ſunt* ʒ qui uiuunt, & cerni, tangiq. poſſunt. nam eſſe ueteres ea dicebant ſola: non eſſe, quae tangi, demonſtrari ue non poſſunt, cerni tamen animo, atque intelligi poſſunt. Cic. in Topicis, loco definitionis. Caesare ʒ C. Iulio Caeſare dictatore, de quo ſuis locis. Et *Marcello* ʒ M. Claudio Marcello. Hic eſt ille Marcellus uir optimus, & fortiſſimus conſul, Caeſaris hoſtis, pro quo Cicero gratias egit Caeſari, quod ei ignouiſſet in ſenatu, ut eius pulcherrima oratio teſtatur, ſed uti ea gratia non potuit, quod a P. Magio Chilone familiari ſuo interfectus fuit. lib. 4. Famil. lib. 13. Attic. Abfvit ʒ in Gallia, ubi bella geſſit, quae ipſe Caeſar ſcripſit. Similem *tui.* ʒ epiſt. 7. lib. 15. Famil. Vel me tui ſimilem eſſe audio, uel te mei. Et in or. pro ipſo Marcello, Illum aemulum, atque imitatorem ſtudiorum, ac laborum ſuorum quaſi quendam ſocium, & comitem uocat. Velim ʒ ſi enim B cum A conuenit: & C eſt ſimile B: cum A quoque C conueniat neceſſe eſt: ex prima figura. Lectis *utitur uerbis* ʒ ut faciendum eſſe, 3. de Orat. praecipitur: quod etiam uidere licet epiſt. 11. lib. 4. Famil. Splendore *uocis, dign. mo.* ʒ haec ſupra attribuuntur, & Pompeio. Virtvtem *oratoris* ʒ idem ſupra de Catone. Cvm *liceat* ʒ fortaſſis deeſt uerbum Eſſe: nam Romae, ut eſſet, Caeſar conceſſerat, ipſe tamen abeſſe malebat, & ſe conſolabatur, ut Cicero hic ait. Alij legunt, Quantum liceat: alij, Cum iaceat. Fatali *malo* ʒ bello ciuili, & ſub unius dominatu. Consoletvr *ſe* ʒ ea, quae acciderunt, ita ferat, ut eius uirtuti magis gratulari conueniat, quam dolorem conſolari, epiſt. 8. lib. 4. Fam. Conscientia ʒ qui ſemper optima conſilia dederit Pompeio, & alijs: ut eodem libro epiſtolarum uidere licet. Vsvrp. ʒ quia nunc, & utitur ijs, quae didicit, & reuocat in memoriam. Vidi ʒ nuper, cum ex Aſia redirem. Mitylenis ʒ urbs eſt in Lesbo inſula in Aegeo, iuxta Methymnam: unde uinum Lesbium, & Methymneum. A Mitylenis hodie tota inſula Mitylene uocatur; celebris Pittaco, qui fuit unus e ſeptem ſapientibus, itemq. Alcaeo poeta, & Antimenide fratre eius, & Diophane oratore, & Theophane Pompeianarum rerum ſcriptore, qui Pompeio familiaris fuit. De Marcello Mitylenis, lege epiſt. 7. lib. 4. Famil. & Senecae Conſol. ad Albinam. Mitylenis clari uiri ſolebant eſſe, Strabo lib. 13. Et tunc erat Cratippus. Vt *dixi* ʒ paullo ante, uel in libro de Virtute, quem Brutus ad Cic. miſerat: ut lib. 1. de Fin. & Tuſc. 1. & apud Senecam loco citato. Doctiss. *uiro* ʒ philoſophorum huius memoriae principe, de Offic. lib. 3. Peripateticorum facile principe, de Vniuerſitate. Similiorem ʒ propter philoſophiae ſtudia, quibus & tu deditus es.

CICERO

SEd de Caeſare, cupio audire, quid tandem Atticus iudicet. Et ille, Praeclare inquit, tibi conſtas, ut de ijs, qui nunc ſint, nihil uelis ipſe dicere. & hercle, ſi ſic ageres, ut de ijs egiſti, qui iam mortui ſunt, neminem ut praetermitteres: nae tu in multos Autronios, & Stalenos incurreres. quare, ſiue hanc turbam effugere uoluiſti; ſiue ueritus, ne quis ſe aut praeteritum, aut non ſatis laudatum quaeri poſſit; de Caeſare tamen potuiſti dicere: praeſertim cum & tuum de illius ingenio notiſſimum iudicium eſſet, nec illius de tuo obſcurum. Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Caeſare & ipſe ita iudico, & de hoc, huius generis acerrimo aeſtimatore, ſaepiſſime audio, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantiſſime, nec id ſolum domeſtica conſuetudine, ut dudum de Laeliorum, & Muciorum familijs audiebamus, ſed, quamquam id quoque credo fuiſſe, tamen, ut eſſet perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris, & ijs quidem reconditis, & exquiſitis, ſummoq. ſtudio, & diligentia eſt conſecutus. quin etiam in maximis occupationibus cum ad te ipſum (inquit, in me intuens) de ratione Latine loquendi accuratiſſime ſcripſerit; primoq. in libro dixerit, uerborum delectum originem eſſe eloquentiae; tribueritque, mi Brute, huic noſtro, qui me de illo maluit quam ſe dicere, laudem ſingularem: (nam ſcripſit his uerbis, cum hunc nomine eſſet affatus: Ac, ſi cogitata praeclare eloqui poſſent, non nulli ſtudio, & uſu elaborauerunt: cuius te principem copiae, atque inuentorem, bene de nomine, ac dignitate populi R. meritum eſſe exiſtimare debemus) hunc facilem, & quotidianum nouiſſe ſermonem, nunc pro relicto eſt habendũ.

EXPLA-

EXPLANATIO

SED *de Caeſare*] De C. Iulio Caeſare, eiuſq. in eloquentia loco. TIBI *conſtans*] Nam ſupra ſtatuit, neminem eorum, qui uiuerent, nominare. nam & de Marcello uoluit Brutum, & de Caeſare Atticum dicere. QVARE] hic duae cauſſae ſuperioribus adduntur. SIVE *ueritus*] ut Brutus etiam ſupra arbitratur. NON *ſatis laudatum*] hoc etiam Atticus addit. INGENIO] quod ſummum fuiſſe Plinius lib. 7. cap. 25. ſcribit. Paterculus uero Caeſarem Ciceroni proximum oratorem fuiſſe ſcribit. nec Plutarchus diſſentit. NOTISSIMVM *iudicium*] ut ex multis Epiſtolis, ut ex oratione pro M. Marcello, & quod refert Suetonius, Cicero de Caeſare ad Cor. Nepotem ita ſcripſit: Quid? Oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? quis uerbis aut ornatior, aut elegantior? DE *tuo*] cum ſcripſerit, Ciceronem omnium triumphorum lauream adeptum maiorem, quanto plus eſt, ingenij Romani terminos in tantum promouiſſe, quam imperij. ut Plin. lib. 7. cap. 30. ait. HVIVS *generis*] eloquentiae, ſiue artis dicendi. ACERRIMO] acutiſſimo, & ſeueriſſimo iudice. DOMESTICA *conſuetudine*] uſu domeſtico. ſupra, de Curione. VT *dudum*] cum de Curione loqueretur Cicero. ID *quoque*] nam Aurelia Caeſarem filium, ut Cornelia ſuos educauit. ut Corn. Tacitus in Dialogo de Oratoribus ſcribit. SVMMOQ. *ſtudio*] nam & ipſe Moloni operam dedit, ut Plutarchus ait. IN *max. occupat.*] in orbis terrarum procuratione. DE *ratione Latine loquendi*] libris de Analogia ab eo ſcriptis, ut auctor Plin. lib. 7. cap. 30. & Suet. & Gell. lib. 19. cap. 8. & Quinctil. lib. 10. Quod etiam Varro fecit ad eundem Ciceronem. PRIMOQ. *in libro*] ſic Gellius lib. 1. cap. 10. quamuis Caeſar duos tantum de Analogia libros ſcripſit, teſte Suetonio. VERBORVM *delectum*] de quo L. Craſſus lib. 3. de Orat. diſputat. ORIGINEM *eſſe eloquentiae*] hoc adeo uerum eſt, ut hoc ipſo delectu uerborum orator ab aliis differat. Confirmat Craſſus lib. 3. de Orat. cum ait, Quaſi ſolum & fundamentum eſt, uerborum uſus, & copia bonorum. Non igitur hic hyperbole eſt, ut quidam exiſtimant, & docent: & originem, & fundamentum dicunt, non abſolutionem, & perfectionem, quae alias uirtutes requirit. NOMINE *eſſet affatus*] ut ſolet in librorum prooemiis fieri. AC *ſi*] uerba Caeſaris, uſque ad ea uerba, Hunc facilem &c. Illud, Ac ſi, quod ab aliis praecedentibus uerbis pendet, difficile eſt, quid ſignificet, diuinare, cum liber ille non extet. PRINCIPEM *copiae*] hinc Caeſar ipſe dixit, ſe Ciceronis Catonem ſaepiſſime legendo copioſiorem factum. ad Att. lib. 13. INVENTOREM] nam Cicero multis uerbis Romanam linguam locupletauit, ut teſtatur etiam in eius uita Plutarchus. MERITVM *eſſe*] cum ingenij Romani terminos in tantum promouerit. ut Plin. lib. 7. cap. 30. refert: unde & a Seneca in Suaſoriis, Romani nominis titulus appellatur. HVNC] quaſi diceret, cum Caeſar de ratione Latine loquendi ſcripſerit &c. eum hunc facilem, & quotidianum nouiſſe ſermonem in confeſſo eſt.

CICERO

TVM Brutus, Amice hercule, inquit, & magnifice te laudatum puto, quem non ſolum principem, atque inuentorem copiae dixerit, quae erat magna laus, ſed etiam bene meritum de populi R. nomine, & dignitate. quo enim uno uincebamur a uicta Graecia, id aut ereptum illis eſt, aut certe nobis cum illis communicatum. hanc autem, inquit, gloriã, teſtimoniumq. Caeſaris, tuae quidem ſupplicationi non, ſed triumphis multorum antepono. Et recte quidem, inquam, Brute; modo ſit hoc Caeſaris iudicij, non beneuolentiae, teſtimonium. plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quiſquis eſt ille, ſi modo eſt aliquis, qui non illuſtrauit modo, ſed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum caſtella expugnauerunt; ex quibus multi ſunt, ut ſcitis, triumphi. uerum quidem ſi audire uolumus, omiſſis illis diuinis conſilijs, quibus ſaepe conſtituta eſt imperatorum ſapientia, ſalus ciuitatis aut belli, aut domi; multo magnus orator praeſtat minutis imperatorib. At prodeſt plus imperator. Quis negat? ſed tamen (non metuo, ne mihi acclametis: eſt autem, quod ſentias, dicendi liber locus) malim mihi L. Craſſi unam pro M'. Curio dictionem, quam caſtellanos triumphos duos. At plus interfuit reip. caſtellum capi Ligurum, quam bene defendi cauſſam M'. Curij. Credo: ſed Athenienſium quoque plus interfuit, firma tecta in domicilijs habere, quam Mineruae ſignum ex ebore pulcherrimum: tamen ego me Phidiam eſſe mallem, quam uel optimum fabrum tignarium. quare, non quantum quiſque proſit, ſed quanti quiſque ſit, ponderandum eſt; praeſertim cum pauci pingere egregie poſſint, aut fingere; operarij autem, aut baiuli deeſſe non poſſint.

EXPLANATIO

TVM *Brutus*] ut Caeſaris laudem tributam Ciceroni amplificaret confirmando. QVO *enim uno*] doctrina, & omni litterarum genere. Tuſc. 1. Vel, Vno, eloquentia nimirum. Sic exclamat apud Plutarchum Apollonius, dolens hanc Graecis per Ciceronem ereptam laudem. VINCEBAMVR] quaſi dicat, nunc non uincimur. uide Tuſc. 1. Secus ſentit Virg. in fine 6. Aeneid.

> Orabunt cauſſas alij melius —— &c.
>
> Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Verum Melius, non ad Romanos, ſed ad imperij rectionem refertur. Melius ergo orabunt Graeci cauſſas, quã

regent imperia. VICTA] armis Romanis uicta Graecia, doctrina, & eloquentia uincebat Romanos. INQVIT] repetit, tametſi Brutus ſemper loquatur. SVPPLICATIONI] ob Catilinae coniurationem exſtinctam. de qua ſupplicatione in Catilinam tertia, quod Vrbem incendiis, caede ciues, Italiam bello liberaſſet. MODO *ſit hoc*] ne quid arrogantius de ſe ſentire uideatur, hoc dicit. QVISQVIS *ille eſt*] & hic uitat arrogantiam. TRIVMPHI] ut Q. Minucij, L. Paulli, P. Cornelij Lentuli, Q. Fabij Max. P. Furij Phili, M. Claudij Marcelli, M. Fuluij Flacci. ut ex Liuio, & Veterum monumentis diſcimus. VERVM] Paucis illã quaeſtionem terminat, quam pluribus de Offic. lib. primo diſputauit. Parua ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi. AVT *belli, aut domi*] bina binis reſpondent. MVLTO *praeſtare*] Multum praeſtare, dixit lib. 1. de Orat. MAGNVS] Magnus, Minutis: contentio. PRO *M'. Curio dictionem*] Orationem pro M'. Curio de hereditate, & teſtamento Coponij contra Scaeuolam. de qua ſupra. DVOS] nedum unum, cuiuſmodi Craſſus petiuit aliquando. CASTELLVM] domus ruſticanae clauſae moenibus, Caſtella dicuntur. CREDO] συγχόρησις, Conceſſio cum diſtinctione. SED *Athenienſium*] ſimilitudo eſt. MINERVAE *ſignum ex ebore*] ἐλεφαντίνης ἀθηνᾶς εἰκόνα, Suidas: Mineruam ex ebore, quae Athenis fuit. Plin. lib. 34 cap. 8. PHIDIAM] qui ſignum illud Mineruae fecit. FABRVM *lignarium*] qui aliter quoque Materiarius dicitur, qui domos fabricatur. NON *quantum quiſque proſit*] dignitas utilitati anteponenda eſt.

CICERO

SED perge, Pomponi, de Caeſare, & redde quae reſtant. Solum quidem, inquit ille, & quaſi fundamentum oratoris uides locutionem emendatam, & Latinam: cuius penes quot laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut ſcientiae, ſed quaſi bonae conſuetudinis. mitto C. Laelium, P. Scipionem: aetatis illius iſta fuit laus, tamquam innocentiae, ſic Latine loquendi, nec omnium tamen: nam illorum aequales Caecilium, & Pacuuium male locutos uidemus: ſed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc uixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur. ſed hanc certe rem deteriorem uetuſtas fecit & Romae, & in Graecia. confluxerunt enim & Athenas, & in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diuerſis locis: quo magis expurgandus eſt ſermo, & adhibenda, quantum obruſſa, ratio, quae mutari non poteſt, nec utendum prauiſſima conſuetudinis regula.

EXPLANATIO

SED *perge*] ex diuerticulo laudum Ciceronis, ad Caeſarem reuocatnr Atticus. SOLVM] baſim, firmamentum. ILLE] Atticus. ET *quaſi*] mollit hac particula tranſlationem paullo duriorem, ut ſolet. FVNDAMENTVM *oratoris*] prima elocutionis pars, eſt, pure, Latine, & emendate loqui. Vide de Orat. lib. 3 in principio, & ubi de tropis docere incipit. Nam hic ab illis diſſentio, qui his uerbis, (Solum & fundamentum oratoris uides, locutionem) totam Elocutionem intelligunt. nam nec Cic. elocutionem dixit, ſed locutionem, ut Salluſtius, cum Catilinae eloquentiam nollet concedere, loquacitatem intelligens, dixit: ſatis eloquentiae, parum ſapientiae in eo fuiſſe. PENES *quos adhuc fuit*] ut Catulos, & Curiones, & alios. ſupra. CONSVETVDINIS] praeſertim domeſticae. ſupra. MITTO] παράληψις, praeteritio. P. *Scipionem*] Africanum minorem. ſupra. TAMQVAM *innocentiae*] aetatis ſcilicet: & eſt ſimilitudo. Vt enim laus innocentiae fuit eius aetatis, ſic Latine loquendi fuit. ILLORVM] Laelij, & Scipionis. AEQVALES] maiores tamen natu aliquot annis. ut ſupra. CAECILIVM] Statium Caecilium Poetam Comicum. ut de opt. gen. Orat. uocat. cuius uitam Crinitus, & Lilius ſcripſerunt, ut etiam Pacuuij, & aliorum Poetarum. MALE *locutos*] Caecilius quidem ad Att. lib. 7. Epiſt. 3. malus auctor Latinitatis uocatur. Et Pacuuio nitorem defuiſſe ait Fabius lib. 10. cap. 1. Et Corn. Tacitus de Orat. Pacuuij ueternum dixit. Quod autem Cic. in Orat. ſcribit, omnes apud eum ornatos, elaboratoſq. uerſus fuiſſe, id de poematis ratione, & decoro intelligendum eſt, aut de ceteris elocutionis uirtutibus, non de Latinitate. OMNES] etiam feminae, Laelia, Cornelia, Muciae. ſupra. EXTRA *urbem hanc*] unde urbanitate quadam quaſi colorata oratio naſcebatur. ſupra. Vrbis fuit ſuauitas quaedam. uide lib. 3. de Orat. ubi de elocutione praecipit. INFVSCAVERAT] ut multos infuſcauit, cum in urbem eſt infuſa peregrinitas, & brachatae, ac tranſalpinae nationes receptae. ut epiſt. 10. lib. 9. Familiar. ſcribit. Hic innuit tantum, ne offendat Caeſarem, qui Gallos uel in ſenatum legerat; ut eſt apud Suetonium, & in Philippicis. HANC *certe rem*] hanc Latine loquendi laudem. DETERIOREM *uetuſtas facit*]

> Tantum aeui longinqua ualet mutare uetuſtas,

ut ait Poeta. Et idem in Georg.

> —— Sic omnia fatis
> In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

CONFLVX. *enim*] ratione confirmat cauſſa propoſita. ET *Athenas*] ubi iam diu doctrina ipſorum Athenienſium interierat, domicilium tamen in illa urbe remanebat ſtudiorum, quibus uacabant ciues, peregrini fruebantur, capti quodam modo nomine urbis, & auctoritate. lib. 3. de Orat. ET *adhibenda tamquam obruſſa ratio*] Sic enim emendo Petri Victorij fidem ſecutus, qui ait ſe in ſcripto eruditi uiri Nicolai Nicoli Florentini codice Obruſſa, legiſſe: quo uerbo poſt Ciceronem Seneca, poſt etiam Politianus, & Budaeus ſunt uſi. nam primum, quam obtruſa, Latina locutio non eſt: deinde, quod quidam illa duo uerba, quam obtruſa,

ex

ex neſcio quo libro ſcripto expungunt, leue eſt. nam, quis in omnibus reliquis ea ſcripſit? Eſt autem Obruſſa, quaſi obryza, id eſt, explorata, certa, perfecta. PRAVISS. *conſu. re.*] Nam, etſi interdum eſt artifex ſuauitatis conſuetudo, ab arte tamen, & doctrina multo plus poſtulari putamus. ut ait in Oratore.

PAVLLVS. MANVTIVS. QVANTVM *obruſſa*] ſic antiqui libri. nonnulli alij, Obruſa: quidam, Obruſſat. Puto legendum, Tamquam obruſſa. ut Obruſſa ſit aurum ſincerum, & omni uacãs uitio. quo uerbo uſus eſt Seneca epiſt. 1. lib. 2. & Nat. Quaeſt. lib. 4. cap. 5. & apud Plinium lib. 33. cap. 3. in quibuſdam antiquis libris degitur, Obruſſam, non Obryzum, in eo loco: Auri experimento ignis eſt, ut ſimili colore rubeat, igneſcatq. & ipſum obruſſam uocant.

C I C E R O

T. Flaminium, qui cum Q. Metello conſul fuit, pueri uidimus. exiſtimabatur bene Latine, ſed litteras neſciebat. Catulus erat ille quidem minime indoctus, ut a te paullo eſt ante dictum; ſed tamen ſuauitas uocis, & lenis appellatio litterarum bene loquendi famam confecerat. Cotta, quia ſe ualde dilatandis litteris a ſimilitudine Graecae locutionis abſtraxerat, ſonabatq. contrarium Catulo, ſubagreſte quiddam, planeq. ſubruſticum, alia quadam quaſi inculta, & ſilueſtri uia ad eandem laudem peruenerat. Siſenna autem, quaſi emendator ſermonis uſitati, cum eſſe uellet, ne a C. Rufio quidem accuſatore deterreri potuit, quo minus inuſitatis uerbis uteretur. Quidnam iſtuc eſt, inquit Brutus? aut quis eſt iſte C. Rufius? Et ille, Fuit accuſator, inquit, uetus; quo accuſante Chirtilium, Siſenna defendens dixit quaedam eius ſputatilica eſſe crimina. Tum C. Rufius, Circumnenior, inquit, iudices, niſi ſubuenitis. Siſenna, quid dicas, neſcio: metuo inſidias. Sputatilica: quid eſt hoc? Sputa quid ſit, ſcio; tilica, neſcio. Maximi riſus: ſed ille tamen familiaris meus, recte loqui, putabat eſſe inſinuate loqui. Caeſar autem, rationem adhibens, conſuetudinem uitioſam, & corruptam, pura, & incorrupta conſuetudine emendat. itaque, cum ad hanc elegantiam uerborum Latinorũ, quae, etiam ſi orator non ſis, & ſis ingenuus ciuis Romanus, tamen neceſſaria eſt, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum uidetur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. hanc, cum habeat praecipuam laudem in communibus, non uideo cui debeat cedere. ſplendidam quandam, minimeq. ueteratoriam rationem dicendi tenet, uoce, motu, forma etiam magnifica, & generoſa quodam modo.

E X P L A N A T I O

T. FLAMIMIVM] T. Quinctium Flaminium, qui a quibuſdam Apellas uocatur. Q. *Metello*] Q. Caecilio Metello. COS. *fuit*] ab urbe cond. 631. PVERI *uidimus*] Atticus, & Cicero 10. annos illum 70. annum agentem uidere potuerunt. Sic ſupra de T. Flaminio. Aliqui hic legunt, T. Didio, ſed male. BENE *Lat. loq.*] ut ſupra: quem ipſe uidi: nihil accepi, niſi Latine diligenter locutum. SED *litter. neſc.*] ut Curio, de quo ante dictum eſt. CATVLVS] Q. Catulus pater. ſupra. Tamen ſic loquitur ut patrem, & filium uoluiſſe uideatur. SVAVITAS *uocis*] ſupra, Sonus uocis, & ſuauitas appellandarum litterarum. COTTA] L. Aurelius Cotta praetorius. ſupra. DILATANDIS *litteris*] uide 3. de Orat. Iotam enim litteram tollebat, & E pleniſſimum dicebat, ut hodie quoque quidam faciunt, qui pro Via Veia dicunt. SISENNA] L. Siſenna hiſtoricus. de quo ſupra. INVSITATIS *uerbis*] ut cum, Aſſentio, unus dicebat, cum Aſſentior omnes fere dicerent. ſed Aſſentio poſtea multi dixerunt. Gell. lib. 2. cap. 25. C. *Rufio*] alij C. Ruſcio. ſed hoc facile cum Bruto poſſumus ignorare. ET *ille*] Atticus. CHIRTILIVM] aliter, C. Rutilium. SPVTATILICA] Sputo exſpianda, & eluenda, ut Marſi docent: uel, Sputatilica, cum dixit Siſenna, intellexit leuia, & contemnenda: quod tamen cum priore fere idem eſt. CIRCVMVENIOR] contra legem, ne quis iudicio circumueniatur. ut ſupra de Iſocrate: ſed hic iocatur in ambiguo: ſignificat autem hic decipi, & more ferae in caſſes, laqueoſq. inſidiis trahi: ut apud Liuium, & alios ſaepe leges. MAXIMI *riſus*] ſunt conſecuti. SED *ille*] L. Siſenna. TILICA *neſcio*] Syllabica adiectio, parelcon morion, ut Graeci aiunt. FAMILIARIS *meus*] ut in primo de Leg. Siſenna meus amicus. etiamſi quidam ibi, Eius, legant. CAESAR] redit ad Caeſarem, poſt digreſſionem. RATIONEM] quaſi obruſſam. ut ſupra diximus. EMENDAT] in his libris, quos de Analogia, hoc eſt, de ratione Latine loquendi accuratiſſime ſcripſit. ſupra. NECESSARIA *eſt*] quoniam ſolum & fundamentum eſt elocutionis. ſupra. ORNAMENTA] exornationes, conformationes, lumina uerborum, & ſententiarum, quae Schemata Graeci uocant. TAMQVAM *tabulas*] elegantiam uerborum Latinorum. IN *bono lumine*] in luminibus, & ornamentis orationis. Eſt enim tranſlatio, & ſimilitudo a pictura ſumpta, quam uel pictores, uel lauti, & ſumptuoſi homines ſolent collocare, quo loco melius, & clariu ſpectari poſſint. nam non omni in loco picta tabula poſita recte perſpicitur, ſed ſi in bono, hoc eſt, apto, & proprio lumine ſit collocata: de qua re uidendi ſunt optici ſcriptores, & qui de pictura ſcribunt. IN *communibus*] laudibus. Sunt enim communes Oratorum laudes, Latine, & ornate dicere. NON *uideo cui deb. ced.*] idem dicit Suetonius in Caeſare, ubi hunc locum uidetur imitatus. VOCE, *motu*] actione, quae in uocis figuram, & corporis motum diuiditur. ad Herenn. lib. 3. FORMA] Figura, genere dicendi, qui Graece Character dicitur. MAGNIFICA, *& generoſa*] aut magnificam, & generoſam, ut habet

Suetonius in Caeſare. QVODAM *modo* cum uenia loquitur, propterea quod Ratio dicendi generoſa, pro grandi, & uehementi uiſum eſt duriuſculum.

CICERO

TVM Brutus, Orationes quidem eius mihi uehementer probantur: complures autem legi. Atque etiam commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum, ualde quidem, inquam, probandos. nudi enim ſunt, recti, & uenuſti, omni ornatu orationis tamquam ueſte detracta: ſed, dum uoluit alios habere parata, unde ſumerent, qui uellent ſcribere hiſtoriam; ineptis gratum fortaſſe fecit, qui uolunt illa calamiſtris inurere, ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit. nihil enim eſt in hiſtoria pura & illuſtri breuitate dulcius.

EXPLANATIO

TVM *Brutus* ſubaudi, Inquit. ORATIONES ut contra Dolabellam; & pro Decio Samnite, de quibus Gellius lib. 4. cap. 16. & Cornel. Tacitus in Dialogo de Oratoribus. ATQVE *etiam* dubium eſt, uerbane Ciceronis ſint haec, an Bruti, propter illud, quod ſequitur, Valde inquam. Sed ego, haec Ciceronis eſſe cenſeo, illa Bruti. COMMENTARIOS de bello Gallico & ciuili Pompeiano: nam de aliorum auctore dubitatur. Legendus eſt Suetonius. De Caeſaris commentarijs, ſic Hirtius, & Suetonius. Conſtat enim inter omnes, nihil tam operoſe ab alijs eſſe perfectum, quod non horum elegantia commentariorum ſuperetur, qui ſunt editi, ne ſcientia tantarum rerum geſtarum ſcriptoribus deeſſet: adeoq. probantur omnium iudicio, ut praerepta, non praebita facultas ſcriptoribus uideatur. NVDI puri, nullis ornamentis ueſtiti, & compti. RECTI incorrupti: nam Caeſar pura & incorrupta conſuetudine dicendi utebatur, uti paullo ante uidimus. VENVSTI elegantes. nam Caeſar elegantiſſime loquebatur. ſupra. OMNI *ornatu* omni fuco, omni pigmento. Et ſane ſcripta interdum ornata ſunt hoc ipſo, quod ornamenta negligant: ut mulieres, quia nihil oleant, bene olere uidentur, ut Cicero Att. epiſt. 1. lib. 2. ait. DETRACTA ueſte, quia nudi ſunt. Quamquam, Detracto, magis placet, ut ad ornatum referatur. ALIOS ſcriptores hiſtoriae. VOLVNT quaſi iam tum eſſent, qui id ipſum tentarent. CALAMISTRIS *inurere* uolunt quidem illi exornare, ſed, dum tentant, nec aſſequuntur, quod uolunt, uidentur quaſi calamiſtris inurere. Tranſlatio ſumpta a mulieribus, quae dum ſe uolunt exornare, capillos calamiſtris igni calfactis intorquent. SANOS ſano, & limato iudicio homines, qui intelligant Caeſarem tam bene ſcripſiſſe, ut ſuperari nullo modo poſſit. NIHIL *enim* locus notandus ijs, qui hiſtoriam uolunt ſcribere, quem nec Liuius, nec Salluſtius ipſe, ne Cornelius Tacitus obſeruarunt ſatis. PVRA *& illuſtri breuitate* qualis in Caeſaris commentarijs perſpicitur. nam breuitas, niſi ſit illuſtris, & clara, incurrit in illud:

— Breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio, —

ut Horatius in Poetica ſcribit.

CICERO

SED ad eos, ſi placet, qui uita exceſſerunt, reuertamur. C. Sicinius igitur, Q. Pompeij illius, qui cenſor fuit, ex filia nepos, quaeſtorius mortuus eſt, probabilis orator, iam uero etiam probatus, ex hac inopi ad ornandum, ſed ad inueniendum expedita Hermagorae diſciplina. ea dat rationes certas, & praecepta dicendi: quae, ſi minorem habent apparatum, (ſunt enim exſilia) tamen habent ordinem, & quaſdam errare in dicendo non patientes uias. has ille tenens, & paratus ad cauſſas ueniens, uerborum non egens, ipſa illa comparatione, diſciplinaq. dicendi iam in patronorum numerum peruenerat. Erat etiam uir doctus in primis C. Viſellius Varro, conſobrinus meus; qui fuit cum Sicinio aetate coniunctus. is cum poſt curulem aedilitatem iudex quaeſtionis eſſet, eſt mortuus. in quo fateor uulgi iudicium a iudicio meo diſſenſiſſe. nam populo non erat ſatis uendibilis: praeceps quaedam, & cum iccirco obſcura, quia peracuta, tum rapida, & celeritate caecata oratio: ſed neque uerbis aptiorem cito alium dixerim, neque ſententijs crebriorem.

EXPLANATIO

SED *ad eos* reditus poſt longam digreſſionem ad mortuos oratores. SI *placet* uobis, qui de Marcello, & Caeſare dici uoluiſtis. QVI *uita exceſſ.* quos ego tantum ſtatui nominare. C. *Sicinius* illius, quem ſupra hominem impurum uocaui, propinquus. Q. *Pompeij* qui cum Cn. Seruilio Caepione conſul fuit, ut ſupra. ILLIVS quoniam multi Q. Pompeij ſunt nominati, hoc addidit. CENSOR *fuit* cum Q. Metello. Liu. lib. 59. QVAESTORIVS quaeſtura functus. INOPI nam praeceptis Hermagorae ornamenta non ſatis opima dicendi traduntur. infra. AD *inueniendum expedita* quod Hermagorae praeceptis, ut haſtae uelitibus amentatae, ſic apta quaedam, & parata ſingulis cauſſarum generibus argumenta

menta traduntur. infra. HERMAGORAE] qui ſatis in arte, quam edidit, uidetur ex antiquis artibus ingenioſe, & diligenter electas res collocaſſe: & nonnihil ipſe quoque noui protuliſſe, lib. 1. de Inuent. Cicero. DAT *rationes certas, & praecepta dicendi*] Rhetoricae definitio, cuiuſmodi illa Cornificij ad Heren. lib. 1. Ars eſt praeceptio, quae dat certam uiam, rationemq. dicendi. NON *patientes*] ſi quis eas ſequatur. VIAS] rationes, & praecepta, ut paullo ante. ILLA *ipſa comparatione*] illo apparatu, illaq. facultate, quam ex praeceptis Hermagorae fuerat conſecutus. Ab Hermagora Rhetore, Hermagorei dicti. Duo fuerunt, alter Rhetor, & philoſophus, de quo hic Cicero, alter Rhetor tantum, qui uixit Auguſto imperante, & Romae docuit. CONSOBRINVS *meus*] ſic, de prouincijs conſularibus: utpote natus ex Ciceronis matertera, quae cum C. Aculeone fuit. de Orat. 2. CVM *Sicinio*] de quo paullo ante. POST *curulem*] biennio poſt, ut mos erat, & cognoſcitur epiſtola 25. lib. 10. Famil. Curulem autem aedilitatem dixit, ut a plebeia diſtingueret. Liu. lib. 22. IVDEX *quaeſtionis*] quaeſtor, praetor. FATEOR] quamuis ſupra ſecus ſentire uiſus ſim: ſed cum diſtinctione. Si enim effectus oratoris conſideretur, idem erit docti, & indocti iudicium. Sin cauſſas eius effectus conſideres, quas docti norunt, ignorant indocti, aliud artificis, aliud populi erit iudicium. CAECATA *oratio*] obſcurata: nam celeritas motus, fallit adſpectum. Vel, Citata, id eſt, concitata.

C I C E R O

PRAETEREA perfectus in litteris; iurisq. ciuilis iam a patre Aculeone traditam tenuit diſciplinam. Reliqui ſunt, qui mortui ſint, L. Torquatus; quem tu non tam cito rhetorem dixiſſes, (etſi non deerat oratio) quam, ut Graeci dicunt, πολιτικόν. erant in eo plurimae litterae, nec eae uulgares, ſed interiores quaedam, & reconditae, diuina memoria, ſumma uerborum & grauitas, & elegantia: atque haec omnia uitae decorabat dignitas, & integritas. Me quidem admodum delectabat etiam Triarij in illa aetate plena litteratae ſenectutis oratio. quanta ſeueritas in uultu, quantum pondus in uerbis: quam nihil non conſideratum exibat ex ore. Tum Brutus, Torquati, & Triarij mentione commotus, (utrumque enim eorum admodum dilexerat.) Nae ego, inquit, (ut omittam cetera, quae ſunt innumerabilia) de iſtis duobus cum cogito, doleo nihil tuam perpetuam auctoritatem de pace ualuiſſe. nam nec iſtos excellentes uiros, nec multos alios praeſtantes ciues reſp. perdidiſſet. Sileamus, inquam, Brute, de iſtis; ne augeamus dolorem. nam & praeteritorum recordatio eſt acerba, & acerbior exſpectatio reliquorum. itaque omittamus lugere; & tantum, quod quiſque dicendo potuerit, quoniam id quaerimus, praedicemus.

E X P L A N A T I O

PRAETEREA *perfectus in litteris*] doctus in primis: paullo ante. Vir omnibus rebus ornatiſſimus, Verrina 3. ACVLEONE] C. Viſellio Aculeone. de quo lib. 1. & 2. de Oratore. L. *Torquatus*] L. Manlius Torq. L. F. de quo lib. 2. de Fin. & pro Sulla. RHETOREM] oratorem. nam Graece ab eloquendo Rhetor, & Latine Eloquens dictus eſt. in Oratore. quamquam Rhetorem hunc appellare uidetur, quod Rhetorica delectaretur. Hinc de Fin. 2. ita loquitur: Rhetorice igitur, inquam, nos mauis, quam Dialectice diſputare. Πολιτικόν] ciuilem, reipub. adminiſtrandae peritum. PLVRIMAE *litterae*] Hinc omni doctrina eruditus, lib. 1. de Fin. dicitur. DIVINA *memoria*] excellens & inſignis. Vide lib. 1. de Finib. GRAVITAS] aliter, Dignitas, & rectius. Ita forte grauis fuit, ut ſubagreſtis uideretur. Gel. lib. 1. cap. 5. TRIARII] C. Triarij. Fuerunt enim Triarij e gente Valeria. SENECTVTIS] patrem hoc uerbo ſignificat. nam filius L. Torquato iunior fuiſſe uidetur ex lib. 1. de Finibus. Ex *ore?*] cum interrogatione legendum. TVM *Brutus*] ad reficiendum lectorem, inſerit de reipub. calamitatibus pauca. AVCTORITATEM] ſententiam uocat Philip. 2. quod auctoritas ab auctore ducatur: auctor autem ſaepe is eſt, qui dat conſilium, aut ſententiam dicit. Cicero uero ſaepe dixit ſe pacis auctorem ſemper fuiſſe: ut Epiſt. 3. lib. 7. Famil. & pro Ligar. & Deiot. PRAESTANTES *ciues*] illos praeſtantiſſimos uiros, lumina reipub. tot conſulares, tot praetorios, tot honeſtiſſimos ſenatores, omnem praeterea florem nobilitatis, atque iuuentutis, tum optimorum ciuium exercitus. Philip. 2. SILEAMVS] Cum uos eo animo ad me ueneritis, ut de repub. eſſet ſilentium. ſupra. DE *iſtis*] uel uiris, uel rebus, cum & acerbae ſint, & moleſtae. NAM *& praeteritorum*] contra Cicero ipſe Epiſt. 12. lib. 12. Fam. Virg. lib. 1. Aeneid. Homerus lib. 15. Odyſſeae, Ariſt. lib. 1. Rhet. & alij. Sed iucunda eſt praeteritorum malorum recordatio, ſi ſit ſecura, ut Cicero ad Lucceium ſcribit: aut ad nos ea nihil pertineant. Hic uero tantum abeſt, ut ſit ſecura, ut etiam alia exſpectentur mala. EXSPECTATIO] Corn. Nepos in Attici uita: Non ea ſolum Cicero, quae uiuo ſe acciderunt, futura praedixit, ſed etiam quae nunc uſu ueniunt, cecinit ut uates.

C I C E R O

SVNT etiam ex ijs, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus; qui & ſcriptitauit accurate, cum praeſertim non eſſet orator; & egit multa conſtanter. Ap. Claudius, ſocer tuus, collega, & familiaris meus, hic iam & ſatis ſtudioſus, & ualde cum doctus, tum etiam exercitatus orator, & cum auguralis,

guralis, tum omnis publici iuris, antiquitatisq. noſtrae bene peritus fuit. L. Domitius nulla ille quidem arte, ſed Latine tamen, & multa cum libertate dicebat. Duo praeterea Lentuli conſulares: quorum Publius ille noſtrarum iniuriarum ultor, auctor ſalutis, quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum habuit e diſciplina. inſtrumenta naturae deerant: ſed tantus animi ſplendor, & tanta magnitudo, ut ſibi omnia, quae clarorum uirorum eſſent, non dubitaret adſciſcere, eaq. omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus ſatis erat fortis orator, ſi modo orator, ſed cogitandi non ferebat laborem: uox canora, uerba non horrida ſane; ut plena eßet animi, & terroris oratio. quaereres in iudicijs fortaße melius: in rep. quod erat, eße iudicares ſatis. Ne Titus quidem Poſtumius contemnendus in dicendo, de repub. uero non minus uehemens orator, quam bellator, fuit, effrenatus, & acer nimis, ſed bene iuris publici leges, atque instituta cognouerat.

EXPLANATIO

EODEM *bello*] ciuili, quod Caeſar geſſit, & ſcripſit. M. *Bibulus*] Marcus ab omnibus appellatur, exceptis Oroſio, Eutropio, Seneca, & Appiano, qui Lucium uocant. M. Calpurnius Bibulus a Plutarcho in Caeſare uocatur. Vir Caeſaris, & Ciceronis ſcriptis, & aliorum, notiſſimus. APP. *Claudius*] Appius Claudius Pulcher, eius Appij, qui cum P. Seruilio conſul fuit, filius, ut ex orat. de reſponſis diſcimus, P. Clodij frater fuit. SOCER *tuus*] ex priore uxore. Vide epiſt. 4. lib. 3. Fam. nam poſt Brutus Porciam Catonis F. duxit. COLLEGA] in auguratu. Epiſt. 4. & 10. lib. 3. Fam. & lib. 2. de Diuin. FAMILIARIS *meus*] amicum ſuum lib. 1. de Diu. & Tuſcul. 1. uocat. DOCTVS] epiſt. 7. lib. 3. Fam. hominem ſumma prudentia, multa doctrina, & plurimo rerum uſu. & pro Scauro apud Aſconium, humanitate, & ſapientia praeditum, uocauit. AVGVRALIS] iuris, de quo ſcripſit ad Ciceronem. ut epiſt. 4. & 9. lib. 3. Fam. dicitur. ANTIQVITATISQ. *noſtrae*] debet enim memoriam antiquitatis tenere orator, ſuae ſaltem ciuitatis. L. *Domitius*] L. Dom. Ahenobarbus, Cn. Domitij F. Hic eſt ille Domitius, qui Pompeij partes ſecutus Corfinij captus fuit a Caeſare, & dimiſſus. de quo ſaepe leges. NVLLA *ille quidem arte*] ergo uſu domeſtico Latine dicebat. Laudat ab elocutione. CVM *libertate*] Quae παῤῥησία dicitur, id eſt, licentia. DVO *praeterea Lentuli*] P. & Lucius, Cornelij Lentuli. Et Publius, Spinther cognomento. Lucius uero, Cruſcellus, qui Piſone, & Gabinio coss. praetor fuit. Publius uero is eſt, ad quem libro primo Familiar. ſcribit Cicero, quem parentem, quem auctorem, & deum ſuae ſalutis ſaepe cum alibi, tum in orationibus poſt reditum ſuum appellat. TOTVM *habuit ex diſciplina*] ſic ſupra de M. Piſone, Quia a natura nihil aut parum habuit, ſed omnia ab arte, ac doctrina. INSTRVMENTA *naturae*] ut acumen, uox, latera, & reliqua id genus. SED *tantus animi ſplendor*] a liberalitate, & animi magnitudine eum commendat, cum non poſſit a facultate dicendi. Vide lib. 1. Fam. CLARORVM *uirorum*] Principum in ciuitate, in quibus ipſe fuiſſe dicitur. libro primo Famil. L. *Lent. fortis orator*] ſic ſupra Seru. Galbam fortem oratorem, & Q. Varium fortem actorem dixit. Ob id forte Lucanus lib. 5. & octauo, eum dicentem, & hortantem facit, in Pompeianis partibus. SED *cog. non ferebat laborem*] ut C. Memmius. ſupra. Aufert ab illo Inuentionis acumen. VOX *canora*] ut in Cn. Marcellino. ſupra. tribuit L. Lentulo elocutionem. TERRORIS] aliter, Horroris. SATIS] ut reipub. ſatisfacere poſſet, ut Cato, Catulus, Octauius. ſupra. TITVS] Lucium uocare uidetur, is qui de republ. ordinanda ſcribit ad Caeſarem apud Salluſtium. Atque is mihi Poſtumius eſſe uidetur, de quo belli ciuilis initio nominatim ſenatus decreuit, ut ſtatim in Siciliam iret, Furfanoq. ſuccederet. Epiſt. 4. lib. 7. Att. BELLATOR] ſimiliter cadens, orator, bellator. EFFRENATVS *& acer*] qualis M. Fauonius, qui de repub. ordinanda apud Salluſtium ob id cum Poſtumio coniungitur. IVRIS *pub.*] cuius partes ſunt, leges, ſenatuſconſulta, foedera, in Part. Orat. LEGES, *atque inſtituta*] leges ſcriptas, & non ſcriptas. Haec enim omnis eſt iuris communis diuiſio.

CICERO

HOc *loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitioſum eſſe, ſi, ut dixiſti, ij, quos iamdiu colligis, uiuerent. omnes enim commemoras, qui auſi aliquando ſunt ſtantes loqui: ut mihi imprudens M. Seruilium praeterijſſe uideare. Non, inquam, ego iſtuc ignoro, Pomponi, multos fuiſſe, qui uerbum numquam in publico feciſſent, cum melius aliquanto poſſent, quam iſti oratores, quos colligo, dicere: ſed his commemorandis etiam illud aſſequor, ut intelligatis, primum, ex omni numero quam non multi auſi ſint dicere; deinde, ex ijs ipſis, quam pauci fuerint laude digni. itaque ne hos quidem equites Romanos, amicos noſtros, qui nuper mortui ſunt, P. Cominium Spoletinum, quo accuſante defendi C. Cornelium, in quo & compoſitum dicendi genus, & acre, & expeditum fuit: T. Accium Piſaurenſem, cuius accuſationi reſpondi pro A. Cluentio, qui & accurate dicebat, & ſatis copioſe, eratq. praeterea doctus Hermagorae praeceptis; quibus etſi ornamenta non ſatis opima dicendi, tamen, ut haſtae uelitibus amentatae, ſic apta quaedam, & parata ſingulis cauſſarum generibus argumenta traduntur.*

EXPLANATIO

HOc *loco Atticus*] hac interpellatione Atticus, huius enumerationis oratorum minutiſſimorum a Cic. extorquet utilitatem. AMBITIOSVM *eſſe*] ambitione labi. ſupra. STANTES] ueteres enim ſtantes dicebant, ut ex poetis, & oratoribus, & hiſtoricis diſcere licet. Ouid. lib. 13. Homer. lib. 1. Iliados, Virg. lib. 11. Cic. pto S. R. Amer. lib. 1. epiſt. Att. M. *Seruilium*] de quo epiſt. 3. lib. 6. Att. & epiſt. 8. lib. 8. Famil. Ex *omni numero*] hominum noſtrorum, & aliorum. QVAM *pauci*] uix ſingulis aetatibus bini oratores laudabiles. infra. ITAQVE] cum illud, quod dixi, aſſequar. NE *hos quidem*] praeteribo, ex ſuperiore. Vel dic ἔλλειψιν eſſe, quam & ἔκλειψιν uocant. P. *Cominium*] de Cominijs fratribus Cicero pro Cluent. Hic Publius uidetur is eſſe, in quem ſcripſit Catullus. ACCVSANTE] reum faciente lege Cornelia maieſtatis, ut Aſconius ait. Vide etiam Quinctilianum lib. 4. cap. 4. DEFENDI] quatriduo: quas tamen actiones contuliſſe eum in duas orationes apparet. Lege Aſconium, & Nonium in uerbo, Venalicij. Cicero quoque ipſe in Oratore ſecundam Cornelianam nominauit. C. *Cornelium*] male interdum apud Aſconium, Lucius legitur. Hunc Cicero praetor defendit, ut Aſconius, Q. Cicero de pet. conſ. Cicero ipſe in Vatinium, & alibi teſtatur. IN *quo*] in P. Cominio, quem diſertum uocat, pro Cluentio. T. *Accium Piſaurenſem*] hunc bonum adoleſcentem, & diſertum uocat in eadem oratione. PRO *Aulo Cluentio*] Larinate, quae oratio, ut ſcitis, nunc exſtat. ACCVRATE *dicebat*] ut qui prudentia, uſu, atque exercitatione praeditus eſſet, pro Cluentio. HERMAGORAE] de quo ſupra. VT *haſtae*] ſimilitudo e re militari ſumpta. VELITIBVS] uelitem ſic Liu. lib. 38. deſcribit. Hic miles tripedalem parmam habet, & in dextra haſtas, quibus eminus utitur: gladio Hiſpanienſi eſt cinctus. Quod ſi pede collato pugnandum eſt, tranſlatis in laeuam haſtis, ſtringit gladium. Plura Val. Max. lib. 2. cap. 1. In ſumma, Veles eſt leuis armaturae miles. Vide Vegetium de re militari. AMENTATAE] loris, ad fortius, & longius iaculandum, uinctae. Argumenta, ſunt haſtae: amenta, ſunt praecepta, quibus argumenta inſtruuntur. SINGVLIS *cauß. gen.*] Deliberatiuo, Demonſtratiuo, & Iudiciali, ut Rhetores uocant. Vel, Cauſſarum generibus, intellige ſtatus, Coniecturalem, Definitiuum, & Iudicialem, cum ſuis partibus, & membris, quod mihi magis placet.

CICERO

STVDIO autem neminem, nec induſtria maiore cognoui: quamquam ne ingenio quidem qui praeſtiterit, facile dixerim, C. Piſoni, genero meo. nullum tempus illi umquam uacabat aut a forenſi dictione, aut a commentatione domeſtica, aut a ſcribendo, aut a cogitando. itaque tantos proceſſus efficiebat, ut euolare, non excurrere uideretur; eratq. uerborum & delectus elegans, & apta, & quaſi rotunda conſtructio: cumq. argumenta exagitabantur ab eo multa, & firma & ad probãdum, tum concinnae, acutaeq. ſententiae, geſtusq. natura ita uenuſtus, ut ars etiam, quae non erat, & e diſciplina motus quidã uideretur accedere. Vereor, ne amore uidear plura, quam fuerint in illo, dicere. quod non ita eſt. alia enim de illo maiora dici poſſunt. nam nec continentia, nec pietate, nec ullo genere uirtutis quemquam eiuſdem aetatis cum illo conferendum puto. Nec uero M. Coelium praetereundum arbitror; quaecumque eius in exitu, uel fortuna, uel mens fuit: qui quamdiu auctoritate meae paruit, talis tribunus pleb. fuit, ut nemo contra ciuium perditorum popularem, turbulentamq. dementiam a ſenatu, & a bonorum caußa ſteterit conſtantius: quam eius actionem multum tamen & ſplendida, & grandis, & eadem in primis faceta, & perurbana commendabat oratio. graues eius conciones aliquot fuerunt, acres accuſationes tres, eaeq. omnes ex reip. contentione ſuſceptae. defenſiones, etſi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen, ſaneq. tolerabiles. hic cum, ſumma uoluntate bonorum, aedilis curulis factus eſſet, neſcio quo modo diſceßu meo diſceſſit a ſeſe, ceciditq. poſtea, cum eos imitari coepit, quos ipſe peruerterat.

EXPLANATIO

STVDIO *autem*] haec de C. Piſone dicit, ne quis cum ſuperioribus coniungat. C. *Piſoni*] C. Calpurnio Piſoni, cognomento Frugi. Att. 1. lib. 1. GENERO *meo*] primo. Nam Cicero tribus uiris, diuerſis temporibus, Tulliam filiam collocauit, Piſoni, Craſſipedi, & Dolabellae. NVLLVM *tempus*] ſtudium, & induſtriam probat: & ex ijs, quae ſequuntur, bina priora ad ſtudium, poſteriora ad induſtriam refero. CVMQ. *argumenta*] ad ingenium, & inuentionem haec referuntur. NEC *continentia, &c.*] eadem dicit in Vatinium, & poſt reditum in ſenatu. M.] Marcum, ſic lib. 111. apud Liuium ſcribes, ubi etiam Coelium, non Caecilium leges, & apud Appianum lib. 2. qui M. Coelius Rufus dictus eſt, pro quo Ciceronis exſtat oratio. VEL *fortuna*] quae primum ei fuit aduerſa in repub. poſt etiam fuit interfectus. Caeſar lib. 3. Ciuili, Paterculus 2. Liuius 111. VEL *mens*] mala nimirum, ut ijdem auctores affirmant, & ipſe epiſt. 17. lib. 8. Famil. AVCTORITATI *meae*] ad quem ſumpta uirili toga fuerat a patre deductus, pro Coelio, Quinctil. lib. 12. cap. 2. PERDITORVM] ut Clodianorum, contra quos ſtetit. Aſconius. SPLENDIDA, *& grandis*] in Coelianis orationibus nitorem, & altitudinem Cornelius Tacitus in Oratoribus agnoſcit. In Quinctiliano lib. 10. cap. 1. non Coelium, ſed Caluum lego. FACETA, *& perurbana*] Fabius: In

Coelio multa urbanitas, dignusq. uir, cui & mens melior, & uita longior contigiſſet. ACCVSATIONES *tres* ʒ in C. Antonium una, in Atratinum altera, ut pro ipſo Coelio uidebis. In Appium cenſorem tertia, epiſtola 12. lib. 8. Famil. Ex *reipub. contentione* ʒ ex reipub. cauſſa, ut pro Coelio dixit: quibus uerbis ſignificat, publicas eas fuiſſe cauſſas. DEFENSIONES ʒ quibus ſe, & alios defendit, ut pro Coelio, & epiſt. 12. lib. 8. Famil. & epiſt. 8. lib. 8. MELIORA ʒ nam multum ingenij fuit in Coelio, praecipue in accuſando. Quinctil. lib. 10. cap. 1. AEDILIS *curulis* ʒ hoc uide epiſt. 9. & 10. lib. 2. & 3. lib. 8. Famil. & epiſt. 1. lib. 6. Att. DISCESSV *meo* ʒ cum in Ciliciam ſum profectus. epiſt. 21. lib. 5. Att. & epiſt. 1. lib. 8. Famil. DISCESSIT *a ſeſe* ʒ coniugata, diſceſſit diſceſſu meo, & προσωνομασία. Et diſceſſit a ſeſe, id eſt, de ſententia ſua deceſſit, epiſt. 3. lib. 7. Attic. Et quidem Appij odio, & Curionis amore, epiſt. 17. lib. 8. Famil. Vide etiam Caeſarem bello ciuili 1. & Dionem 41. QVVM ʒ aliter, Quam. EOS ʒ M. Antonium, P. Dolabellam, & C. Curionem, epiſt. 4. 13. & 17. lib. 8. Fam. De Coelij ſtylo uidere licet in eius epiſtolis lib. 9. Fam. De moribus, Senecam lib. 3. cap. 8. de ira. Vixit annos 34. Vide Plin. lib. 7. cap. 49.

CICERO

SED de M. Calidio dicamus aliquid: qui non fuit orator unus e multis; potius inter multos prope ſingularis fuit: ita reconditas, exquiſitasq. ſententias mollis, & pellucens ueſtiebat oratio. nihil tam tenerum, quam illius comprehenſio uerborum; nihil tam flexibile; nihil, quod magis ipſius arbitrio fingeretur: ut nullius oratoris aeque in poteſtate fuerit. quae primum ita pura erat, ut nihil liquidius; ita libere fluebat, ut nuſquam adhaereſceret. nullum niſi loco poſitum, & tamquam in uermiculato emblemate, ut ait Lucilius, ſtructum uerbum uideres; nec uero ullum aut longius ductum, ac non propria uerba rerum, ſed pleraq. tranſlata, ſic tamen, ut ea non irruiſſe in alienum locum, ſed immigraſſe in ſuum diceres. nec uero haec ſoluta, nec diffluentia, ſed adſtricta numeris, non aperte, nec eodem modo ſemper, ſed uarie, diſſimulanterq. concluſis. Erant autem & uerborum, & ſententiarum illa lumina, quae uocant Graeci σχήματα; quibus tamquam inſignibus in ornatu diſtinguebatur omnis oratio. Qua de re agitur autem, illud, quod multis locis in iuriſconſultorum includitur formulis, id ubi eßet, uidebat. Accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis, totumq. dicendi placidum, & ſanum genus. Quod ſi eſt optimum ſuauiter dicere: nihil eſt, quod melius hoc quaerendum putes. ſed, cum a nobis paullo ante dictum ſit, tria uideri eſſe, quae orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moueret: duo ſumme tenuit, ut & rem illuſtraret diſſerendo, & animos eorum, qui audirent, deuinciret uoluntate: aberat tertia illa laus, qua permoueret, atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus: nec erat ulla uis, atque contentio: ſiue conſilio, quod eos, quorum altior oratio, actioq. eſſet ardentior, furere, & bacchari arbitraretur: ſiue quod natura non eßet ita factus: ſiue quod non conſueſſet: ſiue quod non poßet. hoc unum illi, ſi nihil utilitatis habebat, abfuit; ſi opus erat, defuit.

EXPLANATIO

SED *de M. Cal.* ʒ Q. F. ut Aſcon. ait. Fuit hic Apollodori diſcipulus, ut Euſebius ſcribit: ex ordine equeſtri Caeſarianas partes ſecutus: cum togatam Galliam regeret, Placentiae obijt, Euſebius. MOLLIS, & *pellucens* ʒ concinna, & ornata. Elocutionem eius laudat. COMPREHENSIO *uerborum* ʒ περίοδος, continuatio uerborum ſuis partibus abſoluta. EMBLEMATE ʒ hunc locum integrum habes de Orat. lib. 3. & in Orat. & apud Quinctil. lib. 9. cap. 4. Emblemata dicuntur omnia opera elegantiora teſſellis, aut ſegmentis inſectis, & inſertis elaborata: quae in parietibus ſunt, dicuntur uermiculata: in pauimento, teſſellata: in lignis, ſegmentata. NON *irruiße* ʒ ſic de Orat. lib. 3. praecipit. Debet enim eſſe, quo modo Theophraſto placet, uerecunda tranſlatio. Famil. lib. 13. NON *aperte* ʒ de Orat. lib. 3. & in Oratore. In oratione, prima pauci cernunt, poſtrema plerique, quae quoniam apparent, & intelliguntur, uarianda ſunt. QVA *de re agitur autem* ʒ formula Iuriſconſultorum, Cic. in Topicis ad Trebatium iuriſconſultum. Sed, quae ex ſtatu contentio efficitur, eam Graeci κρινόμενον uocant: mihi placet id, (quoniam quidem ad te ſcribo) qua de re agitur, uocari. Alibi Cicero Iudicationem, & propriam iudicij quaeſtionem uocat. Hoc ad Inuentionem pertinet. ORDO *rerum* ʒ diſpoſitio. GENVS ʒ dicendi, ad Elocutionem. SI *eſt optimum* ʒ quod non concedit ſupra de Scauro, & Rutilio. REM *illuſtraret* ʒ doceret. DEVINCIRET *uolup.* ʒ delectaret. POLLERE *diximus* ʒ cum diximus hoc eſſe Oratoris officium partitione tertium, genere maximum. VIS, *atque contentio* ʒ uis, id eſt, contentio, acrimonia, qua cauſſae extorquentur. SIVE *conſilio* ʒ quattuor affert cauſſas, conſilium, naturam, conſuetudinem, facultatem ſiue uires: ſed has omnes dubitanter. ALTIOR ʒ exaggeratior. ARDENTIOR ʒ uehementior. ABFVIT ʒ minus eſt, quam Defuit. Et eſt agnominatio.

CICERO

QVIN etiam memini, cum in accuſatione ſua Q. Gallio crimini dediſſet, ſibi eum uenenum parauiße, idq. a ſe eſſe deprehenſum; ſeſeq. chirographa, teſtificationes, iudicia, quaeſtiones, manifeſtam rem deferre diceret; deq. eo crimine accurate, & exquiſite diſputauiſſet; me in reſpōdendo, cum eſſem argu-

argumentatus quantum res ferebat, hoc ipſum etiã poſuiſſe pro argumento, quod ille, cum peſtem capitis ſui, cum indicia mortis ſe comperiſſe manifeſto, & manu tenere diceret, tam ſolute egiſſet, tam leniter, tam oſcitanter. Tu iſtuc, M. Calidi, niſi fingeres, ſic ageres? praeſertim cum iſta eloquẽtia alienorum hominum pericula defendere acerrime ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere uoces, & querellas ſolet, nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percußa, non femur, pedis, quod minimum eſt, nulla ſupploſio. itaque tantum abfuit, ut inflammares noſtros animos: ſomnum iſto loco uix tenebamus. Sic nos ſummi oratoris uel ſanitate, uel uitio pro argumento ad diluendum crimen uſi ſumus. Tum Brutus, Atque dubitamus, inquit, utrum iſta ſanitas fuerit, an uitium? quis enim non fateatur, cum ex omnibus oratoris laudibus longe iſta ſit maxima, inflammare animos audientium, & quocumque res poſtulet, flectere; qui hac uirtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuiße?

EXPLANATIO

QVINETIAM] probat ab exemplo. CHIROGRAPHA *&c.*] ſunt argumenta ex locis aſſumptis, & extra rem poſitis, ut uidere licet ad Herenn. lib. 2. & in Topicis. POSVISSE] in oratione, quam pro Q. Gallio habuit. Huius orationis Val. Max. lib. 8. cap. 10. & Nonius in uerbo Logi, mentionem faciunt. Et ſimul nota, Memini me poſuiſſe, contra Vallam, qui dicendum eſſe ait, Memini me ponere, & ſimilia. PRO *argumento*] ad diluendum crimen. INDICIA *mortis*] ideſt, ueneni mortiferi: uel, mortis, quam ſibi uoluit Q. Gallius inferre. TV *iſtuc*] Val. Max. Tu iſtud, legiſſe uidetur. NISI *fingeres*] tantum refert, quo modo, & quo animi motu dicas. Vide epiſt. Familiar. 9. libro 8. INFANTIVM] minutorum oratorum. FRONS *non percußa*] percutere, & ferire frontem, doloris ſignum. epiſt. 1. lib. 1. Att. Homer. 22. Iliad. Ariſtophanes in Pluto. ad Herenn. lib. 3. etſi diſſentit Fabius lib. 2. cap. 3. NON *femur*] quod indignantes faciunt, & ad auditorem excitandum ualet. Vide Quinct. lib. 11. cap. 3. & Plut. in Nicia. TANTVM *abſuit*] Tantum abeſt, legiſſe uidetur Fab. VIX *tenebamus*] nam, ſi male mandata loqueris, aut dormitabo, aut ridebo. ait Hor. Poet. SANITATE] ſi conſilio. VITIO] ſi ceteris cauſſis, quod ſupra poſuit: Diſtributio eſt. Ex *omnibus*] ex tribus. ſupra. MAXIMA] partitione tertia, genere maxima. ſupra. MODO] quocumque modo. Alij tollunt, & expungunt, illud, Modo.

CICERO

SIT ſane ita, inquam: ſed redeamus ad eum, qui iam unus reſtat, Hortenſium: tum de nobiſmet ipſis, quoniam id etiam, Brute, poſtulas, pauca dicemus: quamquam facienda mentio eſt, ut quidem mihi uidetur, duorum adoleſcentium: qui, ſi diutius uixiſſent, magnam eſſent eloquentiae laudẽ conſecuti. C. Curionem te, inquit Brutus, et C. Licinium Caluum arbitror dicere. Recte, inquam, arbitraris. Quorum quidem alter, quod uerisimile dixißet, ita facile, ſoluteq. uerbis uoluebat ſatis interdum acutas, crebras quidem certe ſententias, ut nihil poßet ornatius eße, nihil expeditius. atque hic a magiſtris parum inſtitutus naturam habuit admirabilem ad dicendum. induſtriam non ſum expertus: ſtudium certe fuit. qui ſi me audire uoluiſſet, ut coeperat; honores, quam opes, conſequi maluiſſet. Quidnam eſt, inquit, iſtuc? & quemadmodum diſtinguis? Hoc modo, inquam. Cum honos ſit praemium uirtutis, iudicio, ſtudioq. ciuium delatum ad aliquem; qui eum ſententijs, qui ſuffragijs adeptus eſt, is mihi & honeſtus, & honoratus uidetur. qui autem occaſione aliqua, etiam inuitis ſuis ciuibus, nactus eſt imperium, ut ille cupiebat; hunc nomen honoris adeptum, non honorem, puto. quae ſi ille audire uoluißet, maxima cum gratia, & gloria ad ſummam amplitudinem peruenißet, adſcendens gradibus magiſtratuũ, ut pater eius fecerat, ut reliqui clariores uiri.

EXPLANATIO

SIT *ſane*] conceſſio, quam Graeci συγχώρησιν uocant. REDEAMVS] de Hortenſio ſupra dicere coeperat: nunc ad eum redit. Nam, quoniam diu uixit, multorum aetates eum attigiſſe neceſſe fuit. POSTVLAS] ſupra, cum diceres te properare audire de me. CONSECVTI] Dichoreo utitur, de duobus bonis oratoribus loquens. C. *Curionem*] cognomento Scribonium, C. F. qui unus e tribus oratoribus fuit, de quibus Plin. lib. 7. cap. 41. ſcribit. Sed de huius patre, & auo ſupra dictum eſt. Hic, de quo nunc agit, is eſt, ad quem epiſtolae illae elegantiſſimae ſcribuntur Fam. lib. 2. Occubuit in Africa fortiter pugnans, contra Iubam regem Caeſaris partes ſecutus. SOLVTEQ.] ſupra, Solute, & ſuauiter dicere. NATVRAM *habuit admirabilem*] huius ingenium ſaepe laudauit Cicero, & Lucanus lib. 4.

Haud alium tanta ciuem tulit indole Roma.

NON *ſum expertus*] quod ille diu abfuit: & cum rediiſſet, ego ſum in Ciciliam profectus. VT *coeperat*] cum puer olim meis fideliſſimis, atque amantiſſimis praeceptis paruiſſet. epiſt. 1. lib. 2. Fam. MALVISSET] Dichoreus. CVM *honos*] Honoris eſt deſcriptio, & Rhetorica definitio, ex qua oſtendit, quem putabat Curio honorem ſe conſecutum, honorem non fuiſſe. Contraria enim ſunt, ſtudio ciuium, & inuitis ciuibus hono

rem adipiſci. Iudicio autem,& occaſione,ſunt differentiae. SENTENTIIS ʒ ſenatus. SVFFRAGIIS ʒ populi. GRADIBVS *magiſtratuum* ʒ qui ſunt, aedilitas, praetura, conſulatus.

CICERO

QVAE quidem etiam cum P. Craſſo M. F. cum initio aetatis ad amicitiam ſe meam contuliſſet, ſaepe egiſſe me arbitror, cum eum uehementer hortarer, ut eam laudis uiam rectiſſimam eſſe duceret, quam maiores eius ei tritam reliquiſſent. erat enim cum inſtitutus optime, tum etiam perfecte, planeq. eruditus: ineratq. & ingenium ſatis acre, & orationis non inelegans copia: praetereaq. ſine arrogantia grauis eſſe uidebatur, & ſine ſegnitia uerecundus. ſed hunc quoque abſorbuit aeſtus quidam inſolitae adoleſcentibus gloriae: qui quia nauarat miles operā imperatori, imperatorem ſe ſtatim eſſe cupiebat, cui muneri mos maiorum aetatem certam, ſortem incertam reliquit. ita grauiſſimo ſuo caſu, dum Cyri, & Alexandri ſimilis eſſe uoluit, qui ſuū curſum transcurrerant, & L. Craſſi, & multorum Craſſorum inuentus eſt diſſimillimus.

EXPLANATIO

CVM *P. Craſſo M. F.* ʒ Marci filio, de quo poſt dicemus. & cuius uitam Plutarchus ſcripſit. INITIO *aetatis* ʒ a pueritia ſua, ab ineunte ſua aetate. ep. 8. lib. 5. & 16. lib. 13. Fam. AD *amicitiam ſe meam* ʒ Plutarchus in Craſſo, & Cic. in epiſtolis proxime citatis. MAIORES *eius* ʒ Licinij. TRITAM ʒ tranſlatio a uiis incedentium frequentia tritis, & uſitatis. ERAT *enim* ʒ P. Craſſus: & eſt ſubiecta ratio. CVM *inſt. optime* ʒ cauſſa. ERVDITVS ʒ effectus inſtitutionis. Nam ſecum ſolebat habere Apollonium libertum, a quo inſtituebatur: eadem epiſt. Itaque Oroſius lib. 6. cap. 13. Lectiſſimum iuuenem, Eutropius lib. 6. Clariſſimum, & praeſtantiſſimum iuuenem, uocat. HVNC *quoque* ʒ ut Curionem. ABSORBVIT ʒ in bello Parthico, in quo grauiter uulneratus, armigero ſuo latus transfigendum praebuit. Plut. in Craſſo. Liuius lib. 106. Oroſius, Eutropius, Appianus in Parthico. In huius locum Cicero fuit augur cooptatus, ut alibi diximus. QVIDAM *inſolitę* ʒ aliter, Non inſolitae. & melius. NAVARAT ʒ etiam praeclare. ut Caeſar de bello Gallico teſtatur. MILES ʒ opponitur imperatori. AETATEM *certam* ʒ poſt annum potiſſimum quadrageſimum primum, quo praetores fieri poterant. SORTEM *incertam* ʒ quod ſaepe prouincias, in quibus bella erant gerenda, ſortiebantur, ut ſaepe apud Liuium, & alios leges. CYRI ʒ Minoris, Perſarum regis, qui non multo poſt patris mortem Artoxerxi bellum intulit, in quo fuit interfectus adoleſcens. Hiſtoria eſt apud Xenophontem lib. 1. ἀναβάσεως, & apud Iuſtinum lib. 5. & Plutarchum in Artoxerxe. ALEXANDRI ʒ Magni, qui tertio, & trigeſimo anno aetatis ſuae mortem obiit. ut Cicero Philipp. 1. praeter alios, oſtendit. SIMILIS ʒ uoluit & ipſe adoleſcens admodum bella gerere, ut Cyrus, & Alexander, qui tamen eo grandiores fuerāt natu. DISSIMILLIMVS ʒ quia feſtinauit nimis, & cito periit, cum L. Craſſus, & alij Craſſi lente, ut dicitur, feſtinarint, & diutius uixerint, maximos honores aſſecuti.

CICERO

SED ad Caluum (is enim nobis erat propoſitus) reuertamur: qui orator fuiſſet cum litteris eruditior, quam Curio; tum etiam accurratius quoddam dicendi, & exquiſitius afferebat genus: quod quamquam ſcienter, eleganterq. tractabat, nimium tamen inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſeruans, metuensq. ne uitioſum colligeret, etiam uerum ſanguinem deperdebat. itaque eius oratio, nimia religione attenuata, doctis, & attente audientibus erat illuſtris; a multitudine autem, & a foro, cui nata eloquentia eſt, deuorabatur.

EXPLANATIO

SED *ad Caluum* ʒ C. Licinium Caluum, C. Lic. Macri filium, ut apud Val. Max. lib. 9. cap. 10. uidebis. Fuit non ſolum orator, ſed etiam poeta: cuius uitam Crinitus, & Lilius ſcripſerunt. Poetam, & Oratorem fuiſſe, teſtantur Seneca lib. 4. controuerſiarum, Suetonius in Auguſto, & Catullus. Quinetiam Cicero ipſe ep. 20. lib. 7. Fam. De Calui dictione, Corn. Tacitus de Oratoribus, Quinctil. lib. 10. cap. 1. & lib. 12. cap. 10. Cicero epiſt. 21. lib. 15. Fam. PROPOSITVS ʒ cum Curione. ſupra. FVISSET ʒ forte legendum, Fuit, ſed: uel aliquid deeſt. LITTERIS ʒ ut a conſuetudine, & natura Curio. QVAM *Curio* ʒ qui a magiſtris parum fuit inſtitutus. AFFEREBAT *genus* ʒ ſequebatur genus, epiſt. 21. lib. 10. Fam. TRACTABAT ʒ ut aſſequeretur, quod probaret. ibidem. NIMIVM ʒ quod manum de tabula, ut dicitur, numquam dimoueret. SANGVINEM *deperdebat* ʒ Quinct. lib. 10. cap. 1. Inueni, qui Ciceroni crederent, Caluum nimia contra ſe calumnia, uerum ſanguinem perdidiſſe. Pro quo male in multis libris Coelium legitur. Et Sanguinem, ideſt, Orationis animam, ueramq. naturam, & formam. NIMIA *religione* ʒ ſuperſtitione, cura, diligentia, affectatione. Calumnia. Quinctil. ut ante dixi. DOCTIS ʒ qui poterant iudicare. MVLTITVDINE ʒ cuius iudicium cum intelligentium iudicio debet in oratore probando congruere. ſupra. A *foro* ʒ Metonymia, pro multitudine, ſiue hominibus in foro uerſantibus. CVI *nata* ʒ propter iudicia, & forenſes cauſſas potiſſimum

inuenta

inuenta eſt eloquentia primum: poſtea etiam in ſenatum, roſtraq. deducta. quamquam Forum Romae, & roſtra, & curiam continebat. DEVORABATVRʒ ut cibi, qui guſtari non poſſunt, deuorantur: quod fieri ſolet in medicinis ſumendis. Ergo non intelligebatur. Translatum a cibis.

C I C E R O

TVM Brutus, Atticum ſe, inquit, Catulus noſter dici oratorem uolebat: inde erat iſta exſilitas, quam ille de induſtria conſequebatur. Dicebat, inquam, ita: ſed & ipſe errabat, & alios etiam errare cogebat. nam, ſi quis eos, qui nec inepte dicunt, nec odioſe, nec putide, Attice putat dicere, is recte, niſi Atticum, probat neminem: inſulſitatem enim, & inſolentiam, tamquam inſaniam quandam orationis, odit. ſanitatem autem, & integritatem, quaſi religionem, & uerecundiam oratoris probat. haec omnium debet oratorum eadem eſſe ſententia. ſin autem ieiunitatem, & ſiccitatem, & inopiam, dum modo ſit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit: hoc recte dumtaxat: ſed, quia ſunt in Atticis alia meliora, uideat, ne ignoret & gradus, & diſſimilitudines, uim, & uarietatem Atticorum. Atticos, inquit, uolo imitari. quos? nec enim eſt unum genus. nam, quid eſt tam diſſimile, quam Demoſthenes, & Lyſias? quam idem & Hyperides? quam omnium horum Aeſchines? quem igitur imitaris? ſi aliquem, ceteri ergo Attice non dicebant: ſi omnes, qui potes, cum ſint ipſi diſſimillimi inter ſe? In quo illud etiam quaero; Phalereus ille Demetrius Attice ne dixerit? mihi quidem ex illius orationibus redolere ipſae Athenae uidentur. At eſt floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lyſias. Natura quaedam, aut uoluntas ita dicendi fuit.

E X P L A N A T I O

TVM *Brutus*ʒ Brutum inducit loquentem, ne ipſum uideatur reprehendere, qui tamen & ipſe Atticus eſſe uoluit, ut in oratore cognoſcitur. Hac autem occaſione de ueris Atticis oratoribus, eorumq. generibus diſſerit. VOLEBATʒ erat enim imitator Atticorum. Quinctil. lib. 10. cap. 1. EXSILITASʒ inſulſitas, inſolentia, inſania, ieiunitas, ſiccitas, inopia: & qui ita dicunt, exſangues, & triti a Cicerone, aridi, & exſucci a Fabio nominantur. ERRABATʒ iudicio lapſis. Fam. lib. 15. epiſt. 21. ALIOSʒ ut ipſum Brutum. NAM, *ſi quis*ʒ inſerit diſputationem, quam in Oratore, de opt. gen. Orat. Cic. & Fabius lib. 12. cap. 1. tractant. QVI *nec inepte*ʒ qui bene dicunt. de opt. gen. Orat. INSVLSITATEMʒ cum Attici ſint in primis ſalſi, & faceti. ut lib. 2. de Orat. Et quidquid ſalſum, & ſalubre eſt, proprium ſit Atticorum. ut in Oratore. INSOLENTIAMʒ nam uerbum inauditum, & inſolens, ut ſcopulum fugiendum Caeſar docuit. ut Gell. lib. 1. cap. 10. ait: in qua re adeo Attici fuerunt religioſi, ut Aeſchines Demoſthenem tamquam parum Atticum reprehenderet. ut in Oratore Cicero ſcribit. SANITATEMʒ bonam ualetudinem. ibidem. INTEGRITATEMʒ quae ſit Atticorum. de opt. gen. Orat. IEIVNITATEMʒ erant enim, qui ieiunitatem, & famem ſe malle, quam ubertatem, & copiam dicerent. Tuſcul. 2. DVM *modo ſit polita*ʒ putabant enim, qui horride, inculteq. diceret, modo id eleganter, enucleateq. faceret, eum ſolum Attice dicere. in Orat. HOC *recte*ʒ ſic in Oratore, Errant, quod ſolum, quod Attice non falluntur. Et de opt. gen. Orat. 1. Id uero deſinant dicere, qui ſubtiliter dicunt, eos ſolos Attice dicere. ALIAʒ ut copia, ornatus, grauitas, amplitudo &c. quae Tuſcul. 2. in Orat. & de opt. gen. Orat. Attici enim, cum careant omni uitio, non ſunt contenti quaſi bona ualetudine, ſed uires, lacertos, ſanguinem quaerunt, quandam etiam ſuauitatem coloris. de opt. gen. Orat. IGNORETʒ erat enim genus Atticorum iis ipſis, qui id ſequi ſe profitebantur, ignotum. Tuſcul. 2. Quod Atticorum oratorum ipſa uis eſſet ignota, nota gloria. de opt. gen. Orat. GRADVSʒ qui tres ſunt, medius, ſupremus, & infimus. Supremus, in quo ſunt omnia: Medius, in quo mediocria: Infimus, in quo minima. de opt. gen. Orat. INQVITʒ Caluus, uel aliquis: eſt enim ſermocinatio. NEQVE *enim eſt unum genus*ʒ una forma, & ſpecies. Sic Quinctil. lib. 12. cap. 10. ait, Oratores Atticos ut homines, inter ſe genere ſimiles, differentes ſpecie dixeris. Alioqui unũ eſt genus perfecti, a quo qui abſunt, non genere differunt, ut ab Attio Terentius, ſed in eodem non ſunt pares. de opt. gen. Orat. DEMOSTHENES, *& Lyſias*ʒ Demoſthenes enim grandis eſt, & Lyſias tenuis. ſupra, & in Orat. & de opt. gen. Orat. IDEMʒ Demoſthenes, qui ſumitur tamquam perfectus, ut cum eo reliqui comparentur. ET *Hyperides*ʒ quod Hyperides ſatis facetus, Demoſthenes minus habebatur: quod mihi non placet. Ergo ueram diſſimilitudinem ex eorum comparatione ſupra pete. Idem de Aeſchine faciendum. SI *aliquem*ʒ δίλημμα. DISSIMILLIMIʒ ita, ut alius ample, alius ſubtiliter, alius iucunde, alius aliter dicat. REDOLEREʒ ſpirare, odorem emittere, & afflare. Notanda phraſis, cum redolet lucernam, Athenas, potius dicatur. IPSAE *Athenae*ʒ αὔξησις, nedum Attice dicere. Sic de Demoſthene in Oratore, Quo ne Athenas quidem ipſas magis credo fuiſſe Atticas. FLORIDIORʒ ornatior. ſupra, & in Oratore, quod uerbum, quia rarius uiſum eſt, adiecit, Vt ita dicam.

C I C E R O

ET quidem duo fuerunt per idem tempus diſſimiles inter ſe, ſed Attici tamen: quorum Cariſius multarum orationum, quas ſcribebat alijs, cum cupere uideretur imitari Lyſiam; Demochares autem, qui fuit Demoſthenis ſororis filius, & orationes ſcripſit aliquot, & earum rerum hiſtoriam,

riam, quae erant Athenis ipſius aetate geſtae, non tam hiſtorico, quam oratorio genere perſcripſit. At Cariſij uult Hegeſias eſſe ſimilis, isq. ſe ita putat Atticum, ut ueros illos prae ſe paene agreſtes putet. At quid eſt tam fractum, tam minutum, tam in ipſa, quam tamen conſequitur, concinnitate puerile? Atticorum ſimiles eſſe uolumus. Optime. Sunt ne igitur ij Attici oratores? Quis negare poteſt? Hos imitamur. Quomodo? qui ſunt & inter ſe diſſimiles, & aliorum. Thucydidem, inquit, imitamur. Optime, ſi hiſtoriam ſcribere, non ſi cauſſas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum geſtarum pronunciator ſincerus, & grandis etiam fuit, hoc forenſe concertatorium iudiciale non tractauit genus. orationes autem, quas interpoſuit, (multae enim ſunt) eas ego laudare ſoleo, imitari neque poſſim, ſi uelim; nec uelim fortaſſe, ſi poſſim.

EXPLANATIO

ET *quidem duo* ȝ Duorum oratorum exemplo diſſimilitudinem oſtendit Atticorum. QVAS *ſcribebat alijs* ȝ Quas, uidetur redundare, aut aliquid deeſſe. DEMOCHARES ȝ qui Rhetor ab Athenaeo dicitur. de quo uide Suidam. DEMOSTHENIS *ſororis F.* ȝ ſic lib. 2. de Orat. HISTORIAM ȝ Athenaeus, lib. 6. NON *tam hiſtorico* ȝ quamuis enim ſummi oratoris ſit hiſtoriam ſcribere. ut ait lib. 2. de Oratore, diuerſum tamen eſt dicendi genus hiſtoriae, in qua tracta quaedam, & fluens expetitur, non haec contorta, & acris oratio. in Oratore. HEGESIAS ȝ non ille Cyrenaicus philoſophus. de quo Tuſc. 1. ſed Magneſius orator, quem ſtyli Aſiatici auctorem fuiſſe Strabo ſcribit libro 14. Huius tamen genus dicendi Varro laudabat. ad Attic. epiſt. ſexta, libro 12. ESSE *ſimilis* ȝ dum Lyſiam, ut Cariſius, ipſe uult imitari. in Oratore. PVTAT ȝ ut ineptus. in Oratore. VEROS ȝ aliter, Viros. ILLOS ȝ Atticos. TAM *fractum, tam minutum* ȝ quam Hegeſias ipſe, qui particulas incidit, numeros infregit, & concidit. in Oratore. QVO *modo?* ȝ qui poteſtis, ut paullo ante, Qui potes? RERVM *geſtarum* ȝ rerum explicator prudens, ſeuerus, grauis. in Oratore. FORENSE ȝ cui nata eſt eloquentia. ſupra. In prooemio de Offic. Forenſe dicendi genus, & lib. 1. de Orat. genus turbae ciuilis, & fori. CONCERTATORIVM ȝ uehemens, litigioſum. NON *tractauit* ȝ non enim in iudicijs uerſauit cauſſas, ſed in hiſtorijs bella narrauit. Itaque numquam eſt numeratus orator, ut ait in Oratore. Vide de opt. gen. Orat. Aliud eſt, &c. ORATIONES ȝ conciones. in Oratore. Thucydides ipſe, & Marcellinus in uita Thucydidis δημηγορίας uocant. Orationes ita directas, & longas, & multas, ſunt qui in hiſtoria non probent. Trogus certe Pompeius apud Iuſtinum in Liuio, & Salluſtio reprehendit. NEQVE *poſſim* ȝ antimetabole, commutatio lepida: Neque poſſim, quia conciones ipſae ita multas habent obſcuras, abditasq. ſententias, uix ut intelligantur, quod eſt in oratione ciuili uitium uel maximum, ut in Oratore ait. Vide de opt. gen. Orat.

CICERO

VT, *ſi quis Falerno uino delectetur, ſed eo nec ita nouo, ut proximis conſulibus natum uelit, nec rurſus ita uetere, ut Opimium, aut Anicium conſulem quaerat. Atqui eae notae ſunt optimae. credo: ſed nimia uetuſtas nec habet eam, quam quaerimus, ſuauitatem, nec eſt iam ſane tolerabilis. Num igitur, qui hoc ſentiat, ſi is potare uelit, de dolio ſibi hauriendum putet? Minime: ſed quandam ſequatur aetatẽ. ſic ego iſtis cenſuerim & nouam iſtam quaſi de muſto, ac lacu feruidam orationem fugiendam, nec illam praeclaram Thucydidi nimis ueterem, tamquam Anicianam notam, perſequendam. ipſe enim Thucydides, ſi poſterius fuiſſet, multo maturior fuiſſet, & mitior.*

EXPLANATIO

VT *ſi quis* ȝ ſimilitudine rem illuſtrat. FALERNO *uino* ȝ ab opido, & monte Campaniae ita dicto. Hodie Graecum appellant Romae, quia e magna illa quondam Graecia ſit. De quo uino Plin. Athenaeus, & alij ſcriptores multa. PROXIMIS *conſulibus* ȝ anno ſuperiore. VETERE ȝ uide Athenaeum lib. 1. OPIMIVM ȝ L. Opimium, de quo alibi: quo quidem conſule omnium generum uini bonitas fuit. Plin. lib. 14. cap. 4. Ab hoc igitur Opimio conſule Opimiani uini nomen, ut Paterculus lib. 2. & Plin. lib. & cap. 14. & Marcialis in Xenijs. ANICIVM ȝ L. Anicium Gallum in Lapidibus Romanis, a quo etiam Aniciana pyra, de quibus Plinius lib. & cap. 15. nam Romani per conſules annos numerabant, & quam uetus eſſet uinum, ex conſulibus diſcebant. Vide etiam Horat. Ode 21. lib. 3. NOTAE ȝ Opimiana, & Aniciana. OPTIMAE ȝ optimi uini. NIMIA *uetuſtas* ȝ nam ab Opimio conſule 76. anni: ab Anicio 114. numerabantur, cum haec ſcriberet Cicero. Athenaeus autem teſtis eſt, uinum Falernum nimia uetuſtate nocere. Permirum eſt, Plinium ignoraſſe de hoc uino, quod Graecus ſciuit. DE *dolio* ȝ in quo uetus illud uinum ſit. QVANDAM ȝ mediam, ut in Falerno ad annum uigeſimum, ut Athenaeus probat. NOVAM *iſtam* ȝ quam iſti noui Attici probant, Cariſius, Hegeſias, & qui eos imitantur. LACV ȝ in quo uina exprimuntur, torculari. PRAECLARAM ȝ uidetur ironia. NIMIS *ueterem* ȝ hinc in Oratore queritur, in hominibus tantam eſſe peruerſitatem, ut, inuentis frugibus, glande ueſcantur. ANICIANAM ȝ quae multo antiquior fuit Opimiana. MVLTO *maturior, &c.* ȝ nos igitur non debemus eam orationem imitari, quam ipſe mutaſſet, ſi poſterius, & non tam uetus fuiſſet. Argumentum eſt a fictione, ut Fabius uocat.

CICERO

*D*EMOSTHENEM *igitur imitemur. O dij boni, quid quaſi nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? At non aßequimur. Iſti enim uidelicet Attici noſtri, quod uolunt, aſſequuntnr. Ne illud quidem intelligunt, non modo ita memoriae proditum eße, ſed ita neceſſe fuiße, cum Demoſthenes dicturus eſſet, ut concurſus, audiendi cauſſa, ex tota Graecia fierent. at, cum iſti Attici dicunt non modo a corona, quod eſt ipſum miſerabile, ſed etiam ab aduocatis relinquuntur. Quare, ſi, anguſte, & exſiliter dicere, eſt Atticorum: ſint ſane Attici, ſed in Comitium ueniãt, ad ſtantem iudicem dicant: ſubſellia grandiorem, & pleniorem uocem deſiderant.*

EXPLANATIO

DEMOSTHENEM *igitur* ҙ cum illos, quos ſupra dixi, imitari non debeamus. Quoniam, cum Demoſthenes ſit oratorum Atticorum facile princeps, hunc ſi quis imitetur, is Attice dicet, & optime. de opt. gen. Orat. O *dij boni* ҙ Atticorum, quos reprehendit, ſermo. AT *non aſſequimur* ҙ ſcilicet, Demoſthenem, iccirco illo dimiſſo, eos imitamur, quos aſſequi poſſe ſperamus. ISTI ҙ uerba ſunt Ciceronis. ATTICI *noſtri* ҙ ironia eſſe uidetur. Vel, Attici noſtri temporis, quorum ſermo imperitus increbuit. in Orat. & de opt. gen. Orat. QVOD *uolunt* ҙ quod probant, non quod eſt optimum, Tuſcul. 2. & in Oratore. PRODITVM *eße* ҙ a ueteribus, quos ipſe Cicero legerat. CONCVRSVS ҙ idem dicit de opt. gen. Orat. cuiuſmodi concurſus factus eſt, cum pro Cteſiphonte dixit. ISTI *Attici* ҙ iſti Attici noſtri, ut ſupra: uel, tui, Brute, Attici. AB *aduocatis* ҙ qui aut ius ſuggerant, aut amicis praeſentiam commodent, ut ait Aſconius. RELINQVVNTVR ҙ nam iſti Attici aut non adhibentur ad cauſſas, aut adhibiti deridentur. de opt. gen. Orat. Itaque iam conticuere, paene ab ipſo foro irriſi. Tuſcul. 2. ANGVSTE ҙ attenuate. EXSILITER ҙ ieiune. SINT ҙ permiſſio. IN *comitium* ҙ ubi minores cauſſae tractantur. Nam Comitium, locus eſt, quo coibant comitijs curiatis, quae minora erant, & litium cauſſa, ut ait Varro. AD *ſtantem iudicem* ҙ nimirum, ut eos tam exſiliter dicentes audiat. Alioqui ſedere iudices ſolent, unde conſeſſus, & ſubſellia iudicum dicuntur. Aut forte, cum in foro ſederent, in comitio ſtabant iudices.

PAVLLVS. MANVTIVS. QVID *quaſi nos aliud agimus?* ҙ malim; Quid, quaeſo, nos aliud agimus? eodemq. modo in Oratore legendum opinor: Quem, quaeſo, noſtrum fefellit, ita uos eſſe facturos? & epiſt. 1. lib. 5. ad Attic. Quid, quaeſo, iſtuc erat? & in epiſtola ad Hirtium, apud Nonium: Dicis, quid, quaeſo, iſtuc intererat? in oratione autem pro Roſcio Am. ita plane legitur: Quid, quaeſo, iſtuc intererat? Verba ſunt eadem, quae in epiſtola ad Hirtium: ut locus ex loco facile poſſit emendari.

CICERO

*V*OLO *hoc oratori contingat, ut, cum auditum ſit eum eße dicturum, locus in ſubſellijs occupetur, compleatur tribunal, gratioſi ſcribae ſint in dando & cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus: cum ſurgit is, qui dicturus ſit, ſignificetur a corona ſilentium, deinde crebrae aßenſiones, multae admirationes; riſus, cum uelit; cum uelit, fletus: ut, qui haec procul uideat, etiam ſi, quid agatur, neſciat, at placere tamen, & in ſcena eſſe Roſcium intelligat. Haec cui contingant, eum ſcito Attice dicere; ut de Pericle audiuimus, ut de Hyperide, ut de Aeſchine, de ipſo quidem Demoſthene maxime. Sin autem acutum, prudens, & idem ſincerum, & ſolidum, & exſiccatum genus orationis probant; nec illo grauiore ornatu oratorio utuntur; & hoc primum eße Atticorum uolunt: recte laudant. eſt enim in arte tanta, tamq. uaria, etiam huic minutae ſubtilitati locus. ita fiet, ut non omnes, qui Attice, ijdem bene, ſed ut omnes, qui bene, ijdem etiam Attice dicant. Sed redeamus rurſus ad Hortenſium. Sane quidem, inquit Brutus: quamquam iſta mihi tua fuit periucunda a propoſita oratione digreſſio.*

EXPLANATIO

VOLO *hoc oratori* ҙ Ex ſignis magnum deſcribit oratorem, & eſt illuſtris explanatio, quae enargia, & hypotypoſis Graece dicitur. Ciceroni illuſtratio, euidentia: & Cornificio, demonſtratio. IN *ſcena eſſe Roſcium* ҙ prouerbium, pro, in iudicio uerſari oratorem talem, qualis Roſcius hiſtrio in ſcena, id eſt, optimum. nam Roſcius conſecutus hoc erat, ut, in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. de Orat. lib. 1. PRVDENS ҙ non ineptum. in Orat. & ſupra. SINCERVM ҙ ſanum: unde Sanitatem ſupra dixit. SOLIDVM ҙ integrum: unde Integritatem ſupra. EXSICCATVM ҙ Siccitatem ſupra. NEC *illo grauiore* ҙ nec ornate, grauiter, & copioſe dicunt, quod eſt maxime proprium Atticorum. in Orat. ET *hoc* ҙ acutum, prudens &c. paullo ante. RECTE *laudant* ҙ non falluntur: errarent, ſi ſolum eſſe dicerent. in Or. IN *arte* ҙ dicendi, quae Rhetorica dicitur. Et obſerua, Artem appellari, cum tamen a principio dubitarit. TANTA ҙ ut quibus ex quinque rebus conſtare dicitur, eorum unaquaeque ſit ars ipſa magna per ſeſe, ut initio dixit. VARIA ҙ propter uarietatem cauſſarum, officia oratorum, genera dicendi, & id genus alia. LOCVS ҙ praeſertim in tenui dicendi genere. ITA *fiet* ҙ concludit diſputationem de Attico genere dicendi. in

quo

quo oſtendit, Bene, plus continere, quam Attice dicere. Itaque ut Lyſias, iſti certe poſſint ſummiſſe dicere, elate fortaſſe non poſſint. de opt. gen. Orat. At Demoſthenes utrumque poteſt. Is igitur uere Attice dixit. REDEAMVS *rurſus* ȝ ſupra, Sed redeamus ad eum, qui iam unus reſtat, Hortenſium: ex quo liquet, cur particulam Rurſus, hic apponat. Eſt igitur ad eandem rem reditus. DIGRESSIO ȝ ab Hortenſio, & Curione ad Caluum, & ad Atticos oratores.

C I C E R O

TVM Atticus, Aliquoties ſum, inquit, conatus, ſed interpellare nolui. nunc, quoniam ad perorandum ſpectare uidetur ſermo tuus, dicam, opinor, quod ſentio. Tu uero, inquam, Tite. Tum ille, Ego, inquit, ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuiße, qua ille in Platonis, & Xenophontis, & Aeſchinis libris utitur, facetam, & elegantem puto. eſt enim & minime inepti hominis, & eiuſdem etiam faceti, cum de ſapientia diſceptetur, hanc ſibi ipſum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam ſibi arrogant. ut apud Platonem Socrates in caelum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros; ſe autem omnium rerum inſcium fingit, & rudem. decet hoc neſcio quo modo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, aſſentior. ſed in hiſtoria, qua tu es uſus in omni ſermone, cum, qualis quiſque orator fuißet, exponeres, uide quaeſo, inquit, ne tam reprehendenda ſit ironia, quam in teſtimonio. Quorſum, inquam, iſtuc? non enim intelligo. Quia primum, inquit, ita laudauiſti quoſdam oratores, ut imperitos poſſes in errorem inducere. equidem in quibuſdam riſum uix tenebam, cum Attico Lyſiae Catonem noſtrum comparabas, magnum mehercule hominem, uel potius ſummum, & ſingularem uirum; nemo dicet ſecus; ſed oratorem, ſed etiam Lyſiae ſimilem, quo nihil poteſt eſſe pictius, bella ironia, ſi iocaremur; ſin aſſeueramus, uide ne religio nobis tam adhibenda ſit, quam ſi teſtimonium diceremus. ego enim Catonem tuum, ut ciuem, ut ſenatorem, ut imperatorem, ut uirum denique cum prudentia, & diligentia, tum omni uirtute excellentem probo: orationes autem eius, ut illis temporibus, ualde laudo: ſignificant enim quandam formam ingenij, ſed admodum impolitam, & plane rudem. Origines uero cum omnibus oratorijs laudibus refertas diceres, & Catonem cum Philiſto, & Thucydide compares, Bruto ne id cenſebas, an mihi probaturum? quos enim ne e Graecis quidem quiſquam imitari poteſt, ijs tu comparas hominem Tuſculanum, nondum ſuſpicantem, quale eſſet copioſe, & ornate dicere? Galbam laudes: ſi, ut illius aetatis principem; aßentior: ſic enim accepimus: ſin, ut oratorem; cedo, quaeſo, orationes; (ſunt enim) & dic hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum, uelle te illo modo dicere.

E X P L A N A T I O

TVM *Atticus* ȝ ut quaſi epilogum faciat, & rem dubiam relinquat, ne Cicero, qui ſit Academicus, quidquam affirmare uideatur. TV *uero Tite* ȝ Pomponi Attice, dic. Aliter, Attice, pro Tite, legitur. IRONIAM ȝ diſſimulationem, ſic ut aliud diceret, atque ſentiret. Acad. 2. IN *Socrate* ȝ cuius uitam, & mores Plato, Xenophon, & Laertius ſcribunt. DICVNT ȝ ferunt, qui melius hoc norunt. lib. 2. de Orat. Off. lib. 1. AESCHINIS ȝ Socratici philoſophi. lib. 2. de Inuent. nequis putet oratorem fuiſſe. PVTO ȝ ut Caeſar etiam lib. 2. de Orat. putat. Ariſtoteles tamen, atque eius interpres Euſtratius lib. 2. Ethicorum dubitant. ILLVDENTEM ȝ unde Fabius ironiam, Illuſionem interpretatur. ARROGANT. ȝ utpote arrogantes, quos ἀλαζόνας Graeci uocant. INSCIVM ȝ Socrates enim in omnibus fere ſermonibus, qui ab iis, qui illum audierunt, perſcripti uarie, copioſeq. ſunt, ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe, refellat alios: nihil ſe ſcire dicat, niſi idipſum. lib. 1. Acad. REPREHENDIT ȝ nec Ariſtoteles in Ethicis, & lib. 3. Rhet. laudat. HISTORIA ȝ cuius prima lex eſt, nequid falſi dicere audeat: deinde, ne quid ueri non audeat. lib. 2. de Orat. IN *teſtimonio* ȝ in quo religio ſit adhibenda. paullo poſt. PRIMVM ȝ aliter, Primus. PICTIVS ȝ Cum ſit uenuſtiſſimus ipſe ſcriptor, ac politiſſimus Lyſias. in Oratore. SI *iocaremur* ȝ in iocis enim probatur ironia. 2. de Orat. CATONEM ȝ Cenſorium. TVVM ȝ qui ſemper tibi eſt in ore. VT *ciuem &c.* ȝ haec tria tribuit illi Plinius, ut alibi diximus. ORATORII ȝ aliter, Oratoris. LAVDIBVS ȝ uirtutibus. ſupra. HOMINEM *Tuſculanum* ȝ M. Catonem Tuſculi quidem natum, ſed in populi Romani ciuitatem ſuſceptum. de Leg. lib. 2. SVSPICANTEM ȝ nedum ſcientem. PRINCIPEM ȝ uirum, non oratorem. DIC ȝ ut ſupra dixiſti. & eſt licentia oratoria.

C I C E R O

PROBAS Lepidi orationes. paullum hic tibi aßentior, modo ita laudes, ut antiquas: quod item de Africano, de Laelio, cuius tu oratione negas fieri quidquam poſſe dulcius: addis etiam neſcio quid auguſtius: nomine nos capis ſummi uiri, uitaeq. elegantiſſimae ueriſſimis laudibus. remoue haec: nae iſta dulcis oratio ita ſit abiecta, ut eam adſpicere nemo uelit. Carbonem in ſummis oratoribus habitum ſcio: ſed, cum in ceteris rebus, tum in dicendo ſemper, cum nihil eſt melius, id laudari, qualecumque eſt, ſolet. Dico idem de Gracchis; etſi de eis ea ſunt a te dicta, quibus ego aſſentior. Omitto ceteros; uenio ad eos, in quibus iam perfectam putas eſſe eloquentiam, quos ego audiui, ſine controuerſia magnos oratores,

oratores, Craſſum, & Antonium. de horum laudibus tibi prorſus aſſentior, ſed tamen non iſto modo, ut Polycleti Doryphorum ſibi Lyſippus aiebat, ſic tu ſuaſionem legis Seruiliae tibi magiſtram fuiſſe. haec germana ironia eſt: cur ita ſentiam, non dicam; ne me tibi aſſentari putes. Omitto igitur, quae de his ipſis, quae de Cotta, quae de Sulpicio, quae modo de Coelio dixeris: hi enim fuerunt certe oratores: quanti autem, & quales, tu uideris. Nam illud minus curo, quod congeſſiſti operarios omnes, ut mihi uideantur mori uoluiſſe non nulli, ut a te in oratorum numerum referrentur.

EXPLANATIO

LEPIDI ʒ M. Aemilij Lepidi Porcinae. ſupra. ASSENTIOR ʒ quia fuit ſcriptor ſane bonus. ſupra. ORATIONEM ʒ de collegijs. ſupra. NOS *capis* ʒ ita, ut omnia, quae dicis, uera credamus. ISTA *dulcis* ʒ in reprehendenda ironia, iron eſt Atticus. ADSPICERE ʒ deminutio, nedum legere & imitari. CARBONEM ʒ C. Carbonem, quem ſupra cum Tib. Graccho coniunxit. SED *cum in ceteris* ʒ ſententia, Laudari etiam quae non ſunt tam bona, cum nihil eſt melius. DE *Gracchis* ʒ Tib. & Caio fratribus. PVTAS ʒ cum dicis, te ſic exiſtimare, hos oratores fuiſſe maximos, & in his primum cum Graecorum gloria, Latine dicendi copiam aequatam. ſupra. QVOS *ego audiui* ʒ ut tu quoque puer. lib. 2. de Or. DORYPHORVM ʒ ſtatua Polycleti: & Doryphori ſtatuam, dicit in Oratore. Erat autem puer haſtam ferens, unde etiam nomen. De illo autem hic loquitur, quem Canona artifices uocabant, lineamenta artis ex eo, uelut a lege quadam petentes. Plin. lib. 34. cap. 8. LYSIPPVS ʒ ab hoc fingi ſolo, ut ab Apelle pingi uoluit Alexander Magnus. epiſt. 13. lib. 5. Famil. GERMANA ʒ mera, uera, ipſa, prorſus. TIBI *aſſentari* ʒ dicerem enim te L. Craſſo longe praeferendum eſſe, tantum abfuit, ut eius oratio tibi magiſtra fuerit. Id cum ſit, & tibi magiſtram fuiſſe dicas, oſtendis te prorſus εἰρωνικῶς loqui. OPERARIOS *omnes* ʒ qui auſi aliquando ſunt ſtantes loqui. ſupra. MORI *uoluiſſe* ʒ grauis eſt iocus, & ad Ciceronis commendationem plurimum faciens. quaſi tanti referat a Cicerone laudari, ut mors eius rei cauſſa optanda ſit.

CICERO

HAEC *cum ille dixiſſet, Longi ſermonis initium detuliſti, inquam, Attice, remq. commouiſti noua diſputatione dignam; quam in aliud tempus differamus. uoluendi enim ſunt libri cum aliorum, tum in primis Catonis: intelliges nihil illius lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quae inuenta nondum erant, florem, & colorem defuiſſe. Nam de Craſſi oratione ſic exiſtimo, ipſum fortaſſe melius potuiſſe ſcribere, aliũ, ut arbitror, neminem. Nec in hoc ironiam duxeris eſſe, quod eam orationem mihi magiſtram fuiſſe dixerim. nam, etſi tu melius exiſtimare uideris de ea, ſi quam nunc habemus, facultate: tamen adoleſcentes, quid in Latinis potius imitaremur, non habebamus. Quod autem plures a nobis nominati ſunt, eo pertinuit, ut paullo ante dixi, quod intelligi uolui, in eo, cuius omnes cupidiſſimi eſſent, quam pauci digni nomine euaderent. quare εἴρωνα me, ne ſi Africanus quidem fuit, ut ait in hiſtoria ſua C. Fannius, exiſtimari uelim. Vt uoles, inquit Atticus: ego enim non alienum a te putabam, quod & in Africano fuiſſet, & in Socrate. Tum Brutus, De iſto poſtea, ſed tu (inquit, me intuens) orationes nobis ueteres explicabis? Vero, inquam, Brute, ſed in Cumano, aut in Tuſculano aliquando, ſi modo licebit: quoniam utroque in loco uicini ſumus.*

EXPLANATIO

HAEC *cum dixiſſet* ʒ reſpondet ad Attici reprehenſionem. DEPVLISTI ʒ Detuliſti, uerius, ut ſequentia probant. VOLVENDI *enim* ʒ quare ſit res digna diſputatione, ut probetur quod dixit, Veterum orationes legendas eſſe. LINEAMENTIS ʒ a pictoribus, & ſtatuarijs tranſlatio, quibuſcum M. Catonem etiam ſupra comparauit. PIGMENTORVM ʒ exornationum, quibus oratores, ut pigmentis pictores, utuntur; ut Epiſt. 1. lib. 2. Att. INVENTA *nondum erant* ʒ modo enim huc iſta ſunt importata. Antonius lib. 2. de Orat. COLOREM ʒ pigmentorum colorem dicit, quaſi pigmentorum, id eſt, colorum ſplendorem. niſi pigmentum quaſi genus eſſe dicamus; colorem uero, quaſi ſpeciem. Nam & Plin. lib. 33. cap. 13. ſcribit pigmentum quoddam in quattuor colores mutari. CRASSI *oratione* ʒ ſuaſione legis Seruiliae. DVXERIS ʒ aliter, Dixeris. NAM ʒ probat Ironiam non eſſe dicendam. MELIVS ʒ quam de Craſſi facultate, cum dicere, cur ita ſentias, nolis, ne te mihi aſſentari putem. POTIVS ʒ melius, quam L. Craſſi orationem. Itaque uere, non εἰρωνικῶς diximus, eam nobis magiſtram fuiſſe. PLVRES ʒ etiam operarij, ut tu uocas. PAVLLO *ante* ʒ poſt Q. Arrium, & M. Seruilium. INTELLIGI ʒ perſpici. ſupra. OMNES ʒ praeſertim qui dicere auderent. ſupra. DIGNI *nomine* ʒ nomen haberent. ſupra. εἴρωνα ʒ irona, ſimulatorem. libro de Offic. primo. AFRICANVS ʒ P. Scipio Africanus minor. ſupra FVIT ʒ εἴρων, ut eum uerbo Graeco Fannius uocauit. lib. 2. de Oratore. AIT ʒ ut etiam uidere licet lib. 2. Acad. & lib. 2. de Orat. IN *hiſtoria ſua* ʒ in Annalibus ſuis. lib. 2. de Orat. C. *Fannius* ʒ de quo ſupra ſatis. EXISTIMARI *uelim* ʒ in hiſtoria praeſertim: nam alibi ſaepe irona Ciceronem agnoſces. IN *Africano* ʒ Vim haec habent exempli, ut non debeat aegre ferre Cicero, ſi tantis uiris in eo comparatur. VERO, *inquam* ʒ affirmantis eſt. Aliter, Ego uero. & rectius. IN *Cumano* ʒ epiſt. 9. lib. 4. & epiſt. 10. & 18. lib. 14. ad Atticum. In

Tuſculano, praedia, & uillae fuere, in eorum municipiorum agris ſitae. Et de Tuſculano, a quo Tuſculanae quaeſtiones ſiue diſputationes ſunt appellatae, lib.4. Attic. epiſt.2. Vicini *ſumus* ʒ epiſt.30. lib.12.& epiſt.6. lib.13. ad Atticum.

C I C E R O

Sed iam ad id, unde digreſſi ſumus, reuertamur. Hortenſius igitur, cum admodum adoleſcens orſus eſſet in foro dicere, celeriter ad maiores cauſſas adhiberi coeptus eſt: quamquam inciderat in Cottae, & Sulpicij aetatem, qui annis decem maiores, excellente tum Craſſo, & Antonio, deinde Philippo, poſt Iulio, cum ijs ipſis dicendi gloria comparabatur. primum memoria tanta, quantam in nullo cognouiſſe me arbitror, ut, quae ſecum commentatus eßet, ea ſine ſcripto uerbis eiſdem redderet, quibus cogitauißet. hoc adiumento ille tanto ſic utebatur, ut ſua & commentata, & ſcripta, & , nullo referente, omnia aduerſariorum dicta meminiſſet. ardebat autem cupiditate ſic, ut in nullo umquam flagrantius ſtudium uiderim. nullum enim patiebatur eſſe diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum; ſaepiſſime autem eodem die utrumque faciebat: attuleratq. minime uulgare genus dicendi, duas quidem res, quas nemo alius, partitiones, quibus de rebus dicturus eßet, & collectiones, memor & quae eßent dicta contra, quaeq. ipſe dixißet. erat in uerborum ſplendore elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus: eaq. erat cum ſummo ingenio, tum exercitationibus maximis conſecutus. rem complectebatur memoriter, diuidebat acute, nec praetermittebat fere quidquam, quo eßet in caußa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum: uox canora, & ſuauis: motus & geſtus etiam plus artis habebat, quam erat oratori ſatis.

E X P L A N A T I O

Sed *iam ad id* ʒ iam tertio ad id reuertitur, quod in ſermonibus ſolet fieri, ſubinde aliquo interpellante. Admodvm *adol.* ʒ undeuiginti annos natus. ſupra. Orsvs *eſſet* ʒ L. Craſſo, Q. Scaeuola coſ. ſupra. Celeriter ʒ eodem anno. lib.3. de Orat. Maiores *caußas* ʒ ut Africae, & Bithyniae regis cauſſas, de Orat.3. Inciderat ʒ ita ut illorum quaſi ſuccreſceret aetati. lib.3. de Orat. Maiores ʒ Hortenſio. Excellente ʒ uiuo, dixit ſupra. Comparabátvr ʒ quibus Hortenſium tanto minorem praecurrere, uix honeſtum Craſſus putabat. lib.3. de Oratore. Memoria ʒ de Hortenſij memoria uide Acad. lib.2. Tuſc.1. & lib.3. de Orat. Seneca uero in prooemio Controuerſiarum ita ſcribit: Hortenſius a Siſenna prouocatus, in auctione perſedit diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores ordine ſuo recenſuit, argentarijs recognoſcentibus, ita ut in nullo falleretur. Qvantam *in ullo* ʒ alias, In uiro. Forte In nullo, uel, Quanta nullum. Redderet ʒ referret, ut libro 10. Fabius ait. Cvpiditate ʒ alij gloriae, ego eloquentiae, ſiue dicendi interpretor. Nvllvm *enim* ʒ nullum tempus illi umquam uacabat, aut a forenſi dictione, aut a commentatione domeſtica, ſupra de Piſone genero. Genvs *dicendi* ʒ Aſiaticum. infra. Qvas *nemo alius* ʒ attulerant quidem, ſed non tam perfectas, ut Quinctil. lib.4. cap.5. uidetur innuere. Has tamen partitiones ſaepe irriſit Cicero, ut in oratione pro Quinctio. Partitiones ʒ διαίρεσιν Plato in Phaedro uocat. Collectiones ʒ συναγωγὰς Plato in Phaedro, & Cic. epiſt.15. lib.9. Attic. Facvl. *copioſus* ʒ nam fuit in Hortenſio ſumma copia, ac ſingularis facultas dicendi, pro lege Manilia. Svmmo *ingenio* ʒ ita, ut ei nihil a natura deeſſet. de Orat.3. Addit ibidem, Nihil ei a doctrina defuiſſe. Vide Varronem de Analogia, & Plutarchi Lucullum. Gestvs ʒ conſtat enim Aeſopum, Roſciumq. ludicrae artis peritiſſimos, illo cauſſas agente, in corona frequenter adſtitiſſe, ut foro petitos geſtus in ſcenam referrent. Val. Max. lib.8. cap.10. Hinc L. Torquatus illum Dionyſiam uocauit, cui quid reſponderit, uide apud Gell. lib.1. cap.5. Hoc etiam ei uitio dedit Cicero Verr.5.

C I C E R O

Hoc igitur floreſcente Craßus eſt mortuus, Cotta pulſus, iudicia intermißa bello, nos in forum uenimus. erat Hortenſius in bello primo anno miles, altero tribunus militum: Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius: exercebatur una lege iudicium Varia, ceteris propter bellum intermißis: qui frequentes aderant, (quamquam pro ſe ipſi dicebant) oratores non illi quidem principes, L. Memmius, & Q. Pompeius, ſed oratores tamen teſte diſerto uterque Philippo, cuius in teſtimonio contentio & uim accuſatoris habebat, & copiam. reliqui, qui tum principes numerabantur, in magiſtratibus erant, quotidieq. fere a nobis in concionibus audiebantur. erat enim tribunus pl. tum C. Curio: quamquam is quidem ſilebat, ut erat ſemel a concione uniuerſa relictus: Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, ſed tamen non infans: diſerti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius; & hi quidem habitabant in Roſtris. C. etiam Iulius, aedilis curulis, quotidie fere accuratas conciones habebat. ſed me cupidiſſimum audiendi primus dolor percußit, Cotta cum eſt expulſus. reliquos frequenter audiens, acerrimo ſtudio tenebar; quotidieq. & ſcribens, & legens, & commentans, oratorijs tamen exercitationibus contentus non eram.

EXPLANATIO

HOc *igitur floreſcente* ʒ XXIII. annum agente. PVLSVS ʒ paucis enim diebus poſt mortem L. Craſſi depulſus per inuidiam tribunatu, non multis ab eo tempore menſibus eiectus eſt e ciuitate, ut lib. 3. de Orat. dicitur: quem Rutilia mater eſt ſecuta, ut ſupra retulimus. IVDICIA *intermiſſa* ʒ ſenatus enim decreuit, ne iudicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur, ait Aſcon. BELLO ʒ quod a ſcriptoribus Sociale, Italicum, Latinum, & Marſicum uocatur: uide Florum lib. 3. cap. 18. VENIMVS ʒ audituri tamen, non dicturi. Tunc enim Cicero circiter annos ſexdecim natus erat. PRIMO *anno* ʒ quo bellum hoc coeptum eſt. LEGATVS *aberat* ʒ in Marrucinos profectus, ut Liu. lib. 76. Et quidem Pompeij legatus, ut Oroſius lib. 5. cap. 8. ſcribit. ETIAM *M. Ant.* ʒ de hoc uide Tuſculana 2. LEGE *iud. Varia* ʒ quam Q. Varius trib. pleb. tulerat, ut quaereretur de ijs, quorum opera conſilioue ſocij contra pop. Rom. arma ſumpſiſſent: qua lege, & ipſe Q. Varius damnatus eſt, ut Val. Max. ſcribit. Q. *Pompeius* ʒ cognomento Rufus. ſupra. PRINCIPES ʒ oratores. TVNC ʒ L. Caeſare, P. Rutilio cos. C. *Curio* ʒ pater. ſupra. C. *Carbo* ʒ illius eloquentiſſimi uiri filius. IN *roſtris* ʒ ut tribuni pleb. ſolent: uel, ut concionentur ipſi: uel, ut alios audiant. AVDIENS ʒ genera exercitationum fere attinguntur, audire, ſcribere, legere, commentari. SCRIBENS ʒ ut iam tum ſcirem, caput eſſe, quam plurimum ſcribere. de Orat. lib. 1. LEGENS ʒ nam Oratori legendi ſunt poetae, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores, ac doctores, & legendi, & peruolutandi, & exercitationis cauſſa, laudandi, interpretandi, corrigendi, uituperandi, refellendi. lib. 1. de Orat. COMMENTANS ʒ primum quidem, ut aut uerſibus propoſitis, quam maxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam quam legiſſem, uerbis alijs quam maxime poſſem lectis, pronunciarem: deinde ſecutus ſum, quod magis placuit, ut ſummorum oratorum Graecas orationes explicarem. lib. 1. de Orat. ORATORIIS ʒ id eſt, declamationibus contentus non eram, ſed audiebam etiam, ſcribebam, legebam, commentabar.

CICERO

IAm, conſequente anno Q. Varius ſua lege damnatus exceſſerat. Ego autem iuris ciuilis ſtudio multum operae dabam Q. Scaeuolae P.F. qui quamquam nemini ſe ad docendum dabat, tamen, conſulentibus reſpondendo, ſtudioſos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla conſule et Pompeio fuit. tum P. Sulpicij, in tribunatu quotidie concionantis, totum genus dicendi penitus cognouimus. Eodemq. tempore cum princeps Academiae Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romamq. ueniſſet; totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philoſophiam ſtudio concitatus: in quo hoc etiam commorabar attentius; etſi rerum ipſarum uarietas, & magnitudo ſumma me delectatione retinebat; ſed tamen ſublata iam eſſe in perpetuum ratio iudiciorum uidebatur. occiderat Sulpicius illo anno; tresq. proximo trium aetatum oratores erant crudeliſſime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius. Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam, & actori ſummo cauſſarum, & magiſtro.

EXPLANATIO

Q. VARIVS *ſua lege* ʒ lege Varia de maieſtate. de qua paullo ante. IVRIS *ciuilis* ʒ cuius tantum ſcire uolui, quantum ſatis eſſet oratori. ſupra. Q. *Scaeuolae P.F.* ʒ pontifici. nam pater augur fuerat. Vtrumque tamen Cicero audiuit. ut in Laelio ſtatim initio teſtatur. HVIC *anno* ʒ tertio, ex quo in forum uenimus. ſupra. PROXIMVS ʒ quartus L. Corn. Sulla, & Q. Pompeio Rufo cos. ab urbe cond. 666. Quod autem praeter morem copula interpoſita, & Pompeio, dixit, ſignificare uoluit, Pompeiũ ab altero cos. ſeparatum eſſe: nam interfectus fuit. Alia ratione diximus, eodem modo Caepionem, & Laelium dixiſſe. CONCIONANTIS ʒ ut leges ſuas perferret. Liuius lib. 77. TOTVM ʒ uehemens, & graue, quale in Sulpicio erat. Vel, cum antea alios tenues, alios mediocres audiuiſſem, hoc audito totum dicendi genus cognoui. PRINCEPS *Academiae* ʒ qui primum locum in Academia Platonis teneret, quemq. L. Craſſus in Academia maxime uigere audiebat. lib. 3. de Orat. Vide etiam Academ. ſecundo. MITHRIDATICO *bello* ʒ quod per quadraginta annos geſtum eſt, donec tribus ingentibus bellis ſubactus felicitate Sullae, uirtute Luculli, magnitudine Pompeij conſumeretur. Florus lib. 2. DOMO ʒ Athenis, quas Archelaus Mithridatis praefectus illis temporibus occupauit. Liu. 78. TOTVM *ei me tradidi* ʒ eum frequenter audiui. Tuſc. 2. VARIETAS, *& magnit.* ʒ uarietas in eo primum eſt, quod eſt philoſophandi ratio triplex: deinde, quod in ſingulis, loci innumerabiles ſunt. Magnitudo in uitae, & morum praeceptis cernitur: itemq. in rerum cauſſis inueſtigandis, & uero, & falſo dignoſcendo. lib. 2. Acad. ut alios locos omittam. DELECTATIONE ʒ quia in rerum uarietate, & grauitate, ſumma eſt delectatio. Vide prooemium 2. lib. Offic. OCCIDERAT *Sulp.* ʒ occiſus fuerat, mortuus erat. PROXIMO ʒ qui fuit quinctus, L. Cor. Cinna, & Cn. Octauio cos. MOLONI ʒ Apollonio Moloni, quamquam Strabo lib. 14. Apollonium a Molone diſtinguit, duosq. facit. Cicero quidem & Val. Max. Molonem ſemper appellant, ita ut Apollonius alter a Molone eſſe uideatur. RHODIO ʒ quod Rhodi uixerit, & docuerit, alioqui patria fuit Alabandenſis, & Apollonius quoque. ROMAE ʒ quo & ipſe

forte a Rhodiis miſſus legatus uenerat. ACTORI *ſummo* ʒ Oratori, & Rhetori: praeclarum Sophiſtam appellat Plutarchus in Caeſare, Rhetorem Val. Max. Clariſſimum dicendi magiſtrum. Sueton.

C I C E R O

HAEC etſi uidentur eſſe a propoſita ratione diuerſa, tamen iccirco a me proferuntur, ut noſtrum curſum perſpicere, quoniam uoluiſti, Brute poſſis, (nam Attico haec nota ſunt) & uidere quemadmodum ſimus in ſpatio Q. Hortenſium ipſius ueſtigijs perſecuti. Triennium fere fuit urbs ſine armis: ſed, oratorum aut interitu, aut diſceſſu, aut fuga, (nam aberant etiam adoleſcentes M. Craſſus, & Lentuli duo) primas in cauſſis agebat Hortenſius, magis magisq. quotidie probabatur. Antiſtius Piſo ſaepe dicebat, minus ſaepe Pomponius, raro Carbo, ſemel aut iterum Philippus. At uero ego hoc tempore omni noctes & dies in omniū doctrinarum meditatione uerſabar. eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitauißet apud me, mecumq. uixiſſet, nuper eſt domi meae mortuus. a quo cum in alijs rebus, tum ſtudioſiſſime in dialectica exercebar, quae quaſi contracta & adſtricta eloquētia putanda eſt: ſine qua, etiam tu Brute iudicauiſti, te illam iuſtam eloquentiam, quam dialecticā dilatatam eſſe putant, conſequi non poße. huic ego doctori, & eius artibus uarijs atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratorijs nullus dies uacuus eſſet.

E X P L A N A T I O

HAEC, *etſi uidentur* ʒ excuſat, quod de ſe dicit, ne inepte facere uideatur. QVONIAM *uoluiſti* ʒ ſupra, Gradus tuos, & quaſi proceſſus dicendi ſtudeo cognoſcere. ATTICO ʒ qui mecum a condiſcipulatu coniunctiſſime uixerit. Corn. Nepos in Attici uita. PERSECVTI ʒ Dichoreus, in loco. SINE *armis* ʒ Sulla bellum Mithridaticum gerente, & Marianis remp. tenentibus. INTERITV ʒ ut Catuli, Antonij, C. Iulij. paullo ante. DISCESSV ʒ C. Cottae, & C. Curionis. FVGA ʒ M. Craſſi, qui in Hiſpaniam fugerat. LENTVLI *duo* ʒ Publius, & Cnaeus. PRIMAS ʒ primas partes: princeps oratorum erat. STOICO *Diodoto* ʒ alij Diodoro, ſed male. de quo epiſt. 17. lib. 13. Fam. lib. 2. Acad. & Tuſcul. 5. Hic caecus multos annos uixit: & tamen in philoſophia multo etiam magis, quam antea uerſabatur: & fidibus Pythagoreorum more utebatur: cumq. ei libri noctes, & dies legerentur, quibus in ſtudiis oculis non egebat, tamen, quod ſine oculis fieri poſſe uix uidetur, Geometriae munus tuebatur, uerbis praecipiens diſcentibus, unde, quo, quamq. lineam ſcriberent. Tuſc. 5. NVPER ʒ quindecim ante annis, Caeſare, & Bibulo cos. epiſt. 20. lib. 2. Att. Hic Ciceroni reliquit HS. fortaſſe centies. ibidem. QVASI *contracta* ʒ Ariſtoteles enim principio artis Rhetoricae dicit, illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticae, ut hoc uidelicet differant inter ſe, quod haec ratio latior ſit, illa loquendi contractior. in Oratore, & lib. 1. de Leg. IVSTAM *eloq.* ʒ ſic iuſtam uictoriam, iuſtam uxorem, pro uera, legitima, & perfecta dicunt. ARTIBVS *uarijs* ʒ ut Philoſophiae, Muſicae, Geometriae. Tuſcul. 5. &, Multis, addidit, quoniam poſſunt eſſe multae, nec tamen uariae. NVLLVS *dies uacuus eſſet* ʒ nulla dies ſine linea. Item hic dicit, quod ſupra de C. Piſone genero, & de Hortenſio dixit.

C I C E R O

COMMENTABAR declamitans (ſic enim nunc loquuntur) ſaepe cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie: idq. faciebam multum etiam Latine, ſed Graece ſaepius: uel quod Graeca oratio, plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi afferebat: uel quod a Graecis, ſummis doctoribus, niſi Graece dicerem, neque corrigi poßem, neque doceri. Tumultus interim pro recuperanda republica, & crudelis interitus oratorum trium, Scaeuolae, Carbonis. Antiſtij: reditus Cottae, Curionis, Craſſi, Lentulorum, Pompeij: leges & iudicia conſtituta, recuperata reſpubl. ex numero autem oratorum Pomponius, Cenſorinus, Murena ſublati. Tum primum nos ad cauſſas, & priuatas, & publicas adire coepimus, non ut in foro diſceremus, quod plerique fecerunt, ſed ut, quantum nos efficere potuißemus, docti in forum ueniremus. Eodem tempore Moloni dedimus operam. dictatore enim Sulla legatus ad ſenatum de Rhodiorum praemijs uenerat. itaque prima cauſſa publica, pro Sex. Roſcio dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla eßet, quae non noſtro digna patrocinio uideretur. deinceps inde multae; quas non minus diligenter elaboratas, & tamquam elucubratas afferebamus.

E X P L A N A T I O

DECLAMITANS *ſic enim nunc loquuntur* ʒ nam Declamare, & Declamatio, apud nullum auctorem antiquum ante ipſum Ciceronem, & Caluum, inueniri poteſt. ut ait Seneca in prooemio lib. 1. Controuerſiarum. SED *Graece ſaepius* ʒ ſic enim Graece Cicero loquebatur, ut olim Molo gemuerit in eo Graeciam a Cicerone uictam eſſe. ut Plutar. in Cicerone ſcribit. In ſenatu certe Syracuſano Graece locutus eſt. Verr. 6. & librum de Conſulatu ſuo, praeter alia, Graece ſcripſit. ut lib. 1. & 2. ad Att. teſtatur. VEL *quod* ʒ cauſſas affert, cur ſaepius Graece declamitaret. NEQVE *corrigi* ʒ quod illi Latine neſcirent. PRO *recuperanda* ʒ

per

per Sullam a Marianis. ut ait Paterculus. Scaevolae} Q. Mucij Scaeuolae pontificis. ſupra. Constituta} a L. Sullã, qui & pacis conſtituendae rationem, & belli gerendi poteſtatem ſolus habuit. Cic. pro Sex. Roſc. & Plutarc. in uita Sullae. Sublati} a Sulla, tamquam Mariani. Tum} L. Sulla dictatore. inf. Moloni *ded. op.*} iterum. De *Rhodiorum praemijs*} ut peteret a ſenatu praemia Rhodiis, qui bello Mithridatico pro Romanis fortiter ſteterant. ut Paterculus, & Eutropius referunt. Prima *cauſſa publica*} ideſt, de crimine aliquo: nam priuatas egerat. Sunt, qui putent Quinctianam cauſſam ante Roſcianam fuiſſe. ut Gellius, & Euſebius: ſed falluntur. ut Sebaſt. Corradus in Quaeſtura docet. Tantum *commendationis*} magnis enim clamoribus illa de ſupplicio parricidarum dixit. ut in Orat. & apud Fabium lib. 12. cap. 6. legitur. Deinceps *inde*} in principio huius Dialogi, poſtea deinceps, quorum alterum ſignificat ordinem, alterum tempus. ut Graecis ἑξῆς, εἶτα. Et *tamquam*} aliter, Etiamq.

CICERO

Nunc, quoniam totum me non naeuo aliquo, aut crepundijs, ſed corpore omni uideris uelle cognoſcere, complectar nonnulla etiam, quae fortaſſe uideantur minus neceſſaria. Erat eo tempore in nobis ſumma gracilitas, & infirmitas corporis, procerum, & tenue collum: qui habitus, & quae figura non procul abeſſe putatur a uitae periculo, ſi accedit labor, & laterum magna contentio. eoq. magis hoc eos, quibus eram carus, commouebat; quod omnia ſine remiſſione, ſine uarietate, ui ſumma uocis, & totius corporis contentione dicebam. Itaque, cum me & amici, & medici hortarentur, ut cauſſas agere deſiſterem; quoduis potius periculum mihi adeundum, quam a ſperata dicendi gloria diſcedendum, putaui. ſed, cum cenſerem, remiſſione, & moderatione uocis, & commutato genere dicendi, me & periculum uitare poſſe, & temperatius dicere; ut conſuetudinem dicendi mutarem, ea cauſſa mihi in Aſiam proficiſcendi fuit. itaque, cum eſſem biennium uerſatus in cauſſis, & iam in foro celebratum meum nomen eſſet, Roma ſum profectus. Cum ueniſſem Athenas, ſex menſes cum Antiocho, ueteris Academiae nobiliſſimo, & prudentiſſimo philoſopho, fui; ſtudiumq. philoſophiae, numquam intermiſſum, a primaq. adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſus ſummo auctore, & doctore renouaui. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, ueterem, & non ignobilem dicendi magiſtrum, ſtudioſe exerceri ſolebam. Poſtea a me Aſia tota peragrata eſt, cum ſummis quidem oratoribus, quibuſcum exercebar ipſis lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicenſis, meo iudicio tota Aſia illis temporibus diſertiſſimus: & ſi, nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum, Atticorum eſt, hic orator in illis numerari recte poteſt. Aſſiduiſſime autem mecum fuit Dionyſius Magnes: erat etiam Aeſchylus Gnidius, Adramitenus Xenocles. hi tum in Aſia rhetorum principes numerabantur.

EXPLANATIO

Nunc, *quoniam*} crebris excuſationibus arrogantiae, & ineptiarum ſuſpicionem uitat. Naevo} prouerbium eſt, E naeuo cognoſcere. Eſt autem e fabulis ſumptum, in quibus hominum cognitio fit multis modis, uel aliquo naeuo, uel crepundiis. ut hic Cicero, ut in Comoediis uidere licet. Gracilitas, *& infir.*} gracile corpus infirmum eſt. ut Celſus lib. 2. cap. 1. ait, ut intelligas hic infirmitatem gracilitati exponendi cauſſa, additam eſſe. De Gracilitatis autem cauſſis, ac remediis Galenus de ſanit. tuenda lib. 6. in Prognoſticis, & aliis. Procerum, *& tenue collum*} imbecillitatis, & timiditatis ſignum eſſe. teſtatur Ariſtoteles in Phyſiognomicis. Putatur} a medicis, ut ab Hippocrate. Si *accedit labor*} tenuis habitus corporis, magnos ferre ſine periculo labores non poteſt. Et *cauſſa*} non igitur ob Sullae metum. quod Plutarc. ait. Antiocho} Aſcalonita. de quo, praeter Ciceronem in Philoſophicis, Plutarchus in Cicerone, & Strabo lib. 16. ſcribunt. Veteris *Achademiae*} fuit enim Vetus, & Noua, ut uidere licet in multis Ciceronis locis, praeſertim uero in Academicis Quaeſtionibus. Nouae Arceſilas magiſter. Nobilissimo, *& prudentiſſ.*} politiſſimum, & acutiſſimum uocat lib. 2. Acad. Cultum} ut ſupra dixit, de Philone, & Diodoto praeceptoribus ſuis. Eodem *tempore*} iiſdem ſex menſibus. Demetrium *Syrum*} legitur etiam Syrium. Dicendi *magiſtrum*} Rhetorem. Post} poſt ſex illos menſes. Asia *tota peragrata*} hinc Aſianum quidam Ciceronem uocabant. teſte Fabio, & Corn. Tacito de Orat. & Gellius libro 17. cap. 1. Menippus} Menippus Catocas. ut Strabo lib. 14. uocat. Stratonicensis} ex Stratonice, quae urbs eſt Cariae, Straboni, & Plinio. Molestiarum, *nec ineptiarum*} nec odioſe, nec inepte dicere. ſupra. Assiduissime} uox hac forma, raritate notanda. Dionysius *Magnes*} ex Magneſia urbe Aeolica, ſiue ex populis, qui Magnetes appellantur. uide Strab. lib. 14. Aeschylus} hunc omiſit Plut. Xenocles} hic & pugil, & orator fuit, ut Strabo teſtatur.

CICERO

Quibus non contentus, Rhodum ueni, meq. ad eundem, quem Romae audiueram, Molonem applicaui, cum actorem in ueris cauſſis, ſcriptoremq. praeſtantem, tum in notandis, animaduertendisq. uitijs, & inſtituendo, docendoq. prudentiſſimum, is dedit operam, ſi modo id conſequi potuit,

ut

ut nimis redundantes nos, & ſuperfluentes iuuenili quadam dicendi impunitate, & licentia, reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentes coerceret. ita recepi me biennio poſt, non modo exercitatior, ſed prope mutatus. nam & contentio nimia uocis reciderat, & quaſi deferuerat oratio, lateribusq. uires, & corpori mediocris habitus acceſſerat. Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta, & Hortenſius: quorum alter remiſſus, & lenis, & proprijs uerbis comprehendens ſolute, & facile ſententiam; alter ornatus, acer, & non talis, qualem tu eum, Brute, iam defloreſcentem cognouiſti, ſed uerborum, & actionis genere commotior. itaque cum Hortenſio mihi magis arbitrabar rem eſſe; quod & dicendi ardore eram propior, & aetate coniunctior. etenim uideram, in ijſdem cauſſis, ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella conſulari, cum Cotta princeps adhibitus eſſet, priores tamen agere partes Hortenſium. acrem enim oratorem, incenſum, & agentem, & canorum concurſus hominum, foriq. ſtrepitus deſiderat.

EXPLANATIO

QVIBVS *non contentus* ʒ notanda Ciceronis in quaerendis doctoribus diligentia. RHODVM *ueni* ʒ hoc poſtea Laterenſis Ciceroni obiecit. ut in oratione pro Plancio legitur. APPLICAVI ʒ & me illi rurſus reformandum, ac uelut reeoquendum dedi. ut Quinct. lib. 11. cap. 6. refert. ACTOREM ʒ ſummum. ut ſupra. SCRIPTOREMQ. ʒ multa hunc ſcripſiſſe, teſtis eſt Fab. lib. 3. cap. 1. DIFFLVENTES ʒ aliter, Diffluentem, ſed male. RECEPI *me* ʒ Romam redij. BIENNIO *poſt* ʒ poſtquam Roma profectus eram. RECIDERAT ʒ remiſſione, & moderatione uocis, & commutato genere dicendi, ut fieri poſſe cenſuerim. ſupra. ET *quaſi deferb.* ʒ duriorem mitigat translationem, Quaſi. ORATIO ʒ quam prius nequaquam ſatis deferbuiſſe ſenſeramus. ut ait in Oratore. MEDIOCRIS *habitus* ʒ ita, ut neque tenue nimis, neque pinguis eſſem, qui habitus eſt corporis optimus. ſed ego ſentio Ciceronem uelle, ſe paullo melius habitum, quam antea fuiſſet, indicare. REMISSVS ʒ qui contentionem omnem remiſerat. ſupra. SOLVTE ʒ nam Cotta pure, ac ſolute dicebat. ſupra: ſed nihil ample. in Orat. ORNATVS ʒ quod uteretur genere dicendi Aſiatico, quod eſt exornatum. infra. DEFLORESCENTE ʒ hoc opponitur ei, quod dixit ſupra, Floreſcentem. DICENDI *ardore* ʒ contentionibus, quibus ſummis uti ſolebam. lib. 1. de Leg. AETATE *coniunctior* ʒ Hortenſio, qui me octo annis maior erat, quam C. Cottae, qui duodeuiginti annis me ipſo maior erat. IN *ijſdem cauſſis* ʒ nam, ſi diuerſae fuiſſent, poſſet aliquis dicere, cognoſci non potuiſſe. CN. *Dolabella* ʒ homine conſulari, & triumphali, qui primum a Caeſare accuſatus, & abſolutus fuit: deinde a Scauro accuſatus, & condemnatus. PRIORES *tamen agere* ʒ quod eſſet ornatus, & acer. ſupra. ET *agentem* ʒ ſic de actione utentem, ut qui procul uideat, in ſcena Roſcium eſſe intelligat. ſupra. DESIDERAT ʒ ſic ſupra, ſubſellia grandiorem, & pleniorem uocem deſiderant.

CICERO

VNVM *igitur annum, cum redijſſemus ex Aſia, cauſſas nobiles egimus, cum quaeſturam nos, conſulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortenſius. interim me quaeſtorem Sicilienſis excepit annus: Cotta ex conſulatu eſt profectus in Galliam: princeps & erat, & habebatur Hortenſius. cum autem anno poſt e Sicilia me recepiſsem, iam uidebatur, illud in me, quidquid eſſet, eſſe perfectum, & habere maturitatem quandam ſuam. Nimis multa uideor de me, ipſe praeſertim: ſed omni huic ſermoni propoſitũ eſt, non ut ingenium, & eloquentiam meam perſpicias, unde longe abſum, ſed ut laborem & induſtriam. Cum igitur eſsem in plurimis cauſſis, & in principibus patronis quinquennium fere uerſatus, tũ in patrocinio Sicilienſi maxime in certamen ueni deſignatas aedilis cum deſignato cõſule Hortenſio. Sed, quoniam omnis hic ſermo noſter non ſolum enumerationem oratoriam, uerum etiam praecepta quaedam deſierat: quid tamquam notandum, & animaduertendum ſit in Hortenſio, breuiter licet dicere. Nam is poſt conſulatum (credo quod uideret ex conſularibus neminem eſſe ſecum comparandum, negligeret autem eos, qui conſules non fuiſsent) ſummum illud ſuum ſtudium remiſit, quo a puero fuerat incenſus, atque in omnium rerum abundantia uoluit beatius, ut ipſe putabat, remiſſius certe uiuere.*

EXPLANATIO

CAVSSAS *nobiles* ʒ quae fuerint, ignoramus: ſciremus, ſi orationes eius exſtarent. EX *conſulatu* ʒ cum adhuc eſſet in conſulatu, ut quidam putant: ut ego, illico poſt conſulatum, ut ex praetura, ex quaeſtura, eo ſenſu, quod dixit in Antonium: Nec uero uſquam diſcedebam ex eo die, quo in aedem Telluris conuocati ſumus. Item pro Quinctio, ex eo tempore res eſſe in uadimonio coepit: & alia id genus. PRINCEPS ʒ in cauſſis agendis. ESSE *perfectum* ʒ nam in Sicilia quoque Cicero dixerat. ut Plutar. ſcribit. MATVRITATEM *quandam* ʒ ſed non qualem poſtea habuit. Maturitas, frugum eſt perfectio: quod quidem cognoſcitur, cum acerbitate, aſperitateq. remota, quaedam ineſt ſuauitas. Idem accidit orationi, cum feruor ille iuuenilis deferbuit, & apta rebus, de quibus agitur, eſſe coepit: quod eſt proprium Atticorum, qualis eſſe uoluit Cicero. IPSE *praeſertim* ʒ ſcitum eſt illud,

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipſe.

OMNI *huic ſermoni*] in quo de me dicendum eſt, cum tu me, Brute, non ingenij praedicatorem eſſe uoluiſti, ſed laboris mei. ſupra. VNDE *longe abſum*] Iactationis genus eſſe, Quinctilianus putat lib. 11. cap. 1. ſi ſe diſertus imperitum uocet. QVINQVENNIVM *fere*] ſi numeres annos a conſulibus Cotta, & Octauio, anni quattuor, & menſes fere ſex numerantur, ſiquidem Cic. Cn. Pompeio, M. Craſſo cos. non. Sext. coepit Verrem accuſare. PATROC. *Sicil.*] quo Verrem repetundarum a Sicilienſi praetura poſtulauit. AEDILIS] anno ſequenti Q. Hortenſio, & Q. Metello cos. cum trinos ludos fecit. ut pro Muréna ait. DESIGNATO] cum Q. Caecilio Metello Cretico. Aſconius. ENVM. *oratoriam*] Oratorum, magis placet. NOTANDVM] ut, quid imitandum, quid uitandum ſit, & ut, an fuerit perfectus orator, cognoſcatur. EX *conſularibus*] ut Lucullo, Curione, Lentulis, Pompeio. COMPARANDVM] in eloquentia. QVI *conſules non fuißent*] ut me, & alios. SVMMVM] flagrantiſſimum. ſupra. FVERAT *incenſus*] ſicut in nullo unquam flagrantius ſtudium uiderim, ſupra. VOLVIT *beatius*] cum eſſet admodum diues. REMISSIVS *certe*] quia non omnes concedunt in diuitiis, & quiete, uitam beatam eſſe.

C I C E R O

PRIMVS, & ſecundus annus, & tertius tantum quaſi de picturae ueteris colore detraxerat, quantum non quiuis unus ex populo, ſed exiſtimator doctus, & intelligens poßet cognoſcere. longius autē procedens, & in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate, & cōtinuatione uerborum adhaereſcens, ſui diſſimilior uidebatur fieri quotidie. Nos autem non deſiſtebamus cum omni genere exercitationis, tum maxime ſtylo noſtrum illud, quod erat, augere, quantumcumque erat. Atque, ut multa omittam in hoc ſpatio, & in his poſt aedilitatem annis, & praetor primus, & in incredibili populari uoluntate ſum factus. nam, cum propter aſſiduitatem in cauſſis, & induſtriam, tum propter exquiſitius, & minime uulgare orationis genus animos hominum ad me dicendi nouitate conuerteram. nihil de me dicam: dicam de ceteris: quorum nemo erat, qui uideretur exquiſitius, quam uulgus hominum, ſtuduiße litteris, quibus fons perfectae eloquentiae continetur; nemo, qui philoſophiam complexus eſſet, matrem omnium bene factorum, beneq. dictorum; nemo, qui ius ciuile didicißet, rem ad priuatas cauſſas, & ad oratoris prudentiam maxime neceßariam; nemo, qui memoriam rerum Romanarum teneret, ex qua, ſi quando opus eßet, ab inferis locupletiſſimos teſtes excitaret; nemo, qui, breuiter, arguteq. incluſo aduerſario, laxaret iudicum animos, atque a ſeueritate paulliſper ad hilaritatem, riſumq. traduceret; nemo, qui dilatare poſſet, atque a propria, ac definita diſputatione hominis, ac temporis, ad communem quaeſtionem uniuerſi generis orationem traducere; nemo, qui, delectandi gratia, digredi parumper a caußa; nemo, qui ad iracundiam magnopere iudicem; nemo, qui ad fletum poſſet adducere: nemo, qui animum eius, quod unum eſt oratoris maxime proprium, quocumque res poſtularet, impelleret.

E X P L A N A T I O

PRIMVS] annus primus poſt ipſius Hortenſij conſulatum, itemq. ſecundus, & tertius. LONGIVS] ſequentibus annis, quarto, quincto, reliquis. CETERIS] ut inuentione, diſpoſitione, memoria, actione. CELERITATE, *& contr. uer.*] quas elocutio complectitur. NON *deſiſtebamus*] dum ceſſabat Hortenſius. OMNI *gen. exerc.*] de quibus generibus dictum eſt ſupra. TVM *max. ſtylo*] qui in illis generibus optimus, & praeſtantiſſimus dicendi effector, & magiſter, dicitur lib. 1. de Orat. ANNIS] duobus annis. nam inter aedilitatem, & praeturam biennium intereſt. epiſt. 25. lib. 10. Famil. PRAETOR *primus*] quia octo praetores fiebant: inter quos ipſe primo loco factus: uelut prior aedilis, quod duo tantum aediles fierent. Errant ergo, qui Praetor primus, Praetor urbanus, exponunt. INCREDIBILI] centurijs cunctis, pro lege Manilia: cunctis ſuffragijs, in Piſonem. ASSIDVITATEM *in cauſſis*] quotidianam exercitationem in cauſſis, pro leg. Man. EXQVISITIVS] magnificentius, quam fuerat, & ornatius. ſupra. NIHIL *de me*] ne quid arrogantius dicere uidear. DICAM *de ceteris*] atque ita probabo me nouum dicendi genus attuliſſe. nam, dum negat ea, quae deinceps commemorabit in ceteris fuiſſe, eadem opera ſignificat ſe primum, & noua, & incognita attuliſſe. NEMO] repetitio. VVLGVS *hom.*] ergo doctrinae ſunt duo genera, Vulgare, & Exquiſitum: in quae duo etiam Ariſtotelis doctrina uniuerſa diſtributa fuit, ut Cicero, Gellius, & Ariſtotelis interpretes teſtantur. Cicero autem iam natu grandis Cniphoni Grammatico ſubtili, & exquiſito operam dedit, ut Plutar. Suet. in Grammaticis, & Macrobius ſcribunt. LITTERIS] quorum ſtudium profitentur ij, qui Grammatici uocantur, ut ait lib. 1. de Orat. Omnis enim loquendi elegantia, expolitur ſcientia litterarum: ut lib. 3. de Orat. legimus. FONS *perf. eloq.*] recte: nam, Solum quidem, & quaſi fundamentum oratoris uides locutionem emendatam, & Latinam: ut idem ait ſupra. MATREM *omnium*] loquitur de Morali philoſophia, in qua praecepta bene agendi, beneq. loquendi ad beatam uitam conſequendam traduntur. Philoſophiam Cicero, laudandarum artium omnium procreatricem quandam, & quaſi parentem, lib. 1. de Orat. Matrem, item Tuſcul. 1. uocat. NECESSARIAM] ut etiam de Orat. lib. 1. oſtenditur. MEMORIAM *rerum Rom.*] Romanam hiſtoriam. Periphraſis. EXCITARET] ut Cicero pro Coelio, Appium illum Caecum excitauit. nam ex hiſtoria uis exemplorum depromitur.

BREVI-

Breviter *arguteq.* } de ridiculis, & iocis loquitur, in quibus Cicero ſic excelluit, ut & facetiſſimus ipſe fuerit, & de facetijs optime lib.2. de Orat. ſcripſerit. Quin & de eius iocis Tiro libros tres ediderit, ut Quinctil. lib.6. cap.4. refert. Multa quoque eodem libro Quinctil. & Plutar. in uita Cic. & in Apophthegmatis, & Macrob. lib.2. Satur. collegerunt. Quamquam hoc ſatis ex eius orationibus, alijsq. ſcriptis conſtat. A *propria ac def. diſp.* } a proprijs perſonis, & temporibus, in Oratore ab hypotheſi ad theſim: a ſpecie, & parte, ad genus uniuerſum. Tradvceret } ut ipſe cum alias, tum pro Milone fecit. Vide lib.2. de Orat. pulcherrimam de hac re diſputationem. Digredi } ut Cicero ipſe digrediebatur, Quinctil. lib.4. cap.3. Vide ſupra de Serg. Galba. Ad *iracundiam, ad fletum* } faciendum eſt enim, ut iudex iraſcatur, ut fleat: in Orat. Maxime *prop.* } officium partitione tertium, genere maximum. ſupra. Impelleret } iudicem commoueret, ſupra. quod faciebat Cicero, praeſertim in perorationibus, in quibus ipſe regnabat, ſupra, & in Oratore.

C I C E R O

*I*Taqve, *cum iam paene euanuiſſet Hortenſius; & ego anno meo, ſexto autem poſt illum conſulem, conſul factus eſſem; reuocare ſe ad induſtriam coepit; ne, cum pares honore eſſemus, aliqua re ſuperiores uideremur. ſic duodecim poſt meum conſulatum annos in maximis cauſſis, cum ego mihi illum, ſibi me ille anteferret, coniunctiſſime uerſati ſumus: conſulatusq. meus, qui illum primo leuiter perſtrinxerat, idem nos rerum mearum geſtarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat. maxime uero perſpecta eſt utriuſque noſtrum exercitatio paullo ante, quam perterritum armis hoc ſtudium, Brute, noſtrum conticuit ſubito, & obmutuit; cum, lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad cauſſas ſimillimas inter ſe, uel potius eaſdem noui ueniebamus quotidie. quibus quidem cauſſis tu etiam, Brute, praeſto fuiſti, compluresq. & nobiſcum, & ſolus egiſti: ut, qui non ſatis diu uixerit Hortenſius, tamen hunc curſum confecerit. annis ante decem cauſſas agere coepit, quam tu es natus: idem quarto & ſexageſimo anno, perpaucis ante mortem diebus, una tecum ſocerum tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in utroque, orationes utriuſque etiam poſteris noſtris indicabunt.*

E X P L A N A T I O

Evanvisset } quod ad dicendi facultatem pertinet. metaphora ſumpta, uel a liquoribus, & uaporibus, qui tenues uaneſcunt in auras: aut a floribus, qui cito apparent uere, poſt euaneſcunt: aut a uinis, quae uapida fiunt tempore, & fugiunt. Anno *meo* } ideſt, aetatis meae 43. quae fuit Romanis legibus aetas conſularis. Sexto } ſiquidem annum alterutrius conſulatus adnumeres. Consvl *factus* } cum C. Antonio. Pares *honores* } cum iam uterque noſtrum quaeſtor, aedilis, praetor, & conſul fuiſſet. Et uide generoſi ſpiritus aemulationem. Dvodecim } tot enim numerantur a conſulatu Ciceronis ad M. Marcellum, & Ser. Sulpicium cos. ſi tamen illum annum comprehendas, quo Cicero in Ciliciam profectus eſt. ut lib.5. ad Att. & lib.15. Fam. refert. In *max. cauſſis* } ut L. Flacci, P. Sullae, & aliorum. Conivnctissime } ut in principio huius dialogi dictum eſt. Perstrinxerat } ut omnes paene nobiles, qui Ciceroni aduerſabantur. lib.1. Att. Salluſtius, & Aſcon. Admirabatvr } ſic, ut noſtras laudes in aſtra tolleret. epiſt. 25. lib.2. Att. Perspecta *eſt* } exercitati enim cognoſci potuerunt illo anno iudiciali, cuius ſeueritatem inexercitati, ut Q. Arrius, fere non potuerunt. ſupra. Pavllo *ante* } biennio ante. Perterritvm *armis* } praeſertim C. Marcello, L. Lent. cos. quae arma tum ſumpta ſunt. ut initio dialogi dictum eſt. Obmvt. } ſic eloquentia obmutuit. ſupra in principio. L. *Pompeia* } quam Cn. Pomp. Magnus tulerat, impoſueratq. ueluti frenos eloquentiae. ut Corn. Tacitus in Dialogo ſcribit, de qua lege ſupra diximus in anno illo iudiciali. Ternis *horis* } tribus horis. ut libro quarto de Finibus. Datis } defenſori. nam accuſatori duae tantum datae erant. Vt *qui* } pro, Quippe cum, ut ſit ſubiecta ratio, quare Brutus ſolus egerit cauſſas. Qvarto, *& ſexag. anno* } Liuius tamen ſcripſit eum tres & ſexaginta annos uixiſſe. ſed intelligitur totos. nā non totos 64. uixit. Itaque & Cicero dicit quarto, & ſexageſimo, quaſi anno non finito, mortuus ſit. Perpavcis *ante mor. dieb.* } Paullo ante mortem. ſupra. Id uidere poteris epiſt. 6. & 13. lib.8. Fam. in quarum altera ſcribit Coelius Appium accuſari, in altera Q. Hortenſium animam agere. Vna *tecum* } tecum ſimul. ſupra. Appivm } Appium Claudium. de quo ſupra: quem Brutus defendit, ut hic dicitur, & laudauit. ut Diomedes oſtendit lib.1. In *utroque* } noſtrum ſcilicet, ideſt, in me, & Hortenſio. Indicabvnt } Ciceronis quidem orationes, quae diuino beneficio exſtant multae, indicare poſſunt: Hortenſij non poſſunt, cum nullae exſtent: cum tamen multas ediderit. ut Cicero, Valer. Max. lib.5. cap.9. & Quinctil. libro 11. cap.3. teſtantur.

C I C E R O

*S*Ed, *ſi quaerimus, cur adoleſcens magis floruerit dicendo, quam ſenior Hortenſius: cauſſas reperiemus ueriſſimas duas: primum, quod genus erat orationis Aſiaticum, adoleſcentiae magis conceſſum, quam ſenectuti. Genera autem Aſiaticae dictionis duo ſunt: unum ſententioſum, & argutum, ſententijs non tam grauibus, & ſeueris, quam concinnis, & uenuſtis: qualis in hiſtoria Timaeus, in dicendo*

autem,

autem; pueris nobis, Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles, frater eius, fuit: quorum utriuſque orationes ſunt in primis, ut Aſiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus eſt, non tam ſententijs frequentatum, quam uerbis uolucre, atque incitatum; quali eſt nunc Aſia tota; nec flumine ſolum orationis, ſed etiam exornato, & faceto genere uerborum; in quo fuit Aeſchylus Gnidius, & meus aequalis Mileſius Aeſchines. in his erat admirabilis orationis curſus, ornata ſententiarum concinnitas non erat. Haec autem, ut dixi, genera dicendi aptiora ſunt adoleſcentibus, in ſenibus grauitatem non habent. itaque Hortenſius, utroque genere florens, clamores faciebat adoleſcens. habebat enim & Meneclium illud ſtudium crebrarum, uenuſtarumq. ſententiarum: in quibus, ut in illo Graeco, ſic in hoc erant quaedam magis uenuſtae, dulcesq. ſententiae, quam aut neceſſariae, aut interdum utiles. & erat oratio cum incitata, & uibrans, tum etiam accurata, & polita. non probantur haec ſenibus: ſaepe uidebam cum irridentem, tum etiam iraſcentem, & ſtomachantem Philippum: ſed mirabantur adoleſcentes, multitudo mouebatur. erat excellens iudicio uulgi, & facile primas tenebat adoleſcens. etſi enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum eſſe aetati uidebatur: & certe, quod & ingenij quaedam forma lucebat; & exercitatione perfecta erat, uerborumq. adſtricta comprehenſio; ſummam hominum admirationem excitabat. ſed, cum iam honores, & illa ſenior auctoritas grauius quiddam requireret; remanebat idem, nec decebat idem.

EXPLANATIO

SED *ſi quaerimus* ʒ quaeſtionem ponit, & ſoluit. FLORVERIT ʒ unde Floreſcentem, ſupra dixit. SENIOR ʒ cum tu, Brute, illum defloreſcentem cognouiſti. ſupra. ASIATICVM ʒ quo uſi ſunt Aſiatici oratores, qui ſupra, redundantes appellati ſunt. Vide Quinctil. lib. 12. cap. 10. & Oratorem Cic. ADOLESCENTIAE *magis conceſſum* ʒ lib. 2. de Orat. Volo enim ſe efferat in adoleſcente fecunditas: qua de re plura Quinctil. lib. 2. cap. 1. & 4. SENECTVTI ʒ cuius ſermo debet eſſe decorus, quietus, & remiſſus. Cic. in Catone. PVERIS *nobis* ʒ lib. 2. de Orat. ubi Antonius dicit ſe hoſce fratres Meneclem & Hieroclem audiuiſſe. Vide etiam in Oratore. ALABANDEVS ʒ Alabandenſis, lib. 2. de Orat. ex Alabanda Cariae. LAVDABILES ʒ nam Aſiaticorum rhetorum principes fuerunt. in Oratore. AESCHYLVS *Gnidius* ʒ de quo, ut de Timaeo, ſupra. MILESIVS *Aeſchines* ʒ ex Mileto. Strabo, & Laertius legendi. IN *illo Graeco* ʒ Menecle. IN *hoc* ʒ Hortenſio. SAEPE *uidebam* ʒ probat a ſigno, haec, quae dicit, ſenibus non fuiſſe probata. PHILIPPVM ʒ L. Philippum iam ſenem. ſupra. ADOLESCENTES ʒ quibus hoc genus placebat, ut adoleſcentiae conceſſum. ſupra. IVDICIO *uulgi* ʒ ergo etiam intelligentium. Verum, ſed intelligens uidet illud genus non eſſe optimum, etiamſi utrique probent. PRIMAS *tenebat* ʒ princeps & erat & habebatur Hortenſius: in ſenatu, propter nobilitatem: in foro, ob eloquentiam, ut Aſconius ait. AETATI ʒ adoleſcentiae. ſupra. INGENII ʒ quod in Hortenſio peracre fuiſſe, lib. 3. de Orat. dicitur. LVCEBAT ʒ a lumine, quod ingenij uis ſit quaedam in anima lux: hinc ingenij lumen dicitur. ADMIRATIONEM ʒ & clamores. ſupra. EXCITABAT ʒ dichoreus. SENIOR *auctoritas* ʒ nam auctoritatem facit uirtus, & tempus. Topicis. NEC *decebat idem* ʒ ſimiliter cadens, & conuerſio, lumen orationis non decebat idem, quoniam ut alia aetas alios mores, ſic aliud dicendi genus poſtulat. Itaque & Craſſus, & Cicero dicendi genus mutarunt in ſenectute. lib. 1. de Orat. & 1. de Legibus.

CICERO

QVODQ. exercitationem, ſtudiumq. dimiſerat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa, crebritasq. ſententiarum priſtina manebat, ſed ea ueſtitu illo orationis, quo conſueuerat, ornata non erat. Hoc tibi ille, Brute, minus fortaſſe placuit, quam placuiſſet, ſi illum flagrantem ſtudio, & florentem facultate audire potuiſſes. Tum Brutus, Ego uero, inquit, & iſta, quae dicis, uideo qualia ſint; & Hortenſium magnum oratorem ſemper putaui, maximeq. probaui pro Meſſalla dicentem, cum tu abfuiſti. Sic fuerunt, inquam: idq. declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, ſcripta uerbis oratio. Ergo ille a Craſſo conſule & Scaeuola uſque ad Paullum & Marcellum conſules floruit: nos in eodem curſu fuimus a Sulla dictatore ad eoſdem fere conſules. ſic Q. Hortenſij uox exſtincta fato ſuo eſt, noſtra publico. Melius, quaeſo, ominare, inquit Brutus. Sit ſane ut uis, inquam; & id non tam mea cauſſa, quam tua: ſed fortunatus illius exitus, qui ea non uidit, cum fierent, quae prouidit futura. ſaepe enim inter nos impendentes caſus defleuimus, cum belli ciuilis cauſſas in priuatorũ cupiditatibus incluſas, pacis ſpem a publico conſilio eſſe excluſam uideremus. ſed illum uidetur felicitas ipſius, qua ſemper eſt uſus, ab eis miſerijs, quae conſecutae ſunt, morte uindicaſſe.

EXPLANATIO

QVODQVE ʒ e duabus cauſſis ſupra poſitis, haec eſt altera: cur adoleſcens magis floruerit dicendo, quam ſenior Hortenſius. ACERRIMVM ʒ ſummum, flagrantiſſimum. ſupra. HOC ʒ propter: uel, ob hoc. FLAGRANTEM *ſtudio* ʒ ita, ut in nullo flagrantius ſtudium uiderim. ſupra. FLORENTEM ʒ floreſcentem. ſupra. FACVLTATE ʒ dicendi copia. POTVISSES ʒ per aetatem. PRO *Meſſalla* ʒ M. Valerius

rius Meſſalla, qui de ambitu fuit accuſatus. de cuius accuſatione uidere licet ad Att. lib. 4. & lib. 5. epiſt. 12. & epiſt. 2. & 4. lib. 8. Famil. Erat enim Meſſalla Hortenſij ſororis filius. Abfvisti] in Ciliciam profectus. epiſt. 12. lib. 5. Att. & epiſt. 2. & 4. lib. 8. Fam. Scripta] & edita. Valer. Max. lib. 5. cap. 9. Et *Scaeuola*] Q. Mucio Scaeuola pont. quem a Craſſo ſeiungit, quia prior Craſſus deceſſit. Floruit] fuit enim in patronorum numero annos 4. & 40. ſupra. A *Sulla dictatore*] tunc enim pro Sex. Roſcio dixit. Ad *eoſdem*] interfuerunt anni fere unus, & triginta. nam paucis menſibus ante Paullum, & Marcellum cos. Cicero dicere ceſſauit in Ciliciam profectus Ser. Sulpicio, M. Marcello cos. epiſt. 21. lib. 5. Att. Reuerſus epiſt. 10. lib. 16. Fam. Poſtea diuturnum ſilentium, pro Marcello. Fato *ſuo*] ſuo tempore in principio dialogi, ſua die. uide librum de fato. Virg.

Stat ſua cuique dies, breue, & irreparabile tempus.
Omnibus eſt uitae, ſed famam extendere factis,
Hoc uirtutis opus. ——

Nostra *pub.*] publico fato, quo reſp. exſtincta eſt. Melius *quaeſo*] εὐφήμει, ut olim Sophocles, quod Plato, & Theon referunt, quod uerbum Cicero in Catone uertit, Dij meliora. idem Val. Maxim. lib. 4. cap. 3. Sit *ſane*] καλῶς ἔςω, bene ſit. Eſt enim potius εὐχὴ, quam συγχώρησις, id eſt, permiſſio. Mea *cauſſa*] qui ſum ſenex, quam tua, qui es adoleſcens, & ita doctus, ut ſoleam tuam uicem dolere, qui non poſſis eloquentiam exercere, ut initio dixit. Fortunatus] nam perpetua quadam felicitate uſus Hortenſius, ceſſit e uita, ſuo magis, quam ciuium ſuorum tempore. Initio. Ea] bellum ciuile. Non *uidit, quae prouidit futura*] προσωνομασία. agnominatio. Privatorum] certorum hominum. epiſt. 10. lib. 16. Fam. Exclusam] incluſas, excluſam, antitheton, contentio, contrarium. Qua *ſemper eſt uſus*] Qua perpetua eſt uſus. in princ. Vindicasse] Dichoreo hanc oratorum enumerationem terminauit.

CICERO

NOs autem, Brute, quoniam poſt Hortenſij, clariſſimi oratoris, mortem, orbae eloquentiae quaſi tutores relicti ſumus, domi teneamus eam ſaeptam liberali cuſtodia; & hos ignotos, atque impudentes procos repudiemus, tueamurq. ut adultam uirginem caſte, & ab amatorum impetu, quantum poſſumus, prohibeamus. Equidem, etſi doleo me in uitam paullo ſerius, tamquam in uiam, ingreſſum, prius, quam confectum iter ſit, in hanc reip. noctem incidiſſe; tamen ea conſolatione ſuſtentor, quam tu mihi, Brute, adhibuiſti tuis ſuauiſſimis litteris; quibus me forti animo eſſe oportere cenſebas, quod ea geſſiſſem, quae de me, etiam me tacente, ipſa loquerentur, mortuo uiuerent; quae, ſi recte eſſet, ſalute reip. ſin ſecus, interitu ipſo teſtimonium meorum de rep. conſiliorum darent.

EXPLANATIO

NOs *autem*] παραίνεσις, qua Dialogo prope finito Brutum hortatur, ſed ſuam perſonam admiſcet, quo lenior ſit hortatio, uel admonitio, ſic plerumque ſuos Dialogos Plato, ſermonesq. concluſit: ut Gorgiam, in cuius fine ad iuſtitiam cohortatur. Hos] praeſertim qui ſe uolunt Atticos appellari. ſupra. Impudentes] aliter, Imprudentes: quod non placet. Amatorum] aliter, Armatorum: nec hoc arridet, cum loquatur de procis. Paullo *ſerius*] octo annis poſt Hortenſium. ſupra. Noctem *incidiſſe*] ut ſaepe incidunt uiatores ante quam poſſint iter conficere. tranſlatio. Sustentor] Ex diuturna perturbatione totius ualetudinis, tamquam ad adſpiciendam lucem reuocatus. in principio. Litteris] ex Aſia miſſis. ibidem. Tacente *ipſa loquerentur, mortuoq. uiuerent*] Geminata contentio. Nam, ſi ad memoriam operum tuorum Cicero reſpicis, ſemper uicturus es. ut Seneca in Suaſoriis ait. Et ſane Cicero uiuit, uiuetq. per omnem ſaeculorum memoriam. ut Paterculus libro 2. ſcribit. Quae] δίλημμα, complexio, diuiſio. Si *recte eſſet*] ſi bene eſſet, ſi res bene haberet. Salute *reipub.*] ipſa reip. ſalute teſtimonium darent. Sin *ſecus*] ſin male eſſet, quod maluit ſignificare, quam dicere, ne male ominari uideretur.

CICERO

SEd in te intuens, Brute, doleo, cuius in adoleſcentiam, per medias laudes quaſi quadrigis uehementem, tranſuerſa incurrit miſera fortuna reip. hic me dolor tangit, haec me cura ſoliciat, & hunc mecum, ſocium eiuſdem & amoris, & iudicij: tibi fauemus: te tua frui uirtute cupimus, tibi optamus eam remp. in qua duorum generum ampliſſimorum renouare memoriam, atque augere poſſis. tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc ueneras unus, qui non linguam modo acuiſſes exercitatione dicendi, ſed & ipſam eloquentiã locupletauiſſes grauiorum artium inſtrumento, & ijſdem artibus decus omne uirtutis cum ſumma eloquentiae laude iunxiſſes. Ex te duplex nos afficit ſolicitudo, quod & ipſe rep. careas, & illa te. tu tamen, etſi curſum ingenij tui, Brute, premit haec importuna laudes ciuitatis, contine te in tuis perennibus ſtudijs, & effice id, quod iam propemodum, uel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congeſſi in hunc ſermonem, turba patronorum. nec enim decet, te, ornatum uberrimis artibus, quas cum domo haurire non poſſes, accerſiuiſti ex urbe ea, quae domus eſt ſemper habita doctrinae, numerari in uulgo patronorum. nam, quid te exercuit Pammenes, uir longe eloquentiſſimus

quentiſſimus Graeciae, quid illa uetus Academia, atque eius heres Ariſtus, hoſpes, & familiaris meus, ſiquidem ſimiles maioris partis oratorum futuri ſumus?

EXPLANATIO

SED *in te intuens* ⁓ Hortatione claudit hunc ſermonem Cicero, pro ſuae perſonae decoro. DOLEO ⁓ uicem tuam. ut in principio dixit. QVASI *quadrigis* ⁓ unde prouerbia, citis quadrigis, Iouis quadrigis. TANGIT ⁓ forte, Angit, rectius. DVORVM *generum* ⁓ duarum gentium: Iuniae, ex qua natus es: & Seruiliae, ex qua mater tua Seruilia. Vide Philipp. 2. & 10. epiſt. 24. lib. 2. Att. RENOVARE ⁓ dicendi gloria. CVRRICVLVM ⁓ in principio. NOS ⁓ me, & Atticum. ARTIBVS ⁓ exquiſita doctrina. initio. VRBE *ea* ⁓ Athenis. DOMVS ⁓ domicilium enim ſtudiorum fuit Athenis. lib. 3. de Orat. PAMMENES ⁓ de quo in Oratore. ubi eum Demoſthenis ſtudioſiſſimum fuiſſe, ait. HERES ⁓ ut frater Antiochi, qui fuit ueteris Academiae philoſophus. lib. 5. de Fin. & ſupra. ARISTVS ⁓ te exercuit, quem frequenter audiuiſti, lib. 5. de Fin. Alius hic eſt ab Ariſtone. Hic enim amicus, ille frater Antiochi fuit. Acad. lib. 2. HOSPES ⁓ apud eum enim Cicero in Cilicia proficiſcens fuit. epiſt. 10. lib. 5. Att. Reuertens apud Ariſtonem. Tuſcul. 1. MAIORIS *partis* ⁓ uulgi, & turbae.

CICERO

NON ne cernimus, uix ſingulis aetatibus binos oratores laudabiles conſtitiſſe? Galba fuit inter tot aequales unus excellens; cui, quemadmodum accepimus, & Cato cedebat ſenior, & qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt, Lepidus poſtea, deinde Carbo. nam Gracchi in concionibus multo faciliore, & liberiore genere dicendi: quorum tamen ipſorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit. Antonius, Craſſus, poſt Cotta, Sulpicius, Hortenſius. nihil dico amplius: tantum dico, ſi mihi accidiſſet, ut numerarer in multis, ✣ ſi operoſa eſt concurſatio magis opportunorum.

EXPLANATIO

NON *ne cernimus* ⁓ enumeratione bonorum oratorum, dialogum hunc pulcherrimum claudit optimus orator. BINOS *oratores* ⁓ paucos. ſupra: ſingulos. lib. 1. de Orat. ut L. Craſſum, & M. Antonium: Sulpicium, & Cottam. quod, cum cernamus, danda eſt opera nobis, ut in paucis numeremur. LAVDABILES ⁓ tolerabiles. de Orat. lib. 1. CONSTITISSE ⁓ ſunt, qui legant, Exſtitiſſe. ut lib. 1. de Orat. GALBA ⁓ probat, quod dixi de Oratorum paucitate, ſingulis aetatibus ſingulos, ad ſummum binos oratores aſſignando. Aetates autem ſex conſtituit, in prima, Catonem, & Galbam: in ſecunda, Lepidum: in tertia, Carbonem: in quarta, Craſſum, & Antonium: in quincta, Sulpicium, & Cottam: in ſexta, Hortenſium, in qua ſe quoque Cicero diſſimulanter includit, cuius equidem ita exſtitit princeps, ut non modo aequalem ſuum Hortenſium, & reliquos, uerum etiam ſuperiores omnes, ſequentesq. ſuperarit. INTER *tot* ⁓ Laelium, Scipionem, Cottam, & alios, quos ante commemorauit. NIHIL *dico amplius* ⁓ Dialogum his uerbis concludit, quibus ſe cum Hortenſio adnumerandum aliis, ut arrogantiae ſuſpicionem uitaret, reliquit. TANTVM *dico* ⁓ nihil dico, & dico, repugnantia ſunt: ſed nihil dico, de reliquis oratoribus: tantum dico de meo inter oratores loco, & gradu. VT *numerarer in multis* ⁓ in uulgo, & turba patronorum. Paullo ante. Apoſiopeſis eſt, quam Reticentiam Latine dicimus. Neque enim quidquam deeſſe puto: ſed Ciceronem de induſtria de ſe ita locutum, nequid arroganter de ſe dicere uideretur. Voluit enim illud intelligi: Si mihi accidiſſet, ut numerarer in multis, ſilere mauelim, quam locum inter oratores occupare. SI *operoſa* ⁓ alij legunt, Et ſi: alij, Sed ſi. Ego autem, nihil auſim, refragantibus libris omnibus, immutare, praeſertim cum illud Si, pro, Etſi, uel Siquidem, frequenter uſurpetur. Significat autem illis uerbis, magis opportunorum, ideſt, excellentium oratorum concurſationem, ideſt, multitudinem eſſe operoſam, ideſt, inuentu difficilem: quia uix ſingulis aetatibus binos oratores laudabiles cernimus conſtitiſſe. ſupra. Quare extremam hanc reticentiam ſic coniuncte poſſis explere: Si mihi accidiſſet, ut numerarer in multis, ſilere malim, quam locum in oratorum turba occupare: ſiquidem tam operoſa eſt concurſatio magis opportunorum.

FINIS

PHILIPPO · PINCIO
ORATORI . ELOQVENTISS.
ET · MAXIMO

SIVE noſtra uetus familiaritas, uirtute Tua, & morum comitate aucta; ſiue maiorum Tuorum in rem litterariam merita non tantum a me flagitant, ſed etiam exigunt, ut aliquod appareat amicitiae noſtrae teſtimonium, Tuarum uirtutum teſtimonio coniunctum. Quod quamquam libentiſſime faciam; eſt tamen, cur doleam, non habere me nunc temporis, quae deſiderio huic meo reſpondeant, ut uoto ſatisfaciam. Nolui tamen diutius incluſam animo retinere hanc uoluntatem: faciundumq. mihi potius putaui, ut quacumque re Tibi animum declararem meum, quam ut mihi ipſi deeſſem, qui iamdiu Te, Tuamq. eloquentiam, qua hominum animos in hac Republica, optima ingeniorum aeſtimatrice, Tibi deuincis, admirans, mira ardebam cupiditate exteris etiam hominibus eam praedicandi. Oratorem igitur Ciceronis Oratori; perfectum, inquam, perfecto, & omnibus numeris abſoluto, do. Familiae Tuae proprium, & peculiare ſemper fuit, excellentes uiros, & ſingulari uirtute praeſtantes edere. Fuit ex maioribus Tuis Ianus Pyrrhus Pincius, qui Pontificum, & Ducum Tridentinorum geſta eleganter ſcriptis ſuis expreſſit. Scripſit & de confinibus Italiae, de appellatione, & tranſitu Alpium, de origine Vrbis Tridentinae, & de Gallorum Senonum aduentu in Italiam. Quae ipſi non exiguum honorem, aliis uero utilitatem uel maximam praebeant. Fuit & Aurelius Pincius, qui quantum ingenio ualuerit, quantumq. ornamenti ad Typographiam, non ſolum arte ipſa, qua excellebat, ſed etiam doctrina, in iis praecipue, quae ad Iuris prudentiam ſpectant, addiderit, omnes norunt. Et, ut alios taceam, Paullus, pater tuus, totius antiquitatis bene peritus, multa ſcripſit, quae nomen eius ornant, quaeq. maximo cum hominum plauſu leguntur. Vel quae de Timauo flumine litteris mandauit, Deus bone, quantam doctrinam praeſeferunt? quam diſtincte, quam acute omnia? Nihil ut deſiderari poſſit, quod ad eam

rem

rem faciat. Neque tantum domi excelluere maiores Tui, ſed & belli illuſtres admodum fuere, militaremq. gloriam litterarum decori adiunxerunt. Optime igitur a me fit, qui amico optimo, & eidem eloquentiſſimo, officium hoc dem. donec maiora mihi ſe offerant; quibus teſtari poſsim, quid de eo ſentiam, qui hominum iudicio maior in dies euadit, &, cum alios fere ſuperarit, ſeipſum iam ſuperare pergit.

Vale. V. Kal. Febr. ∞ D X X C I I I.

Tibi addictiſsimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.

PRAECELLENTI OMNIBVS · LIBERALIBVS · DISCIPLINIS VIRO ANTONIO · PICIAMANO EXIMIO VENETO · PATRICIO VICTOR . PISANVS S . P . D.

OB *affinitatem noſtram, qua iampridem maiores noſtri ſummum amorem inter ſe inuicem, iucundiſſimumq. conciliauerunt: ac ob uirtutem tuam excellentem, ſcientiamq. illustrem, Antoni mi Piciamane dilectiſſime: cogor, uelim, nolim ue, te impenſiſſime diligere: quae quidem affinitas nobis integerrimum, ac indiſſolubilem iniuiſſe amorem uidetur. Tua porro ſcientia, non ſolum meum erga te amorem auxit, uerumetiam in maximam tui admirationem me compulit. Js enim uir es, ut non ſolum Theologia te delectet, ac Mathematice ars diſſerendi, & tota denique Philoſophia, (in quibus omnibus plurimum polles: quemadmodum in hac urbe pariter, & ubique fidem maximam tibi facis) ſed etiam eloquentiae studia amplecteris. Cum igitur hoc ipſo anno bonam temporis partem eximio, ac omnium ſcientiarum theſauro Georgio Vallae in eloquentiae studijs operam enauaſſem: cumq. excepiſſem quae in Oratore Ciceronis interpretabatur: ita certe mihi peridoneum uiſum est aliqua annotare, tum exercendi ingenij gratia, tum ut compluribus conferrem: qui huius opuſculi incuria hominum corrupti, & rerum cognitione parum intellecti laborarint, ſuppetias occurrerem. ſunt namque complures, qui uehementer aliquas annotationes concupiſcunt. Et, quia est Ciceronis, hoc eſt, praecipui eloquentiae luminis: & quia in eloquentiae studijs, ipſius ſententia Tullij iam in ſenium uergentis, omnium operum ab ipſo editorum longe praeſtantiſſimum: quin etiam ipſe Cicero ait, omnem ſuam studiorum eloquentiae cognitionem in hoc longe clariſſimo libro concluſiſſe: cumq. omnia huius obſcura loca pro*

uiribus

uiribus annotarim, (quod ſane opus ut antea a nullis profeſſoribus interpretari conſueuerat) ut magis accurate a noſtro omnium doctiſſimo praeceptore Georgio Valla interpretatum fuit, ac ad unguem exaratum: ita quaedam cognitu digniſſima collegi, & exercitationis cauſſa huc congeßi. Quare ob beneuolentiam inter nos iamdiu contractam, obq. tuam eximiam doctrinam, ut ceteris, ita mihi dilectus: par mihi uiſum eſt, te, utpote iuſtiſſimum pariter, & prudentisſimum iudicem, huic operi adhiberi: quo a tua auctoritate in manus perueniens aliorum, plus ſibi aſſequatur, ac tua gratia in maiori exiſtimatione ſit: cum quidem artium liberalium nihil poteſt, niſi ſummopere comprobatum iri, quod tuum ſubiuit iudicium: qui nomine, & re ipſa in omnibus prorſus liberalibus diſciplinis ſuperiorem habes neminem, ac perpaucos pares. Proinde non parum mihi uidebor adeptus gloriae, ſi hanc modo noſtram approbaueris lucubratiunculam: nec ut probes modo, uerum ut dumtaxat legendam putes. Vale.

IN
M · TVLLII · CICERONIS
AD . M . BRVTVM
ORATOREM
SIVE
DE · PERFECTO · ORATORE
Commentarius Victoris Piſani.

CICERO

Vtrum *difficilius, aut maius eßet, negare tibi, ſaepius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu, multumque, Brute, dubitaui. nam & negare ei, quem unice diligerem, cuiq. me cariſſimum eſſe ſentirem, praeſertim & iuſta petenti, & praeclara cupienti, durum admodum mihi uidebatur: & ſuſcipere tantam rem, quantam non modo facultate conſequi difficile eſſet, ſed etiam cogitatione complecti, uix arbitrabar eſſe eius, qui uereretur reprehenſionem doctorum, atque prudentium. quid enim eſt maius, quam, cum tanta ſit inter oratores bonos diſſimilitudo, iudicare, quae ſit optima ſpecies, & quaſi figura dicendi? Quod quoniam me ſaepius rogas; aggrediar, non tam perficiundi ſpe, quam experiundi uoluntate. malo enim, cum ſtudio tuo ſim obſecutus, deſiderari a te prudentiam meam, quam, ſi id non fecerim, beneuolentiam.*

EXPLANATIO

A Brvto rogatus Cicero, ut quaenam perfecti oratoris eſſet forma, perfectiſſimum dicendi genus oratione complecteretur: non uiſus eſt iccirco poſſe tergiuerſari, quod difficile, maximeq. arduum eſſe uideretur. pluris tamen ſe Bruti feciſſe teſtatur amicitiam: ac in prima libri fronte, ut attentum lectorem facit, beneuolum, & docilem: ita in primis Bruti ſibi conciliat amicitiam, dum ait, Vtrum difficilius, aut maius eſſet, negare tibi, ſaepius idem roganti, & quae ſequuntur. Saepivs *idem roganti* ʒ ideo minus negare potuit, & quia ſaepius, & quia rogabat Brutus Ciceronis amiciſſimus. Div ʒ quia diuturno tempore in eodem perſtitit propoſito. Nam id etiam (Diu) ſignificat: eſt enim perſeuerantis intentio, quae non eſt in (Pridem) aduerbio: nam, ſicut Pridem duxi uxorem recte dixeris, ita non recte, Diu. Mvltvmq. ʒ ideo magis cogitur, quod rogat Brutus, Cicero efficere, quia rogabat, & quia amicus. Sed, cum maxime arduum ſit, non iniuria, diu ac multum ſe dubitaſſe ait. Brvte, *dubitaui* ʒ haec clauſula ſicut a numero coepit, ita iure in numerum concluditur: Ciceronianusq. numerus eſt. frequentiſſime ſiquidem Trochaeo ante Paeana tertium in fine utitur clauſulae. Nam *& negare* ʒ eſt recuſare, infitiari, uel infitias ire, eſt non factum eſſe aſſerere. Qvem *unice* ʒ id eſt, quem unum praeter alios. Diligerem, *cuiq. me cariſſimum eße ſentirem* ʒ ideo, inquit, cogebar non abnuere, quod mihi in amore reſpondeas, quod mutuus, quod reciprocus inter nos amor intercedat. Praesertim *& iuſta petenti* ʒ ideo minus recuſari poteſt: quia iuſtum, ne iniqui uideamur: & quia praeclarum, quoniam labor ipſe ſumptus a nobis non uileſcit. Et *ſuſcipere tantam rem* ʒ quanta ea ſit, mox explicabitur. Qvantam *non modo facultate*

conſequi difficile eßet ʒ Facultas appellatur, qua aliquid facilius fit: unde & non ſcientiae, atque artes modo, uerumetiam opes ſunt appellatae facultates: Facultate igitur, id eſt, dicendi poteſtate. Sed *etiam cogitatione complecti* ʒ quoniam, quod nuſquam eſt, quod nemo umquam, quantuſcumque eſſet in dicendo, conſequi potuit, ut tam cumulatus foret orator, atque conſummatus, ut multa ei addi non poſſent. Qvi *ueretur reprehenſionem doctorum, atque prudentium* ʒ doctorum quidem, qui putarent tam multiplicem doctrinam, quanta in Oratore deſideratur, a nemine comprehendi poſſe. Prudentium uero, qui putarent onus maius, quam quod humeris ſuſtinere noſtris poſſimus, ſubeundum non eſſe. Tanta *ſit inter oratores diſſimilitudo* ʒ quando alij in humili, alij in grandiloquo, alij in temperato dicendi genere excelluerunt. Et *quaſi figura dicendi* ʒ id eſt, character: de quo mox dicetur. Desiderari *a te prudentiam meam* ʒ deſideramus ſiquidem abſentia, cupimus praeſentia.

C I C E R O

Qvaeris igitur, idq. iam ſaepius, quod eloquentiae genus probem maxime, & quale mihi uideatur illud, cui nihil addi poſſit, quod ego ſummum, & perfectiſſimum iudicem. In quo uereor, ne, ſi id, quod uis, effecero, eumq. oratorem, quem quaeris, expreſſero, tardem ſtudia multorum; qui deſperatione debilitati, experiri id nolent, quod ſe aßequi poße diffidant. ſed par eſt omnes omnia experiri, qui res magnas, & magnopere expetendas concupiuerunt. quod ſi quem aut natura ſua, aut illa praeſtantis ingenij uis forte deficiet; aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis; teneat tamen eum curſum, quem poterit. prima enim ſequentem, honeſtum eſt, in ſecundis, tertijsq. conſiſtere. an in poetis non Homero ſoli locus eſt, (ut de Graecis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, ſed horum uel ſecundis, uel etiam infra ſecundos? nec uero Ariſtotelem in philoſophia deterruit a ſcribendo amplitudo Platonis: nec ipſe Ariſtoteles admirabili quadam ſcientia, & copia ceterorum ſtudia reſtinxit. nec ſolum ab optimis ſtudijs excellentes uiri deterriti non ſunt, ſed ne opifices quidem ſe artibus ſuis remouerunt, qui aut Ialyſi, quem Rhodi uidimus, non potuerunt, aut Coae Veneris pulchritudinem imitari: nec ſimulacro Iouis Olympij, aut Dorypbori ſtatua deterriti reliqui, minus experti ſunt, quid efficere, aut quo progredi poſſent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in ſuo cuiuſque genere laus, ut, cum ſumma miraremur, inferiora tamen probaremus.

E X P L A N A T I O

Tardem *ſtudia multorum* ʒ quoniam, rei propoſita immenſa difficultate, a propoſito dicendi ſe ad alia reuocabunt. Sed *par eſt* ʒ id eſt, expedit, conuenit. Praestantis *ingenij uis* ʒ ad inuenienda noua, & inuenta iudicanda. Magnarvm *artium diſciplinis* ʒ artes ipſae per ſeſe ſunt diſciplinae, cum diſcuntur: quae cuiuſmodi ſint, deinceps indicabitur. In *ſecundis, tertiisq. conſiſtere* ʒ hoc dicit, honeſtum eſt, ut qui primus in capeſcenda aliqua diſciplina eſſe non poteſt, contentus ſecundo, aut tertio loco eſſe uelit, exemploq. docet. nam, cum Homerus inter Poetas primum ſibi uindicauerit locum, non tamen famam ſuam reliquis eripuit: non Archilocho Iambographo, non Sophocli Tragico, non Pindaro Lyrico: quem & Quinctilianus, & ceteri decem Lyricorum facile principem eſſe uolunt, ſpiritus magnificentia, ſententiis, figuris, beatiſſima rerum, uerborumq. copia, quodam eloqueniiae flumine: propter quae merito credit Horatius nemini imitabilem, inquiens:

Pindarum quiſquis ſtudet aemulari,
Iule, ceratis ope Dedalaea
Nititur pennis uitreo daturus
    Nomina ponto.
Monte decurrens, uelut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas,
Feruet, immenſusq. ruit profundo
    Pindarus ore.
Laurea donandus Apollinari.

Nec *uero Ariſtotelem* ʒ hoc dicit, Tametſi Plato uberrimus fuit in dicendo, multipliciq. ſcientia ampliſſimus: ob id tamen ſe Ariſtoteles a ſcribendo non abdicauit. Neqve *ipſe Ariſtoteles* ʒ utcumque admirabili quadam praeditus fuerit ſcientia: tamen multos alios, qui ipſum ſecuti ſunt, deterruit. Qvi *aut Ialyſi, quem Rhodi uidimus* ʒ huius meminit Strabo lib. 14. inquiens, Sunt & Prothogenis picturae, Ialyſius, & Satyrus columnae adhaerens, ſupra quem perdix reſidet: ad quam quidem tabulam, cum expoſita eſt, adeo inhiantes ſpectant homines, ut perdicem admirantes obſtupeant. Avt *Coae Veneris* ʒ quae in Co inſula fuit depicta. Nec *ſimulacro Iouis Olympij* ʒ quod Phidias pinxit admiranda quadam effigie: qui interrogatus (quemadmodum Val. Max. tradit) quonam mentem dirigeret ſuam, Iouem depingens, adiecit Homericos uerſus illos:

Ἡ καὶ κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι κρονίων,
Ἀμβρόσιαι δ᾽ ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος.
Κρατὸς ἀπ᾽ ἀθανάτοιο, μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Avt

Avt *Dorypbori ſtatua* ʒ Doryphorus, deductum nomen eſt a δόρ, quod ſignificat lanceam, & φέρω. ſed ponitur pro ualido ſatellite: unde & Quinctilianus, An uero ſtatuarum artifices, inquit, pictoresq. clariſſimi, cum corpora quam ſpecioſiſſima fingendo, uel pingendo facere cuperent, numquam in hoc ceciderunt errorem, ut Bagoam, & Negabuſum aliquem in exemplum operis ſumerent ſibi, ſed Doryphoron illum aptum uel militiae, uel palaeſtrae.

CICERO

IN oratoribus uero, Graecis quidem, admirabile eſt, quantum inter omnes unus excellat. attamen, cum eßet Demoſthenes, multi oratores magni, & clari fuerunt, & antea fuerant, nec poſtea defecerunt. Quare non eſt, cur eorum, qui ſe ſtudio eloquentiae dediderunt, ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria. nam neque illud ipſum, quod eſt optimum, deſperandum eſt: & in praeſtantibus rebus magna ſunt ea, quae ſunt optimis proxima. Atque ego in ſummo oratore, fingendo talem informabo, qualis fortaße nemo fuit. non enim quaero, quis fuerit, ſed quid ſit illud, quo nihil poſſit eſſe praeſtantius, quod in perpetuitate dicendi non ſaepe, atque haud ſcio, an umquam, in aliqua autem parte eluceat aliquando, idem apud alios denſius, apud alios fortaſſe rarius. Sed ego ſic ſtatuo, nihil eße in ullo genere tam pulchrum, quo nõ pulchrius id ſit, unde illud, ut ex ore aliquo quaſi imago, exprimatur; quod neque oculis, neque auribus, neque ullo ſenſu percipi poteſt, cogitatione tantum, & mente complectimur. itaque & Phidiae ſimulacris, quibus nihil in illo genere perfectius uidemus, & ijs picturis, quas nominaui, cogitare tamen poſſumus pulchriora. Nec uero ille artifex, cum faceret Iouis formam, aut Mineruae, contemplabatur aliquem, e quo ſimilitudinem duceret: ſed ipſius in mente inſidebat ſpecies pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaq. defixus, ad illius ſimilitudinem artem, & manum dirigebat.

EXPLANATIO

QVARE *non eſt* ʒ Argumentationem concludit, quam multis exemplis illuſtrauit, ut doceret neminem debere expaueſcere rei propoſita magnitudine, quod oratoriae facultatis apicem ſe contingere poſſe nõ confideret, & perinde relinqueret intactam. Neqve *illud ipſum, quod eſt optimum, deſperandum eſt* ʒ quoniam in humanis rebus, non in diuinis, eſt collocandum. In *perpetuitate dicendi* ʒ ideſt, perpetua habeatur oratio: aut certe tempore perpetuo. Sed *ego ſic ſtatuo* ʒ ſenſus eſt, Arbitror autem in nullo dicendi genere nihil tam ſpecioſum, quo non ſit id ſpecioſius, unde quis loquitur, quam quod loquitur: id eſt, integrius ſit. unde ſumit exemplum, quam quod in oratione continetur. Cogitatione *tantum, & mente complectitur* ʒ quoniam ſpecies ipſae artium, quae cogitatione ſola continentur, omnibus in eis facultatibus praeceptis inſtructae ſunt, figurisq. conſummatae: in hominibus autem ipſis mutilae, ac truncae. Nec *uero ille artifex* ʒ ſubaudi, Phidias. Iovis *formam, aut Mineruae* ʒ nam, quemadmodum Ariſtoteles in libro, quem de mundo ſcripſit, Phidiam ait ſtatuarium, Mineruam in arce Athenienſium ita conſtruxiſſe, & in medio eius ſcuto ſuum ita os formaſſe, ut, qui uellet auferre, totam eſſet ſtatuam diſſoluturus. Insidebat *ſpecies* ʒ ideſt, imago pingendi, quae eius animo adhaeſerat.

CICERO

VT igitur in formis, & figuris eſt aliquid perfectum, & excellens, cuius ad excogitatam ſpeciem imitando referuntur ea, quae ſub oculos ipſa non cadunt: ſic perfectae eloquentiae ſpeciem animo uidemus, effigiem auribus quaerimus. Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi grauiſſimus auctor, & magiſter Plato: easq. gigni negat, & ait ſemper eße, ac ratione, & intelligentia contineri; cetera naſci, occidere, fluere, labi, nec diutius eſſe uno & eodem ſtatu.

EXPLANATIO

VT *igitur in formis, & in figuris eſt* ʒ figurae inanimatis, formae animatis attribuuntur. figuras enim tunc deſignamus, cum trigonum, uel tetragonum, uel conum, uel cylindrum, uel ſphaeram dicimus: formas autem, cum formoſos aſſerimus aliquos, uel deformes. Cvivs *ad excogitatam ſpeciem* ʒ id eſt, non eam, quam oculis intuemur, ſed animo metimur. Perfectae *eloquentiae ſpeciem animo uidemus* ʒ id eſt, contemplamur mente abſolutam illam eloquentiam: ad cuius ſimilitudinem facta haec eſt, quam perſpicimus. Effigiem *auribus quaerimus* ʒ ſenſus eſt, Illius perfectae eloquentiae, cuius imaginem ſolo animo comprehendimus, auribus cupimus cognoſcere ſimilitudinem. Has *rerum formas appellat ideas* ʒ ſenſus eſt, Fontes illos, unde omnium rerum demanant ſcaturigines, Plato ideas uocat: quaſi mentis quaedam ſimulacra perfecta, ad quae omnia referuntur: quae ſint ne in diuino conceptu, atque prouidentia collocata: an in nudis, puriſq. intellectibus, an certe in indiuiduis, uaria philoſophorum Platonicorum, Peripateticorumq. contentio eſt. Easq. *gigni negat* ʒ uelut in Timaeo Plato: & Cicero ipſe Platonem ſecutus in libro de Vniuerſitate oſtendit.

CICERO

QVIDQVID *eſt igitur, de quo ratione, & uia diſputetur, id eſt ad ultimam ſui generis formam, ſpeciemq. redigendum. Ac uideo, hanc primam ingreſſionem meam, non ex oratoris diſputationibus ductam, ſed e media philoſophia repetitam, & eam quidem cum antiquam, tum ſuboſcuram, aut reprehenſionis aliquid, aut certe admirationis habituram. nam aut mirabuntur, quid haec pertineant ad ea, quae quaerimus: quibus ſatisfaciet res ipſa cognita, ut non ſine cauſſa alte repetita uideatur: aut reprehendent, quod inuſitatas uias indagemus, tritas relinquamus. Ego autem & me ſaepe noua uideri dicere intelligo, cum peruetera dicam, ſed inaudita pleriſque: & fateor me oratorem, ſi modo ſim, aut etiam quicumque ſim, non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatijs exſtitiſſe. illa enim ſunt curricula multiplicium, uariorumq. ſermonum, in quibus Platonis primum impreßa ſnnt ueſtigia: ſed & huius, & aliorum philoſophorum diſputationibus & exagitatus maxime orator eſt, & adiutus. omnis enim ubertas, & quaſi ſilua dicendi ducta ab illis eſt, nec ſatis tamen inſtructa ad forenſes caußas, quas, ut illi ipſi dicere ſolebant, agreſtioribus muſis reliquerunt. ſic eloquentia haec forenſis, ſpreta a philoſophis, & repudiata, multis quidem illa adiumentis, magnisq. caruit, ſed tamen ornata uerbis, atque ſententijs iactationem habuit in populo, nec paucorum iudicium, reprehenſionemq. pertimuit. Ita & doctis eloquentia popularis, & diſertis elegans doctrina defuit.*

EXPLANATIO

QVICQVID *eſt igitur* ʒ ſenſus eſt, Omnia, quae ratione, & uia aliqua in diſputationem ueniunt, ſunt ad ultimum ſui generis principium redigenda: ut cui generi, id eſt, cathegoriae ſiue praedicamento ſubijciantur, cognoſci poſſint. E *media philoſophia repetitam* ʒ quoniam, ſi philoſophia rerum metitur primordia, facilius inde, a qua unaquaeque res initium ducat, dignoſci poteſt. CVM *antiquam, tum ſubobſcuram* ʒ cum, id eſt, partim: tum, id eſt, maxime. INVSITATAS *uias* ʒ a nullo rhetore tactas. TRITAS *relinquamus* ʒ id eſt, quae ſunt in uſu omnium. NOVA ʒ quia incognita rhetoribus. PERVETERA ʒ quoniam iampridem tractata. NON *ex rhetorum officinis* ʒ qui rhetores a Graecis dicuntur, a noſtris oratores: qui in foro, & in omni cauſſarum genere uerſantur. Rhetores autem Latine intelliguntur, qui rhetoricam docent, quos Graeci Sophiſtas uocant. Officina dicitur locus, in quo officium aliquod adminiſtratur, quod ad corpus pertineat: ut tonſtrina, ſutrina. Hoc loco igitur officina ad mentem tranſlata eſt. SED *ex Academiae ſpatijs exſtitiße* ʒ id eſt, ex diſputationibus philoſophorum. Fuit autem Academia, uillula non longe ab Athenis diſtans, ab Academo heroe illic ſepulto uocata, ubi philoſophari Plato conſueuit. SPATIIS ʒ quoniam ſpatiari ibi ſolebant philoſophi. ILLA *enim ſunt curricula multiplicium, uariorumq. ſermonum* ʒ Currus, Curriculus facit. Curriculum autem, eſt a curſu deductum: unde Curriculo aduerbium pro cito. Senſus autem eſt, Curſus multiplices, & uarij ſermonum ab ipſa petuntur philoſophia. IN *quibus Platonis ſunt impreßa ueſtigia* ʒ id eſt, in quibus ſermonibus multum uerſatur Plato. impreſſa autem ueſtigia dicendo. tranſlatio ſumpta eſt ab ijs, qui in aliquo loco obnixiſſime ſe firmarunt. ET *quaſi ſilua dicendi* ʒ ſilua aliquando dicitur arborum: ut glandaria ſilua, & caedua ſilua. aliquando ſilua dicitur materia, unde aliquid gignitur: uelut philoſophi materiam illam uocant, unde quattuor ſunt elementa. inde Statius Siluas ſuas appellauit, quod illis tamquam materia uteretur, id eſt, principio ad cetera exactius ſcribenda opera. ideo Cicero etiam ſiluam dicendi philoſophiam uocat, quod ſine philoſophiae adminiculo, rhetorica conſiſtere non poſſit. AD *forenſes caußas* ʒ id eſt, ad genus iudiciale. AGRESTIORIBVS *muſis* ʒ incultioribus diſciplinis: doctis eloquentia popularis, & diſertis elegans doctrina defuit. ſenſus eſt, Eloquentia, qua oblectatur populus, doctis defuit hominibus, id eſt, philoſophis, & elegans doctrina, id eſt, philoſophia, defuit oratoribus.

CICERO

POSITVM *ſit igitur in primis, quod poſt magis intelligitur; ſine philoſophia non poſſe effici quem quaerimus eloquentem; non ut in ea tamen omnia ſint; ſed ut ſic adiuuet, ut palaeſtra hiſtrionem. parua enim magnis ſaepe rectiſſime conferuntur. nam nec latius, nec copioſius de magnis, uarijsq. rebus ſine philoſophia poteſt quiſquam dicere. ſi quidem etiam in Phaedro Platonis hoc Periclem praeſtitiſſe ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae phyſici fueris auditor: a quo cenſet eum, cum alia praeclara quaedam, & magnifica didiciſſet, uberem, & fecundum fuiſſe, gnarumque, quod eſt eloquentiae maximum, quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. quod idem de Demoſthene exiſtimari poteſt: cuius ex epiſtolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. Nec uero ſine philoſophorum diſciplina genus, & ſpeciem cuiuſque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes poſſumus; nec iudicare, quae uera, quae falſa ſint; neque cernere conſequentia, repugnantia uidere, ambigua diſtinguere.*

EXPLANATIO

NON *ut in ea tamen omnia ſint* ſenſus eſt, Nolo tamen oratorem, qui omnes philoſophiae nodos perſcrutari contendat, ſed ut a philoſophia ita adiuuetur, ut a palaeſtra hiſtrio. IN *Phaedro Platonis* id eſt, in dialogo, quem ſcripſit Plato, Phaedrum a ſuo diſcipulo appellans, in quo de Pulchro agitur. ANAXAGORAE *phyſici* qui fuit Clazomenius. Phyſici, qui de rerum natura diſputauit. nam Phyſis, natura uocatur: unde Phyſicus. GNARVMQ. id eſt, doctum, inſtructumq. praeceptis philoſophiae. QVAM *frequens fuerit Platonis auditor* id eſt, quam frequenter Platoni in philoſophia operam dederit Demoſthenes. NEC *uero ſine philoſophorum diſciplina genus, & ſpeciem cuiuſque rei cernere* non poteſt, inquit, orator cognoſcere genus, & ſpeciem ſine philoſophiae cognitione. hoc autem dixit iuxta Stoicorum ſententiam. Philoſophi ſiquidem Stoici philoſophiam diuiſerunt in phyſicam, id eſt, naturalem: ethicam, id eſt, moralem: & logicam, id eſt, ſermocinalem. Logica uero, ut multa alia comprehendit, ita quinque uocum, hoc eſt, ut nunc loquuntur multi, praedicabilium cognitionem tradit. Sunt autem uoces quinque, genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens: quae ad unamquamque rem ſiue diuidendam, ſiue definiendam peropportuna ſunt. id eſt, quod ait ſine philoſophia, cerni non poſſe genus, & ſpeciem: nec definiri, nec diſtribui in partes, a quibus ad demonſtrationem adſcenditur. NEC *iudicare, quae uera, quae falſa ſint;* nam, cum Dialecticus nouerit praedicabilia, atque praedicamenta, tamquam omnium argumentorum ſemina, atque elementa noſſe oportet, quo modo omnis texatur argumentatio, quae, ſiue ſit inductio, ſiue ſyllogiſmus, ſiue ſimilitudo, ſiue exemplum, ſiue enthymema, ſiue epicherema, oratione conſtat: quoniam ſola indicatiua uerum, uel falſum ſignificat. Indicatiua ſit neceſſe eſt, quae nomine, & uerbo ſubſtantiuo conſtet: ſiue ſit uniuerſalis, ſiue particularis, ſiue indefinita, ſiue ſingularis affirmatiua, aut negatiua, una uel multiplex, cathegorica, uel hypothetica, alij comparata, contraria, ſubcontraria, ſubalterna, contradictoria, aequipollens, uel non aequipollens, conuerſa, uel non conuerſa: quae modo caret, uel quae modo aliquo ex tribus definitur: unde ſyllogiſmi ad aliquid demonſtrandum texuntur. quorum ut alij ſunt cathegorici, alij hypothetici: ita cathegoricorum tria ſunt genera, & multae ſingulorum ſpecies, hypotheticorum ſeptem. Quae igitur uera, quaeq. falſa ſint, iudicari poſſunt facile ex contradictorijs. NEQVE *cernere conſequentia* quae ſequantur, quae anteceſſerint, an argumentum ſtet, necne. REPVGNANTIA *uidere* quae in contraria, & contradictoria diuiduntur. AMBIGVA *diſtinguere* quae in dubium ſenſum trahi poſſint, ut taurus eſt mons, ſi intelligatur de terreſtri, uerum: ſin autem de caeleſti, falſum. & Aiax fuit inſanus: ſi de Oileo, falſum: ſi de Telamonio, uerum: diſtinguendum igitur.

CICERO

QVID dicam, de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis ſuppeditat copiam, de uita, de officijs, de uirtute, de moribus, ſine multa earum ipſarum rerum diſciplina aut dici, aut intelligi poſſe? Ab has tot, tantasq. res adhibenda ſunt ornamenta innumerabilia; quae ſola tum quidem tradebantur ab ijs, qui dicendi numerabantur magiſtri. Quo fit, ut ueram illam, & abſolutam eloquentiam nemo conſequatur; quod alia intelligendi, alia dicendi diſciplina eſt; & ab alijs rerum, ab alijs uerborum doctrina quaeritur. itaque M. Antonius, cui uel primas eloquentiae patrum noſtrorum tribuebat aetas, uir natura peracutus, & prudens, in eo libro, quem unum reliquit, diſertos ait ſe uidiſſe multos, eloquentem omnino neminem. Inſidebat uidelicet in eius mente ſpecies eloquentiae, quam cernebat animo, re ipſa non uidebat. uir autem acerrimo ingenio, (ſic enim fuit) multa & in ſe, & in alijs deſiderans, neminem plane, qui recte appellari eloquens poſſet, uidebat. Quod ſi ille nec ſe, nec L. Craſſum eloquentem putauit; habuit profecto comprehenſam animo quandam formam eloquentiae: cui quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid, aut plura deerant, in eam formam non poterat includere. Inueſtigemus hunc igitur, Brute, ſi poſſumus, quem numquam uidit Antonius, aut qui omnino nullus umquam fuit: quem ſi imitari, atque exprimere non poſſumus, quod idem ille uix deo conceſſum eſſe dicebat; at, qualis eſſe debeat, poterimus fortaſſe dicere.

EXPLANATIO

QVID *dicam de natura rerum* id eſt, de naturali philoſophia. DE *uita* ſubaudi, quid dicatur. DE *officijs, de uirtute* quae omnia moralis ſunt philoſophiae. QVOD *alia intelligendi* quae eſt philoſophia. AB *his* ſubaudi, quae ad philoſophiam tendunt. CVI *uel primas eloquentiae* id eſt, primum in eloquentiae locum. MVLTA *& in ſe, & in alijs deſiderans* & perinde nullum perfectum oratorem intuens.

CICERO

TRIA ſunt omnino genera dicendi, quibus in ſingulis quidam floruerunt; peraeque autem, id, quod uolumus, perpauci in omnibus. Nam & grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt, cum ampla & ſententiarum

tiarum grauitate, & maieſtate uerborum, uehementes, uarij, copioſi, graues, ad permouendos, & conuertendos animos inſtructi, & parati; quod ipſum alij aſpera, triſti, horrida oratione, neque perfecta, neque concluſa, alij leui, & inſtructa, & terminata: & contra tenues, acuti, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora facientes, ſubtili quadam, & preſſa oratione limati. In eodemq. genere alij callidi, ſed impoliti, & conſulto rudium ſimiles, & imperitorum: alij in eadem ieiunitate concinniores, id eſt faceti, florentes etiam, & leuiter ornati. Eſt autem quidam interiectus inter hos melius, & quaſi temperatus, nec acumine poſteriorum, nec fulmine utens ſuperiorum, ut cinnus amborum, in neutro excellens, utriuſque particeps, uel utriuſque, ſi uerum quaerimus, potius expers: isq. uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit, nihil afferens praeter facultatem, & aequalitatem; aut addit aliquos ut in corona toros, omnemq. orationem ornamentis modicis uerborum, ſententiarumq. diſtinguit. Horum ſingulorum generum quicumque uim ſinguli conſecuti, magnum in oratoribus nomen habuerunt.

EXPLANATIO

TRIA *ſunt omnino genera dicendi* } Demetrius Phalereus, Simplices, inquit, characteres ſunt quattuor: Tenuis, Magnificus, Ornatus, Grauis. uerumtamen ornatum Cicero ipſe medio inſerit: quare & tres ſunt dicendi etiam characteres, de quibus ſingulis, ut multi alij auctores tradiderunt, ſicut alibi, ita hic nobis praecepta reliquit. ET *preſſa oratione limati* } arguti, inquit, & elegantes in humili genere dicendi. Tranſlatio ſumpta eſt a lima, qua ferramenta terguntur. SED *impoliti* } id eſt, innitidi. eſt autem politum, terſum, & candidans: a uocabulo Graeco πολιὸν, quod ſignificat canum. Nonius Marcellus de indagine doctorum uirorum auctoritate. ET *conſulto* } id eſt, dedita opera. IN *eadem ieiunitate concinniores* } id eſt, congruentiores, aptiores. ID *eſt faceti* } Facetum Quinctiliani teſtimonio, aliquando urbanum, aliquando elegans, & diſertum. NEC *fulmine utens ſuperiorum* } id eſt, magnifici dicendi generis: ui, ac poteſtate illa, qua etiam ipſe dicitur fulminare Demoſthenes. VICINVS *amborum* } proximus humili, & grandiloquo. NIHIL *afferens praeter facultatem* } id eſt, nihil molitus niſi quantum poteſt. VT *in corona toros* } id eſt, tortiles illas eminentias, quibus corona exornatur. VERBORVM, *ſententiarumq.* } de quibus dicetur poſterius.

PAVLLVS. MANVTIVS. HORVM *ſingulorum generum quicumque uim ſingulis conſecuti ſunt* } ſic antiquus Borromaei liber, & recte. antea, Vim ſingulis. alij ueteres libri, Vim in ſingulis, non recte: quorſum enim addat, In ſingulis. cum dixerit iam, Singulorum generum?

CICERO

SED quaerendum eſt, ſatis ne id, quod uolumus, effecerint. Videmus enim fuiſſe quoſdam, qui ijdem ornate, ac grauiter, ijdem uerſute, & ſubtiliter dicerent, atque utinam in Latinis talis oratoris ſimulacrum reperire poßemus: eſſet egregium non quaerere externa, domeſticis eſſe contentos. Sed ego idem, qui illo ſermone noſtro, qui eſt expoſitus in Bruto, multum tribuerim Latinis: uel ut hortarer alios, uel quod amarem meos: recordor longe omnibus unum anteferre Demoſthenem, qui uim accommodarit ad eam, quam ſentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipſe cognouerim. hoc nec grauior exſtitit quiſquam, nec callidior, nec temperatior.

EXPLANATIO

NON *quaerere externa* } id eſt, non labi in Graecos, ſed Latinorum teſtimoniis eſſe contentos. QVI *eſt expoſitus in Bruto* } nam in eo libro, qui Brutus inſcribitur, claros tam Graecos, quam Latinos recenſuit oratores: in quo, cum uideatur Latinos plus, quam conueniat, laudaſſe, cur id fecerit, hic reddit rationem: ait enim, Vel ut hortarer alios, uel quod amarem meos. HOC *nec grauior exſtitit quiſquam* } quod grandiloquo conuenit generi. NEC *callidior,* } quod conuenit humili. NEC *temperatior,* } quod conuenit mediocri.

CICERO

ITAQVE nobis monendi ſunt ij, quorum ſermo imperitus increbuit, qui aut dici ſe deſiderant Atticos, aut ipſi Attice uolunt dicere, ut mirentur hunc maxime, quo ne Athenas quidem ipſas magis credo fuiße Atticas. quid enim ſit Atticum, diſcant; eloquentiamq. ipſius uiribus, non imbecillitate ſua, metiantur. nunc enim tantum quiſque laudat, quantum ſe poße ſperat imitari. ſed tamen eos, ſtudio optimo, iudicio minus firmo praeditos, docere, quae ſit propria laus Atticorum, non alienum puto. Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia. omnes enim, qui probari uolunt, uoluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, & ad eorum arbitrium, & nutum, totos ſe fingunt, & accommodant.

EXPLA-

EXPLANATIO

QVI *aut dici ſe deſiderant Atticos* ʒ quoniam erant, qui exiſtimarent eſſe genus Atticum unum tantũ, & id eſſe humile: in quo longe falſos eſſe oſtendit. MAGIS *credo fuiße Atticas* ʒ id eſt, genere dicendi elimatiores exiſtimabat, tametſi Atticum dicatur ab Attica. MODERATRIX *fuit auditoris prudentia* ʒ quoniam praeſtantes dicendi facultate uiri ſemper ſeſe auditoribus accommodarunt, talisq. fuit eorum oratio, ut auribus audientium congrueret.

CICERO

ITAQVE Caria, & Phrygia, & Myſia, quod minime politae, minimeq. elegantes ſunt, adſciuerunt aptum ſuis auribus, opimum quoddam, & tamquam adipatae dictionis genus: quod eorum uicini, non ita lato interiecto mari, Rhodij numquam probauerunt, Graeci autem multo minus, Athenienſes uero funditus repudiauerunt: quorum ſemper fuit prudens, ſincerumq. iudicium, nihil ut poſſent niſi incorruptum audire, & elegãs. eorum religioni cum ſeruiret orator, nullum uerbum inſolens, nullum odioſum ponere audebat. itaque hic, quem praeſtitiſſe diximus ceteris, in illa pro Cteſiphonte oratione longe optima, ſummiſſius a primo; deinde, dum de legibus diſputat, preſſius; poſt, ſenſim incedens, iudices ut uidit ardentes, in reliquis exſultauit audacius. Ac tamen in hoc ipſo, diligenter examinante uerborum omnium pondera, reprehendit Aeſchines quaedam, & exagitat; illudensque, dura, odioſa, intolerabilia eſſe dicit. Quin etiam quaerit ab ipſo, cum quidem eum belluam appellet, utrum illa uerba, an portenta ſint, ut Aeſchini ne Demoſthenes quidem uideatur Attice dicere. Facile eſt enim uerbum aliquod ardens, ut ita dicam, notare, idque, reſtinctis iam animorum incendijs, irridere. Itaque ſe purgans iocatur Demoſthenes: Negat in eo poſitas eſſe fortunas Graeciae, in hoc in eum, huc, an illuc manum porrexerit. Quoniam igitur modo audiretur Myſus, aut Phryx Athenis, cum etiam Demoſthenes exagitetur ut putidus? Cum uero inclinata, ululantiq. uoce, more Aſiatico, canere coepiſſet; quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri?

EXPLANATIO

ITAQVE *Caria, & Phrygia, & Myſia* ʒ quae Aſiae regiones tumenti, ac inflato dicendi genere uſae ſunt. ET *tamquam adipatae dictionis genus* ʒ Adipatum ueteres, inquit Nonius Marcellus, honeſte pro pingui, & ſucculento, & opimo poſuerunt. DICTIONIS ʒ Elocutionis: non nt Grammatici accipiunt dictionem pro uocabulo. EORVM *religioni cum ſeruiret orator* ʒ religionem Athenienſium uocat prudentiam in dicendo, atque audiendo: ut nec plus, nec minus, nec aliter, quam conueniat, audire uelint. NVLLVM *uerbum inſolens* ʒ ideſt, a quotidiano uſu dicendi remotum. ITAQVE *hic, quem praeſtitiße diximus* ʒ ideſt, Demoſthenes, quem alios oratores Graecos diximus antecedere facundia. IN *illa pro Cteſiphonte oratione* ʒ quae de corona inſcribitur, in qua Cteſiphontem defendit aduerſus Aeſchinem. SVMMISSIVS *a primo* ʒ ut deos, deasq. precatur, ut ſibi ita adſint, ſicut ipſe ſemper reip. commodis fauit. IN *reliquis exſultauit audacius* ʒ ubi iam in ſua poteſtate uiſus eſt habere auditorem. FACILE *enim eſt aliquod uerbum ardens* ʒ id eſt, per iram expreſſum, ſicut etiam Quinctilianus ardentem Lucanum dicit, nec ad elegantiam attinet, ſplendoremq. uerborum, quae in ipſo prorſus non ſunt. IN *eum* ʒ ſubaudi, Aeſchinem. VT *putidus* ʒ ideſt, corruptus. INCLINATA, *ululantiq. uoce* ʒ qua Aſiani utuntur.

PAVLLVS. MANVTIVS. NEGAT *in eo poſitas eſſe fortunas Graeciae, in hoc eum, huc an illuc manum porrexerit.* ʒ mendum patet. Graece ſic apud Demoſthenem: πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτ᾽, οὐχ ὁρᾷς, γέγονε τὰ τῶν ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα, ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγώ, ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα, ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρήνεγκα. itaque & ex Graecis uerbis, & auctoritate beati Ambroſij, qui libro emendato uſus uidetur, ita legi poteſt: Negat in eo poſitas eſſe fortunas Graeciae, hoc, an illo uerbo uſus ſit, huc, an illuc manum porrexerit. Recitat hunc locum Ambroſius in Lucam lib. 2. cap. 2. tit. de natiuitate Saluatoris.

CICERO

AD Atticorum igitur aures, teretes, & religioſas, qui ſe accommodant, ij ſunt exiſtimandi Attice dicere, quorum genera plura ſunt: hi, unum modo quale ſit, ſuſpicantur. putant enim, qui horride, inculteq. dicat, modo id eleganter, enucleateq. faciat, eum ſolum Attice dicere. Errant, quod ſolum: quod Attice, non falluntur. iſtorum enim iudicio, ſi ſolum illud eſt Atticum, ne Pericles quidem dixit Attice; cui primae ſine controuerſia deferebantur. Qui ſi tenui genere uteretur, numquam ab Ariſtophane poeta fulgurare, tonare, permiſcere Graeciam dictus eßet.

EXPLA-

EXPLANATIO

AVRES *teretes* } id eſt, rotundas, atque conſummatas. HI *unum modo* } hi, ſubaudi, Latini, qui exiſtimant unum Attice dicendi genus. HORRIDE, *inculteq.* } ſine numeris, ſine figuris. ELEGANTER, *enucleateq. faciat* } id eſt, modo proprietate utatur uerborum, preſſeque, & acute dicat. CVI *primae ſine controuerſia deferebantur* } id eſt, qui primum ſibi locum uindicarat. Fuit enim per id tempus Pericles oratorum facile princeps: & omni, ut ipſe alibi ait, uirtutis genere floruit. AB *Ariſtophane* } qui ueteris comoediae ſcriptor fuit.

CICERO

DICAT igitur Attice uenuſtiſſimus ille ſcriptor, ac politiſſimus Lyſias; (quis enim id poſſit negare?) dum intelligamus, hoc eſſe Atticum in Lyſia, non quod tenuis ſit, atque inornatus, ſed quod nihil habeat inſolens, aut ineptum. Ornate uero, & grauiter, & copioſe dicere, aut Atticorum ſit, aut ne ſit Aſchines, ne ue Demoſthenes Atticus.

EXPLANATIO

DICAT *igitur Attice uenuſtiſſimus ille ſcriptor, ac politiſſimus Lyſias* } nam, ut ipſe quoque in Bruto inquit, fuit Lyſias ipſe quidem in cauſſis forenſibus non uerſatus, ſed egregie ſubtilis ſcriptor, atque elegans: quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. Ita Quinctilianus, Subtilis, atque elegans Lyſias: & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere, quaeras perfectius. nihil enim eſt inane, nihil accerſitum. puro tamen fonti, quam magno flumini, propior. AESCHINES } qui aduerſatus eſt Demoſtheni. is autem, ut Quinctilianus inquit, Demoſthene magis fuſus, & grandiori ſimilis, quo minus ſtrictus eſt, carnis tamen plus habet, minus lacertorum. DEMOSTHENES *Atticus* } qui, ut ait Quinctilianus, omnium decem oratorum, quos ſimul Athenis una aetas tulit, longe princeps fuit, ac paene lex orandi: tanta uis in eo, tam denſa omnia, ita quibuſdam neruis intenta ſunt: tam nihil otioſum, is dicendi modus, ut, nec quid deſit in eo, nec quid redundet, inuenias. Ipſe quoque Cicero in Bruto, Nam plane quidem perfectum, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixeris: nihil acute inueniri potuit in eis cauſſis, quas ſcripſit, nihil, ut ita dicam, ſubdole, nihil uerſute, quod ille non uiderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, uel uerborum grauitate, uel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius.

CICERO

ECCE autem aliqui ſe Thucydidios eſſe profitentur, nouum quoddam imperitorum, & inauditum genus. Nam, qui Lyſiam ſequuntur, cauſſidicum quendam ſequuntur, nō illum quidem amplum, atque grandem, ſubtilem, & elegantem tamen, & qui in forenſibus cauſſis poſſit praeclare conſiſtere. Thucydides autem res geſtas & bella narrat, & proelia, grauiter ſane, & probe; ſed nihil ab eo transferri poteſt ad forenſem uſum, & publicum. Ipſae illae conciones ita multas habent obſcuras, abditasq. ſententias, uix ut intelligantur: quod eſt in oratione ciuili uitium uel maximum. Quae eſt autem in hominibus tanta peruerſitas, ut, inuentis frugibus, glande ueſcantur? An uictus hominum, Athenienſium beneficio, excoli potuit, oratio non potuit? Quis porro umquam Graecorum Rhetorum a Thucydide quidquam duxit? At laudatus eſt ab omnibus. fateor: ſed ita, ut rerum explicator prudens, ſeuerus, grauis; non ut in iudicijs uerſaret cauſſas, ſed ut in hiſtorijs bella narraret. itaque numquam eſt numeratus orator. Nec uero, ſi hiſtoriam non ſcripſiſſet, nomen eius exſtaret, cum praeſertim fuiſſet honoratus, & nobilis. Huius tamen nemo neque uerborum, neque ſententiarum grauitatem imitatur: ſed, cum mutila quaedam, & hiantia locuti ſunt, quae uel ſine magiſtro facere potuerunt, germanos ſe putant eſſe Thucydidas.

EXPLANATIO

ALIQVI *ſe Thucydidios eſſe profitentur* } id eſt, imitatores Thucydidis. Fuit enim Thucydides hiſtoricus denſus, & breuis in dicendo, & ſemper inſtans ſibi, concitatus concionibus, magnus, uiq. multum potens. AD *forenſem uſum* } id eſt, ad iudiciale genus. ET *publicum* } ubi quid cum populo agatur. VT *inuentis frugibus, glande ueſcantur* } id eſt, cum poſſint meliora, deligant deteriora. ATHENIENSIVM *beneficium excoli potuit* } apud quos primum fruges inuentae. A *Thucydide quidquam duxit?* } id eſt, imitatus Thucydidem quidquam ab eo ſumpſit. GERMANOS *ſe putant eſſe Thucydidas* } id eſt, genus dicendi habere, quod plane habuit Thucydides.

CICERO

NActvs ſum etiam, qui Xenophontis ſimilem eſſe ſe cuperet: cuius ſermo eſt ille quidem melle dulcior, ſed a forenſi ſtrepitu remotiſſimus. Referamus nos igitur ad eum, quem uolumus, inchoandum, & eadem eloquentia informandum, quam in nullo cognouit Antonius.

Magnvm opus omnino, & arduum, Brute, conamur: ſed nihil difficile amanti puto. amo autem, & ſemper amaui ingenium, ſtudia, mores tuos. incendor porro quotidie magis, non deſiderio ſolum, quo quidem conficior, congreſſus noſtros, conſuetudinem uictus, doctiſſimos ſermones requirens tuos, ſed etiam admirabili fama uirtutum incredibilium; quae, ſpecie diſpares, prudentia coniunguntur. quid enim tam diſtans, quam a ſeueritate comitas? quis tamen umquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior? quid tam difficile, quam in plurimorum controuerſijs dijudicandis ab omnibus diligi? conſequeris tamen, ut eos ipſos, quos contra ſtatuas, aequos, placatosq. dimittas. itaque efficis, ut, cum gratiae cauſſa nihil facias, omnia tamen ſint grata, quae facis. Ergo omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio: in qua frueris ipſe te, cum in Italiae luce cognoſceris, uerſarisq. in optimorum ciuium uel flore, uel robore. Iam, quantum illud eſt, quod in maximis occupationibus numquam intermittis ſtudia doctrinae, ſemper aut ipſe ſcribis aliquid, aut me uocas ad ſcribendum?

EXPLANATIO

QVi *Xenophontis ſimilem* } Xenophon Socraticus iucunditate inaffectata praecellens adeo fuit, ut nulla eam conſequi affectatio poſſit, ut ſermonem gratiae finxiſſe uideatur. ut merito hic dicat Cicero eius ſermonem melle fuiſſe dulciorem. Referamvs *nos igitur* } ſenſus eſt, Sed iam perfectum oratorem incipiamus exponere, ita eloquentia inſtructum, ut talem numquam cognouerit Antonius. Magnvm *opus omnino* } ſumma arte attentum lectorem facit, beneuolentiamq. Bruti ſibi conciliat, miris ipſum laudibus efferendo. Doctissimos *ſermones requirens tuos* } dedit enim Brutus operam non modo eloquentiae ſtudijs, uerumetiam philoſophiae. Qvae, *ſpecies diſpares, prudentia coniunguntur* } quoniam res bellicas tu, ego res urbanas procuro: & tu ſeuerus in ea tua philoſophia, ego comis. Fuit enim ad reprehenſionem uſque facetus, urbanusq. Cicero, ut aliquando dicax habitus ſit. Sanctior } inuiolabilior, incorruptior: unde & ſancta urbis moenia dicimus: & ſanctos legatos a ſagminibus herbis, quas geſtabant: ut Vlpianus inquit iuriſconſultus. Vt *cum gratiae cauſſa nihil facias* } probat incorruptum eſſe ideo, quod gratia nullius commoueatur ad iudicandum ſecus, quam ipſa expoſtulet iuſtitia. Vna *Gallia* } quam tu adminiſtras. Commvni *non ardet incendio* } id eſt, bello non mouetur. Frveris *ipſe te* } tuis uirtutibus oblectaris. nam id demum frui dicimus: uti uero, ut equo, ut curru, cum uehimur in uillam, qua nobis fruendum ſit. Stvdia *doctrinae* } quoniam ſtudium eſt animi ad aliquid agendum pertinacia, aut perſeuerantia.

CICERO

ITaqve hoc ſum aggreßus ſtatim, Catone abſoluto: quem ipſum numquam attigiſſem, tempora timens inimica uirtuti, niſi tibi hortanti, & illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas eſſe duxiſſem. ſed teſtificor, me, a te rogatum, & recuſantem, haec ſcribere eſſe auſum. uolo enim mihi te cum commune eſſe crimen: ut, ſi ſuſtinere tantam quaeſtionem non potuero, iniuſti oneris impoſiti tua culpa ſit, mea recepti. in quo tamen iudicij noſtri errorem laus tibi dati muneris compenſabit.

EXPLANATIO

CAtone *abſoluto* } quem de ſenectute aliqui inſcribunt. Inimica *uirtuti* } cum omnia bellis ardeant. Tantam *quaeſtionem* } quae eſt, quiſnam optimus dici orator poſſit: uel quid ſit, quod conſummatam poſſit efficere eloquentiam.

CICERO

SEd in omni re difficillimum eſt formam, quod χαρακτὴρ Graece dicitur, exponere optimi: quod aliud alij uidetur optimum. Ennio delector, ait quiſpiam: quod non diſcedit a communi more uerborum. Pacuuio, inquit alius: omnes apud hunc ornati, elaboratiq. ſunt uerſus, multa apud alterum negligentius. Fac alium Attio: uaria enim ſunt iudicia, ut in Graecis; nec facilis explicatio, quae forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca, contra alios nitida, laeta, colluſtrata delectant. Quid eſt, quo praeſcriptum aliquod, aut formulã exprimas, cum in ſuo quodque genere praeſtet, et genera plura ſint? Hac ego religione nõ ſum ab hoc conatu repulſus: exiſtimauiq. in omnibus rebus eße aliquid optimum, etiam ſi lateret; idq. ab eo poße, qui eius rei gnarus eſſet, iudicari.

EXPLANATIO

FORMAM, *qui* χαρακτὴρ } relatiuum conſequenti coniunxit: ut ſi dicas, Ciues boni, quae ſunt uiſcera ciuitatis: tale illud, Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur. ENNIO *delector, ait quiſpiam* } ita Horatius:

> Denique non omnes eadem mirantur, amantque:
> Carmine tu gaudes: hic delectatur Iambis:
> Ille Bioneis ſermonibus: & ſale nigro.

APVD *alterum* } ſubaudi, Ennium. FAC *alium Attio* } id eſt, dic alium Attio delectari Tragico poeta. ABDITA } quae a conſpectu recedere uideatur, & obtutu. COLLVSTRATA } undique lumine expreſſa: a con & luſtro. nam colluſtrata, quae ex lacte fit concreto, a colluendo naſcitur. PRAESCRIPTVM *aliquod* } Praeſcripta dicebantur, quae magiſtri imitanda diſcipulis dabant: inde Praeſcribere, praecipere, mandareq. ſignificat. HAC *ego religione* } religionem Seruius Sulpicius eſſe dictam tradit, quae propter ſanctitatem aliquam remota, ac ſepoſita a nobis ſit: quaſi a relinquendo dicta: ut a carendo caerimonia. Cicero in libro de natura deorum, religionem a relegendo, tamquam ex legendo legentes, & diligendo diligentes. his enim omnibus uerbis ineſt uis legendi eadem, quae in religioſo. Lactantius autem libro quarto diuinarum inſtitutionum a religando putat: cuius contrarium, uitiumq. eſt ſuperſtitio. Religionem igitur, obſeruantiam quandam par eſt accipere. QVI *eius rei gnarus eßet* } id eſt, qui noſſet.

CICERO

SED, quoniam plura ſunt orationum genera, eaq. diuerſa; neque in unam formam cadunt omnia: laudationum, ſcriptionum, & hiſtoriarum, & talium ſuaſionum, qualem Iſocrates fecit Panegyricum, multiq. alij, qui ſunt nominati ſophiſtae, reliquarumq. rerum formam, quae abſunt ab forenſi concione, eiusq. totius generis, quod Graece ἐπιδεικτικὸν *nominatur, quod, quaſi ad inſpiciendum, delectationis cauſſa comparatum eſt, nō complectar hoc tempore: non quo negligenda ſit: eſt enim illa quaſi nutrix eius oratoris, quem informare uolumus, & de quo molimur aliquid exquiſitius dicere: ab hac & uerborum copia alitur; & eorum conſtructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia.*

EXPLANATIO

LAVDATIONVM } ut Panegyrici ſunt: & huiuſmodi aliud, ubi quidquam laudatur. SCRIPTIONVM } ubi quid componas doctrinae cauſſa, qualem Iſocrates fecit Panegyricum: quae oratio tota in laudatione conſumitur. QVI *ſunt nominati Sophiſtae* } quos Latini Rhetores uocant, cum Graeci ſuo uerbo id ſignificent rhetorem, quem nos oratorem appellamus. dicitur ergo ſophiſta, qui diſcipulos in dicendi facultate inſtituit. A *forenſi concione* } id eſt, a iudiciali genere. GRAECE ἐπιδεικτικὸν } id autem Latine demonſtratiuum nominamus, ſicut encomiaſticon laudatiuum: nam ἐπίδειξις, demonſtratio nominatur, quam tamen aliter mathematici accipiunt. QVEM *informare uolumus* } munire, & eius quaſi formam referre, cum nuſquam compertus ſit. MOLIMVR } tentamus. CONSTRVCTIO, *& numerus* } de quibus mox abunde dicetur.

CICERO

DATVR etiam uenia concinnitati ſentētiarum; & arguti, certique, & circumſcripti uerborum ambitus conceduntur: de induſtriaque, non ex inſidijs, ſed aperte, ac palam elaboratur, ut uerba uerbis quaſi demenſa, & paria reſpondeant, ut crebro conferantur pugnantia, comparenturq. contraria; & ut pariter extrema terminentur, eundemq. referant in cadendo ſonum: quae in ueritate cauſſarum & rarius multo facimus, & certe occultius.

EXPLANATIO

ET *arguti* } acute inſtituti. CIRCVMSCRIPTI } collecti, minimeq. fluentes ambitus, qui a Graecis Periodi nominantur. DE *induſtria* } unum uerbum eſt, ac aduerbium: quod dedita opera, conſultoq. ſignificat. NON *ex inſidijs* } ut in iudiciali genere, quo iudicum mens in noſtram uerti poſſit ſententiam. VERBA *uerbis quaſi demenſa, & paria paribus reſpondeant* } nam ideo etiam a Graecis Pariſa nominantur, quod caeſim, aut membratim loquentes: ut abunde paullo poſt dicetur, paribus ſyllabis colligamus, & periodos terminemus. CONFERANT *pugnantia* } quae in Topicis repugnantia: uel quae anthitheta uocare Grammatici ſolent. PARITER *extrema terminentur* } quae cum ὁμοιόπτωτα, tum homoeoteleuta dici ſolent: id eſt, ſimilibus caſibus, aut ſimili ſono terminata. QVAE *in ueritate cauſſarum, & rarius multo facimus* } ne dicendi lenocinium appareat.

CICERO

IN Panathenaico autem Iſocrates ea ſtudioſe eonſectatum fatetur: non enim ad iudiciorum certamen, ſed ad uoluptatem aurium ſcripſerat. Haec tractaſſe Thraſymachum Chalcedonium primum, & Leontinum ferunt Gorgiam, Theodorum inde Byzantium, multosq. alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phaedro Socrates. quorum ſatis arguta multa, ſed, ut modo, primumq. naſcentia, minuta, & uerſiculorum ſimilia quaedam, nimiumq. depicta. Quo magis ſunt Herodotus, Thucydidesq. mirabiles: quorum aetas, cum in eorum tempora, quos nominaui, incidiſſet, longiſſime tamen ipſi a talibus delicijs, uel potius ineptijs abfuerunt. alter enim ſine ullis ſalebris quaſi ſedatus amnis fluit: alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodam modo bellicum: primisq. ab his, ut ait Theophraſtus, hiſtoria commota eſt, ut auderet uberius, quam ſuperiores, & ornatius dicere.

EXPLANATIO

IN Panatheatico Iſocrates ʒ oratione, quae ita inſcribitur de laudibus Mineruae, quae Athenis praeſidebat. STVDIO conſectatum fatetur ʒ inquiens: ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις συμβουλεύοντας, καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορικαῖς διαλαμπουσῶν, καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν. νῦν δ' οὐδ' ὅπως οὖν μοι τοὺς τοιούτους ἡγοῦμαι οὐχ ἁρμόττειν καὶ τοῖς ἔτεσι τοῖς ἐννενήκοντα καὶ τέσσαρσιν ὧν ἐγὼ τυγχάνω γεγονώς. Non enim ad iudiciorum certamen, ſed uoluptatem aurium ſcripſerat: quod certe ipſe quoque confitetur dicens: καὶ νουθετοῦντας τῶν πρὸς ἡδονὴν καὶ χάριν λεγομένων. QVOS logodaedalos ʒ id eſt, uarietate ſermonum diſtinctos: a logo, quae oratio dicitur: & daedalo, quod eſt uario. VEL potius ineptijs ʒ ineptum ſiquidem eſt in his nimium inhaerere. ALTER enim ſine ullis ſalebris ʒ Herodotum dicit amoeniſſimum. SINE ullis ſalebris ʒ id eſt, ſine ſcabro, duroq. ullo dicendi genere. ALTER incitatior fertur ʒ ſubaudi, Thucydides. CANIT quodammodo bellicum ʒ quia celſa, ac ſublimi quadam uerborum utitur compoſitione.

CICERO

HORVM aetati ſucceſſit Iſocrates: qui praeter ceteros eiuſdem generis laudatur ſemper a nobis, nõnumquam, Brute, leuiter & erudite repugnante te: ſed credas mihi fortaße, ſi, quid in eo laudem, cognoueris. nam, cum conciſus ei Traſymachus minutis numeris uideretur, & Gorgias; qui tamen primi traduntur arte quadam uerba iunxiße; Thucydides autem praefractior, nec ſatis, ut ita dicam, rotundus; primus inſtituit dilatare uerbis & mollioribus numeris explere ſententias. in quo, cum doceret eos, qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes extiterunt; domus eius officina habita eloquentiae eſt. itaque, ut ego, cum a noſtro Catone laudabar, uel reprehendi me a ceteris facile patiebar: ſic Iſocrates uidetur teſtimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. eſt enim ut ſcis, quaſi in extrema, pagina Phaedri his ipſis uerbis loquens Socrates: Adoleſcens etiam nunc, o Phaedre, Iſocrates eſt: ſed, quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem, inquit ille? Maiore mihi ingenio uidetur eße, quam ut cum orationibus Lyſiae comparetur: praeterea ad uirtutem maior indoles: ut minime mirum futurum ſit, ſi, cum aetate proceßerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc ſtudet tantum, quantum pueris, reliquis praeſtet omnibus, qui umquam orationes attigerunt; aut, ſi contentus his non fuerit, diuino aliquo animi motu maiora concupiſcat. ineſt enim natura philoſophia in huius uiri mente quaedam. Haec de adoleſcente Iſocrate Socrates auguratur. At ea de ſeniore ſcribit Plato, & ſcribit aequalis; & quidem exagitator omnium rhetorum hunc miratur unum. Me autem, qui Iſocratem non diligunt, una cum Socrate, & cum Platone errare patiantur.

EXPLANATIO

SVCCESSIT Iſocrates ʒ ex decem, qui uno tempore fuerunt Athenis oratoribus unus: quamquam rhetor potius, quam orator, dicendus uideatur. LAVDATVR ʒ quia omnes dicendi ueneres conſectatus eſt. THVCYDIDES autem praefractior ʒ quod nimia breuitas facere compulit. NEC ſatis (ut ita dicam) rotundus ʒ quia, ut rotunda figura capaciſſima omnium eſt, ita abſoluta undique, cui nihil deeſt: ita oratio cui nihil deeſt, nihilq. ſuperfluit, rotunda nuncupatur. PRIMVS inſtituit dilatare uerbis ʒ de Iſocrate loquitur. ET mollioribus numeris ʒ quia ſunt & aſperiores, ſicut & uoces. DOMVS eius officina habita eloquentiae eſt ʒ itaque & in Bruto inquit: Extitit igitur iam ſenibus illis, quos paullo ante diximus, Iſocrates, (cuius domus cunctae Graeciae, quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi) magnus orator, & perfectus magiſter: quamquam forenſi luce caruit, intraq. parietes aluit eam gloriam, quam nemo in eo quidem iudicio eſt poſtea conſecutus. Is & ipſe ſcripſit multa praeclare, & docuit alios: & cum cetera melius, quam ſuperiores, tum primus intellexit etiam in ſoluta oratione, dum uerſum effugeres, modum tamẽ, & numerum, quendam oportere ſeruari. ante hunc enim, uerborum quaſi ſtructura, & quaedam ad numerum concluſio

nulla erat : aut, ſi quando erat, non apparebat eam dedita opera eſſe quaeſitam. Quinctilianus porro, Iſocrates, inquit, in diuerſo genere dicendi nitidus, & comptus, & palaeſtrae, quam pugnae, magis accommodatus, omnes dicendi ueneres ſectatus eſt : nec immerito. auditoriis enim ſe, non iudiciis comparat, inuentione facilis, honeſti ſtudioſus. in compoſitione adeo diligens, ut cura eius reprehendatur. IN *extrema pagina Phaedri* ʒ qui dialogus de Pulchro inſcribitur. Phaedrum a ſuo appellauit diſcipulo. SOCRATES *auguratur* ʒ id eſt, praediuinat, ac coniectatur.

CICERO

DVLCE igitur orationis genus, & ſolutum, & effluens, ſententijs argutum; uerbis ſonans, eſt in illo epidictico genere. quod diximus proprium ſophiſtarum, pompae, quam pugnae, aptius, gymnaſijs, & palaeſtrae dicatum, ſpretum, & pulſum foro. ſed, quod educata huius nutrimentis eloquentia, ipſa ſe poſtea colorat, & roborat; non alienum fuit, de oratoris quaſi incunabulis dicere. uerum haec ludorum, atque pompae: nos autem iam in aciem, dimicationemq. ueniamus.

EXPLANATIO

IN *illo epidictico genere* ʒ ut ſupra diximus, demonſtratiuo. PROPRIVM *ſophiſtarum* ʒ qui ſe ad laudandum, uituperandumq. ſolum exercuere. GYMNASIIS ʒ quod nuda in palaeſtra eſſent corpora, perfuſaq. oleo. PALAESTRAE ʒ unde & Palaeſtritae, qui colluctantur in palaeſtra, dicuntur. HVIVS *nutrimentis* ʒ uenuſtatibus, & dicendi leporibus demonſtratiui generis. COLORAT ʒ figuris diſtinguit uariantibus orationem. ET *roborat* ʒ ſententiis. DE *oratoris quaſi incunabulis* ʒ de primordiis : unde ipſa ali eloquentia conſueuit. IN *aciem, dimicationemq. ueniamus* ʒ ideſt, iudiciale genus : in quo cum aduerſantibus nobis colluctamur, & quodammodo manus conſerimus.

CICERO

QVONIAM tria uidenda ſunt oratori, quid dicat, & quo quidque loco, & quo modo : dicendum omnino eſt, quid ſit optimum in ſingulis; ſed aliquanto ſecus, atque in tradēda arte dici ſolet. nulla praecepta ponemus; (neque.n. id ſuſcepimus) ſed excellentis eloquentiae ſpeciem, & formam adumbrabimus : nec, quibus rebus ea paretur, exponemus, ſed qualis nobis eſſe uideatur. Ac duo breuiter prima : ſunt enim non tam inſignia ad maximam laudem, quam neceſſaria, & tamen cum multis paene communia. nam & inuenire, & iudicare quid dicas, magna illa quidem ſunt, & tamquam animi inſtar in corpore, ſed propria magis prudentiae, quam eloquentiae : qua tamen in cauſa eſt uacua prudentia?

EXPLANATIO

QVONIAM *tria uidenda ſunt oratori, quid dicat* ʒ quod inuentionis eſt. ET *quo quidque loco* ʒ quod diſpoſitionis eſt. ET *quo modo* ʒ quod ad elocutionem pertinet. QVID *ſit optimum in ſingulis* ʒ ut decor ubique ſeruetur : ne quid ineptiarum a nobis emanet. ATQVE *in tradenda arte* ʒ quam in rhetoricis praeceptis exponendis memorauimus. NEQVE *enim id ſuſcepimus* ʒ ſubaudi, ut praecepta traderemus. AC *duo breuiter prima* ʒ ideſt, Inuentionem, & Diſpoſitionem. TAMQVAM *animi inſtar in corpore* ʒ quia, ſicut animus corpus regit, & mouet, & ut uiuat facit : ita inuentio, ac iudicium totam orationē complectuntur, uimq. habere, & quaſi ſenſus faciunt. SED *propria magis prudentiae, quam eloquentiae* ʒ quoniam uel infantiſſimus quiſque poteſt prudenter inuenire, ac de inuentis iudicare. QVAE *enim cauſa eſt uacua prudentia* ʒ quae, inquit, controuerſia eſt, quae aliqua non adminiſtretur prudentia? Alioqui non oratio, ſed inanium uerborum compoſitio.

CICERO

NOVERIT igitur hic quidem orator, quem ſummum eſſe uolumus, argumentorum, & rationum locos. Nam, quidquid eſt, quod in controuerſia, aut in contentione uerſetur, in eo aut, ſit ne, aut, quid ſit, aut, quale ſit, quaeritur : ſit ne, ſignis : quid ſit, definitionibus : quale ſit, recti, prauiq. partibus : quibus ut uti poſſit orator, non ille uulgaris, ſed hic excellens, a proprijs perſonis, & temporibus ſemper, ſi poteſt, auocat controuerſiam. latius enim de genere, quam de parte, diſceptare licet : ut, quod in uniuerſo ſit probatum, id in parte ſit probari neceſſe.

EXPLANATIO

ARGVMENTORVM, *& rationum locos* ʒ Locus, argumentorum ſedes eſt. ET ʒ Pro, ideſt. nam nihil aliud eſt argumentum, quam ratio eius, quod in quaeſtione poſitum eſt. De Locis autem argumentorum,

rum,& qui ſint,& quo modo tractentur,in Topicis a Cicerone traditum,interprete elegantiſſimo praeceptore noſtro Georgio Valla. NAM, *quoniam* ∫ controuerſiarum nunc genera tangit, quae tum ſtatus, tum conſtitutiones appellantur. QVIDQVID *in controuerſia* ∫ ideſt,Quidquid cum aliquo controuertatur. AVT *in contentione* ∫ ideſt,ſiue id contentionem malis appellare. IN *eo aut ſit ne* ∫ cum enim quaeritur,factum ſit,nec ne: conſtitutio coniecturalis,& pariter infitialis appellatur. AVT *quid ſit* ∫ ac tum finitiuus,ſiue definitio ſtatus nominatur. AVT *quale ſit,quaeritur* ∫ qui ſtatus qualitatis,ſiue de ſummo genere nuncupatur: in negotialem, & iuridicialem diuiſus eſt. SIT *ne, ſignis* ∫ quibus coniectura excuti ſolet: ut pro Milone contra Clodium, Vter utri fecerit inſidias. QVID *ſit,definitionibus* ∫ ut,cum quis laeſae maieſtatis crimine accuſetur,definiendum eſt,quid ſit laedere maieſtatem. QVALE *ſit, recti, prauiq. partibus* ∫ tum enim oratori inſpiciendum quid rectum,quid prauum,& utriuſque ſpecies tractandae: ut,cum quaeritur,iure ne Oreſtes matrem occiderit. & a propriis perſonis, temporibus, ſemper, ſi poteſt, auocat controuerſiam, numquam enim Cicero probauerit prius Miloni licuiſſe Clodium occidere,quam conſtet in uniuerſum licere omnibus inſidiatorem ſuum occidere: ubi perſonarum,temporum,& locorum nulla complexio eſt.

C I C E R O

HAEC igitur quaeſtio a proprijs perſonis,& temporibus ad uniuerſi generis orationem traducta appellatur theſis. in hac Ariſtoteles adoleſcentes, non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorum in utramque partem, ut ornatius, & uberius dici poſſit, exercuit: idemq. locos (ſic enim appellat) quaſi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.

E X P L A N A T I O

A PROPRIIS *perſonis* ∫ ideſt,a perſonis,de quibus in infinita quaeſtione nulla fit mentio. ET *temporibus* ∫ nam,ſi perſonae reticentur,tempora quoque reticeantur neceſſe eſt. AD *uniuerſi generis orationem* ∫ ideſt, ad quaeſtionem infinitam. APPELLATVR *theſis* ∫ ideſt, infinita quaeſtio: ſiue, ut Cicero alibi,propoſitum. TENVITER *differendi* ∫ ideſt, acute diſputandi. IN *utramque partem* ∫ nam, cum omnis quaeſtio partem habeat negandi unam,alteram affirmandi: ut, ſit ne mundus infinitus, nec ne: liceat ne inſidiatorem occidere,an non,exercitationis cauſſa in utramque partem Ariſtoteles diſcipulis ſuis ſuggerebat argumenta,non anguſte,& preſſe diſputandi,ut ſolent philoſophi; ſed copioſe,ut oratores. IDEMQ. *locos* ∫ idemq. in Topicis. VNDE *omnis* ∫ ſiue ad affirmandum,ſiue ad negandum.

C I C E R O

FACILE igitur hic noſter, (non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, ſed doctiſſimum & perfectiſſimum quaerimus) quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis generatim, diſcet ex quo emanant etiam qui communes appellantur loci. Nec uero utetur imprudenter hac copia, ſed omnia expendet, & ſeliget. non enim ſemper, nec in omnibus cauſſis, ex iiſdem eadem argumentorum momenta ſunt.

E X P L A N A T I O

HIC *noſter* ∫ quem inſtituimus declamatorem,qui ficta,& umbratili utitur eloquentia themate propoſito. DE *ludo* ∫ ideſt,ſchola,cum ſe apud rhetorem exercet. RABVLAM *de foro* ∫ ideſt, aduocatum, patronumq. cauſſarum. CERTI *loci* ∫ cauſſae cuilibet accommodati: ut ad ipſum Ciceronem in Topicis eſt uidere. GENERATIM *dicat* ∫ Genus complectatur ipſum, id eſt, infinitam quaeſtionem, quam theſin uocant Graeci. EX *quo emanant etiam qui communes appellantur loci* ∫ qui ideo communes dicti,quod in omni cauſſa ſimili eis uti poſſimus: ut contra ſacrilegum,contra furem. Eorum autem tractatio praecipua eſt,poſtquam confirmauerimus noſtra,& confutauerimus aliena: id eſt,poſt reprehenſionem, & ante epilogum. OMNIA *expendet* ∫ quae quibus conueniant locis. ET *ſeleget* ∫ quae argumenta quaeſtioni,quam tractamus,maxime conueniant,& quae non. EX *iiſdem* ∫ ſubaudi, locis. ARGVMENTORVM *momenta ſunt* ∫ rationum pondera,inquit,in omnibus cauſſis, non ex iiſdem ſemper locis eruuntur: ſed alij aliis magis congruunt.

C I C E R O

IVDICIVM igitur adhibebit: nec inueniet ſolum quid dicat, ſed etiam expendet. nihil enim eſt feracius ingenijs, ijs praeſertim, quae diſciplinis exculta ſunt. Sed, ut ſegetes fecundae, & uberes, non ſolum fruges, uerum herbas etiam effundunt inimiſſimas frugibus: ſic interdum ex illis locis aut leuia quaedam, aut cauſſis aliena, aut non utilia gignuntur: quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. alioqui quonam modo ille in bonis haerebit & habitabit ſuis? aut molliet dura?

aut

aut occultabit, quae dilui non poterunt, atque omnino opprimet, ſi licebit? aut abducet animos? aut aliud afferet, quod oppoſitum probabilius ſit, quam illud, quod obſtabit? Iam uero ea, quae inuenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id ſecundum erat de tribus. Veſtibula nimirum honeſta, aditusq. ad cauſſam faciet illuſtres: cumq. animos prima aggreſſione occupauerit, infirmabit, excludetq. contraria; de firmiſſimis alia prima ponet, alia poſtrema; inculcabitq. leuiora.

EXPLANATIO

SED *etiam expendet* ʒ id eſt, examinabit, ſecum diu uolutabit, quid cuique quaeſtioni maxime conueniat. QVAE *diſciplinis exculta ſunt* ʒ nam, cum ad diſciplinas accedunt ingenia, undique res abundant: nec deeſſe copia in dicendo poteſt. SED, *ut ſegetes fecundae* ʒ elegans, & faceta ſimilitudo, feracibus, & doctis collata ingeniis. Ex *illis locis* ʒ aſſumptis de uariis diſciplinis. LEVIA *quaedam* ʒ ideſt, friuola, frigidaque, aut parui momenti. DELECTVS *magnus adhibebitur* ʒ ſubaudi, qui quibus conueniant locis. VT *molliet dura?* ʒ fugienda, ſi quidem dura locutio eſt, ideſt, ubi rem uerba non conſequuntur. AVT *occultabit, quae dilui non poterunt,* ʒ hoc eſt, argumenta aduerſariorum, quae confutari non poterunt, in noſtra argumenta obuoluentur: ut pariter cum aliis reſponſum uideatur, cum tamen id non fecerimus. AVT *abducet animos?* ʒ ideſt, in aliam reuocabit mentes audientium ſententiam. AVT *aliud afferet* ʒ ſi modo id refellere non poterit, proferet aliud. QVOD *oppoſitum probabilius ſit* ʒ quam, quod propoſuerit. IAM *uero ea, quae inuenerit, qua diligentia collocabit* ʒ non ſatis eſt enim optima inueniſſe, niſi ea diligenter collocemus. nam, niſi digeramus ea ſuis, opportunisq. locis, erit, quemadmodum qui ſupellectilem habet pulcherrimam, & eam ſuo tempore, ac loco promere neſcit: aut in aceruum congeſtam profert, ut ſpeciem nullam praeſeferat nobilem. QVONIAM *id ſecundum erat de tribus* ʒ dictum ſiquidem ſupra eſt, tria potiſſimum conſiderari oportere, inuentione, ſecundo loco diſpoſitionem, tertio elocutionem. VESTIBVLA ʒ ideſt, primos ad cauſſam acceſſus. HONESTA ʒ honorem, ac copiam praeſeferentia. PRIMA *aggreſſione occupauerit* ʒ ideo prima argumenta ualidiora, probabilioraq. eſſe oportet. INFIRMABIT, *excludetq. contraria* ʒ quae ab aduerſariis illata fuerint. ALIA *prima ponet, alia poſtrema* ʒ nam debiliora in medio collocabit: quoniam prima oppugnant, ultima in auribus audientium relinquuntur: media uero, utrimque concluſa non apparent: ut in acie inſtructa fieri ſolet, in prima fronte acres bello: in ultima ſubſidiarij milites collocantur: in media autem acie cohortes, in quibus ſpes aut nulla, aut perpauca eſt. INCVLCABITQ. *leuiora* ʒ in medio loeo infarciet.

CICERO

ATQVE, in primis duabus dicendi partibus qualis eſſet, ſummatim, breuiterq. deſcripſimus. Sed, ut ante dictum eſt, in his partibus, etſi graues, atque magnae ſunt, minus & artis eſt, & laboris. Cum autem, quid, & quo loco dicat, inuenerit; illud eſt longe maximum, uidere, quonam modo. Scitum eſt enim, quod Carneades noſter dicere ſolebat, Clitomachum eadem dicere. Carneadem autem eodem etiam modo dicere. Quod ſi in philoſophia tantum intereſt, quemadmodum dicas; ubi res ſpectatur, non uerba penduntur: quid tandem iu cauſſis exiſtimandum eſt, quibus totis moderatur oratio? Quod quidem ego, Brute, ex tuis litteris ſentiebam, non te id ſcitari, qualem ego in inueniendo, & in collocando ſummum eſſe oratorem uellem: ſed id mihi quaerere uidebare, quod genus ipſius orationis optimum iudicarem.

EXPLANATIO

IN *primis duabus dicendi partibus* ʒ inuentione, & diſpoſitione. VIDERE *quonam modo* ʒ id eſt, quanam praeditum eloquentia eſſe conueniat. CLITOMACHVM *ea dicere* ʒ id eſt, quae cauſſa exigeret. CARNEADEM *eodem etiam modo* ʒ quo res ipſa dicenda fuerit. QVOD *ſi in philoſophia tantum intereſt* ʒ nam philoſophi fuere ambo, Clitomachus inquam, & Carneades. VBI *res ſpectatur* ʒ ſententia conſideratur. QVIBVS *totis moderatur oratio* ʒ moderor huic rei dicimus: ut hic. & hanc rem, ut ipſe pro Flacco: ut, Omnia uerba moderatur.

CICERO

REM difficilem, dij immortales, atque omnium difficillimam. Nam cum eſt oratio mollis, & tenera, & ita flexibilis, ut ſequatur quocumque torqueas: tum & naturae uariae, & uoluntates multum inter ſe diſtantia effecerunt genera dicendi. Flumen alijs uerborum, uolubilitasq. cordi eſt; qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. diſtincta alios, & interpuncta, interualla, morae, reſpirationesq. delectant. quid poteſt eſſe tam diuerſum? tamen eſt in utroque aliquid excellens. Elaborant alij lenitate, & aequabilitate, & puro quaſi quodam, & candido genere dicendi. ecce aliqui duritatem, & ſeueritatem quandam uerbis, & orationis quaſi maeſtitiam ſequuntur: quodq. paullo ante diuiſimus, ut alij graues, alij tenues, alij temperati uellent uideri, quod orationum genera eſſe diximus

mus, totidem oratorum reperiuntur. Et, quoniam coepi iam cumulatius hoc munus augere, quam a te poſtulatum eſt, (tibi enim, tantum de orationis genere quaerenti, reſpondi etiam breuiter de inueniendo, & collocando) ne nunc quidem ſolum de orationis modo dicam, ſed etiam de actionis: ita praetermiſſa pars nulla erit: quandoquidem de memoria nihil eſt hoc loco dicendum; quae communis eſt multarum artium.

EXPLANATIO

REM *difficilem, dij immortales* } quoniam non de inuentione, & diſpoſitione tradi tibi praecepta expoſtulas, quae peruulgata: ſed quod remotiſſimum eſt, longeq. difficillimum: ut optimi oratoris tibi famam uerbis depingam. QVI *ponunt in orationis electione eloquentiam* } id eſt, qui putant facundiam eſſe in delectu orationis. ALIOS, *& interpuncta interualla, morae, reſpirationesq. delectant* } ut caeſim: membratimq. loqui, quam ſimplici periodo malint. QVID *poteſt eſſe tam diuerſum* } quam flumen, uolubilitatemq. uerborum amare, & interpuncta interualla, moras? TAMEN *eſt in utroque aliquid excellens* } in ſuo, inquit, genere eſt aliquid etiam, quod emineat. Alij temperati uellent uideri inter graues, & tenues medij. QVOT *orationum genera* } quae tria eſſe diximus: grande, tenue, medium. DE *actionis* } ſubaudi, modo: hoc eſt, quemadmodum pronunciare conueniat.

CICERO

QVO *modo autem dicatur, id eſt in duobus, in agendo, & in eloquēdo. eſt enim actio quaſi corporibus quaedam eloquentia, cum conſtet e uoce, atque motu. Vocis mutationes totidem ſunt, quot animorum, qui maxime uoce commouentur. itaque ille perfectus, quem iamdudum noſtra indicat oratio, utcumque ſe affectum uideri, & animum audientis moueri uolet, ita certum uocis admouebit ſonum: de quo plura dicerem, ſi hoc praecipiendi tempus eſſet, aut ſi tu hoc quaereres. dicerem etiam de geſtu, cum quo iunctus eſt uultus. quibus omnibus, dici uix poteſt, quantum interſit, quemadmodum utatur orator. nam & infantes, actionis dignitate, eloquentiae ſaepe fructum tulerunt: & diſerti, deformitate agendi, multi infantes putati ſunt: ut iam non ſine cauſſa Demoſthenes tribuerit & primas, & ſecundas, & tertias actioni. ſi enim eloquentia nulla ſine hac, haec autem ſine eloquentia tanta eſt: certe plurimum in dicendo poteſt.*

EXPLANATIO

QVO MODO *autem dicatur* } qua ratione facundi loquamur. ATQVE *motus* } totius quidem corporis. TOTIDEM *ſunt, quot animorum* } miſerabilium, miſerabiles: fictorum, fictae: iratorum, iratae: & id genus alia. CVM *quo iunctus eſt uultus* } qui faciei forma quaedam, & hypocriſis eſt rei, de qua agitur, accommodata. NAM *& infantes actionis dignitate* } infantem aliquando ad inanimata referimus: ut, cum ait Horatius, Infantes findit ſtatuas. aliquando ad animata, ſed bruta: ut apud Plinium, Eſt, inquit in XXIX. naturalis hiſtoriae, uermiculus in lingua canum, qui uocatur a Graecis litta: quo exempto infantibus catulis, nec grauidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Aliquando infantem puerum dicimus, quod fari neſciat, id eſt, uerba, quae intelligi poſſint, explicare: idq. propter nimiam adhuc teneram aetatem. Denique infantem minime facundum, ſicut hic Cicero. VT *iam non ſine cauſſa Demoſthenes tribuerit & primas, & ſecundas, & tertias actioni* } nam rogatus iterum, ac tertio quid in oratore potiſſimum eſſet: reſpondit, Pronunciatio: nam ea actio etiam dicitur. Nam, quemadmodum Quinctilianus inquit, Demoſthenes, quid eſſet in toto dicendi opere primum interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemq. ſecundum, ac tertium locum, donec ab eo quaeri deſineret, ut eam uideri poſſet non praecipuam, ſed ſolam iudicaſſe.

CICERO

VOLET *igitur ille, qui eloquentiae principatum petet, & contenta uoce atrociter dicere, & ſummiſſa leniter, & inclinata uideri grauis, & inflexa miſerabilis. mira eſt enim quaedam natura uocis, cuius quidem e tribus omnino ſonis, inflexo, acuto, graui, tanta ſit, & tam ſuauis uarietas perfecta in cantibus.*

EXPLANATIO

CONTENTA *uoce* } quaſi compreſſa: nam ita fit truculentior. INFLEXO } qui fit ex acuto, & graui: ideo etiam inflexus uocitatur. ACVTO, *graui* } nam tot ſunt accentuum genera: & tot apud muſicos uetuſtiſſimos fuere toni, Phrygius, Dorius, Lydius, qui has uoces exprimebant: inde ad tredecim uſque, ſecundum Ariſtoxenum, ſecundum uero Ptolemaeum, qui Ariſtoxenum carpit, octo.

CICERO

*E*st *autem in dicendo etiam quidam cantus obſcurior, non hic e Phrygia, & Caria, rhetorum epilogis paene canticum, ſed ille, quem ſignificat Demoſthenes, & Aeſchines, cum alter alteri obiicit uocis flexiones. dicit plura etiam Demoſthenes, illumq. ſaepe dicit uoce dulci, & clara fuiſſe. In quo illud etiam notandum mihi uidetur ad ſtudium perſequendae ſuauitatis in uocibus. ipſa enim natura, quaſi modularetur hominum orationem, in omni uerbo poſuit acutam uocem, nec una plus, nec a poſtrema ſyllaba citra tertiam; quo magis naturam ducem ad aurium uoluptatem ſequatur induſtria. Ac uocis quidem bonitas optanda eſt: non eſt enim in nobis, ſed tractatio, atque uſus in nobis, Ergo ille princeps uariabit, & mutabit; omnes ſonorum tum intendens, tum remittens perſequetur gradus: idemq. motu ſic utetur, nihil ut ſuperſit in geſtu.*

EXPLANATIO

NON *hic e Phrygia, & Caria* ʒ quem Graeci ut ululantem, ita barbarum dixerunt: & Caras, barbarophonos Homerus appellauit. IN *omni uerbo poſuit acutam uocem* ʒ non equidem omne uerbum acutam habet uocem: ſed hoc dicit, In omni genere uerborum, acuta inuenitur uox, in monoſyllabo, ut eſt nux: in diſſyllabo, ut bonus: in triſyllabo, ut Tullius: in tetraſyllabo, ut Tulliolus: ac ita deinceps. NEC *una plus* ʒ nam, ſi dictio unam habet acutam uocem, plures acutas habere non poteſt, & ne quidem flexam ullam. idem de flexa intelligendum. at de graui non idem dicere poſſumus. Vbicumque enim acuta, aut flexa non eſt, ibi ſit grauis neceſſe eſt. In una tantum ſyllaba, eſt arſis: in reliquis, eſt theſis omnibus. NEC *a poſtrema ſyllaba citra tertiam* ʒ nam raro ultimum tenet locum tam flexa, quam acuta uox. paenultimum autem, flexa ſemper. acuta autem, & paenultimum, & antepaenultimum. ante uero, numquam: ſed grauis tantum. NON *eſt in nobis* ʒ potius optare, quam uindicare nobis bonam uocem poſſumus. SED *tractatio* ʒ ſubaudi, in nobis eſt. Nam, tractando ipſam, poſſumus efficere meliorem. INTENDENS ʒ id eſt, exacuens. TVM *remittens* ʒ grauans, uel inflectens. NIHIL *ut ſuperſit in geſtu* ʒ ne quid in motu corporis ſit nimium, ac redundet.

CICERO

*S*tatvs *erectus, & celſus, rarus inceſſus, nec ita longus, excurſio moderata, eaq. rara, nulla mollitia ceruicum, nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto ſe ipſe moderans, & uirili laterum flexione, brachij proiectione in contentionibus, contractione in remiſſis. Vultus uero, qui ſecundum uocem plurimum poteſt, quam tam affert tum dignitatm, tum uenuſtatem? in quo, cum effeceris, ne quid ineptum, aut uultuoſum ſit; tum oculorum eſt quaedam magna moderatio. nam, ut imago eſt animi uultus, ſic indices oculi: quorum & hilaritatis, & uiciſſim triſtitiae modum res ipſae, de quibus agetur, temperabunt.*

EXPLANATIO

RARVS *inceſſus* ʒ pedum ante commotio. EXCVRSIO ʒ pedum celeris commotio. NVLLA *mollitia ceruicum* ʒ ne ceruix molliter proclinetur. NVLLAE *argutiae digitorum* ʒ eleuationes ſurſum, ac deorſum: ante, & pone. NON *ad numerum articulus cadens* ʒ ne digitorum quidem articuli ad numerandum inflectantur. TRVNCO *magis toto ſe ipſe moderans* ʒ quod & Quinctilianus de pronunciatione ipſe quoque commonet, ut totius corporis uirilis motus ſit. BRACHII *proiectione* ʒ ubi quid concitatius pronuncietur. QVI *ſecundum uocem* ʒ id eſt, ſecundo loco, poſt uocem uultus praecellit. AVT *uultuoſum* ʒ id eſt, uultus animi expreſſione. moderatum enim uultus motum eſſe decet. VT *imago eſt animi uultus* ʒ nam inde enim nomen habet. a uoluntate ſiquidem eſt appellatus. SIC *indices oculi* ʒ id eſt, ita mentem oſtendunt tum ſedatam, tum perturbatam, aut moderatis affectibus commotam. RES *ipſae, de quibus agetur* ʒ quoniam ipſae res praeſcribent, quales nos eſſe conuenit.

CICERO

*S*ed *iam illius perfecti oratoris, & ſummae eloquentiae ſpecies exprimenda eſt; quem hoc uno excellere, id eſt oratione, cetera in eo latere, indicat nomen ipſum. non enim inuentor, aut compoſitor, aut actor haec complexus eſt omnia. ſed & Graece ab eloquendo* ῥήτωρ, *& Latine eloquens dictus eſt. ceterarum enim rerum, quae ſunt in oratore, partem aliquam ſibi quiſque uindicat; dicendi autem, id eſt eloquendi, maxima uis ſoli huic conceditur. Quamquam enim & philoſophi quidam ornate locuti ſunt; (ſi quidem & Theophraſtus diuinitate loquendi nomen inuenit: & Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſſiuit: & Xenophontis uoce Muſas quaſi locutas ferunt: & longe omnium, quicumque ſcripſerunt, aut locuti ſunt, extitit dicendi copia, & grauitate princeps Plato) tamen horum oratio neque ner-*

uos,

uos, neque aculeos oratorios, ac forenſes habet. loquuntur cum doctis; quorum ſedare animos malunt, quam incitare. ſic de rebus placatis, ac minime turbulentis docendi cauſſa, non capiendi, loquuntur; ut in eo ipſo, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam neceſſe ſit, facere uideantur.

EXPLANATIO

HOc *uno excellere* ⁆ id eſt, oratione. Nam ab oratione, orator eſt appellatus: tametſi Plutarchus in problematis ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, id eſt, a concitatione tum animi, tum orationis dictum putet. CETERA ⁆ quae ſunt inuentionis, diſpoſitionis, pronunciationis, memoriae: quae in oratoris nomine omnia occultantur. NON *enim inuentor, aut compoſitor* ⁆ id eſt, qui, quae inuenit, dirigit. AVT *actor* ⁆ id eſt, pronunciator. COMPLEXVS *eſt omnia* ⁆ ſicut orator. SED *& Graece ab eloquendo rhetor* ⁆ nam a tertia perſona praeteriti paſſiui quae eſt ῥέρηται, id eſt, dictum cum facundia eſt, fit rhetor: Latine, inquit Cicero, eloquens ualet, tametſi rh,tora nos dicamus, qui rhetoricam docet. CETERARVM *enim rerum* ⁆ inuentionis, diſpoſitionis, memoriae, pronunciationis. SIQVIDEM *& Theophraſtus diuinitate loquendi* ⁆ ſiquidem θεὸς deus: & φράσις, locutio Latine dicitur. ET *Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſſiuit* ⁆ philoſophus oratorem prouocauit. QVORVM *ſedare animos malunt* ⁆ id eſt, argumentis, & ratione mitigare. QVAM *incitare fide* ⁆ fidem faciendo. DOCENDI *cauſſa* ⁆ non mouendi, ut oratores. PLVS *nonnullis, quam neceſſe ſit, facere uideantur* ⁆ id eſt, non tam docendi cauſſa dicere uideantur, quam fallendi.

CICERO

ERGO ab hoc genere non difficile eſt hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, ſecernere. mollis eſt enim oratio philoſophorum, & umbratilis, nec ſententijs, nec uerbis inſtructa popularibus, nec uincta numeris, ſed ſoluta liberius: nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil miſerabile, nihil aſtutum: caſta, uerecunda, uirgo incorrupta quodam modo: itaque ſermo potius, quam oratio dicitur. quamquam enim omnis locutio oratio eſt: tamen unius oratoris locutio hoc proprio ſignata nomine eſt.

EXPLANATIO

AB *hoc genere* ⁆ ſubaudi, philoſophico. NEC *uincta numeris* ⁆ non numeroſa, id eſt, rhythmica: ut oratorum, de qua mox abunde dicetur. ITAQVE *ſermo potius* ⁆ quo inter nos ſermocinantes utimur.

CICERO

SOPHISTARVM, de quibus ſupra dixi, magis diſtinguenda ſimilitudo uidetur: qui omnes eoſdem uolunt flores, quos adhibet orator in cauſſis, perſequi: ſed hoc differunt, quod, cum ſit his propoſitum non perturbare animos, ſed placare potius, nec tam perſuadere, quam delectare: & apertius id faciunt, quam nos, & crebrius: concinnas magis ſententias exquirunt, quam probabiles: a re ſaepe diſcedunt, intexunt fabulas, uerba apertius transferunt, eaq. ita diſponunt, ut pictores uarietatem colorum: paria paribus referunt, aduerſa contrarijs, ſaepiſſimeq. ſimiliter extrema definiunt.

EXPLANATIO

SOPHISTARVM, *de quibus ſupra dixi* ⁆ ita enim a Graecis dicuntur, qui iuuenes praecepta docent rhethorica. QVOD *cum ſit his propoſitum* ⁆ cum, inquit, ſibi ſophiſtae in declamationibus, uel, quemadmodum Iſocrates ſcribit. NON *perturbare animos, ſed placare* ⁆ intexunt fabulas delectandi cauſſa: ut de laudibus Helenae fecit Iſocrates. PARIA *paribus referunt* ⁆ utuntur eis figuris, quae paraſia appellantur, de quibus mox dicetur. ADVERSA *contrarijs* ⁆ quae antitheta uocant. SAEPISSIMEQ. *ſimiliter extrema definiunt* ⁆ quae dicunt homoeoteleuta.

CICERO

HVIC generi hiſtoria finitima eſt: in qua & narratur ornate; & regio ſaepe, aut pugna deſcribitur: interponuntur etiam conciones, & hortationes: ſed in his tracta quaedam, & fluens expetitur, non haec contorta, & acris oratio. Ab his non multo ſecus, quam a poetis, haec eloquentia, quam quaerimus, ſeuocanda eſt. nam etiam poetae quaeſtionem attulerunt, quidnam eſſet illud, quo ipſi differrent ab oratoribus. numero maxime uidebantur antea, & uerſu: nunc apud oratores iam ipſe numerus increbuit. Quidquid eſt enim, quod ſub aurium menſuram aliquam cadit, etiam ſi abeſt a uerſu, (nam id quidem orationis eſt uitium) numerus uocatur, qui Graece ῥυθμὸς dicitur. itaque uideo uiſum eſſe nonnullis Platonis, & Democriti locutionem, etſi abſit a uerſu, tamen, quod incitatius feratur, &

clariſſimis uerborum luminibus utatur, potius poema putandum, quam comicorum poetarum: apud quos, niſi quod uerſiculi ſunt, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis. Nec tamen id eſt poetae maximum: etſi eſt eo laudabilior, quod uirtutes orationis perſequitur, cum uerſu ſit adſtrictior. Ego autem, etiam ſi quorundam grandis, & ornata uox eſt poetarum, tamen in ea cum licentiam ſtatuo maiorem eſſe, quam in nobis, faciendorum, iungendorumq. uerborum: tum etiam non nullorum uoluptati uocibus magis, quam rebus, inſeruiunt. Nec uero, ſi quid eſt unum inter eos ſimile, (id autem eſt iudicium, electioq. uerborum) propterea ceterarum rerum diſſimilitudo intelligi non poteſt. ſed id nec dubium eſt, &, ſi quid habet quaeſtionis, hoc tamen ipſum ad id, quod propoſitum eſt, non eſt neceßarium.

EXPLANATIO

TRIA *ſpatioſe percurrens* ꝫ nam & tractus, regio, ſpatiumq. nominatur. NON *haec contorta* ꝫ uibrata, & inflammata: quae proprie oratorum eſt. AB *his non multo ſecus, quam a poetis* ꝫ hoc dicit, Non magis oratori uitanda poetae eloquentia in dicendo, quam hiſtorici eſt. Siquidem hiſtoricorum eloquentia proxime ad poetas accedit. APVD *oratores iam ipſe numerus increbuit* ꝫ nam non pedum modo compoſitione duorum, aut trium clauſulae clauduntur: ſed integri aliquando uerſus Iambici in ſoluta oratione inueniuntur: quamuis id minime laudabile ſit: ideo ſubiungit, Etiamſi abeſt a uerſu. NVMERVS *uocatur qui Graece rhythmos dicitur* ꝫ definitur autem a Graecis hoc modo: ῥυθμὸς δὲ ἐςὶ χρόνον καταμέτρησις κινήσεως τεινομένης ποιᾶς τίνος. Auguſtinus in tertio de arte muſica, Latine, inquit, numerus: Graece rhythmus nominatur. quod uero illis metrum, a Latinis menſio, uel menſura dici poteſt. Sed, quoniam haec apud nos nomina late patent: & cauendum eſt, ne ambigue loquamur: commodius utimur Graecis. quoniam illud pedibus certis prouoluitur: peccaturq. in eo, ſi pedes diſſoni miſceantur, recte appellatus eſt rhythmus, id eſt, numerus. ſed quia ipſa prouolutio non habet modum: & neque ſtatutum eſt in quo pede finis aliquis emineat propter aliquam menſuram continuationis, non debuit metrum uocari. hoc autem utrumque habet. nam & certis pedibus curritur, & certo terminatur modo. itaque non ſolum metrum propter inſignem finem, ſed rhythmus etiam metrum eſt. rhythmi enim nomen in muſica uſque adeo late patet, ut haec tota pars eius, quae ad, Diu, & ad, Non diu, pertinet, rhythmus nominata ſit. Cum igitur & longitudinum, & breuitatum multitudinem in fine in primis clauſularum attendit orator, id numerum appellauit. NISI *quod uerſiculi ſunt* ꝫ ſubaudi, Iambici. uerſiculos autem ideo per deminutionem uocauit, quod mutua reſponſa breuiſſima aliquando eſſe neceſſe ſit. QVOD *uirtutes oratoris perſequitur* ꝫ quoniam exprimit ſermones, ut orator, quotidianos. CVM *uerſu ſit adſtrictior* ꝫ quatenus uerſu comicus utitur: orator autem minime. LICENTIAM *ſtatuo maiorem eſſe* ꝫ quoniam poetae tranſlationibus, reliquisq. figuris, nouationeq. uerborum, & antiquitate liberius utuntur, quam faciat orator. VOCIBVS *magis, quam rebus inſeruiunt* ꝫ quoniam magis ad uoluptatem aucupandam inuentum poema eſt, quam ad res explicandas. NEC *uero ſi quid eſt* ꝫ hoc dicit, Nec ſi modo inter poetam, & oratorem ſimilitudo eſt aliqua, id erit iudicium, & delectus uerborum: ſiquidem aliter iudicat, ac aliter uteruis deligit uerba, quam alter.

PAVLLVS. MANVTIVS. INTER *eos* ꝫ malim, Inter nos: id eſt, inter poetas, & oratores.

CICERO

SEIVNCTVS *igitur orator a philoſophorum eloquentia, a ſophiſtarum, ab hiſtoricorum, a poetarum, explicandus eſt nobis qualis futurus ſit. Erit igitur eloquens (hunc enim auctore Antonio quaerimus) is, qui in foro, cauſſisq. ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. probare, neceſſitatis eſt; delectare, ſuauitatis; flectere, uictoriae. nam id unum ex omnibus ad obtinendas caußas poteſt plurimum. Sed, quot officia oratoris, tot ſunt genera dicendi; ſubtile in probando, modicum in delectando, uehemens in flectendo; in quo uno uis omnis oratoris eſt. Magni igitur iudicij, ſummae etiam facultatis eſſe debebit moderator ille, & quaſi temperator huius tripertitae uarietatis. nam & iudicabit, quid cuique opus ſit; & poterit, quocumque modo poſtulabit cauſſa, dicere.*

EXPLANATIO

SEIVNCTVS *igitur* ꝫ alia eſt ergo, qua utitur, tum philoſophus, tum ſophiſta, tum hiſtoricus, tum poeta: & alia, qua orator utitur eloquentia. QVI *in foro, caußisq. ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat* ꝫ Orator, inquit, erit, qui in iudiciis, forenſibusq. controuerſiis uerſabitur: ita, ut, quae dicat, probet, ideſt, doceat, ut oblectet, ut flectat, ideſt, moueat. Docere, debitum eſt: delectare, honorarium: flectere uero neceſſarium: alioqui perſuadere non poterit: ideo ſubiungit: Nam id unum ex omnibus ad obtinendas cauſſas plurimum ualet. SVBTILE *in probando* ꝫ tenui enim filo, ac ſubtili in argumentationibus utimur. MODICVM *in delectando* ꝫ temperato, inquit, & illo mediocri charactere utimur, dum uolumus oblectare. VEHEMENS *in flectendo* ꝫ cum mouere uolumus, grandiloquo utimur. IN *quo uno uis omnis oratoris eſt* ꝫ

quoniam in eo orator uires dicendi ſuas in primis oſtendit. Siquidem hic character ſolius oratoris eſſe facile comprobatur: cum ceteri etiam aliorum poſſint eſſe ſcriptorum.

CICERO

Sed eſt eloquentiae, ſicut reliquarum rerum, fundamentum ſapientia. ut enim in uita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quam, quid deceat, uidere. πρέπον appellant hoc Graeci, nos dicamus ſane decorum. de quo praeclare & multa praecipiuntur, & res eſt cognitione digniſſima. Huius ignoratione non modo in uita, ſed ſaepiſſime & in poematis, & in oratione peccatur. Eſt autem, quid deceat, oratori uidendum, non in ſententijs ſolum, ſed etiam in uerbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec uero locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut uerborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum: ſemperq. in omni parte orationis, ut uitae, quid deceat, eſt conſiderandum: quod & in re, de qua agitur, poſitum eſt, & in perſonis, & eorum, qui dicunt, & eorum, qui audiunt.

EXPLANATIO

Sed *eſt eloquentiae, ſicut & reliquarum rerum, fundamentum ſapientia*} omnium enim ſcientiarum, atque artium fundamentum eſt ſapere. itaque & Horatius: Scribendi recte, ſapere eſt & principium, & fons: alioqui uerborum ille tinnitus poſt repentis aniculae ſonus, potius quam oratio humana eſſe uideatur, neceſſe eſt. ΠΡΕΠΟΝ *appellant hoc Graeci*} quod enim Latini decorum, Graeci πρέπον uocant. Sed *ſaepiſſime & in poematis*} haec eſt Latina terminatio nominum in a terminantium Graecorum tertiae declinationis, auctore Phoca, & Diomede: ac ueteres eleganter auctores omnes ita locuti comperiũtur, quidquid dicat Priſcianus.

CICERO

Itaque hunc locum, longe, & late patentem, philoſophi ſolent in officijs tractare, non cum de recto ipſo diſputant; nam id quidem unum eſt; grammatici in poetis, eloquentes in omni & genere, & parte cauſſarum. quam enim indecorum eſt, de ſtillicidijs, cum apud unum iudicem dicas, ampliſſimis uerbis, & locis uti communibus, de maieſtate populi R. ſummiſſe, & ſubtiliter? Hic genere toto, at perſona alij peccant, aut ſua, aut iudicum, aut etiam aduerſariorum, nec re ſolum, ſed ſaepe uerbo. etſi ſine re nulla uis uerbi eſt: tamen eadem res ſaepe aut probatur, aut reijcitur, alio atque alio elata uerbo. In omnibusq. rebus uidendum eſt, quatenus. etſi enim ſuus cuique modus eſt: tamen magis offendit nimium, quam parum. in quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non ſentirent, quid eſſe ſatis.

EXPLANATIO

Philosophi *ſolent in officijs tractare*} ad ipſos enim pertinet, quid in tota uita facere, ac loqui deceat, diſſerere: quod oratores quoque tractare conſueuerunt: ſicut ad Demonicum Iſocrates. Grammatici *in poetis*} Grammatici certe Critici prius dicti, quod eorum munus adhiberetur in poetis, hiſtoricisq. iudicandis. Eloquentes *in omni genere, & parte cauſſarum*} ita, inquit, eloquentis uiri decorum eſt inſpicere, & in omni genere cauſſarum, parteq. cauſſarum quid deceat, & quid non deceat. Quam *enim indecorum*} exemplo docet, ubi oratori indecorum fuit. De *ſtillicidijs*} ac ceteris humilibus, ut ſtillicidia: ſicut ſunt de Maenianis, pertectis parietibus, communibus aquis, pluuiis, reliquisq. id genus magnifice, ac copioſe dicere. De *maieſtate uero populi R. ſummiſſius, & preſſius*} ſubtiliter, ut generi infimo conuenit. Persona *peccant*} cum non ſeruant perſonae decorum. Videndvm, *quatenus*} ideſt, inſpiciendum quidquid agas, quouſque agendum; quia qui, ut decet, agit, is probatur: improbatur autem contrarius. In *quo Apelles*} qui pictor inſignis de pictoribus ferre potuit ſententiam.

CICERO

Magnus eſt locus hic, Brute, quod te non fugit, & magnum uolumen aliud deſiderat: ſed ad id, quod agitur, illud ſatis: cum hoc decere, quod ſemper uſurpamus in omnibus dictis, & factis, minimis, & maximis, cum hoc, inquam, decere dicimus, illud non decere, & uſquequaque, quantum ſit, appareat, in alioq. ponatur, aliudq. totum ſit, utrum decere, an oportere dicas. Oportere enim, perfectionem declarat officij; quo & ſemper utendum eſt, & omnibus: decere, quaſi aptum eſſe, conſentaneumq. tempori, & perſonae: quod, cum in factis ſaepiſſime, tum in dictis ualet, in uultu denique, & geſtu, & inceſſu; contraq. item dedecere. quod ſi poeta fugit ut maximum uitium, qui peccat etiam, cum probam orationem affingit improbo, ſtulto ue ſapientis; ſi denique pictor ille uidit, cum immolanda Iphigenia triſtis Calchas eſſet, maeſtior Vlyſſes, maereret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis eſſe, quo-

niam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari; ſi denique hiſtrio, quid deceat, quaerit: quid faciendum oratori putemus? Sed, cum hoc tantum ſit, quod in cauſſis, earumq. quaſi membris faciat, orator uiderit: illud quidem perſpicuum eſt, non modo partes orationis, ſed etiam cauſſas totas, alias alia forma dicendi eſſe tractandas.

EXPLANATIO

VSQVEQVAQVE *quantum ſit* ʒ ideſt, omnifariam quantum. ETIAM *cum probam orationem affingit improbo* ʒ ideo inquit Horatius:

Intererit multum, Dauus ne loquatur, an heros,
Maturus ne ſenex: an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an ſedula nutrix:
Mercator ne uagus, cultor ue uirentis agelli:
Colchus an Aſſyrius, Thebis nutritus, an Argis.

PENICILLO *non poſſet imitari* ʒ quo picturarum lineamenta explicantur.

CICERO

SEQVITVR, ut cuiuſque generis nota quaeratur, & formula: magnum opus, & arduum, ut ſaepe iam diximus: ſed ingredientibus conſiderandum fuit, quid ageremus: nunc quidem iam, quocumque feremur, danda nimirum uela ſunt. Ac primum informandus eſt ille nobis, quem ſolum quidam uocant Atticum. Summiſſus eſt, & humilis, conſuetudinem imitans, ab indiſertis re plus, quam opinione, differens. itaque, eum qui audiunt, quamuis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere. nam orationis ſubtilitas imitabilis illa quidem uidetur eſſe exiſtimanti, ſed nihil experienti minus. etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccum aliquem oportet; ut, etiam ſi illis maximis uiribus careat, ſit, ut ita dicam, integra ualetudine.

EXPLANATIO

SED *nihil eſt experienti minus* ʒ quam longe id difficilius eſt, acumen inquam illud in dicendo aſſequi, quam arbitremur. INTEGRA *ualetudine* ʒ tranſlatio a corporibus ſumpta ſanis.

CICERO

PRIMVM igitur eum tamquam e uinculis numerorum eximamus. ſunt enim quidam, ut ſcis, oratorij numeri, de quibus mox agemus, obſeruandi ratione quadam, ſed alio in genere orationis, in hoc omnino relinquendi. ſolutum quiddam ſit, nec uagum tamen; ut ingredi libere, non ut licenter uideatur errare. uerba etiam uerbis quaſi coagmentare negligat. habet enim ille tamquam hiatus concurſu uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis, quam de uerbis, laborantis.

EXPLANATIO

E VINCVLIS *numerorum eximamus* ʒ non debet, inquit, humilis ſtylus numeris uinciri aliquibus. IN *alio genere orationis* ʒ in quo autem: dicetur poſterius. NON *ut licenter uideatur errare* ʒ ideſt, labi: & nullo teneri uinculo oratio uideatur. VERBA *etiam uerbis quaſi coagmentare negligat* ʒ Coagmentata enim uidentur uerba uerbis, cum uocalium concurſu ſequens uerbum praecedens uidetur excipere: ut, Heri iuit: nam, cum in acumine ſenſuum prona ſit oratio, non magnopere cura eſt compoſitionis, modo ſit ſana, minimeq. inculta oratio.

CICERO

SED erit uidendum de reliquis, cum haec duo ei liberiora fuerint, circuitus, conglutinatioq. uerborum. Illa enim ipſa contracta, & minuta non negligenter tractanda ſunt; ſed quaedam etiam negligentia eſt diligens. nam, ut mulieres eſſe dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipſum deceat: ſic haec ſubtilis oratio etiam incompta delectat. fit enim quiddam in utroque, quo ſit uenuſtius, ſed non ut appareat. Tum remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum. ne calamiſtri quidem adhibebuntur. Fucati uero, medicamenta candoris, & ruboris omnia repellentur: elegantia modo, & munditia remanebit. Sermo purus erit, & latinus: dilucide, planeq. dicetur: quid deceat, circumſpicietur. Vnum aderit, quod quartum numerat Theophraſtus in orationis laudibus, ornatum illud ſuaue, & affluens: acutae, crebraeq. ſententiae ponentur, & neſcio unde ex abdito erutae: atque in hoc oratore domi-

dominabitur. Verecundus erit uſus oratoriae quaſi ſupellectilis. ſupellex eſt enim quodam modo noſtra, quae eſt in ornamentis, alia rerum, alia uerborum.

EXPLANATIO

CIRCVITVS ʒ ideſt, periodus, quae a Latinis clauſula nominatur. CONGLVTINATIOQ. *uerborum* ʒ id eſt, idonea compoſitio. eſt ſiquidem gluten, unde glutino, quae cola Graece dicitur. quod uero a Graecis, commi, Latine gummi. OMNIS *inſignis ornatus, quaſi margaritarum* ʒ quae Graece margaris, margaritis, & margarita. margaritae dicitur paenultima correpta. Latine tum bacca, tum unio nominatur. NEC *calamiſtri quidem adhibebuntur* ʒ Calamiſtrus, ferrum incuruum, quo capilli inflectuntur, & cincinni fiunt. FVCATI *uero* ʒ Fucus, quae Graece phycos, herba eſt, cuius ſucco priſtinus lanae color reparatur. Ergo fucati, medicati. MEDICAMENTA *candoris, & ruboris, omnia repellentur* ʒ id eſt, ceruſſa, & purpuriſſus. DILVCIDE ʒ ut intelligatur. PLANE ʒ ut bene rem complectatur: ne quid deſit, nequid ſuperſit. AFFLVENS ʒ copioſum. ET *neſcio unde ex abdito erutae* ʒ unde etiam acutae dicuntur. VERECVNDVS *erit uſus oratoriae ſupellectilis* ʒ Parce, inquit, utetur figuratis ſermonibus, unde oratoria facultas praecipuum nomen ſibi uindicauit. IN *ornamentis, alia rerum, alia uerborum* ʒ ideo figurae dicuntur dianoeas, ideſt, intellectus, ac ſententiarum: & lexeos, ideſt, dictionis.

PAVLLVS. MANVTIVS. ATQVE *in hoc oratore dominabitur* ʒ Puto rectius: Atque in hoc orator dominabitur: uel, Atque in oratore dominabitur. ſic enim locutus eſt lib. 1. de Oratore. Quod unum, inquit, in oratore dominatur.

CICERO

ORNATVS autem uerborum duplex, unus ſimplicium, alter collocatorum. Simplex probatur in proprijs, uſitatisq. uerbis, quod aut optime ſonat, aut rem maxime explanat: in alienis, aut tranſlatum, aut factum aliunde, ut mutuo; aut factum ab ipſo, ut nouum; aut priſcum, & inuſitatum. Sed etiam inuſitata, ac priſca ſunt in proprijs, niſi quod raro utimur.

EXPLANATIO

SIMPLEX *probatur in propriis* ʒ Proprietas, ut Quinctilianus inquit, non ad nomen, ſed ad uim ſignificandi refertur: nec auditu, ſed intellectu perpendenda eſt. At multis modis proprium dicitur: ná proprium, inter plura, quae ſunt eiuſdem nominis, id unde cetera ducta ſunt: ut uertex, eſt contorta in ſe aqua: uel quidquid aliud ſimiliter uertitur. inde propter flexum capillorum, pars eſt ſumma capitis: ex hoc, inqnam, in montibus eminentiſſimum, recte dixeris haec omnia uertices. proprie tamen unde initium eſt, ſicut ſoleae, & turdi, piſces. Tertius eſt huic diuerſus modus, cum res communis pluribus in uno aliquo habet nomen eximium: ut carmen funebre, proprie naenia, & tabernaculum ducis Auguſtale. Item, quod commune eſt aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter attribuitur: ut urbem Romam accipimus, & uenales nouitios, & Corinthia aera, cum ſint urbes aliae quoque, & uenalia multa; & tam aurum, & argentum, quam aes Corinthium. Sed ne in his quidem uirtus oratoris inſpicitur. at illud iam non mediocriter probandum, quod etiam hoc modo laudari ſolet, ut proprie dictum id eſt, quo nihil poſſit inueniri ſignificantius. ut Cato dixit C. Caeſarem ad euertendam rempub. ſobrium acceſſiſſe: & Virgilius deductum carmen: & Horatius acrem tibiam, Hannibalemq. dirum. Et epithetis quoque fit proprietas: ut cum dicimus, Dulce muſtum, & cum dentibus albis. Item, quae ſunt, in quo praecipua proprij locum accipiunt: ut Fabius inter plures oratorias uirtutes Cunctator eſt appellatus. QVOD *aut optime ſonat* ʒ ut ſi ductores dicas potius, quam ducem. AVT *translatum* ʒ ut, cum dicis, Hoc mihi excidit: pro, oblitus ſum. AVT *factum aliunde* ʒ in aliam aſſumptum ſignificationem: ut, Se iſti mutuo diligunt. cum ſit res mutua, quae numero, pondere, uel menſura conſtat. AVT *factum ab ipſo* ʒ ut Lucretius (Tuditare) a ſono mallei furmanit: & Perſius (Cornicaris) a cornice fecit. AVT *nouum* ʒ uel id per deriuationem: ut a beato, Cicero beatitatem, & beatitudinem inuenit. uel per compoſitionem, ut a ſolo, & uago, ſoliuagas feras, & thuricremas mactatur ad aras: & infinita huiuſmodi alia, quae Quinctilianus etiam tradidit, quae elegantiam in oratione faciunt: ut iure dicat in arte poetica Horatius:

Dixeris egregie notum, ſi callida uerbum
Reddiderit iunctura nouum.

AVT *priſcum, & inuſitatum* ʒ ne ſit ab ultimis repetitum tenebris, ne cum Romulo loqui uideamur: aut adhuc ſupra cum Euandro. nam, ſicut (ne antigerio) & (toper) quae nimium ex uſu exceſſerunt pro (ualde) & (cito) nemo dicit: ita facile (exantlare) pro (perpeti) dixit Cicero, & (rebar) pro (putabam) & (proſapiam) pro (progenie) frequenter legas. SED *etiam inuſitata, & priſca ſunt in propriis* ʒ nam & in his proprie dici multa inueniuntur.

PAVLLVS. MANVTIVS. AVT *translatum, aut factum aliunde, ut mutuo;* ʒ quis ignorat, uerba translata a factis differre? itaque mihi magis placeret, ſic: Aut translatum aliunde, ut mutuo. nam de factis uerbis mentio ſtatim ſequitur.

CICERO

CICERO

COLLOCATA *autem uerba habent ornatum, ſi aliquid concinnitatis efficiunt, quod, uerbis mutatis, non maneat manente ſententia. Nam ſententiarum ornamenta, quae permanent etiam ſi uerba mutaueris, ſunt illa quidem permulta, ſed, quae emineant, pauciora. Ergo ille tenuis orator, modo ſit elegans, nec in faciendis uerbis erit audax, & in tranferendis uerecundus, & parcus in priſcis, reliquisq. ornamentis & uerborum, & ſententiarum demiſſior; tranſlatione fortaſſe crebrior, qua frequentiſſime ſermo omnis utitur non modo urbanorum, ſed etiam ruſticorum: ſi quidem eſt eorum, gemmare uites, ſitire agros, laetas eſſe ſegetes, luxurioſa frumenta. nihil horum parum audacter: ſed aut ſimile eſt illi, unde transferas; aut, ſi res ſuum nullum habet nomen, docendi cauſſa ſumptum, non ludendi uidetur. Hoc ornamento liberius paullo, quam ceteris, utetur hic ſummiſſus; nec tam licenter tamen, quam ſi genere dicendi uteretur ampliſſimo.*

EXPLANATIO

COLLOCATA *autem uerba* ʒ in quo primum eſt, ut augeamus, minuamus, concitate dicamus, moderate, laete, ſeuere, abundanter, preſſe, aſpere, leniter, magnifice, ſubtiliter, grauiter, urbane. ERGO *ille tenuis* ʒ qui in tenui figura eminet. GEMMARE *uites* ʒ cum in gemmae modum tum primum pampinum, uel racemum edunt. SITIRE *agros* ʒ cum exaruerunt longo tempore ſublatis pluuijs. LAETAS *eſſe ſegetes* ʒ unde & Virgilius, Quid faciat laetas ſegetes. LVXVRIOSA *frumenta* ʒ cum nimium herbeſcit ſolum. NON *ludendi* ʒ quoniam tranſlatio luſus quidem uidetur: quod aliud in uocem praetendat, & aliud ſignificet.

CICERO

ITAQVE *illud indecorum, quod quale ſit, ex decoro debet intelligi, hic quoque apparet, cum uerbum aliquod altius transfertur, idq. in oratione humili ponitur, quod idem in alta deceret. Illam autem concinnitatem, quae uerborum collocationem illuminat ijs luminibus, quae Graeci, quaſi aliquos geſtus orationis,* σχήματα *appellant, quod idem uerbũ ab his etiam in ſententiarum ornamenta transfertur, adhibet quidem hic ſubtilis, quem, niſi quod ſolum, ceteroquin recte quidam uocant Atticum, ſed paullo parcius. Nam, ſi, ut epularum apparatu, a magnificentia recedens, non ſe parcum ſolum, ſed etiam elegantem uideri uolet; eliget quibus utatur. ſunt. n. pleraeque aptae huius ipſius oratoris, de quo loquor parcimoniae. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda ſunt, paria paribus relata, & ſimiliter concluſa, eodemq. pacto cadentia, & immutatione litterae quaſi quaeſitae uenuſtates; ne elaborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis, manifeſto deprehenſum, appareat.*

EXPLANATIO

IN *alia* ʒ in alterius generis oratione. SCHEMATA ʒ aliqui habitus interpretantur. IN *ſententiarum ornamenta* ʒ quoniam ſunt figurae ſententiarum, quae dicuntur dianoeas. NISI *quod ſolum* ʒ quoniam omnia tria genera Attica dicuntur: nihilq. aliud eſt Attice dicere, niſi munde, & minime ſordide. PARIA *paribus relata* ʒ quae πάρισα diximus nominari. SIMILITER *concluſa* ʒ dicuntur homoeoteleuta. EODEMQ. *pacto cadentia* ʒ homoeoptota nominantur. ET *immutatione litterae* ʒ quae Agnominatio dicitur, ut beneficium, ueneficium.

CICERO

ITEMQVE, *ſi quae uerborum iterationes contentionem aliquam, & clamorem requirent, erunt ab hac ſummiſſione orationis alienae: ceteris promiſcue poterit uti, continuatione uerborum, modo relaxet, & diuidat, utaturq. uerbis quamuſitatiſſimis, tranſlatoribus quammolliſſimis: etiam illa ſententiarum lumina aſſumat, quae non erunt uehementer illuſtria. Non faciet remp. loquentem: nec ab inferis mortuos excitabit: nec, aceruatim multa frequentans, una complexione deuinciet. Valentiorum haec laterum ſunt, nec ab hoc, quem informamus, aut exſpectanda, aut poſtulanda: erit enim, ut uoce, ſic etiam oratione ſuppreſſior. ſed pleraque ex illis conuenient etiam huic tenuitati. quamquam iiſdem ornamentis utetur horridius: talem enim inducimus.*

EXPLANATIO

VERBORVM *iterationes* ʒ ubi idem uerbum ſaepius repetimus. CONTINVATIONE *uerborum* ʒ id eſt, clauſula ſimplici. MODO *relaxet, & diuidat* ʒ ſubaudi, in membra, & caeſa. SENTENTIA-

RVM *lumina* ʒ figuras ſententiarum. NON *faciet rempublicam loquentem* ʒ id eſt, proſopopoeijs non utatur, nec idolopoeijs, nec ethopoeijs. NEC *aceruatim multa frequentans* ʒ ut cum membratim, aut caeſim locutus ſit, clauſulam quandam uerborum crepidine concludat. SVPPRESSIOR ʒ ſummiſſior. HVIC *tenuitati* ʒ id eſt, quae maximo charaćteri conueniunt, eorum multa etiam humili conuenient. VTETVR *horridius* ʒ non illo uerborum ſplendore, ac apparatu, quo magnificus.

C I C E R O

ACCEDIT actio non tragica, nec ſcenae, ſed modica iactatione corporis, uultu tamen multa conficiens, non hoc, quo dicuntur os ducere, ſed illo, quo ſignificant ingenue, quo ſenſu quidque pronuncient. Huic generi orationis adſpergētur etiam ſales: qui in dicendo, mirum quantum ualent: quorum duo genera ſunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. utetur utroque, ſed altero in narrando aliquid uenuſte, altero in iaciendo, mittendoq. ridiculo: cuius genera plura ſunt; ſed nunc aliud agimus. illud admonemus tamen, ridiculo ſic uſurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit; nec ſubobſceno, ne mimicum; nec petulanti, ne improbum; nec in calamitatem, ne inhumanum; nec in facinus, ne odij locum riſus occupet; neque aut ſua perſona, aut iudicum, aut tempore alienum. haec enim ad illud indecorum referunrur.

E X P L A N A T I O

ACTIO *tragica* ʒ ideſt, ſublimis, elata, qualis in Tragoediis induci ſolet. VVLTV *multa conficiens* ʒ ut uultuoſe admodum pronunciet, ideſt, multis uultus inclinationibus utatur. OS *ducere* ʒ faciem ipſam nimium torquendo. ADSPERGENTVR *etiam ſales* ʒ Cuiuſmodi ipſe in libro de Oratore tradidit: & Quinćtilianus de mouendis in concluſionibus affećtibus docet. VNVM *facetiarum, alterum dicacitatis* ʒ Facetum, elegans, & urbanum. dicacem ſcurram dicimus. ideo ipſe pro Coelio, Aliud eſt maledicere, inquit, aliud accuſare: accuſatio, crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. maledićtio huius nihil habet propoſiti praeter contumeliam: quae ſi petulantius iactatur, conuicium: ſi facetius, urbanitas nominatur. Quinćtilianus, In narrando autem, inquit, Cicero conſiſtere facetias putat, dicacitatem in iaciendo. ſicut hic ſtatim commemorat. SED *nunc aliud agimus* ʒ ideo dicere ſuperſedit: quoniam in libro de Oratore haec tradidit. VT *nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit* ʒ quoniam ſcurrae nimium etiam dicaces ſunt. NEC *in calamitatem* ʒ in calamitoſos enim, & pauperes, inhumanum ſit petulantius loqui. NEC *in facinus* ʒ ut, ſi quid flagitioſe dićtum, uel faćtum, in riſum uelimus conuertere, cum carpendum potius, & inceſſendum fuerit.

C I C E R O

VITABIT etiam quaeſita, nec ex tempore ficta, ſed domo allata, quae plerumque ſunt frigida. Parcet & amicitijs, & dignitatibus: uitabit inſanabiles contumelias: tantummodo aduerſarios figet, nec eos tamen ſemper, nec omnes, nec omni modo: quibus exceptis, ſic utetur ſale, & facetijs, ut ego ex iſtis nouis Atticis talem cognouerim neminem, cū id certe ſit uel maxime Atticum. Hanc ego iudico formam ſummiſſi oratoris, ſed magni tamen, & germani Attici: quoniam, quidquid eſt falſum, aut ſalubre in oratione, id proprium Atticorum eſt. e quibus tamen non omnes faceti, Lyſias ſatis, & Hyperides, Demades praeter ceteros fertur, Demoſthenes minus habetur: quo quidem mihi nihil uidetur urbanius. ſed non tam dicax fuit, quam facetus. eſt autem illud acrioris ingenij, hoc maioris artis.

E X P L A N A T I O

VITABIT *etiam quaeſita* ʒ nam ridicula, extemporaria eſſe conuenit. NEC *ex tempore ficta* ʒ uitabit, inquit, quae non ſunt e tempore ficta: hoc eſt, quae non ſunt tum inuenta: quia, quae e tempore inuenta ſunt, ea ſpecioſiora. QVAE *plerumque ſunt frigida* ʒ ſiquidem excogitata plerumque ſecus eueniunt, quā opinati fuerimus. VITABIT *inſanabiles contumelias* ʒ ne, dum excitat riſum, in talem calumniam adducat, ut poena dignus ille uideatur, in quem ridiculum iactatum ſit. EX *iſtis nouis Atticis* ʒ illos Cicero ſemper inceſſit ſui temporis quoſdam, qui, dum Attice loqui uideri uolebant, ineptiſſimi inueniebantur. ET *germani Attici* ʒ ideſt, qui proprie Atticus dicendus ſit, cuiuſmodi ferme ſunt Comoediae omnes, praeſertim Ariſtophanis. HYPERIDES ʒ quem Quinćtilianus dulcem, & acutum ait. DEMOSTHENES *minus habetur* ʒ ita Quinćtilianus de riſu locutus, Quanta autem ſit, inquit, in ea difficultas, uel duo maximi oratores, alter Graecae, alter Latinae eloquentiae princeps docent. nam plerique Demoſtheni facultatem defuiſſe huius rei credunt, Ciceroni modum. nec uideri poteſt noluiſſe Demoſthenes: cuius pauca admodum dićta, nec ſane ceteris eius uirtutibus reſpondentia, palam oſtendunt non diſplicuiſſe illi iocos, ſed non contigiſſe. noſter uero non ſolum extra iudicia, ſed etiam in ipſis orationibus habitus eſt nimis riſus affećtator. QVO *quidem nihil mihi uidetur urbanius* ʒ ſecus ergo, ac Quinćtilianus dicat, ſentit Cicero. uerum, quid per urbanum intelligat, exponit: cum inquit, SED *non tam dicax fuit* ʒ oblećtatus riſum commouere. QVAM *facetus* ʒ

cetus ʒ id eſt, comptus, & mulcens audientis animum. ACRIORIS *ingenij* ʒ tam repente comparata, genera habere ridiculorum. HOC *maioris artis* ʒ oblectare poſſe animum, non riſum excitare: ſed exhilarare mentem.

C I C E R O

VBERIVS eſt aliud, aliquantoq. robuſtius, quam hoc humile, de quo dictum eſt; ſummiſſius autem, quam illud, de quo iam dicetur, ampliſſimum. Hoc in genere neruorum uel minimum, ſuauitatis autem eſt uel plurimum. eſt enim plenius, quam hoc enucleatum; quam autem illud ornatum, copioſumque, ſummiſſius. Huic omnia dicendi ornamenta conueniunt; plurimumq. eſt in hac orationis forma ſuauitatis: in qua multi floruerunt apud Graecos, ſed Phalereus Demetrius, meo iudicio, praeſtitit ceteris: cuius oratio cum ſedate, placideq. loquitur; tum illuſtrant eam, quaſi ſtellae quaedam, tranſlata uerba, atque immutata. tranſlata ea dico, ut ſaepe iam, quae per ſimilitudinem ab alia re, aut ſuauitatis, aut inopiae cauſsa, transferuntur: mutata, in quibus pro uerbo proprio ſubijcitur aliud, quod idem ſignificet, ſumptum ex re aliqua conſequenti. quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo tranſtulit, cum dixit Ennius, Arcem & urbem orbas; alio modo, ſi pro patria arcem dixiſſet: & horridam Africam terribili tremere tumultu cum dicit, pro Afris immutat Africam. Hanc Hypallagen rhetores, quia quaſi ſummutantur uerba pro uerbis, Metonymiam grammatici uocant, quod nomina transferuntur.

E X P L A N A T I O

VBERIVS *eſt aliud* ʒ expoſuit formam, & quaſi ideam Cicero humilis characteris: nunc mediocris, & temperati faciem docere incipit. QVAM *enucleatum* ʒ hoc humile dicit, de quo iam dictum eſt: plurimumq. eſt in hac oratoris forma ſuauitatis. Ideo Homerus, cum Menelao argutum illud genus, & minime errans attribuiſſet, ſuaue ut melli compararet, Neſtori attribuit. SED *Phalereus Demetrius meo iudicio praeſtitit ceteris* ʒ in hoc, inquit, dicendi mediocri charactere Demetrius Phalereus excelluit: de quo Quinctilianus, Quando etiam, inquit, Phalereum illum Demetrium, quamquam is primus inclinaſſe eloquentiam dicitur, multum ingenij habuiſſe, & facundiae fateor: & uel ob hoc memoria dignum, quod ultimus eſt fere ex Atticis, qui dici poſſit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi praefert omnibus Cicero. TRANSLATA *ea dico* ʒ in totum, inquit Quinctilianus, metaphora breuior eſt, quam ſimilitudo: eoq. diſtat, quod illa comparatur rei, quam uolumus exprimere: haec pro ipſa re dicitur. Comparatio eſt enim, cum dico feciſſe quid hominem, ut leonem; tranſlatio eſt, cum dico de homine leonem. Item, quid enim diceret aliud, & ſitire ſegetes, & fruticibus laborare. Neceſſitate nos durum hominem, aut aſperum. non enim proprium erat, quod daremus his affectibus nomen. Iam incenſum ira, & inflammatum cupiditate, & lapſum errore, ſignificandi gratia. illa ad ornatum lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, & eloquentiae flumina; ut Cicero ipſe pro Milone Clodium fontem gloriae eius uocat, & alio loco ſegetem, ac materiam. Id eſt, quod Cicero inquit, per ſimilitudinem tranſlationem fieri, aut ſuauitatis, aut inopiae cauſa. ARCEM *& urbem orbas* ʒ quia orbi homines dicuntur. SI *pro patria arcem dixiſſet* ʒ quia partem pro toto ponens fuit Synecdoche: & tamen tranſlatio. HANC *Hypallagen rhetores* ʒ Metonymia, inquit Quinctilianus, quae eſt nominis pro nomine poſitio: cuius uis eſt pro eo, quod dicitur, cauſſam propter quam dicitur, ponere: ſed, ut ait Cicero, Hypallagen rhetores dicunt. haec inuenta ab inuentore, & ſubiecta ab obijcientibus ſignificat: ut, Cererem corruptam undis, & Receptus terra Neptunus, claſſes aquilonibus arcet. Quod fit retro durius. Refert autem inquantum dictus tropus oratorem ſequatur. Nam, ut Vulcanum pro igne uulgo audiuimus: & uario Marte pugnatum, eruditus eſt ſermo: & Venerem quam coitum dixiſſe magis decet: ita Liberum, & Cererem pro uino, & pane licentius, quam ut fori ueritas ferat. Sicut ex eo, quod continet, id quod continetur, uſus recipit: ut, bene moratas urbes, & poculum epotum, & ſaeculum felix. Ad id, quod contra eſt, raro audeat quis niſi poeta, Iam proximus ardet Vcalegon. Niſi forte hoc potius eſt a poſſeſſore, quod poſſidetur, ut hominem deuorari, cuius patrimonium conſumitur. Poetae Pallida mors aequo pulſat pede pauperum tabernas, regumq. turres: & Pallentes habitant morbi triſtisq. ſenectus: & orator praecipitem iram, hilarem adoleſcentiam, ſegne otium dicit.

C I C E R O

ARISTOTELES *autem translationi haec ipſa ſubiungit, & abuſionem, quam* κατάχρησιν *uocant: ut cum minutum dicimus animum pro paruo, & abutimur uerbis propinquis, ſi opus eſt, uel quod delectat, uel quod licet. Iam cum fluxerunt plures continuae tranſlationes, alia plane fit oratio. itaque genus hoc Graeci appellant* ἀλληγορίαν, *nomine recte, genere melius ille, qui iſta omnia, tranſlationes uocat. Haec frequentat Phalereus maxime, ſuntq. dulciſſima: &, quamquam tranſlatio eſt apud eum multa, tamen immutationes nuſquam crebriores. In idem genus orationis (loquor enim de illa modica, ac temperata) uerborum cadunt lumina omnia, multa etiam ſententiarum: latae, eruditaeq. diſputationes ab eodem explicantur, & loci communes ſine contentione dicuntur. Quid*

multa?

multa? e philoſophorum ſcholis tales fere euadunt : &, niſi coram erit comparatus ille fortior, per ſe hic, quem dico, probabitur. eſt enim quoddam & inſigne, & florens orationis, pictum, & expolitum genus, in quo omnes uerborum, omnes ſententiarum illigantur lepores. Hoc totum e ſophiſtarum fontibus defluxit in forum; ſed ſpretum a ſubtilibus, repulſum a grauioribus, in ea, qua de loquor, mediocritate conſedit.

EXPLANATIO

QVAM *Catachreſin uocant* ʒ nam catachromae, abutor ſignificat. GENVS *hoc Graeci appellant Allegoriam* ʒ quaſi allo, id eſt, aliud: agoreuon, id eſt, dicens. Allegoria, inquit Quinctilianus, quam inuerſionem uocamus: aliud uerbis, aliud ſenſu oſtendit: ut, O nauis referent in mare te noui Fluctus:&, Auia Pieridum peragro loca: &, Sed nos immenſum ſpatijs confecimus aequor : &, Iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla. Cicero, Equidem ceteras tempeſtates, & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putauimus eſſe ſubeundas. ET *niſi coram* ʒ hoc dicit: niſi magnificum illud dicendi genus, & character ille ſublimis conferatur, hic mediocris amplus uidebitur. EST *enim quoddam etiam inſigne, & florens, & expolitum genus* ʒ hoc genus quartum multi faciunt, quod antherinon uocant alij, alij uero glaphyron: Cicero autem temperato ipſi annectit. E *Sophiſtarum fontibus* ʒ qui a Latinis rhetores nominantur. SPRETVM *a ſubtilibus* ʒ ab ijs, qui in humili genere uerſantur. REPVLSVM *a grauibus* ʒ id eſt, a grandiloquis.

CICERO

TERTIVS eſt ille amplus, copioſus, grauis, ornatus, in quo profecto uis maxima eſt. Hoc eſt enim, cuius ornatum dicendi, & copiam admiratae gentes, eloquentiam in ciuitatibus plurimum ualere paſſae ſunt, ſed hanc eloquentiam, quae curſu magno, ſonituq. ferretur, quam ſuſpicerent omnes, quam admirarentur, quam ſe aſſequi poſſe diffiderent. Huius eloquentiae eſt, tractare animos; huius, omni modo permouere. haec modo perfringit, modo irrepit in ſenſus: inſerit nouas opiniones, euellit inſitas. Sed multum intereſt inter hoc dicendi genus, & ſuperiora. Qui in illo ſubtili, & acuto elaborauit, ut callide, arguteq. diceret, nec quidquam altius cogitaret; hoc uno profecto magnus orator eſt, ſi non maximus; minimeq. in lubrico uerſabitur, &, ſi ſemel conſtiterit, numquam cadet. Medius ille autem, quem modicum, & temperatum uoco, ſi modo ſuum illud ſatis inſtruxerit, non extimeſcit ancipites dicendi, incertosq. caſus: etiam ſi quando minus ſuccedet, ut ſaepe fit, magnum tamen periculum non adibit: alte enim cadere non poteſt.

EXPLANATIO

TERTIVS *ille amplus* ʒ nunc formam grauis generis exprimere Cicero molitur. QVAM *admirarentur, quam ſe aſſequi poſſe diffiderent* ʒ hanc Homerus Vlyſſi potiſſimum attribuit:de quo Quinctilianus, At ille,qui ſaxa deuoluat, & pontem indignetur, & ripas ſibi faciat multas torrens: iudicem uel nitentem contra feret, cogetq. ire qua rapit. Inde ſubiungit, Sed ad ſummam regreſſus eſt Homerus dicens in Vlyſſe facundiam: & magnitudine illum uiciſſe, cum orationem ſimilem nimbis hibernis, & copiam uerborum, atque impetum parem attribuit. cum hoc igitur nemo mortalium contendet, hunc ut deum homines intuebuntur: hanc uim, & celeritatem in Pericle miratur Eupolis: hanc fulminibus Ariſtophanes comparat. MAGNVS *orator eſt* ʒ qui in illo humili excellens, minimeq. in lubrico uerſabitur: quia humilis labi, planeq. cadere non poteſt. ETIAM *ſi quando periculum non adibit* ʒ id eſt, ſe magis non attollet, quam pati poſſit.

CICERO

AT uero hic noſter, quem principem ponimus, grauis, acer, ardens, ſi ad hoc unum eſt natus, aut in hoc ſolo ſe exercuit, aut huic generi ſtudet uni, nec ſuam copiam cum illis duobus generibus temperauit, maxime eſt contemnendus. ille enim ſummiſſus, quod acute, & ueteratorie dicit, ſapiens iam; medius, ſuauis; hic autem copioſiſſimus, ſi nihil eſt aliud, uix ſatis ſanus uideri ſolet. qui enim nihil poteſt tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, diſtincte, facete dicere, praeſertim cum cauſſae partim totae ſint eo modo, partim aliqua ex parte tractandae: ſi is, non praeparatis auribus, inflammare rem coepit, furere apud ſanos, & quaſi inter ſobrios bacchari ninolentus uideri.

EXPLANATIO

HIC *noſter* ʒ id eſt, grandis, & magnificus. SI *ad hoc unum eſt natus* ʒ ut ſit magnificus. AVT *huic generi ſtudet uni* ʒ quod facere non debet, ne tumidus ſemper uideatur : quia aliquando ſummittenda, aliquando temperanda eſt oratio. ILLE *enim ſummiſſus* ʒ id eſt, humilis. ET *ueteratorie* ʒ id eſt, ua-

fre, & uerſute. Veteratores enim, callidi dicti a multa rerum agendarum uetuſtate. Granius mulieri non aſtutae facile ueterator perſuaſit. SI *nihil eſt aliud* } id eſt, ſi ſemper ſublimis, & excelſus in dicendo. NIHIL *partite* } quia inter partiendum genus controuerſiae ſummittitur oratio. ſimiliter, ubi quid definias, ubi diſtinguas, & excipias. PRAESERTIM *cum cauſſae* } praecipue, inquit, cum cauſſae omnes in aliqua parte, ſi non totae, ita tractandae ſint, ut ſit quod partiare, aut quod definias, aut quod diſtinguas, ubi tranquille, leniterq. agendum ſit oratori. NON *praeparatis auribus* } id eſt, attentis, docilibus, & beneuolis effectis. INFLAMMARE } quod eſt grandis generis.

CICERO

TENEMVS igitur, Brute, quem quaerimus, ſed animo: nam, manu ſi prehendißem; ne ipſe quidem ſua tanta eloquentia mihi perſuaſiſſet, ut ſe dimitterem. ſed inuentus profecto eſt ille eloquens, quem numquam uidit Antonius. Quis eſt igitur is? complectar breui, diſſeram pluribus. Is enim eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Nemo is, inquit, umquam fuit. Ne fuerit: ego enim, quid deſiderem, non quid uiderim, diſputo: redeoq. ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam, & ſpeciem: quam etſi non cernimus, tamen animo tenere poßumus. nō enim eloquentem quaero, neque quidquam mortale, & caducum, ſed illud ipſum, cuius qui ſit compos, ſit eloquens: quod nihil eſt aliud, niſi eloquentia ipſa, quam nullis niſi mentis oculis uidere poßumus. Is erit igitur eloquens, (ut idem illud iteremus) qui poterit parua ſummiße, modica temperate, magna grauiter dicere.

EXPLANATIO

SI *comprehendiſſem* } facete Cicero iocatur cum Bruto. INVENTVS } qui a me dicendo expreſſus eſt. AD *illam Platonis* } ideam dicit: de qua ſupra, ut locus exigebat, dictum eſt abunde. PARVA *ſummiße* } id eſt, qui in omni dicendi charactere proprius, & copioſus fuerit.

CICERO

TOTA mihi caußa pro Caecina de uerbis interdicti fuit: res inuolutas definiendo explicauimus: ius ciuile laudauimus: uerba ambigua diſtinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam perſecuti ſumus. Ius omne retinendae maieſtatis Rabirij cauſſa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarſimus. At haec interdum temperanda, & uarianda ſunt. Quod igitur in accuſationis ſeptem libris non reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelij? quod in plurimis noſtris defenſionibus? quae exempla ſelegiſſem, niſi uel nota eſſe arbitrarer, uel poſſe eligere qui quaererent. nulla eſt enim ullo in genere laus oratoris, cuius in noſtris orationibus non ſit aliqua, ſi non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio. non aßequimur: at, quid deceat, uidemus. nec enim nunc de nobis, ſed de re dicimus. in quo tantum abeſt, ut noſtra miremur, ut uſque eo difficiles, ac moroſi ſimus, ut nobis non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes: qui quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non ſemper implet aures meas: ita ſunt auidae, & capaces, & ſemper aliquid immenſum, infinitumq. deſiderant.

EXPLANATIO

TOTA *mihi caußa pro Caecina* } ibi acutus, & humilis Cicero: & perinde ſtylo omnia humilia humili conſectatus. IN *Manilia lege* } quam Manilius rogauerat: ut cum ſciſceret populus: in quo genere mediocritatem dicendi ſe conſectatum ait. IVS *omne retinendae maieſtatis* } quod magnifici fuit characteris. IN *omni genere amplificationis exarſimus* } ſpecioſe dictum (exarſimus) ne dicat ſe compotem uoti fuiſſe eius, quod tentauerat, ait, Vehementi mentis intentione conati ſumus. IN *accuſationis ſeptem libris* } in Verrem, quem repetundarum accuſauimus, defendente Hortenſio. QVOD *in Habiti* } in ea, quam pro Poſtumo Habito habuimus. QVOD *in Cornelij* } cum defendimus Cornelium. QVOD *in pluribus noſtris defenſionibus* } quoniam fere ſemper defendit: rariſſime autem accuſauit Cicero. SI *non perfectio* } licet intueri, quam ſibi moderetur, arrogantiaeq. fugiat inuidiam. MOROSI } qui affectati moris ſunt, & inde ſemper queruli.

CICERO

SED tamen, quoniam & hunc tu oratorem cum eius ſtudioſiſſimo Pammene, cum eſſes Athenis, totum diligentiſſime cognouiſti; neque eum dimittis e manibus; & tamen noſtra etiam lectitas: uides profecto illum multa perficere, nos multa conari; illum poße, nos uelle, quocumque modo caußa poſtulet, dicere. ſed ille magnus: nam & ſucceſſit ipſe magnis, & maximos oratores habuit aequales. nos nimis magnum fecißemus, ſiquidem potuißemus, quo contendimus, peruenire, in ea urbe, in qua, ut ait

Antonius,

Antonius, auditus eloquens nemo erat. Atqui, ſi Antonio Craſſus eloquens uiſus non eſt, aut ſibi ipſe: numquam Cotta uiſus eſſet, numquam Sulpicius, numquam Hortenſius. nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpicius, non multa grauiter Hortenſius. ſuperiores magis ad omne genus apti: Craſſum dico, & Antonium.

EXPLANATIO

ILLVM ǁ Demoſthenem. QVO *contendimus* ǁ ſubaudi, ut primi eſſemus Romae. ſed id reticendo, ut euitet arrogantiam, reliquit nobis proferendum. NVMQVAM *Cotta, numquam Sulpicius* ǁ quos facit Cicero in libro de Oratore ſtudioſiſſimos audiendi Craſſum, & Antonium de arte dicendi diſſerentes. AD *omne genus* ǁ in omni charactere.

CICERO

IEIVNAS igitur huius multiplicis, & aequabiliter in omnia genera fuſae orationis aures ciuitatis accepimus, easq. nos primi, quicumque eramus, & quantulumcumque dicebamus, ad huius generis audiendi incredibilia ſtudia conuertimus. Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum; quae nequaquam ſatis deferbuiſſe, poſt aliquanto ſentire coepimus: Quid enim tam commune, quam ſpiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? Ita uiuunt, dum poſſunt, ut ducere animam de caelo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, ut numquam alluantur: ita poſtremo eijciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. & quae ſequuntur. ſunt enim omnia ſicut adoleſcentis non tam re, & maturitate, quam ſpe, & exſpectatione laudati. Ab hac indole iam illa matura: Vxor generi, nouerca filij, filiae pellex. Nec uero hic unus erat ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus. ipſa enim illa pro Roſcio iuuenilis redundantia multa habet, attenuata quaedam, etiam paullo hilariora. at pro Habito, pro Cornelio, compluresq. aliae: nemo enim orator tam multa, ne in Graeco quidem otio, ſcripſit, quam multa ſunt noſtra: eaq. hanc ipſam habent, quam probo, uarietatem. An ego Homero, Ennio, reliquis poetis, & maxime tragicis, concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroq. mutarent, nonnumquam etiam ad quotidianum genus ſermonis accederent: ipſe numquam ab illa acerrima contentione diſcederem?

EXPLANATIO

EASQ. ǁ ſubaudi, aures detinebamus. QVAE *nequaquam ſatis deferbuiſſe* ǁ quia ſimilia plura alia protulimus. ponitq. egregiam ſententiae ſimilitudinem. ET *quae ſequuntur* ǁ ſubaudi, illum locum: quae poſtea diximus. AB *hac indole iam illa* ǁ ſubaudi, etiam protulimus ſuperioribus ſimilia. PRO *Roſcio* ǁ nam ferunt eam primam Ciceronis cauſſam fuiſſe, cuius patrocinium ſuſceperit. IVVENILIS *redundantia* ǁ quam ipſe in Bruto ait caſtigatam Rhodi a Molone, cui operam aliquandiu dedit. VT *ne omnibus locis eadem contentione uteretur* ǁ hoc dicit, An concedemus, ut poetae uario utantur dicendi charactere: & non ut poetis hoc idem nobis dederimus?

CICERO

SED quid poetas diuino ingenio profero? hiſtriones eos uidimus, quibus nihil poſſet in ſuo genere eſſe praeſtantius: qui non ſolum in diſſimillimis perſonis ſatisfaciebant, cum tamen in ſuis uerſarentur: ſed & comoedum in tragoedijs, & tragoedum in comedijs admodum placere uidimus. ego non elaborarem? cum dico me, te, Brute, dico: nam in me quidem iampridem effectum eſt, quod futurum fuit. tu aut eodem modo omnes cauſſas ages; aut aliquod cauſſarum genus repudiabis; aut in iiſdem cauſſis perpetuum, & eundem ſpiritum ſine ulla commutatione obtinebis? Demoſthenes quidem, cuius nuper inter imagines tuas, ac tuorum, (quod eum, credo, amares) cum ad te in Tuſculanum ueniſſem, imaginem ex aere uidi, nihil Lyſiae ſubtilitate cedit, nihil argutiis, & acumine Hyperidi, nihil lenitate Aeſchini, & ſplendore uerborum. multae ſunt eius totae orationes ſubtiles, ut contra Leptinem: multae totae graues, ut quaedam Philippicae: multae uariae, ut contra Aeſchinem falſae legationis, ut contra eundem pro cauſſa Cteſiphontis. iam illud medium, quoties uult, arripit, & a grauiſſimo diſcedens, eo potiſſimum delabitur. clamores tamen tum mouet, & tum in dicendo plurimum efficit, cum grauitatis locis utitur. Sed ab hoc parumper abeamus; (quandoquidem de genere, non de homine quaerimus) rei potius, id eſt eloquentiae uim, & naturam explicemus. Illud tamen, quod iam ante diximus, meminerimus, nihil nos praecipiendi cauſſa eſſe dicturos, atque ita potius acturos, ut exiſtimatores uideamur loqui, non magiſtri. in quo tamen longius progredimur; quod uidemus non te haec ſolum eſſe lecturum, qui ea multo, quam nos, qui quaſi docere uideamur, habeas notiora; ſed hunc librum, etiam ſi minus noſtra commendatione, tuo tamen nomine diuulgari neceſſe eſt.

EXPLANATIO

DIVINO *ingenio profero* ʒ quoniam ut Plato, ut Democritus inquiebat, naſcitur poeta: ita etiam Cicero de Oratore, & pro Archia. ceteri autem fiunt. Itaque afflari quodam ſpiritu, quaſi diuino ad dicendum ſolos poetas, multis rationibus comprobarunt. SED *& comoedum* ʒ qui Comoedias recitat, Comoedus: qui Tragoedias, Tragoedus appellatur. IAM *pridem effectum eſt* ʒ quia cauſſas agere deſiuimus. VT *contra Leptinem* ʒ quam habuit Demoſthenes, ipſum Leptinem accuſans. FALSAE *legationis* ʒ ſubaudi, ad Philippum. PRO *cauſſa Cteſiphontis* ʒ quae oratio de Corona inſcribitur: quoniam Cteſiphonteam Demoſtheni attribuerat, non iure, ut Aeſchines arbitrabatur. ILLVD *medium* ʒ ſubaudi, dicendi genus.

CICERO

ESSE igitur perfecte eloquentis puto, non eam ſolum facultatem habere, quae ſit eius propria, fuſe, lateq. dicendi, ſed etiam uicinam eius, atque finitimam dialecticorum ſcientiam aſſumere. quamquam aliud uidetur oratio eſſe, aliud diſputatio: nec idem loqui eſſe, quod dicere: attamen utrumque in diſſerendo eſt. diſputandi ratio, & loquendi, dialecticorum ſit; oratorum autem, dicendi, & ornandi. Zeno quidem ille, a quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat, quid inter has artes intereſſet. nam, cum compreſſerat digitos, pugnumq. fecerat, dialecticam aiebat eiuſmodi eſſe: cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmae illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat. Atque etiam ante hunc Ariſtoteles principio artis rhetoricae dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticae: ut hoc uidelicet differant inter ſe, quod haec ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior.

EXPLANATIO

SED *etiam uicinam eius* ʒ ſenſus eſt, Non modo debet orator uim dicendi copioſe, ac fuſim, ſed etiam anguſte, enucleate, preſſe: quod artis diſſerendi proprium eſt, quam Dialecticen Graeci uocant. ATQVE *etiam ante hunc* ʒ ſubaudi, Zenonem Citieum. nam octo fuere Zenones. DICIT *illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticae* ʒ id eſt eſſe antiſtrophon: ita enim inquit: Ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσὶν ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης, διὸ καὶ πάντες τρόπον τινὰ μετέχουσιν ἀμφοῖν. qui enim perſuadere dicendo uult, arguat neceſſe eſt: ſicut Plato perſuaſionem in rhetorices definitione poſuit: cum inquit, πειθοῦς δημιουργόν. Et Ariſtoteles qualiter cum ait: δύναμιν τεχνικὴν τοῦ περὶ ἕκαστον ἐνδεχομένου πιθανῶς λέγειν. Ita Hermagoras: δύναμις περὶ λόγον τέλος ἔχουσα τὸ πείθειν ὅσον ἐφ᾽ αὐτῇ. Dionyſius quoque Halicarnaſſeus inquit: δύναμις τεχνικὴ λόγου πιθανοῦ ἐν πράγματι πολιτικῷ. τέλος ἔχουσα τὸ καλῶς εἰπεῖν κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον. hoc potius, quam ut quidam, δύναμις κατασκευαστικὴ καὶ ἀνασκευαστικὴ δικαίων καὶ ἀδίκων πραγμάτων. uel, ut alij: ἐπιστήμη εὖ λέγειν. tametſi in idem recidit. RATIO *dicendi* ʒ quae oratoris eſt. ILLA *loquendi* ʒ quae dialecticae eſt.

CICERO

VOLO igitur huic ſummo omnem, quae ad dicendum trahi poſſet, loquendi rationem eſſe notam: quae quidem res, quod te his artibus eruditum minime fallit, duplicem habuit docendi uiam. nam & ipſe Ariſtoteles tradidit praecepta plurima diſſerendi: & poſtea, qui dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt. Ergo eum cenſeo, qui eloquentiae laude ducatur, non eſſe earum rerum omnino rudem: ſed uel illa antiqua, uel hac Chryſippi diſciplina inſtitutus, nouerit primum uim, naturam, genera uerborum, & ſimplicium, & copulatorum; deinde, quot modis quidque dicatur; qua ratione, uerum, falſum ne ſit, iudicetur; quid efficiatur e quoque; quid cui conſequens ſit, quidq. contrarium; cumq. ambigue multa dicantur, quo modo quidque eorum diuidi, explanariq. oporteat. Haec tenenda ſunt oratori: ſaepe enim occurrunt: ſed, quia ſua ſponte ſqualidiora ſunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.

EXPLANATIO

SPINOSIORA *multa pepererunt* ʒ non ut magis Ariſtoteles ipſam aperiat, ſed ut rem redderet obſcuriorem, ingenioſioresq. ipſi uiderentur: ut Chryſippus, qui in dicendo, ut cum multi, tum uel in primis Galenus medicus arguit, fuit omnium philoſophorum infantiſſimus, quem ſaepe artis grammatices imperitiae coarguit. VIM, *naturam, genera uerborum* ʒ id eſt, quinque uoces: & categorias: quae iuniores praedicabilia, & praedicamenta nominarunt. SIMPLICIVM ʒ cum per ſe intelliguntur. COPVLATORVM ʒ cum ex eis fiunt orationes. DEINDE *quot modis quidque dicatur* ʒ quae orationes a iunioribus aequipollentiae nominantur. QVA *ratione uerum, falſum ne ſit, iudicetur* ʒ ex contrarijs, contradictorijsque, ſubcontrarijs, & ſubalternis. QVID *efficiatur, eo quoque, quod cuique conſequens ſit* ʒ ita enim omnis ſtruitur argu men-

gumentatio, ut ex praemiſſis quibuſdam, unde ſequatur aliquid neceſſario: uel probabiliter, ut in ſyllogiſmis, & inductionibus. Qvodq. *contrarium* ʒ nam plerumque ita ad id, quod impoſſibile eſt, aduerſarium adducimus: ut Mathematici, & aliquando etiam Phyſici. Cvmq. *ambigue multa dicentur* ʒ immo etiam diſtinguendum, ut Ariſtoteles docet in Elenchis. Dividi, *explanariq. oporteat* ʒ ut totum in partes, genus in ſpecies: quod ſaepe faciunt in dicenda cauſſa oratores.

CICERO

Et, quoniam in omnibus, quae ratione docentur, & uia, primum conſtituendum eſt, quid quidque ſit; (niſi enim inter eos, qui diſceptant, conuenit, quid ſit illud, de quo ambigitur; nec recte diſſeri, nec umquam ad exitum perueniri poteſt) explicanda eſt ſaepe uerbis mens noſtra de quaque re, atque inuolutae rei notitia definiendo aperienda eſt: ſi quidem definitio eſt oratio, quae, quid ſit id, de quo agitur, oſtendit quambreuiſſime. Tum, ut ſcis, explicato genere cuiuſque rei, uidendum eſt, quae ſint eius generis ſiue formae, ſiue partes; ut in eas tribuatur omnis oratio. Erit igitur haec facultas in eo, quem uolumus eſſe eloquentem, ut definire rem poſſit, neque id faciat tam preſſe, & anguſte, quam in illis eruditiſſimis diſputationibus fieri ſolet, ſed cum explanatius, tum etiam uberius, & ad commune iudicium, popularēq. intelligentiam accommodatius. Idemq. etiam, cum res poſtulabit, genus uniuerſum in ſpecies certas, ut nulla neque praetermittatur, neque redundet, partietur, ac diuidet. quando autem, aut quo modo id faciat, nihil ad hoc tempus; quoniam, ut ſupra dixi, iudicem me eſſe, non doctorem uolo. Nec uero dialecticis modo ſit inſtructus, ſed habeat omnes philoſophiae notos, & tractatos locos. nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus, aut malis, nihil de uirtutibus, aut uitijs, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de uoluptate, nihil de perturbationibus animi, & erroribus, quae ſaepe cadunt in cauſſas, ſed ieiunius aguntur, nihil, inquam, ſine ea ſcientia, quam dixi, grauiter, ample, copioſe dici, & explicari poteſt.

EXPLANATIO

Constitvendvm *eſt, quid quidque ſit* ʒ id eſt, definitione utendum, qua, quid ſit aliquid, explicatur: ac, cum decem & octo fere ſint definitionum genera, unum longe praeſtantiſſimum eſt, quod per genus & differentiam, uel aliquid differentiae loco, explicatur. Siqvidem *eſt definitio oratio, quae quid ſit id, de quo agitur, oſtendit quam breuiſſime* ʒ haec eſt definitionis Platonica definitio. inquit ſiquidem Plato: ὁρισμὸς ἐστὶ λόγος συντόμενος δηλωτικὸς τῆς φύσεως τοῦ ὑποκειμένου πράγματος. nam Ariſtoteles in Topicis, licet aliter definire uideatur, idem tamen propemodum dicit, cum inquit: ὁρισμὸς ἐστὶ λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. Eivs *generis, ſiue formae* ʒ quae & ſpecies appellantur. Sive *partes* ʒ cum totum diuiditur. Omnis *oratio* ʒ id eſt, tota diuidendi ratio fiat. Qvam *in illis eruditiſſimis diſputationibus* ʒ ſubaudi, philoſophorum. Neqve *praetermittatur, neque redundet* ʒ quod diuiſionis proprium eſt, ſicut definitionis, per genus ſuum, & ſuam differentiam fieri: ut homo eſt animal rationale: ut alijs placet, ſi addere uolueris, propter daemonas, mortale: & propter Nymphas, ſcientiae, & intelligentiae capax. quando autem, aut quo modo id facias, nihil ad hoc tempus: quoniam locus fuit in Topicis: & hoc tempore, inquit, oſtendimus, ac circumſcribimus oratorem perfectum, non docemus quidquam. Omnes *philoſophiae notos, & tractatos locos* ʒ tota ſiquidem philoſophia, ut Ariſtoteles tradit, ut etiam Ptolemaeus in principio Magnae conſtructionis Mathematicae, ut eius quoque interpres Theon, in agendi, & inſpiciendi ſpecies diuiſa eſt: agendi, omnis uis ad mores relegata eſt: inſpiciendi autem, diuiditur in Theologiam, & Phyſicam, & Mathematicas ſcientias. Mathematicae uero ſunt, Arithmetica, Geometria, Muſica, & Aſtrologia. nam Optica, Catopertrica, Geodeſia, Canonica, & prorſus inſtrumentalis omnis illarum ſunt ſpecies. Sed *ieiunius aguntur* ʒ argutius ſiquidem haec a philoſophis tractantur, quam ab oratoribus.

CICERO

De materia loquor orationis etiam nunc, non ipſo de genere dicendi. uolo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogitet, quibus uerbis quidque dicat, aut quo modo. Quem etiam, quo grandior ſit, & quodam modo excelſior, ut de Pericle dixi ſupra, ne phyſicorum quidem eſſe ignarum uolo. omnia profecto, cum ſe a caeleſtibus rebus referet ad humanas, excelſius, magnificentiusq. & dicet, & ſentiet. Cumq. illa diuina cognouerit, nolo ignoret ne haec quidem humana. ius ciuile teneat; quo egent cauſſae forenſes quotidie. quid eſt enim turpius, quam legitimarum, & ciuilium controuerſiarum patrocinia ſuſcipere, cum ſis legum, & ciuilis iuris ignarus? Cognoſcat etiam rerum geſtarum, & memoriae ueteris ordinem, maxime. ſ. noſtrae ciuitatis, ſed & imperioſorum populorum, & regum illuſtrium: quē laborem nobis Attici noſtri leuauit labor; qui, conſeruatis, notatisq. temporibus, nihil cum illuſtre praetermitteret, annorū ſeptingentorum memoriam uno libro colligauit. neſcire autem, quid antea, quam natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. quid enim eſt aetas hominis, niſi cum memoria rerū ueterum, cum ſuperiorum aetate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumq. prolatio ſumma cum delectatione, & auctoritatem orationi affert, & fidem.

EXPLA-

EXPLANATIO

DE *materia loquor orationis* ʒ quoniam de dicendi modo mox diſſeram. Ne *phyſicorum quidem ignarum eſſe uolo* ʒ id eſt, naturalis etiam gnarum eſſe philoſophiae. ſiquidem phyſis, natura dicitur: unde phyſicus, & phyſica phyſicorum neutro genere, & Rhetorica, & Biblia dicimus, quae res phyſicas, rhetoricas, & libros plures continent. A *caeleſtibus rebus* ʒ quoniam res phyſicae non modo intelliguntur in huma nis rebus, ſed etiam diuinis, ut paullo ante diximus. Cvm *ſis legum, & ciuilis iuris ignarus* ʒ lex eſt, inquit Papinianus, commune praeceptum, uirorum prudentium conſultum, delictorum, quae & ſponte uel ignorantia contrahuntur, coertio, communis reipublicae ſponſio. lex porro omnis aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut uetat, aut promittit. Ius ciuile autem eſt, ut Papinianus inquit, quod ex legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis, placitis principum, auctoritate prudentum uenit. Vt autem Vlpianus inquit, ius ciuile eſt, quod neque in totum a naturali uel gentium recedit, nec per omnia ei ſeruit. Itaque, cum aliquid addimus, uel detrahimus iuri communi, ius proprium, id eſt, ciuile efficimus. Avctoritatem *orationi affert* ʒ quia uetera auctoritatem ſemper praeſeferunt. Et *fidem* ʒ quia facilius adducimur, ut credamus priſcis, quam nouis.

PAVLLVS. MANVTIVS. Qvid *enim eſt aetas hominis, niſi cum memoria rerum ueterum cum ſuperiorum aetate contexitur?* ʒ ſic legitur in peruulgatis libris: uerum aliter in antiquis, & rectius, ut opinor: Quid enim eſt aetas hominis, niſi, memoria rerum ueterum, cum ſuperiorum aetate contexitur? quorum uerborum haec ſententia eſt: quod eſt aetas hominis, niſi cum ſuperiorum aetate contexitur? quo modo autem contexitur? memoria rerum ueter um.

CICERO

SIc igitur inſtructus ueniet ad cauſſas: quarum habebit genera primum ipſa cognita. Erit enim perfectum, nihil ambigi poſſe, in quo non aut res controuerſiam faciat, aut uerba: res aut de uero, aut de recto, aut de nomine: uerba aut de ambiguo, aut de contrario. Nam, ſi quando aliud in ſententia uidetur eſſe, aliud in uerbis; genus eſt quoddam ambigui, quod ex praeterito uerbo fieri ſolet; in quo, quod eſt ambiguorum proprium, res duas ſignificari uidemus. Cum tam pauca ſint genera cauſſarum, etiam argumentorum praecepta pauca ſunt. Traditi ſunt, e quibus ea ducantur, duplices loci: uni e rebus ipſis, alteri aſſumpti.

EXPLANATIO

HAbebit *genera primum ipſa cognita* ʒ demonſtratiuum, deliberatiuum, & iudiciale. Res, *aut de uero* ʒ ut ſit, quod arguatur, uerum, nec ne. unde coniecturalis, & infitialis ſtatus. Avt *de recto* ʒ id eſt, de qualitate. unde negotialis, & iuridicialis: & inde multae ex iuridiciali ſpecies, quae ipſae in rhetoricis complexus eſt. Avt *de nomine* ʒ indefinito, ſiue finitiuus ſtatus. Verba *aut de ambiguo* ʒ inde ambiguum, ſiue amphibologia ſtatus. Avt *de contrario* ʒ ideo de contrarijs legibus appellatur. Nam, *ſi quando aliud in ſententia uidetur eſſe, aliud in uerbis* ʒ ideo de ſcripto, & ſententia nominatur. Res autem tota ita habet: quia lex aut litem habet propter ſeipſam, aut propter alteram quaeſtionem, aut in ſcripto, aut in uoluntate. in ſcripto, aut apertum eſt, aut obſcurum, aut ambiguum. quod de legibus dicimus, idem accipiendum de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto. Et *argumentorum praecepta pauca ſunt* ʒ quae cui quaeſtioni accommodentur, in ſecundo rhetoricorum expoſitum eſt. Traditi *ſunt, e quibus ea ducantur, duplices loci* ʒ id eſt, in duo genera diuiſi. Vni *ex rebus ipſis* ʒ quae artificiales dicuntur. Alteri *aſſumpti* ʒ id eſt, extrinſecus ad cauſſam adhibiti: qui artis expertes dicuntur: de quibus in Topicis ampliſſime ipſe Cicero locutus eſt.

CICERO

TRactatio *igitur rerum efficit admirabiliorem orationem. nam ipſae quidem res in perfacili cognitione uerſantur. quid enim iam ſequitur, quod quidem artis ſit, niſi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret ſe ad diſcendum? rem breuiter exponere, & probabiliter, & aperte; ut, quid agatur, intelligi poſſit: ſua confirmare, aduerſaria euertere; eaq. efficere non perturbate, ſed ſingulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod ſit conſequens ijs, quae ſumentur ad quamque rem confirmandam? poſt omnia, perorationem inflammantem, reſtinguentemue concludere? His partes quemadmodum tractet ſingulas, difficile dictu eſt hoc loco: nec enim ſemper tractantur uno modo.*

EXPLANATIO

TRACTATIO *igitur rerum* } quae eſt in orationis compoſitione. NISI *ordiri orationem* } id eſt, exordium orationis texere. IN *quo aut concilietur auditor* } id eſt, captet beneuolentiam. AVT *erigatur* } id eſt, fiat attentus. AVT *paret ſe ad diſcendum* } id eſt, docilem faciat. REM *breuiter exponere* } poſt exordium ſequitur narratio: in qua tria cuſtodienda ſunt, ut breuibus rem complectamur. ET *probabiliter* } id eſt, ut credatur, quod dicamus: & perinde fidem faciat oratio. ET *aperte* } id eſt, ut dilucide, quidquid agatur, poſſit intelligi. SVA *confirmare* } quod poſt narrationem ſequitur confirmatio. ADVERSARIA *euertere* } ut, cum noſtra confirmauerimus, aliena refellamus. NON *perturbate* } non fidem cauſſae auferamus. POST *omnia perorationem* } quam Graeci Epilogon uocant. INFLAMMANTEM } ſi accuſamus. RESTINGVENTEM *ue concludere* } ſi defendamus. DIFFICILE *dictu eſt hoc loco* } quoniam omnia paucis comprehendenda, & paucis haec tradi non poſſunt.

CICERO

QVONIAM *autem non, quem doceam, quaero, ſed quem probem: probabo primum eum, qui, quid deceat, uidebit. haec enim ſapientia maxime adhibenda eloquenti eſt, ut ſit temporum, perſonarumq. moderator. nam nec ſemper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcumque decebit, poterit accommodare orationem. Quod cum ſtatuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet, nec ſatura ieiune, nec grandia minute, nec item contra; ſed erit rebus ipſis par, & aequalis oratio. Principia uerecunda, non elatis intenſa uerbis, ſed acuta ſententiis, uel ad offenſionem aduerſarij, uel ad commendationem ſui. Narrationes credibiles, nec hiſtorico, ſed prope quotidiano ſermone explicatae dilucide. Dein, ſi tenues cauſſae, tum etiam argumentandi tenue filum, & in docendo, & in refellendo; idq. ita tenebitur, ut, quanta ad rem, tanta ad orationem fiat acceſſio. Cum uero cauſſa ea inciderit, in qua uis eloquentiae poſſit expromi; tum ſe latius fundet orator; tum reget, & flectet animos, & ſic afficiet ut uolet, id eſt ut cauſſae natura, & ratio temporis poſtulabit. Sed erit duplex omnis eius ornatus ille admirabilis, propter quem adſcendit in tantum honorem eloquentia. Nam cum omnis pars orationis eſſe debet laudabilis, ſic ut uerbum nullum, niſi aut graue, aut elegans, excidat: tum ſunt maxime luminoſae, & quaſi actuoſae partes duae: quarum alteram in uniuerſi generis quaeſtione pono, quam, ut ſupra dixi, Graeci appellant θέσιν; alteram in augendis, amplificandisq. rebus, quae ab eiſdem αὔξησις eſt nominata: quae etſi aequabiliter toto corpore orationis fuſa eſſe debet, tamen in communibus locis maxime excellet; qui communes appellati, quod uidentur multarum ijdem eſſe cauſſarum, ſed proprij ſingularum eſſe debebunt. At uero illa pars orationis, quae eſt de genere uniuerſo, totas cauſſas ſaepe continet. Quidquid eſt enim illud, in quo quaſi certamen eſt controuerſiae, quod Graece κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quaeſtionem, atque de uniuerſo genere dicatur, niſi cum de uero ambigetur, quod quaeri coniectura ſolet.*

EXPLANATIO

PROBABO *primum eum, qui, quid deceat, uidebit* } id eſt, qui cuſtodiet. τὸ πρέπον. NEC *ſatura ieiune, nec grandia minute, nec item contra* } quod omnium uitium longe peſſimum eſt a Graecis cacozelia appellatum. PRINCIPIA } id eſt, exordia totius orationis. NEC *hiſtorico* } ubi hiſtorici, delectandi lectorem cauſſa, ueneres dicendi omnes conſectari ſolent. TENVE *filum* } ſtylus ſit, inquit, preſſus. QVANTA *ad rem, tanta ad orationem fiat acceſſio* } ut, qualis fuerit ſententia, talis ſit oratio. CVM *ea inciderit* } ſubaudi, ſublimis, magnifica. TVM *ſe latius fundet orator* } illo amplo, & grandi dicendi genere utetur: ut tamen omnia, quae ad cauſſam accedunt, expoſtulare uidebuntur. QVI *communes appellati* } quibus utitur orator antequam concludat, ſtatim cum ſua confirmarit, & aliena confutarit. EO *quod uidentur multarum ijdem eſſe cauſſarum* } ſubaudi, in eodem genere: inde etiam communes loci ſunt appellati, ut contra parricidam, contra ſacrilegum, contra fures. SED *proprij* } ſubaudi, loci, qui ad unamquamque pertinent quaeſtionem, de qua agatur, quae hypotheſeos ſunt. QVOD *Graece* κρινόμενον } Latine iudicatio: quae in omnibus ſeparata inuenitur conſtitutionibus, praeterquam in coniecturali. in ea enim idem eſt conſtitutio ipſa coniecturalis, & ratio, & iudicatio, & firmamentum: ideo ſubiungit, NISI *cum de uero ambigitur* } quod quaeri coniectura ſolet.

CICERO

DICETVR *autem non Peripateticorum more, (eſt enim illorum exercitatio elegans, iam inde ab Ariſtotele conſtituta) ſed aliquanto neruoſius: & ita de re communia dicentur, ut & pro eis multa leniter dicantur, & in aduerſarios aſpere. Augendis uero rebus, & contra abijciendis, nihil*

eſt,

eſt, quod non perficere poſſit oratio: quod & inter media argumenta faciendum eſt, quotieſcumque dabitur uel amplificandi, uel minuendi locus, & paene infinite in perorando.

EXPLANATIO

DICETVR *autem non Peripateticorum more* ʒ quoniam obſcurius, & neruoſius loquuntur Petipatetici, quam oratores. AVGENDIS *uero rebus* ʒ accuſando. ET *contra abijciendis* ʒ cum defendimus. ET *paene infinite in perorando* ʒ quia tum amplificatione maxime opus in concluſione, ſi modo mouere affectus non enumeratione uti ſtudebimus.

CICERO

DVO ſunt, quae, bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant. Quorum alterum eſt, quod Graeci ἠθικὸν uocant, ad naturas, & ad mores, & ad omnem uitae conſuetudinem accommodatum: alterum, quod ijdem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur; in quo uno regnat oratio. illud ſuperius, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum: hoc; uehemens, incenſum, incitatum, quo cauſsae eripiuntur: quod cum rapide fertur, ſuſtineri nullo pacto poteſt. Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus; ſed magno ſemper uſi impetu, ſaepe aduerſarios de ſtatu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo ſummus orator non reſpondit Hortenſius. A nobis homo audaciſſimus Catilina in ſenatu accuſatus obmutuit. Nobis priuata in cauſſa, magna, & graui, cum coepiſſet Curio pater reſpondere, ſubito aſſedit, cum ſibi uenenis ereptam memoriam diceret.

EXPLANATIO

QVOD *Graeci ἠθικὸν uocant* ʒ id eſt, morale, quod uix Cicero dicere audet: ita in principio diſputationis de Fato, Morata ſiquidem ſententia multum capi humanum genus conſueuit. ALTERVM, *quod ijdem παθητικὸν* ʒ quod neoterici tum paſſibile, tum paſſiuum uocant. QVO *perturbantur animi* ʒ in affectus uocati ad odium, ad miſericordiam, ad inuidiam, ad iram, & id genus alia. ILLVD *ſuperius* ʒ ſubaudi, morale. COME, *iucundum* ʒ eſſe expedit. QVO *cauſſae eripiuntur* ʒ quoniam audiendo tam uehementer afficiuntur, ut contra dicere, ac ſentire poſſit nemo. FAMILIARI *reo* ʒ ſubaudi, Verri. NON *reſpondit Hortenſius* ʒ ipſum namque defendebat. CATILINA, *in ſenatu accuſatus, obmutuit* ʒ ut ex ipſius inuectiuis apparet. NOBIS *priuata in cauſſa magna, & graui, cum coepiſſet Curio pater* ʒ quia fuit & filius, qui Caeſaris partes ſecutus eſt. SVBITO *aſſedit, cum ſibi uenenis ereptam memoriam diceret* ʒ ut ipſe Cicero in Bruto meminit. nam, cum de ipſo coepiſſet loqui, paullo poſt ſubiungit, Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cum propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quaereret: qui in iudicio priuato, uel maximo, cum ego pro Ticinia Cottae perorauiſſem, ille contra me pro Seruio Naeuio diceret, ſubito totam cauſſam oblitus eſt: idq. ueneficijs, & cantionibus Ticiniae factum eſſe dicebat.

CICERO

QVID ego de miſerationibus loquar? quibus eo ſum uſus pluribus, quod, etiam ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. in quo ut uiderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar. quae qualiacumque in me ſunt; me enim ipſum non paenitet, quanta ſint; ſed apparent in orationibus: etſi carent libri ſpiritu illo, propter quem maiora eadem illa, cum aguntur, quam cum leguntur, uideri ſolent. Nec uero miſeratione ſolum mens iudicum permouenda eſt; (qua nos ita dolenter ut ſolemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus, ut alia in cauſſa, excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plangore, & lamentatione compleremus forum) ſed etiam eſt faciendum, ut iraſcatur iudex, mitigetur; inuideat, faueat; contemnat, admiretur; oderit, diligat; cupiat, ſatietate afficiatur; ſperet; metuat; laetetur, doleat. qua in uarietate, duriorum accuſatio ſuppeditabit exempla, mitiorum defenſiones meae. nullo enim modo animus audientis aut incitari, aut leniri poteſt, qui modus a me non tentatus ſit: dicerem perfectum, ſi ita iudicarem, nec in ueritate crimen arrogantiae extimeſcerem. Sed, ut ſupra dixi, nulla me ingenij, ſed magna uis animi inflammat, ut me ipſe non teneam: nec umquam is, qui audiret, incenderetur, niſi ardens ad eum perueniret oratio. Vterer exemplis domeſticis, niſi ea legiſſes: uterer alienis, uel Latinis, ſi ulla reperirem, uel Graecis, ſi deceret. ſed Craſſi perpauca ſunt, nec ea iudiciorum: nihil Antonij, nihil Cottae, nihil Sulpicij: dicebat melius, quam ſcripſit, Hortenſius.

EXPLANATIO

FACIENDVM, *ut iraſcatur iudex* ʒ ſubaudi, aduerſario: & denique, ut cauſſa tulerit, omnes mouendi ſunt affectus. DVRIORVM ʒ ubi durae res occurrerunt accuſandae. MITIORVM ʒ ubi defendimus.

mus. Nec *in ueritate crimen arrogantiae extimeſcerem.* ʒ quoniam quid fuiſſem aſſecutus, ſi memorem, non putauero arrogantis eſſe. Vt *me ipſe non teneam* ʒ ut affectum cohibere non poſſim.

C I C E R O

Verum, haec uis, quam quaerimus, quanta ſit, ſuſpicemur, quoniam exemplum non habemus: aut, ſi exempla ſequimur, a Demoſthene ſumamus, & quidem perpetuae dictionis ex eo loco, unde in Cteſiphontis iudicio de ſuis factis, conſilijs, meritis in rempub. aggreſſus eſt dicere. ea profecto oratio in eam formam, quae eſt inſita in mentibus noſtris, includi ſic poteſt, ut maior eloquentia non requiratur. Sed iam forma ipſa reſtat, & χαρακτὴρ *ille qui dicitur: qui qualis eſſe debeat, ex ipſis, quae ſupra dictu ſunt, intelligi poteſt. Nam & ſingulorum uerborum, & collocatorum lumina attigimus: quibus ſic abundabit, ut uerbum ex ore nullum, niſi aut elegans, aut graue, exeat: ex omniq. genere frequentiſſimae tranſlationes erunt; quod eae propter ſimilitudinem transferunt animos, & referunt, ac mouent huc & illuc: qui motus cogitationis, celeriter agitatus, per ſe ipſe delectat. Et reliqua ex collocatione uerborum, quae ſumuntur quaſi lumina, magnum afferũt ornatum orationi. ſunt enim ſimilia illis, quae in amplo ornatu ſcenae, aut fori appellantur inſignia: non quod ſola ornent, ſed quod excellãt. Eadem ratio eſt horum, quae ſunt orationis lumina, & quodam modo inſignia: cum aut duplicantur, iteranturq. uerba, aut breuiter commutata ponuntur, aut ab eodem uerbo ducitur ſaepius oratio, aut in idem conijcitur, aut in utrumque, aut adiungitur idem iteratum; aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum uerbum non in eadem ſententia ponitur: aut cum ſimiliter uel cadunt uerba, uel deſinunt: aut multis modis contrarijs relata contraria: aut cum gradatim ſurſum uerſus reditur: aut cum, demptis coniunctionibus, diſſolute plura dicuntur: aut cum aliquid praetereuntes, cur id faciamus, oſtendimus: aut cum corrigimus noſmet ipſos quaſi reprehendentes: aut ſi eſt aliqua exclamatio, uel admirationis, uel quaeſtionis: aut cum eiuſdem nominis caſus ſaepius commutantur. Sed ſententiarum ornamẽta maiora ſunt: quibus quia frequentiſſime Demoſthenes utitur, ſunt qui putent iccirco eius eloquentiam maxime eſſe laudabilem. Et uero nullus fere ab eo locus ſine quadam conformatione ſententiae dicitur; nec aliud quidquam eſt dicere, niſi omnes, aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias: quas cum tu optime, Brute, teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantum notetur locus.*

E X P L A N A T I O

Orationis *lumina* ʒ ſchemata, & tropos dicit. Cvm *aut duplicantur* ʒ figurae duplicationes multis modis fiunt. unde illud Quinctiliani, Verba geminantur, uel amplificandi gratia: ut, occidi, occidi non Spurium Melium. Alterum eſt enim, quod indicat: alterum, quod affirmat. Vel miſerandi: ut, Ah Corydon, Corydon. &, Bona miſerum me (conſumptis enim lacrymis, tamen infixus animo haeret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeij acerbiſſimae uoci ſubiecta praeconis. Viuis, & uiuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Et ab iiſdem uerbis plura acriter, & inſtanter incipiunt, Nihil ne te nocturnum praeſidium Palatij, nihil urbis uigiliae, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora, uultusq. mouerunt? Et, Quis eos poſtulauit? Appius. quis produxit? Appius. Aut breuiter commutata ponuntur: ut, Abijt, exceſſit, euaſit, erupit. Aut ab eodem uerbo, ut oſtendimus. Avt *in idem conijcitur* ʒ id eſt, ad id uerbum deuoluitur, ut ultimo patuit exemplo. Avt *in utrumque* ʒ cum & incipimus, & deſinimus. Avt *adiungitur idem iteratum* ʒ multae etiam fiunt, uariaeq. repetitiones: nam primorum uerborum alterna repetitio: ut, Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille, ut eo, quo intendit, mature cum exercitibus perueniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat: tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caues, ne conſultores, ille ne urbes, aut caſtra capiantur. Poſſunt media quoque reſpondere, uel primis: ut, Te nemus Angitiae, uitrea te Fucinus unda. Vel ultimis: ut, Haec nauis onuſta praeda Sicilienſi: cum & ipſa quoque eſſet ex praeda. Reſpondent & primis ultima: Multi, & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Eſt & illud repetendi genus, quod ſemel propoſita itetat, & diuidit, ut Iphitus, & Pelias mecum: quorum Iphitus aeuo Iam grauior, Pelias, & uulnere tardus Vlyſſi. epanodos Graece dicitur, noſtri regreſſionem uocant: ut,

Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis:
Compulerantq. greges Corydon, & Thyrſis in unum:
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Et generibus fit iteratio, Magnus eſt labor dicendi, magna eſt res. Avt *cum ſimiliter uel cadunt uerba* ʒ in ſimiles deſinunt caſus: quae figura Homoeoptotos nominatur: ut, Inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, exſtincta. Vel *deſinunt* ʒ ut, abijt, exceſſit, euaſit, erupit. Avt *multis modis contrarijs relata contraria* ʒ antitheton dicitur, Latine ab alijs contrapoſitum, ab alijs contentio. Non fit uno modo: nam & fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur: ut, Vicit pudorem libido, timorem audacia. & bina binis, Non noſtri ingenij eſt, ueſtri auxilij eſt. & ſententiae ſententijs, Dominetur in concionibus: iaceat in iudicijs. Subiungitur commodiſſime ea ſpecies, quam diſiunctionem dicimus, Odit porro priuatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit. & ſunt ſimili caſu, diſſimili ſententia in ultimo locati: ut, quod in tempore male fuit,

nihil obſit,quin, quod in cauſſa boni fuit, proſit. Avt *cum gradatim ſurſum uerſus reditur* ≷ Haec Climax a Graecis nominatur: haec priorem habet partem, & magis affectatam: ideoq. rarior eſſe debet: ut, Africano uirtutem induſtria, uirtus gloriam, gloria aemulos comparauit. Et quale illud, Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quam maieſtatis: nec maieſtatis magis, quam Planciae legis: nec Planciae legis magis, quam ambitus: neque magis ambitus, quam omnium legum iudicia perierunt. Avt *cum demptis coniunctionibus* ≷ quae figura Aſyndeton dicitur: ut inueſtigata, comperta, patefacta: ſublata, deleta, exſtincta. Avt *cum aliquid praetereuntes, cur id faciamus, oſtendimus* ≷ ut ipſe, Quid uero nuper cum morte ſuperioris uxoris nouis nuptijs domum uacuam feciſſes, non ne etiam alio ſcelere incredibili hoc ſcelus cumulaſti? Quod ego praetermitto, & facile patior ſileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas aut extitiſſe, aut non uindicata eſſe uideatur. Avt *cum corrigimus noſmetipſos, quaſi reprehendentes* ≷ ut ipſe, Vna ſedent, ex accuſatorum ſubſellijs ſurgunt, non diſſimulant, non uerentur, de ſubſellijs queror? una ex domo prodeunt. Avt *ſi eſt aliqua exclamatio uel admirationis, uel quaeſtionis* ≷ quorum exempla frequentiora ſunt, ac manifeſtiora, quam ut ſit aliquid proferre. Similiter cum idem nomen per caſus uariatur.

CICERO

Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut uerſet ſaepe multi modis eandem & unam rem, & haereat in eadem, commoreturq. ſententia; ſaepe etiam, ut extenuet aliquid; ſaepe, ut irrideat; ut declinet a propoſito, deflectatq. ſententiam; ut proponat, quid dicturus ſit; ut, cum tranſegerit iam aliquid, definiat; ut ſe ipſe reuocet; ut, quod dixit, iteret; ut argumentum ratione concludat; ut interrogando urgeat; ut rurſus quaſi ad interrogata ſibi ipſe reſpondeat; ut contra, ac dicat, accipi, & ſentiri uelit; ut addubitet, quid potius, aut quo modo dicat; ut diuidat in partes, ut aliquid relinquat, ac negligat; ut ante praemuniat; ut in eo ipſo, in quo reprehendatur, culpam in aduerſarium conferat; ut ſaepe cum ijs, qui audiunt, nonnumquam etiam cum aduerſario quaſi deliberet; ut hominum ſermones, mores q. deſcribat; ut muta quaedam loquentia inducat; ut ab eo, quod agitur, auertat animos; ut ſaepe in hilaritatem, riſum ue cõuertat; ut ante occupet, quod uideat opponi; ut comparet ſimilitudines; ut utatur exemplis; ut aliud alij tribuens diſpertiat; ut interpellatorem coerceat; ut aliquid reticere ſe dicat; ut denunciet, quid caueat; ut liberius quid audeat; ut iraſcatur etiam; ut obiurget aliquando, ut deprecetur, ut ſupplicet, ut medeatur; ut a propoſito declinet aliquantulum; ut exſecretur; ut fiat ijs, apud quos dicet, familiaris; atque alias etiam dicendi quaſi uirtutes ſequatur, breuitatem, ſi res petet. Saepe etiam rem dicendo ſubijciet oculis: ſaepe ſupra feret, quam fieri poßit: ſignificatio ſaepe erit maior, quam oratio, ſaepe hilaritas, ſaepe uitae, naturarumq. imitatio.

EXPLANATIO

Saepe *etiam ut extenuet aliquid* ≷ hoc figurae genus, & quae ſequuntur, poteſt apud Ciceronem quiſque ſibi inuenire: ſunt ſiquidem eius refertae his figuris orationes: ut hominum ſermones, moresq. deſcribit, quae Ethopoeia eſt. Vt *muta quaedam loquentia inducat* ≷ ut in Catilinam, patria loquens inducitur, quae Idolopoeia: ambae autem Proſopopoeiae ſpecies. Oratorem *coerceat* ≷ ſubaudi, aduerſantem cauſſae ſuae. Saepe *etiam rem dicendo ſubijciet oculis* ≷ ut Marci Coelij in Antonium, Illum namque ipſum offenderunt temulento ſopore profligatum, totis praecordiis ſtertentem, ructuoſos ſpiritus geminare, praeclarasq. contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſas incubare, & reliquas circumiacere paſſim: quae tamen, exanimatae terrore, hoſtium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, fruſtra ceruicibus tollebant. blandius alia ad aurem inuocabat, uehementius etiam nonnulla feriebat: quorum omnium cum uoce, tactuq. oſcitaret, proximae cuiuſque collum amplexu petebat: neque dormire excitatus, neque euigilare ebrius poterat: ſed ſemiſomno ſopore inter manus centurionum, concubinarumq. iactabatur. Saepe *ſupra feret* ≷ id eſt, utetur Hyperbole: ut cum Cicero Charybdim, & Scyllam, Marcum Antonium uocat. Significatio *ſaepe erit maior quam oratio* ≷ haec Emphaſis dicitur.

CICERO

Hoc in genere (nam quaſi ſiluam uides) omnis eluceat oportet eloquentiae magnitudo: ſed haec niſi collocata, & quaſi ſtructa, & nexa uerbis, ad eam laudem, quã uolumus, adſpirare non poſſunt. de quo cum mihi deinceps uiderem eſſe dicendum, etſi mouebant etiam me illa, quae ſupra dixeram; tamen ijs, quae ſequuntur, perturbabar magis. occurrebat enim, poße reperiri non inuidos ſolum, quibus referta ſunt omnia, ſed fautores etiam laudum mearum, qui non cenſerent eius uiri eſſe, de cuius meritis tanta ſenatus iudicia fecißet comprobante populo Romano, quanta de nullo, de artificio dicendi litteris tam multa mandare. Quibus ſi nihil aliud reſponderem, niſi me M. Bruto negare roganti noluiſſe: iuſta eſſet excuſatio, cum & amiciſſimo, & praeſtantiſſimo uiro, & recta, & honeſta petenti ſatisfacere uoluiſſem. ſed, ſi profiteatur, quod utinam poßem, me ſtudioſis dicẽdi praecepta, & quaſi uias, quae ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandem is iuſtus rerum aeſtimator reprehenderet?

EXPLA-

EXPLANATIO

QVASI *ſiluam uides*] id eſt, totius facultatis oratoriae materiam. nam, ſicut corporatarum rerum omnium informis illa materia, ſilua uocatur: ita rudis, & indigeſta quaelibet rerum prima materia, ſilua nominatur: unde & Statius, cum materiam ad maiora ſcribenda ſibi membris informem ſuis comparaſſet, librum Siluarum inſcripſit. SED *haec niſi collocata*] ſuo loco digeſta, & numeris ſtructa. ADSPIRARE *non poſſunt*] quaſi ſpiritu peruenire. nam aliter dicimus: ut Ouidius, Coeptis adſpirate meis. eſt enim fauete. OCCVRREBAT *enim poſſe*] praemunit hic Cicero aduerſum maledicos defenſione ſe: quod, cum ad grammaticam multa pertinentia dicturus ſit, aliquibus forte uideri poſſit tantus orator nimium uileſcere: cum in tam humilem deſcendat locum, rationibus, cur id facturus uideatur, oſtendit acutiſſimis. SED, *ſi profitear*] id eſt, palam proferam, ac praemeferam.

CICERO

NAM, quis umquam dubitauit, quin in rep. noſtra primas eloquentia tenuerit ſemper urbanis, placatis q. rebus, ſecundas iuris ſcientia? cum in altera gratiae, gloriae, praeſidij plurimum eſſet; in altera perſecutionum, cautionumq. praeceptio; quae quidem ipſa auxilium ab eloquentia ſaepe peteret, ea uero repugnante uix ſuas regiones, fineſq. defenderet. Cur igitur, ius ciuile docere, ſemper pulchrum fuit; hominumq. clariſſimorum diſcipulis floruerunt domus: ad dicendum ſi quis acuat, aut adiuuet in eo iuuentutem, uituperetur? Nam, ſi uitioſum eſt, dicere ornate, pellatur omnino e ciuitate eloquentia. ſin ea non modo eos ornat, penes quos eſt, ſed etiam uniuerſam remp. cur aut, diſcere, turpe eſt, quod ſcire honeſtum eſt; aut, quod noſſe pulcherrimum eſt, id non glorioſum docere? At alterum factitatum eſt, alterum nouum. Fateor: ſed utriuſque rei cauſſa eſt. Alteros enim reſpondentes audire ſat erat; ut ij, qui docerent, nullum ſibi ad eam rem tempus ipſi ſeponerent, ſed eodem tempore & diſcentibus ſatisfacerent, & conſulentibus. Alteri, cum domeſticum tempus in cognoſcendis, componendiſq. cauſſis, forenſe in agendis, reliquum in ſe ipſis reficiendis omne conſumerent, quem habebant inſtituendi, aut docendi locum? Atque haud ſcio, an plerique noſtrorum oratorum ingenio plus ualuerint, quam doctrina: itaque illi dicere melius, quam praecipere, nos contra fortaſſe poſſumus.

EXPLANATIO

PRIMAS *eloquentia tenuerit*] id eſt, primum ſibi locum defenderit. SECVNDAS *iuris ſcientia*] id eſt, ſecundum locum. CVM *in altera gratiae*] eloquentiam dicit. EA *uero repugnante*] ſi eloquentia iuri, inquit, ciuili obſtiterit, nihil poterit proficere. ALTEROS *enim reſpondentes*] iuriſconſultos dicit. NOS *contra fortaſſe melius poſſumus*] quare minus accuſandus: ac cedo quid doceam.

CICERO

AT dignitatem, docere, non habet. Certe, ſi quaſi in ludo: ſed, ſi monendo, ſi cohortando, ſi percunctando, ſi communicando, ſi interdum etiam una legendo, audiendo, neſcio, cum docendo etiam aliquid aliquando poſſis meliores facere, cur nolis. An, quibus uerbis ſacrorum alienatio fiat, docere honeſtum eſt, ut eſt: quibus ipſa ſacra retineri, defendiq. poſſint, non honeſtum eſt? At ius profitentur etiam, qui neſciunt: eloquentia autem illi ipſi, qui conſecuti ſunt, tamen ſe ualere diſſimulant; propterea quod prudentia hominibus grata eſt, lingua ſuſpecta. Num igitur aut latere eloquentia poteſt; aut id, quod diſſimulat, effugit; aut eſt periculum, ne quis putet in magna arte, & gloria, turpe eſſe docere alios id, quod ipſi fuerit honeſtiſſimum diſcere? Ac fortaſſe ceteri tectiores: ego ſemper me didiciſſe praemetuli. quid enim poſſem? cum & abfuiſſem adoleſcens, & horum ſtudiorum cauſſa mare tranſiſſem; & doctiſſimis hominibus referta domus eſſet; & aliquae fortaſſe ineſſent in ſermone noſtro doctrinarum notae; cumq. uulgo ſcripta noſtra legerentur; diſſimularem me didiciſſe? qui probarem? niſi quod parum fortaſſe profeceram. Quod cum ita ſit; tamen ea, quae ſupra dicta ſunt, plus in diſputando, quam ea, de quibus dicendum eſt, dignitatis habuerunt. De uerbis enim componendis, & de ſyllabis propemodum dinumerandis, & dimetiendis loquemur: quae etiam ſunt, ſicuti mihi uidentur, neceſſaria, tamen fiunt magnificentius, quam docentur. eſt id omnino uerum: ſed proprie in hoc dicitur. nam omnium magnarum artium, ſicut arborum, altitudo nos delectat; radices, ſtirpeſq. non item: ſed eſſe illa ſine his non poteſt. Me autem ſiue peruagatiſſimus ille uerſus, qui uetat

Artem pudere proloqui, quam factites,

diſſimulare non ſinit, quin delecter; ſiue tuum ſtudium hoc a me uolumen expreſſit: tamen eis, quos aliquid reprehenſuros ſuſpicabar, reſpondendum fuit. Quod ſi ea, quae dixi, non ita eſſent; quis tamen ſe tam durum, agreſtemq. praeberet, qui hanc mihi non daret ueniam, ut, cum meae forenſes artes, & actiones publicae concidiſſent, nō me aut deſidiae, quod facere non poſſum, aut maeſtitiae, cui reſiſto, potius, quam litteris, dederem? quae quidem me

antea in iudicia, atque in curiam deducebant, non oblectant domi: nec uero talibus modo rebus, quales hic liber continet, ſed multo etiam grauioribus, & maioribus, quae ſi erunt perfectae, profecto forenſibus noſtris rebus etiam domeſticae litterae reſpondebunt. Sed ad inſtitutam diſputationem reuertamur.

EXPLANATIO

SI *quaſi in ludo* } ſi doceas, inquit, quaſi in ludo: tum dignitate caret. SACRORVM *alienatio fiat* } quod noſſe iuriſconſultum oportet. AT *ius profitentur etiam qui neſciunt* } quoniam totum eſt in prudentia poſitum. SE *ualere diſſimulant* } cur ita, dicit ipſe? quia, inquit, lingua ſuſpecta. PRAE *me tuli* } profeſſus ſum. CVM *abſuiſſem adoleſcens* } ut in Bruto de ſe ait, Rhodum ad Molonem ſe contuliſſe. DE *ſyllabis propemodum dinumerandis* } quia de pedibus, qui numeroſam reddunt orationem, dicturus ſum. SICVT *arborum altitudo* } aptiſſima uſus ſimilitudine eſt Cicero. ESSE *illa* } ſubaudi, altitudo ſine radicibus non poteſt: ita magna eloquentia ſine grammatices cognitione non poteſt. QVI *uetat artem pudere proloqui* } ita Horatius in arte poetica, Cur neſcire pudens prauus, quam diſcere malo? VT, *cum meae forenſes artes, & actiones publicae concidiſſent* } quando Caeſaris dictatoris mandato adminiſtrabantur omnia.

PAVLLVS. MANVTIVS. NESCIO, *cum docendo etiam* } antiquus Borromaei liber: Neſcio, cur cum docendo. ſuſtuli, Cur: quia ſequitur, Cur nolis. alterutrum enim, Cur, uidetur abundare: & poſterius numeri cauſſa retineri malui.

CICERO

COLLOCABVNTVR *igitur uerba, aut, ut inter ſe quam aptiſſime cohaereant extrema cum primis, eaq. ſint quam ſuauiſſimis uocibus; aut, ut forma ipſa, concinnitasq. uerborum conficiat orbem ſuum; aut, ut comprehenſio numeroſe, & apte cadat. Atque illud primum uideamus quale ſit, quod uel maxime deſiderat diligentiam: (eſt enim quaſi ſtructura quaedam) nec id tamen fiet operoſe: nam eſſet cum infinitus, tum puerilis labor: quod apud Lucilium ſcite exagitat in Albucio Scaeuola:*
Quam lapide lexis compoſtae, ut teſſerulae, omnes, Arte, pauimento, atque emblemate uermiculato.
nolo tam minuta haec conſtructio appareat: ſed tamen ſtylus exercitatus efficiet facile hanc uiam componendi. nam, ut in legendo oculus, ſic animus in dicendo proſpiciet, quid ſequatur; ne extremorum uerborum cum inſequentibus primis concurſus aut hiulcas uoces efficiat, aut aſperas. quamuis enim ſuaues, graues ue ſententiae, tamen, ſi inconditis uerbis efferuntur, offendent aures, quarum eſt iudicium ſuperbiſſimum.

EXPLANATIO

AVT *ut inter ſe quam aptiſſime cohaereant* } ne aſper conſonantium concurſus ſit, ne uocalium hiatus intolerabilis. EXTREMA *cum primis* } extremae antecedentis uerbi ſyllabae, cum primis ſequentis uerbi ſyllabis. CONFICIAT *orbem ſuum* } id eſt, clauſulam. COMPREHENSIO } id eſt, Periodus, ſiue clauſula. NVMEROSE *cadat* } id eſt, numero concludatur. NEC *tamen fiat operoſe* } id eſt, cum magna ſolicitudine. NAM *eſſet cum infinitus* } ſiquidem in omnibus clauſulis id obſeruandum. TVM *puerilis labor* } quia de ſententiis potius, quam de uerbis, debemus eſſe ſoliciti. IN *Albucio* } contra Albucium, ut Lucilius inducit: ipſiusq. Lucilij uerba apponit. LEXIS *compoſtae* } id eſt, coniunctae dictiones: eſt enim nominatiuus pluralis Lexis. VT *teſſerulae* } a teſſeris deminutiuum, quibus luditur in alea. PAVIMENTO } ita uariate, ut in pauimento, ubi multae impreſſiones, inde quoque dictum: nam pauire, ferire: unde pauicula, qua ſaepius areae feriuntur. EMBLEMATE } impreſſione: nam ἐμβάλλω, imprimo. VERMICVLATO } id eſt, minuto: ita enim Nonius ueteres dixiſſe minutum oſtendit. SED *tamen ſtylus* } qui dicendi artifex eſt, ut inquit alibi Cicero, omnia haec facilia reddet. NAM *in legendo oculus* } pulcherrima comparatio eſt. Quoniam, ſicut oculus oſtendit animo, quae cogitanda, ita animus uoluit, quae dicenda ſunt. adeo in gyrum noſtra uoluitur cognitio: mens a ſenſibus capit: & ſenſus a mente promunt ſibi quae uelint. AVT *hiulcas uoces efficiat* } quod tum euenit, cum uocalis uocalem excipit. AVT *aſperas* } cum conſona conſonantem admittit. QVARVM *iudicium eſt ſuperbiſſimum* } quia nihil magis ad intelligentiam faciendam accommodatur, quam aurium ſenſus: quare, niſi auribus, quod dicimus, blandiatur, plerumque etiam grauiſſima collabuntur.

CICERO

QVOD *quidem Latina lingua ſic obſeruat, nemo ut tam ruſticus ſit, qui uocales nolit coniungere. in quo quidem etiam Theopompum reprehendunt, quod eas litteras tantopere fugerit: etſi id magiſter eius Iſocrates, at non Thucydides, ne ille quidem, haud paullo maior ſcriptor, Plato, nec ſolum in ijs ſermonibus, qui dialogi dicuntur, ubi etiam de induſtria id faciendum fuit, ſed in populari oratione, qua mos eſt Athenis laudare in concione eos, qui ſint in proelijs interfecti: quae ſic probata eſt, ut*

eam quotannis, ut ſcis, illo die recitari neceße ſit. in ea eſt crebra iſta uocalium concurſio, quam magna ex parte, ut uitioſam, fugit Demoſthenes. ſed Graeci uiderint: nobis ne ſi cupiamus quidem diſtrahere uocales conceditur. indicant orationes illae ipſae horridulae Catonis, indicant omnes poetae, praeter eos, qui, ut uerſum facerent, ſaepe hiabant, ut Naeuius,

Vos, qui accolitis Hiſtrum fluuium, atque Algidam:

Et ibidem,

Quam numquam nobis Graij, atque Barbari.

At Ennius ſemel,

Scipio inuicte. ——

Et quidem nos,

Hoc motu radiantis Eteſiae in uada ponti.

hoc idem noſtri ſaepius non tuliſſent, quod Graeci laudare etiam ſolent.

EXPLANATIO

LATINA *lingua ſic obſeruat* ʒ ideo Latina lingua inquit: quoniam non ita Graeci, ut paullo poſt ipſe refert. QVI *uocales nolit coniungere* ʒ id eſt, uitare hiatum. IN *quo quidam etiam Theopompum reprehendunt* ʒ ſubaudi, Graeci. nam id Latini probant. DE *induſtria id faciendum fuit* ʒ ne tam eloquentiae, quam diſputationi, deſeruire uideretur. QVA *mos eſt Athenis* ʒ ideo & Demoſthenis, & Hyperidis, & Lyſiae tales nobiliſſimae adhuc exſtant orationes. VOS, *qui accolitis* ʒ uerſus eſt Naeuij Multimodis, ubi s littera ſubtrahitur.

PAVLLVS. MANVTIVS. QVIN *uocales nolit coniungere* ʒ ſic Borromaei libri tres antiqui, ſic & unus Latinii. aliis placuit, Qui, pro Quin. mihi non modo ſcripti libri, ſed etiam ſententia perſuadet, Quin, legendum eſſe, non Qui. dicit enim hoc: cum ſuauitas quaedam ſit in concurſu uocalium, quam ruſtici homines ignorant; neminem tamen eſſe tam ruſticum, quin uocales nolit coniungere. hoc autem inferiora illa confirmant: Nobis ne ſi cupiamus quidem diſtrahere uocales conceditur. id eſt: uocales diſiungere, uitato earum concurſu, non modo nemo uult, ſed nec permittitur, ſi quis uelit.

CICERO

SED, *quid ego uocales? ſine uocabulis ſaepe breuitatis cauſſa contrahebant, ut ita dicerent, multi' modis, uas' argenteis, palm' & crinibus, tecti' fractis. Quid uero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebãt, quo eſſent aptiora? nam ut duellum bellum, & duis bis, ſic Duellium, eum, qui Poenos claße deuicit, Bellium nominauerunt, cum ſuperiores appellati eſſent ſemper Duellij. Quin etiam uerba ſaepe contrahuntur, non uſus caußa, ſed aurium. quo modo enim ueſter Axilla Ahala factus eſt, niſi fuga litterae uaſtioris? quam litteram etiam e maxillis, e taxillis, & uexillo, & paxillo conſuetudo elegans Latini ſermonis euellit. Libenter etiam copulando uerba iungebant, ut ſodes, pro ſi audes; ſis, pro ſi uis. Iam in uno, capſis, tria uerba ſunt: ain', pro ais ne: nequire, pro non quire: malle, pro magis uelle: nolle, pro non uelle. Dein etiam ſaepe, & exin, pro deinde, & pro exinde dicimus. Quid illud, non olet unde ſit, quod dicitur, cum illis, cum autem nobis non dicitur, ſed nobiſcum? quia, ſi ita diceretur, obſcenius concurrerent litterae, ut etiam modo, niſi, Autem, interpoſuiſſem, concurrißent. Ex eo eſt mecum, & tecum, non, cum me, & cum te: ut eßet ſimile illis, uobiſcum, atque nobiſcum.*

EXPLANATIO

DVELLVM *bellum* ʒ inde perduelles hoſtes uocitarunt. CVM *ſuperiores appellati eßent ſemper Duellij* ʒ ita Quinctilianus in primo eadem fecit ex duello bellum: unde Duellios quidam dixere Bellios. NON *uſus caußa, ſed aurium* ʒ non quia, inquit, ita conſuetudine inoleuerit, ſed mulcendarum aurium cauſſa. VESTER *Axilla Ahala factus eſt* ʒ qui primus ab Axilla brachij nomen acceperat: inde per conciſionem, Ahala factus eſt Publius Seruilius Ahala. Apparet ergo, ut a multis adſpiratur, adſpirari non debere. IAM *in uno capſis tria uerba ſunt* ʒ nam compoſitum a (cape) & (ſi uis) eſt uerbum. QVID *illud, non olet, unde ſit* ʒ eleganter tranſtulit, quod proprium eſt olfactus, ad animum: ſicut audio, & uideo uſitatius eſt pro intelligo poſitum. OBSCENIVS ʒ turpius. CONCVRRERENT *litterae* ʒ ſubaudi, m cum n. VT *etiam modo, niſi (autem) interpoſuiſſem* ʒ ſi, inquit, dixiſſem cum nobis: non, cum autem nobis. VT *eßet ſimile illis, uobiſcum, atque nobiſcum* ʒ ideſt, ut ſimilis eſſet compoſitio in plurali, quae in ſingulari, ſi modo compoſita ſunt. nam per Anaſtrophen, omnes fere Grammatici pronunciari oportere aiunt: licet ſub uno accentu, qui haec reprehendunt, neſciant, cur ueteres ita loqui maluerint.

CICERO

ATQVE *etiam a qnibuſdam ſero iam emendatur antiquitas, qui haec reprehendunt: nam, pro deum, atque hominum fidem, deorum aiunt. Ita credo, hoc illi neſciebant; an dabant hanc licentiam conſuetudo? itaque idem poeta, qui inuſitatius contraxerat,*

„ *Patris mei meum factum pudet, pro, meorum factorum:* &,

„ *Texitur, exitium examen rapit; pro, exitiorum;*

non dicit liberum, ut plerique loquimur, cum, Cupi-

dos

dos liberum, aut, In liberum loco,dicimus; ſed, ut iſti uolunt,

,, *Neque tuum umquam in gremium extollat liberum ex te genus.* & *idem:*

,, *Namque Aeſculapij liberorum.* ——

At ille alter in Chryſe non ſolum,

,, *Ciues antiqui amici maiorum meum,*

quod erat uſitatum; ſed durius etiam,

,, *Conſilium ſocij, augurium, atque extum interpretes.*

Idemq. pergit,

Poſtquam prodigium horriferum, portentum paruos: quae non ſane ſunt in omnibus neutris uſitata. nec enim dixerim tam libenter, armum iudicium, etſi eſt apud eundem,

,, *Nihil ne ad te de iudicio armum accidit?*

quam centuriam, ut cenſoriae tabulae loquuntur, fabrum, & procum, audeo dicere, non fabrorum, & procorum: planeque, duorum uirorum iuridicundo, aut trium uirorum capitalium, aut decem uirorum litibus iudicandis, dico numquam. Atqui dixit Attius,

,, *Video ſepulcra dua duorum corporum:*

Idemq.

,, *Mulier una duum uirum.*

Quid uerum ſit, intelligo: ſed alias ita loquor, ut conceßum eſt, ut hoc uel, pro deum, dico, uel, pro deorum: alias ut neceße eſt, cum, trium uirum, non uirorum, cum, ſeſtertium nummum, non nummorum: quod in his conſuetudo uaria non eſt. Quid, quod ſic loqui, noße, iudicaſſe, uetant; nouiße, iubent, & iudicauiſſe? Quaſi uero neſciamus, in hoc genere & plenum uerbum recte dici, & imminutum uſitate. itaque utrũque Terentius:

,, *Eho, tu cognatum tuum non noras?* ——

Poſt idem:

,, *Stilphonem, inquam, noueras.*

Siet, plenum eſt: ſit, imminutum: licet utare utroque: ergo ibidem:

,, *Quam cara ſintque, poſt carendo intelligunt,*

,, *Quamq. attinendi magni dominatus ſient.*

EXPLANATIO

NAM, *Pro deum*} deum, pro deorum factum eſt. ITA *credo*} pulchra ironia, Recte, inquit, iſti corrigunt: quia inſcitia quadam hoc ueteres factitauere. PATRIS *mei meum factum pudet*} pro, meorum factorum, per conciſionem. SED, *ut iſti uolunt*} qui ſe antiquitatem correcturos arbitrentur imperiti. ALTER *in Chryſe*} in fabula, quae ita inſcripta eſt a Chryſe patre Agamemnonis amicae, quae Chryſeis dicta. unde inter Achillem, & Agamemnonem grauiſſima orta eſt contentio: unde & Homeri tota Ilias emanauit. MAIORVM *meum*} pro meorum. CONSILIVM *ſocij*} pro, conſiliorum. AVGVRIVM, *atque extum*} pro, auguriorum, & extorum. PRODIGIVM, *horriferum, portentum*} pro, prodigiorum, horriferorum, portentorum. ARMVM *iudicium*} pro armorum. QVAM} pro, quantum. CENSORIAE} a cenſoribus conditae tabulae. DICO *numquam*} quoniam ſyncopis potius utor: utpote concinnius ita me loqui ratus. DVA *duorum corporum*} ita Quinctilianus recte dici dua pondo, & trepondo putat. DVVM *uirum*} pro, duorum uirorum. QVID *uerum ſit, intelligo*} ideſt, noui equidem, qui recte dicatur, ut ipſa me iubet loqui analogia: ſed malo ſermonis leporem ſequi. QVID, *quod ſic loqui, noſſe, iudicaße uetant*} ideo uetant: quia conciſa ſunt, non integra.

CICERO

NEC *uero reprehenderim, Scripſere alij rem. &, ſcripſerunt, eſſe uerius ſentio: ſed conſuetudini, auribus indulgenti, libenter obſequor.*

,, *Idem campus habet,* ——

inquit Ennius: &,

,, *In templis iſdem,* ——

probauit: at, ijſdem, erit uerius: nec tamen, eiſdem, opimius: male ſonabat, ijſdem. impetratum eſt a conſuetudine, ut peccare ſuauitatis caußa liceret. Et, pomeridianas quadrigas, quam poſtmeridianas, libentius dixerim, & mehercule, quam mehercules. non ſcire, quidem barbarum iam uidetur; neſcire, dulcius. ipſum meridiem, cur nõ medidiem? credo, quod erat inſuauius. Vna praepoſitio eſt, eaq. nunc tantum in accepti tabulis manet, ne his quidem omnium; in reliquo ſermone mutata eſt. nam amouit dicimus, & abegit, & abſtulit: ut iam neſcias, a ne uerum ſit, an abs. Quid; ſi etiam, abfugit, turpe uiſum eſt, & abfer noluerunt, aufer maluerunt? quae praepoſitio, praeter haec duo uerba, nullo alio in uerbo reperietur.

EXPLANATIO

NEC *uero reprehenderim, Scripſere*} haec uerba dualis eſſe numeri, more Graecorum, aliqui crediderunt: quos ipſe quoque inſcitiae coarguit Quinctilianus, inquiens: Quamquam fuerunt, qui nobis adiicerent dualem, ſcripſere, legere, quod deuitandae aſperitatis gratia mollitum eſt: ut apud ueteres pro male mereri, male merere. Ideoque, quod illi uocant dualem, in illo ſolo genere conſiſtit: cum apud Graecos, & in tota uerbi fere ratione, & in nominibus deprehendatur, & ſic quoque rariſſimus eius ſit uſus: apud noſtrorum uero neminem haec obſeruatio reperiatur, quin e contrario, Deuenere locos: & Conticuere omnes: &, Conſedere duces, aperte nos doceant nihil horum ad duos pertinere: Dixere quoque (quamquam id Antonius Rufus ex diuerſo ponit exemplum) de pluribus patronis praeco pronunciet. Titus uero Liuius circa initia ſtatim primi libri, Tenuere, inquit, arcem Sabini: & mox, In aduerſum Romani ſubiere. Sed, quem potius ego,

quam Marcum Tullium ſequar? qui in Oratore, Non reprehendo inquit, ſcripſere: ſcripſerunt eſſe uerius ſentio. Eisdem *erat uerius*] nam componitur ab is, & demum, Priſciani teſtimonio. Cvr *non medidiem*] cum a medio, & die factum ſit. Praeter *haec duo uerba*] nam (a) praepoſitio, numquam in au mutatur: praeter quam in aufero, & aufugio.

PAVLLVS. MANVTIVS. In *templis iſdem, probauit: at, ijſdem, erat uerius: nec tamen, eiſdem, opimius: male ſonabat, ijſdem*] mendi ſuſpicionem parit antiquiorum librorum diſſenſio. nam tres Borromaei, & unus Latinij habent, In templis idem. ubi uero eſt in uulgatis, Eiſdem, in illis eſt Iſdem: ubi Male ſonabat, ijſdem, in illis, Iſdem. ut hoc fortaſſe Cicero ſignificet: cum dicendum ſit, Templis ijſdem, uel eiſdem, uel ſaltem iſdem, Ennium tamen dixiſſe, Templis idem, omnino contra conſuetudinem, uerum ſuauitatis cauſſa.

C I C E R O

*N*Oti *erant, & naui, & nari: quibus cum in praeponi oporteret; dulcius uiſum eſt, ignoti, ignaui, ignari, dicere, quam ut ueritas poſtulabat. Ex uſu, dicunt, & e rep. quod in altero uocalis excipiebat, in altero eßet aſperitas, niſi litteram ſuſtuliſſes, ut exegit, edixit, effecit, extulit, edidit, adiuncti uerbi primam litteram praepoſitio commutauit, ut ſubegit, ſummutauit, ſuſtulit. Quid in uerbis iunctis? quam ſcite inſipientem, non inſapientem? iniquum, non inaequum? tricipitem, non tricapitem? conciſum, non concaeſum? ex quo quidam perciſum etiam uolunt: quod eadem conſuetudo non probauit. Quid uero hoc elegantius, quod non fit natura, ſed quodam inſtituto? inclytus, dicimus breui prima littera, inſanus producta; inhumanus breui, infelix longa. & ne multis, quibus in uerbis eae primae litterae ſunt, quae in ſapiente, atque felice, producte dicitur, in ceteris omnibus breuiter. Itemq. compoſuit, conſueuit, concrepuit, confecit: conſule ueritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. quaere, cur? ita ſe dicent iuuari. uoluptati autem aurium morigerari debet oratio.*

E X P L A N A T I O

NOti *erant, & naui*] nauus, prudens eſt: unde nauiter, prudenter. Ex *uſu dicunt*] quod ſignificat fere utile. In *altero*] ſi dicas ex republica, eſſet aſperitas. Ex *quo quidem perciſum*] uult ergo percaeſum dici. Inclytvs *dicimus breui prima littera*] non quia In poſitione producatur: ſed uoce breui dicatur. Quattuor enim modis ſyllaba breuis, uel longa dicitur: cum breuis, uel longa eſt, in uerſu accipimus: cum natura, quale eſt cum Seruius inquit, Troiam primitiuum, corripi: deriuatiuum produci. cum uocem non modo flexam, ſed etiam acutam, quod plerumque fit, in breui habet ſyllaba, ut ſaepe ueteres loquuntur Grammatici. & cum in pronunciatione, uoci moram attribuimus, uel celeriter procurrimus: ut hic. Cuius rei Aulus Gellius, Quinctilianus, Seruius, Diomedesq. meminerunt: ubi & Ciceronis teſtimonium afferunt.

PAVLLVS. MANVTIVS. Adivncti *uerbi primam litteram praepoſitio commutauit,*] corruptum locum putamus. idem ſenſit homo eruditus M. Antonius Maioragius: qui etiam corrigere hoc modo conatus eſt: Ad iuncti uerbi prima littera praepoſitionem commutauit. nos autem ſic fortaſſe rectius: Ad iuncti uerbi primam litteram praepoſitio commutauit. ut hoc dicatur: ad primam iuncti uerbi litteram praepoſitio commutauit, pro, commutata eſt. Sic enim ueteres interdum loquebantur: & Gellius lib. 18. cap. 12. notat quaedam uerba, quae cum agere uideantur, patiuntur tamen: in quibus, mutant, pro mutantur, dictum a Varrone demonſtrat. Cicero etiam in libro de claris orat. ita dixit: Hoc uitium huic uni in bonum conuertebat.

C I C E R O

*Q*Vin *ego ipſe, cum ſcirem ita maiores locutos eſſe, ut nuſquam, niſi in uocali, adſpiratione uterentur, loquebar ſic, ut pulcros, & Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem: aliquando, idq. ſero, conuicio aurium cum extorta mihi ueritas eßet, uſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui. Orciuios tamen, & Matones, Otones, Caepiones, ſepulcra, coronas, lacrymas dicimus, quia per aurium iudicium ſemper licet. Purrum ſemper Ennius, numquam Pyrrhum. Vi patefecerunt Fruges, non Phryges, ipſius antiqui declarant libri. nec enim Graecam litteram adhibebant, nunc autem etiam duas: & cum Phrygum, & cum Phrygibus dicendum eſſet, abſurdum erat aut tantum barbaris caſibus Graecam litteram adhibere, aut recto caſu ſolum Graece loqui. tamen & Phryges, & Pyrrhum aurium caußa dicimus. Quin etiam, quod iam ſubruſticum uidetur, olim autem politius, eorum uerborum, quorum eaedem erant poſtremae duae litterae, quae ſunt in optumus, poſtremam litteram detrahebant, niſi uocalis inſequebatur. ita non erat ea offenſio in uerſibus, quam nunc fugiunt poetae noui. ita enim loquebamur,*

Qui eſt omnibu' princeps: non, omnibus princeps. &
Vita illa dignu' locoque: non, dignus.

quod ſi indocta conſuetudo tam eſt artifex ſuauitatis: quid ab ipſa tandem arte, & doctrina poſtulari putamus? Haec dixi breuius, quam ſi hac de re una diſputarem; (eſt enim hic locus late patens, de natura, uſuq. uerborum) longius autem, quam in-

ſtituta

ſtituta ratio poſtulabat, Sed, quia rerum, uerborumq. iudicium prudentiae eſt, uocum autem, & numerorum aures ſunt iudices; & quod illa ad intelligentiam referuntur, haec ad uoluptatem: in illis ratio inuenit, in his ſenſus artem. aut enim negligenda nobis fuit uoluptas eorum, quibus probari uolebamus: aut ars eius conciliandae reperienda.

EXPLANATIO

PVRRVM *ſemper Ennius*] nam non y Graeca littera ueteres utebantur: ſed pro ea u ponebant. Quod ex Plautina fabula, quae Amphitruo inſcribitur, licet etiam intueri. nam, cum nomen fabulae ex argumenti primis uerſuum litteris ſignificare Plautus conſueuit, in hac dictione pro y Graeca littera, u poſuit, cum inquit, Vterque deluduntur dolis mirum in modum. PHRVGES] quia Phrux, non Phryx dicebant. NVNC *& duas*] quoniam ipſa adſpiratio Graeca eſt poſt conſonantes, ubi Graecae litterae adſpiratae correſpondent. BARBARIS *caſibus*] eſt ſiquidem Phryx barbarum. POSTREMAM *litteram detrahebant*] S ſcilicet, in Lucretianis uerſibus adhuc inuenias frequentiſſime factum. QVI *eſt omnibu' princeps, non omnibus*] ut nunc. QVID *ab ipſa tandem arte, & doctrina poſtulari putamus*] hoc dicit, Cum imperita multitudo hanc auribus ſuauem inueniret pronunciationem, quid nos facere par eſt, qui ab ipſa doctrina exculti, & politi, debemus ita longe melius, ſicut poſſumus, haec adhibere? IN *his ſenſus artem*] ſenſus exterior, qui aurium eſt. VOLVPTAS *eorum*] qui nos audiunt, a quibus probari deſideramus.

PAVLLVS. MANVTIVS. INDOCTA *conſuetudo tam eſt artifex ſuauitatis:*] ſic omnes antiqui libri, quos ipſe uiderim: nec obſcura ſententia: quid tamen, ſi legatur pro, Tam, Tamen? ut conſuetudo, quamuis indocta, artifex tamen ſuauitatis eſſe dicatur.

CICERO

DVAE ſunt igitur res, quae permulceant aures, ſonus, & numerus. De numero mox, nunc de ſono quaerimus. Verba, ut ſupra diximus, legenda ſunt potiſſimum bene ſonantia, ſed ea non, ut poetae, exquiſita ad ſonum, ſed ſumpta de medio.

Qua pontus Helles. —— ſuperat modum. at,

Auratus aries Colchorum, —

ſplendidis nominibus illuminatus eſt uerſus: ſed proximus inquinatus, inſuauiſſima littera finitus,

Frugifera, & ſerta arua Aſiae tenet.

quare bonitate potius noſtrorum uerborum utamur, quam ſplendore Graecorum, niſi forte ſic loqui paenitet,

Qua tempeſtate Paris Helenam. ——

& quae ſequuntur. immo uero iſta ſequamur, adſperitatemq. fugiamus,

Habeo iſtam ego perterricrepam. —— Idemque,

Verſutiloquas malitias.

EXPLANATIO

SONVS *& numerus*] ſonus quidem, qui in ſingulorum delectu eſt uerborum: numerus, qui eſt in copula uerborum. SVPERAT *Tmolum*] montem Ciliciae, qui & Timolus, ut ait Plinius, prius dicebatur. ASIAS *arua tenet*] genitiuus eſt Aſias.

CICERO

NEC ſolum componentur uerba ratione, ſed etiam finientur: quoniam id iudicium eſſe alterum aurium diximus. Sed finiuntur aut compoſitione ipſa; & quaſi ſua ſponte, aut quodam genere uerborum, in quibus ipſis concinnitas ineſt: quae ſiue caſus habent in exitu ſimiles, ſiue paribus paria redduntur, ſiue opponuntur contraria, ſuapte natura numeroſa ſunt, etiam ſi nihil eſt factum de induſtria. in huius concinnitatis conſectatione Gorgiam fuiſſe principem accepimus: quo de genere illa noſtra ſunt in Miloniana: Eſt enim, iudices, haec non ſcripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Haec enim talia ſunt, ut, quia referuntur ad ea, ad quae debent referri, intelligamus non quaeſitum eſſe numerum, ſed ſecutum. Quod fit item in contrarijs referendis: ut illa ſunt, quibus non modo numeroſa ratio, ſed etiam uerſus efficitur:

Eam, quam nihil accuſas, damnas.

condemnas, diceret, qui uerſum effugere uellet. Bene quam meritam eſſe autumas, dicis male mereri.

„ Id, quod ſcis, prodeſt nihil; id, quod neſcis, obeſt.

uerſum efficit ipſa relatio contrariorum: id eſſet in oratione numeroſum,

Quod ſcis, nihil prodeſt; quod neſcis, multũ obeſt.

Semper haec, quae Graeci ἀντίθετα nominant, cum contrarijs opponuntur contraria, numerum oratoriũ neceſſitate ipſa efficiunt, & eum ſine induſtria. hoc genere antiqui iam ante Iſocratem delectabantur, et maxime Gorgias; cuius in oratione plerumque efficit numerum ipſa concinnitas. nos etiam in hoc genere frequentes, ut illa ſunt in quarto accuſationis: Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris aduentum cum illius imperatoris uictoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Ergo & hi numeri ſint cogniti. Genus

illud

illud tertiũ, explicetur, quale ſit numeroſae, et aptae orationis. quod qui non ſentiunt; quas aures habeãt, aut quid in his hominis ſimile ſit, neſcio. meae quidem & perfecto, completoq. uerborum ambitu gaudent, & curta ſentiunt, nec amant redundãtia. quid dico meas? conciones ſaepe exclamare uidi, cum apte uerba cecidiſſent: id enim exſpectant aures, ut uerbis colligentur ſententiae.

EXPLANATIO

QVAE *ſiue caſus habent in exitu ſimiles* ʒ quae Homoeoptota paullo ante diximus appellari. SIVE *paribus paria redduntur* ʒ quae ſtatim memorabuntur. EST *enim, iudices, haec non ſcripta, ſed nata lex* ʒ ſcripta, & nata, ſimiles caſus: & paria paribus correſpondent. QVAM *non didicimus, accepimus* ʒ & quae ſequuntur. SED *etiam uerſus efficitur. Eam, quam nihil accuſas, damnas* ʒ Dimeter eſt Iambicus ſcazon, eam, pro una ſyllaba ponitur, ut ſaepe eo modo loquuntur poetae. CONDEMNAS *dixiſset, qui &c.* ʒ quoniam una ſyllaba ſuperat: ſed tamen tales apud Tragicos, & Lyricos, praecipue Pindarum uerſus inuenias: nam Dimeter macrocatalectus uerſus eſt. Sane haec ipſa exempla, & enthymemata a loco, qui dicitur a contrarijs, ipſe uolens oſtendere, in Topicis poſuit. BENE *quam meritam eſse autumas, dicis male mereri* ʒ & hic Trimeter eſt ſcazon, ubi facta eſt conciſio uerbi autumas, pro eo dictumq. autimas: ſuntq. omnia haec interrogatiue legenda, ut enthymema fiat a contrarijs. ID *quod ſcis prodeſt: nihil id quod neſcis, obeſt* ʒ ſimiliter Iambicus eſt uerſus Trimeter, non quo comici, Tragiciq. utantur, ſed Iambographi: ſiquidem apud comicos Iambus, & ad Iambi tradendam uelocitatem Spondeus adhibetur: ita ut non de ſede ſecunda cederet, aut quarta Iambus, & ultimus ſemper ſit Iambus cum reſolutione aliorum pedum, propter indifferentem enim ultimam, etiam Pyrrhichius in fine ponitur: & propter reſolutionem Iambi ubique Tribrachus, ac per reſolutionem Spondei, ubi Spondeus, ibidem Dactylus, Anapaeſtus, & Proceleuſmaticus. QVOD *ſcis, nihil prodeſt quod &c.* ʒ Trimeter quoque hic Iambicus eſt. NVMERVM *oratorium neceſſitate ipſa efficiunt* ʒ ideo non mirum dicit in arte poetica Ariſtoteles, qui ait Iambicum ideo metrum uideri primo inuentum, quod plerumque ita loquimur, ut neſcienter, imprudenterq. in ipſum incidamus. IN *quarto accuſationis* ʒ ſubaudi, in Verrem. QVOD *qui non ſentiunt* ʒ quae fere ſunt cum clauſula minor eſt, quam ut uno poſſit ſpiritu pronunciari: aut plane ad ſyllabas ipſas retulit.

CICERO

NON erat hoc apud antiquos. & quidem nihil aliud fere non erat. nam & uerba eligebant: & ſententias graues, & ſuaues reperiebant, ſed eas haud uinciebant, aut explebant parum. Hoc me ipſum delectat, inquit. Quid? ſi antiquiſſima illa pictura paucorum colorum magis, quam haec iam perfecta, delectet; illa nobis ſit, credo, repetenda, haec ſcilicet repudianda. Nominibus ueterum gloriantur. habet autem ut in aetatibus auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis antiquitas: quae quidem apud me ipſum ualet plurimum: nec ego id, quod deeſt antiquitati, flagito potius, quam laudo, quod eſt; praeſertim cum ea maiora iudicem, quae ſunt, quam illa, quae deſunt: plus eſt enim in uerbis, & in ſententijs boni, quibus illi excellunt, quam in concluſione ſententiarum, quam non habent.

EXPLANATIO

NON *erat hoc apud antiquos* ʒ hoc ex uerbis refert illorum Cicero, quos ſemper carpit. ILLA *nobis ſit, credo, repetenda* ʒ quae nulla colorum uarietate diſtincta: quod quam turpe uiſu, tam ridiculum auditu fuerit. NEC *ego id, quod deeſt antiquitati, flagito potius* ʒ hoc dicit, Sunt aliqua ueterum, quae uelim, ut exempla. deſunt eis aliqua, quae in nobis perfectiora ſunt: quae quidem non poſco. QVAM *laudo* ʒ quia ſunt alia pluris facienda, quam quae deſunt. IN *uerbis, & in ſententijs* ʒ ſubaudi, grauibus ipſorum. QVAM *in concluſione ſententiarum* ʒ quam ut ſententiae quibuſdam numeris teneantur, uinciantur, concludantur. QVAM *non habent* ʒ non enim numeros ullos norunt.

CICERO

POST inuenta concluſio eſt: qua credo uſuros ueteres illos fuiſſe, ſi iam nota, atque uſurpata res eſset: qua inuenta, omnes uſos magnos oratores uidemus. ſed habet nomen inuidiam, cum in oratione iudiciali, & forenſi numerus Latine, Graece ῥυθμὸς *ineſse dicitur. nimis enim inſidiarum ad capiendas aures adhiberi uidetur, ſi etiam in dicendo numeri ab oratore quaeruntur. hoc freti iſti, & ipſi infracta, & amputata loquuntur; & eos uituperant, qui apta, & finita pronunciant. ſi inanibus uerbis, leuibusq. ſententijs, iure: ſin probae res, lecta uerba, quid eſt, cur claudicare, aut inſiſtere orationem malint, quam cum ſentẽtia pariter excurrere? hic enim inuidioſus numerus nihil affert aliud, niſi ut ſit apte uerbis comprehenſa ſententia: quod fit etiam ab antiquis, ſed plerumque caſu, ſaepe natura: & quae ualde laudantur apud illos, ea fere, quia ſunt concluſa, laudantur. & apud Graecos quidem, iam anni prope CD ſunt, cum hoc probatur: nos nuper agnouimus. ergo Ennio licuit, uetera contemnenti, dicere,*

Verſibu', quos olim Fauni, uatesq. canebant:

mihi de antiquis eodem modo non licebat? praeſertim cum dicturus non ſim,
Ante hunc, — ut ille: nec quae ſequuntur,
Nos auſi reſerare. — *legi enim, audiuiq. nonnullos, quorum propemodum abſolute concluderetur oratio. quod qui non poßunt, non eſt eis ſatis non contemni, laudari etiam uolunt: ego autem illos ipſos laudo, idq. merito, quorum ſe iſti imitatores eße dicunt; (etſi in eis aliquid deſidero) hos uero minime, qui nihil illorum, niſi uitium, ſequuntur, cum a bonis abſint longiſſime. Quod ſi aures tam inhumanas, tamq. agreſtes habent: ne doctiſſimorum quidem uirorum eos mouebit auctoritas?*

E X P L A N A T I O

INVENTA *concluſio* ʒ inuentus numerus. ATQVE *uſurpata* ʒ id eſt, in uſum ueniſſent. SED *habet nomen inuidiam* ʒ odioſus hominibus numerus ubi in iudicijs haec quaeri uideantur. HOC *freti iſti* ʒ hoc ſolatio ſublati, qui numeris uti neſciunt. QVAM *cum ſententia pariter excurrere?* ʒ ſubaudi, donec ſuo numero reuinciatur: ac potius ipſam malimus interſcindere ſententiam. SED *plerumque caſu* ʒ quippe qui neſciunt ſe illis uti. SAEPE *natura* ʒ quia, ut eorum natura, ac dicendi concinnitate delectatur, ita ſaepe in numerum imprudenter delabitur. VETERA *contemnenti* ʒ nam, ſi Horatio credimus tradenti, Liuii Andronici ridet Ennius poemata, & Faunos illos, atque Aborigines. ANTE *hunc* ʒ ſubaudi, numerum: ut Ennius, qui ueteres inceſſebat: ſed, ut nunc eruditi loquuntur oratores. NON *eſt eis ſatis non contemni* ʒ ignaui prorſus, & ridiculi, inquit. homines, cum ad hanc dicendi uirtutem adſpirare non potuerint: non eſt ſatis eis, quod non contemnuntur, quemadmodum fieri oportuit: ſed etiam laudari quod neſciant, uolunt. QVI *nihil illorum* ʒ quos ſe imitari dicunt: cum uitia quidem imitentur, uirtutes uero relinquant. Miram Cicero increpationem adhibet aduerſum iſtos, quos non inſcitiae modo accuſat, quod numeris uti neſciant: ſed etiam inſaniae, qui uitia a uirtutibus diſcernere non queant. TAM *inhumanas* ʒ id eſt, incultas doctrina. nam humanitas, doctrina appellatur, ut tam Aulus Gellius, quam Nonius Marcellus probant ueterum auctoritate, quibus dicendi eſt attributa auctoritas.

C I C E R O

OMITTO *Iſocratem, diſcipulosq. eius, Ephorum, & Naucratem: quamquam orationis faciendae, & ornandae auctores locupletiſſimi, ſummi ipſi oratores eſſe debeant: ſed quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus uel inueniendis, uel iudicandis acrior Ariſtotele fuit? quis porro Iſocrati eſt aduerſatus infenſius? is igitur uerſum in oratione uetat eße, numerum iubet. Eius auditor Theodectes, in primis, ut Ariſtoteles ſaepe ſignificat, politus ſcriptor, atque artifex, hoc idem & ſentit, & praecipit. Theophraſtus uero iiſdem de rebus etiam accuratius. quis ergo iſtos ferat, qui hos auctores non probent? niſi omnino haec eße ab his praecepta neſciunt. quod ſi ita eſt: (nec uero aliter exiſtimo) quid? ipſi ſuis ſenſibus non mouentur? nihil ne eis inane uidetur, nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans? in uerſu quidem theatra tota exclamant, ſi fuit una ſyllaba aut breuior, aut longior. nec uero multitudo pedes nouit, nec ullos numeros tenet; nec, illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit. & tamen omnium longitudinum, & breuitatum in ſonis, ſicut acutarum, grauiumq. uocum, iudicium ipſa natura in auribus noſtris collocauit.*

E X P L A N A T I O

EPHORVM, *& Naucratem* ʒ hiſtoricos Iſocratis diſcipulos. QVIS *porro Iſocrati eſt aduerſatus infenſius?* ʒ & perinde ſiquid in numeris Ariſtoteles uidiſſet improbandum, cum inimicus eius Iſocrates numerorum fuiſſet ſtudioſiſſimus: an id tacuiſſet, inquit, uel potius aſperrime non fuiſſet inſectatus? IS *igitur* ʒ ſubaudi, Ariſtoteles. ATQVE *artifex* ʒ quia de arte dicendi libros reliquit. QVIS *ergo iſtos ferat?* ʒ ſubaudi, in calumniam numeros adducentes. NISI *omnino haec eſſe ab eis praecepta neſciunt* ʒ iucunde Cicero maxime eos coarguit ignorantiae, quod neſciant, qui etiam de numeris ſcripſerint. NEC *uero aliter exiſtimo* ʒ quam ab inſcitia proficiſci. NEC *uero multitudo pedes nouit* ʒ imperitum uulgus, inquit, haudquaquam nouit pedes.

C I C E R O

VIS *ne igitur, Brute, totum hunc locum accuratius etiam explicemus, quam illi ipſi, qui & haec, & alia nobis tradiderunt; an ijs contenti eße, quae ab illis dicta ſunt, poſſumus? ſed, quid quaero, uelis ne; cum litteris tuis, eruditiſſime ſcriptis, te id uel maxime uelle, perſpexerim? Primum ergo origo, deinde cauſſa, poſt natura, tum ad extremum uſus ipſe explicetur orationis aptae, atque numeroſae. Nam, qui Iſocratem maxime mirantur, hoc in eius ſummis laudibus ferunt, quod uerbis ſolutis numeros primus adiunxerit. cum enim uideret oratores cum ſeueritate audiri, poetas autem cum uoluptate; tum dicitur numeros ſecutus, quibus etiam oratione uteremur, cum iucunditatis cauſſa, tum*

ut

ut uarietas occurreret ſatietati. Quod ab his uere quadam ex parte, non totum, dicitur. nam neminem in eo genere ſcientius uerſatum Iſocrate confitendum eſt: ſed princeps inueniendi fuit Thraſymachus: cuius omnia nimis etiam exſtant ſcripta numeroſe. nam, ut paullo ante dixi, paria paribus adiuncta, & ſimiliter definita, itemq. contrarijs relata contraria, quae ſua ſponte, etiam ſi id non agas, cadunt plerumque numeroſe, Gorgias primus inuenit: ſed his eſt uſus intemperantius. id autem eſt genus, ut ante dictum eſt, ex tribus partibus collocationis alterum. horum uterque Iſocratem aetate praecurrit: ut eos ille moderatione, non inuentione, uicerit. eſt enim, ut in transferendis, faciendisq. uerbis tranquillior, ſic in ipſis numeris ſedatior. Gorgias autem auidior eſt generis eius, & his feſtiuitatibus (ſic enim ipſe cenſet) inſolentius abutitur: quas Iſocrates, cum tamen audiuiſſet in Theſſalia adoleſcens ſenem iam Gorgiam, moderatius temperauit. quin etiam ſe ipſe tantum, quantum aetate procedebat, (prope enim centum confecit annos) relaxarat a nimia neceſſitate numerorum: quod declarat in eo libro, quae ad Philippum Macedonem ſcripſit, cum iã admodum eſſet ſenex: in quo dicit ſeſe iam minus ſeruire numeris, quam ſolitus eſſet. ita non modo ſuperiores, ſed etiam ſe ipſe correxerat.

EXPLANATIO

CVM *enim uideret orator* } numerorum iam originem aggreditur. QVOD *ab his uere* } eatenus uere aiunt, quatenus dicunt numeris delectatum Iſocratem. Quatenus ipſum autem primum numeris uſum fuerunt, falluntur: ſiquidem alij ante Iſocratem uſi ſunt numeris. PRINCEPS *inueniendi fuit Thraſymachus* } primus inuenit numeroſam, inquit, orationem Thraſymachus. huius meminit Plato in dialogis. SIMILITER *definita* } quae Homoeoteleuta diximus appellari. SED *his eſt uſus intemperantius* } quod nimius in eis fuerit. FESTIVITATIBVS } dicendi ueneres, feſtiuitates Cicero appellat. PROPE *enim centum confecit annos* } Panathenaicum enim ſcribens, nonageſimum & quartum agebat annum: uelut ipſe de ſe locutus, inquit, Ἡγοῦμαι γὰρ οὐχ ἁρμόττειν οὔτε τοῖς ἐννενήκοντα καὶ τέσσαρσιν ὧν ἐγὼ τυγχάνω γεγονὼς, οὔθ' ὅλως τοῖς ἤδη πολιὰς ἔχουσιν, ἐκεῖνον σθεν τρόπον ἔτι λέγειν. RELAXAT *a neceſſitate numerorum* } quoniam, ut ipſe ait, talis oratio ſeni non congruat.

CICERO

QVONIAN *igitur habemus aptae orationis eos princeps, auctores que, quos dicimus, & origo inuenta eſt; cauſſa quaeratur. quae ſic aperta eſt, ut mirer ueteres non eſſe commotos, praeſertim cum, ut fit, fortuito ſaepe aliquid concluſe, apteq. dicerent: quod cum animos hominum, auresq. pepuliſſet, ut intelligi poſſet, id, quod caſus effudiſſet, cecidiſſe iucunde; notandum certe genus, atque ipſi ſibi imitandi fuerunt. aures enim, uel animus aurium nuncio naturalem quandam in ſe continet uocum omnium menſionem. itaque & longiora, & breuiora iudicat; & perfecta, ac moderata ſemper exſpectat: mutila ſentit quaedam, & quaſi decurtata: quibus, tamquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia, & quaſi immoderatius excurrentia: quae magis etiam adſpernãtur aures: quod cum in pleriſque, tum in hoc genere, nimium quod eſt, offendit uehemẽtius, quã id, quod uidetur parum. Vt igitur poetica, & uerſus inuentus eſt terminatione aurium, obſeruatione prudentium: ſic in oratione animaduerſum eſt, multo illud quidem ſerius, ſed eadem natura admonente, eſſe quoſdam certos curſus, concluſionesq. uerborum. Quoniam igitur cauſſam quoque oſtendimus, naturam nunc, (id.n.erat tertium) ſi placet, explicemus: quae diſputatio non huius inſtituti ſermonis eſt, ſed artis intimae. Quaeri enim poteſt, qui ſit oratoris numerus, & ubi ſit poſitus, & natus ex quo, & is unus ne ſit, an duo, an plures, quaq. ratione componatur, & ad quam rem, & quando, & quo loco, & quemadmodum adhibitus aliquid uoluptatis afferat. Sed, ut in pleriſque rebus, ſic in hac duplex eſt conſiderandi uia; quorum altera eſt longior, breuior altera, eadem etiam planior. Eſt autem longioris prima illa quaeſtio, ſit ne omnino ulla numeroſa oratio: (quibuſdam enim non uidetur; quia nihil inſit in ea certi, ut in uerſibus: & quod ipſi, qui affirmant eos eſſe numeros, rationem, cur ſint, non queant reddere) deinde, ſi ſit numerus in oratione, qualis ſit, aut quales, & e poetitis ne numeris, an ex alio genere quodam: &, ſi e poeticis, quis eorum ſit, aut qui: namque alijs unus modo, alijs plures, alijs omnes ijdem uidentur: deinde, quicumque ſunt, ſiue unus, ſiue plures, communes ne ſint omni generi orationis; quoniam aliud genus eſt narrandi, aliud perſuadendi, aliud docendi; an diſpares numeri cuique orationis generi accommodentur: ſi communes, qui ſint: ſi diſpares, quid interſit, & cur non aeque in oratione, atque in uerſu numerus appareat: deinde, quod dicitur in oratione numeroſum, id utrum numero ſolum efficiatur, an etiam uel compoſitione quadam, uel genere uerborum: an eſt ſuum cuiuſque; ut numerus interuallis, compoſitio uocibus, genus ipſum uerborum, quaſi quaedam forma, & lumen orationis, appareat; ſitq. omnium fons compoſitio, ex eaq. & numerus efficiatur, & ea, quae dicuntur orationis quaſi formae, & lumina, quae, ut dixi, Graeci uocant σχήματα. At non eſt unum, nec idem, quod uoce iucundum eſt, & quod moderatione abſolutum, & quod illuminatum genere uerborum: quamquam id quidem finitimum eſt numero, quia per ſe plerumque perfectum eſt: compoſitio autem ab utroque differt, quae tota ſeruit grauitati uocum, aut ſuauitati. Haec igitur fere ſunt, in quibus rei natura quaerenda ſit.*

EXPLANATIO

IPSI *ſibi imitandi* ʒ id eſt, ſequendum fuit eis eam concinnitatem, quam ſemel uſurpaſſent. AVRES *enim uel animus* ʒ alij enim concentum muſicum auribus tantum iudicari cenſuerunt: alij ſola ratione: alij porro melius tum ſenſu, tum ratione, quae animo inſedit, putauerunt. AN *diſpares numeri* ʒ id eſt, diſſimiles in his omnibus inueniantur. VT *numerus interuallis* ʒ longarum, & breuium, ut in muſicis diaſtemata. QVAE *Graeci uocant* σχήματα ʒ de quibus ſupra abunde dictum eſt. FINITIMVM *eſt numero* ʒ tam enim figurata, quam numeroſa oratio ſplendidam reddunt orationem. PER *ſe plerumque perfectum eſt* ʒ nam luminibus oratio, id eſt, tropis, & ſchematis per ſeſe elegans, & ornata ſatis apparet oratio.

CICERO

ESSE ergo in oratione numerum quendam, non eſt difficile cognoſcere: iudicat enim ſenſus. in quo iniquum eſt, quod accidit, non agnoſcere, ſi, cur id accidat, reperire nequeamus. neque enim ipſe uerſus ratione eſt cognitus, ſed natura, atque ſenſu: quem dimenſa ratio docuit quid acciderit. ita notatio naturae, & animaduerſio peperit artem. ſed in uerſibus res eſt apertior. quamquam etiam, a modis quibuſdam cantu remoto, ſoluta eſſe uideatur oratio, maximeq. id in optimo quoque eorum poetarum, qui λυρικοὶ *a Graecis nominantur: quos cum cantu ſpoliaueris, nuda paene remanet oratio. quorum ſimilia ſunt quaedam etiam apud noſtros: uelut ille in Thyeſte,*

Quemnam te eſſe dicam? qui tarda in ſenectute.

& quae ſequuntur: quae, niſi cum tibicen acceſſit, orationi ſunt ſolutae ſimillima. At comicorum ſenarij propter ſimilitudinem ſermonis ſic ſaepe ſunt abiecti, ut non numquam uix in his numerus, & uerſus intelligi poſſit: quo eſt ad inueniendum difficilior in oratione numerus, quam in uerſibus.

EXPLANATIO

INIQVVM *eſt, quod accidit non cognoſcere* ʒ admodum, inquit, alienum eſt non cognoſcere, quo maxime ſenſus noſter afficitur. NEQVE *enim ipſe uerſus ratione eſt cognitus* ʒ at ut Lucretius putat, ex auium concentu, homines coeperunt primo, ipſiq. modulate aliquid proferre. NOTATIO *naturae* ʒ quae fuit in ſenſu. ET *animaduerſio* ʒ ratione comprehenſa. PEPERIT *artem* ʒ ita ars ortum habuit. QVI Λυρικοὶ *a Graecis nominantur* ʒ nam in his maxime cantilenae diuerſa harmonia eſt. LYRICI ʒ quod ad lyram uerſus canerent: ſicut etiam a modulatu Melici ſunt nominati. IN *Thyeſte* ʒ Tragoedia ueteri: Latina uel Ennii, uel Pacuuii, uel Attii, alterius ue fabula. CVM *tibicen acceſſit* ʒ cum ad tibias canuntur uerſus, ut etiam cantu teneatur auditor. QVO *eſt ad inueniendum difficilior in oratione numerus* ʒ quoniam numero Comoediarum adhuc obſcurior.

CICERO

OMNINO duo ſunt, quae condiant orationem, uerborum, numerorumq. iucunditas. In uerbis ineſt quaſi materia quaedam, in numero autem expolitio. ſed, ut ceteris in rebus neceſſitatis inuenta antiquiora ſunt, quam uoluptatis: ita & in hac re accidit, ut multis ſaeculis ante oratio, nud a, ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum, cauſſa delectationis aurium, excogitata. itaque & Herodotus, & eadem, ſuperiorq. aetas numero caruit, niſi quando temere, ac fortuito: & ſcriptores peruerteres de numero nihil omnino, de oratione praecepta multa nobis reliquerunt. nam, quod & facilius eſt, & magis neceſſarium, id ſemper ante cognoſcitur. itaque translata, aut facta, aut iuncta uerba facile ſunt cognita, quia ſumebantur e conſuetudine, quotidianoq. ſermone: numerus autem non domo depromebatur, neque habebat aliquam neceſſitudinem, aut cognationem cum oratione: itaque ſerius aliquanto notatus, & cognitus, quaſi quandam palaeſtram, & extrema lineamenta orationi attulit. Quod ſi & anguſta quaedam, atque conciſa, & alia eſt collocata, & diffuſa oratio: neceſſe eſt, id non litterarum accidere natura, ſed interuallorum longorum, & breuium uarietate: quibus implicata, atque permiſta oratio, quoniam tum ſtabilis eſt, tum uolubilis, neceſſe eſt eiuſmodi naturam numeris contineri. nam circuitus ille, quem ſaepe iam diximus, incitatior numero fertur, & labitur, quoad perueniat ad finem; & inſiſtat. Perſpicuum eſt igitur, numeris adſtrictam orationem eſſe debere, carere uerſibus: ſed, hi numeri poetici ne ſint, an ex alio genere quodam, deinceps uidendum.

EXPLANATIO

ITAQVE *translata, aut facta* ʒ quoniam haec admodum neceſſaria erant, quae in omni oratione erant uſurpanda. QVANDAM *palaeſtram* ʒ quae exercendi corporis cauſſa inuenta eſt. ET *extrema lineamenta*

neamenta orationi attulit ʒ a pictoribus ſumpta tranſlatio: hoc eſt, abſoluit ita orationem, ut in ea polienda nihil amplius deſideraretur. TVM *ſtabilis* ʒ quia ex longis, ut ex Spondeis, uel Moloſſis. TVM *uolubilis* ʒ quia ex breuibus, ut Paeanibus quattuor, uel Iambis, aut Trochaeis. NAM *circuitus* ʒ quem Graeci Periodum, Cicero multis appellat nominibus: modo enim clauſulam, modo circuitum, modo comprehenſionem, ut aliter etiam uocare ſolet.

PAVLLVS. MANVTIVS. NVMERVS *autem non modo depromebatur,* ʒ ſic placet, ut homini bene docto uiſum eſt Petro Victorio. tres tamen Borromaei libri, & unus Latinii, Modo, habent non Domo. quod ideo dixi, ut ſtudioſorum coniecturae locus eſſe poſſit.

CICERO

NVLLVS eſt igitur numerus extra poeticos: propterea quod definita ſunt genera numerorum: nam omnis talis eſt, ut unus ſit e tribus. Pes enim, qui adhibetur ad numeros, partitur in tria, ut neceſſe ſit partem pedis aut aequalem eße alteri parti, aut altero tanto, aut ſeſqui eße maiorem. ita fit aequalis dactylus, duplex iambus, ſeſquiplex paeon: qui pedes in orationem non cadere qui poßuno? quibus ordine locatis, quod efficitur, numeroſum ſit neceſſe eſt. ſed quaeritur, quo numero, aut quibus potiſſimum ſit utendum. incidere uero omnes in orationem, etiam ex hoc intelligi poteſt, quod uerſus ſaepe in oratione per imprudentiam dicimus: quod uehementer eſt uitioſum: ſed non attendimus, neque exaudimus noſmet ipſos. ſenarios uero, & Hippoctaeos effugere uix poßumus. magnam enim partem ex iambis noſtra conſtat oratio. ſed tamen eos uerſus facile agnoſcit auditor: ſunt enim uſitatiſſimi. Inculcamus autem per imprudentiam ſaepe etiam minus uſitatos, ſed tamen uerſus, uitioſum genus, & longa animi prouiſione fugiendum. Elegit ex multis Iſocratis libris triginta fortaße uerſus Hieronymus, Peripateticus in primis nobilis, pleroſq. ſenarios, ſed etiam anapaeſticos: quo quid poteſt eße turpius? etſi in eligendo fecit malitioſe: prima enim ſyllaba dempta in primo uerbo ſententiae, poſtremum ad uerbum primam rurſus ſyllabam adiunxit inſequentis. ita factus eſt anapaeſticus is, qui Ariſtophaneus nominatur. quod ne accidat, obſeruari nec poteſt, nec neceſſe eſt. ſed tamen hic corrector in eo ipſo loco, quo reprehendit, ut a me animaduerſum eſt ſtudioſe inquirente in eum, immittit imprudens ipſe ſenarium.

EXPLANATIO

NVLLVS *eſt igitur numerus extra poeticos* ʒ id eſt, qui pedibus eiuſmodi conſtet, atque conficiatur: quibus etiam ipſi utuntur poetae in uerſibus. NAM *omnis talis eſt* ʒ ſubaudi, numerus. nam, ſicut hanc pedes, quam ipſe aperit habent ſectionem: ita numeri, qui ex pedibus conſtant, habeant neceſſe eſt. PARtem *pedis, aut aequalem eße* ʒ ut in Pyrrhichio, Spondeoque. AVT *altero tanto* ʒ ut in Trochaeo, & Iambo. AVT *ſeſqui eſſe maiorem* ʒ ut Paeanes quattuor. eſt & tripla proportio, ut in Amphibracho: & ſeſquitertia, ut in quattuor Epitritis, unde etiam nomen habuerunt Epitriti. AEQVALIS *dactylus* ʒ quia una duorum temporum, cum duobus temporibus comparata, aequalem proportionem facit. DVPLEX *Iambus* ʒ quia duo tempora cum uno comparantur. SESQVIPLEX *Paean* ʒ quoniam tria tempora cum duobus conferuntur. QVI *pedes in orationem cadere qui poßunt?* ʒ ac ſi dicat, nullo modo accidere poterit. hoc dicit, non quin alii quoque cadant: ſed ſatis habuit aliquos oſtendere, ideo etiam ſubiungit, Incidere uero omnes in orationem etiam ex hoc intelligi poteſt. QVOD *uehementer eſt uitioſum* ʒ quoniam, dum ſoluta eſſe debet oratio, uitioſe uerſus pangitur. NEQVE *exaudimus noſmetipſos* ʒ non ſuſpicimus, quid dicamus. SENARIOS *uero* ʒ id eſt, Trimetros Iambicos. ET *Hipponactaeos effugere uix poſſumus* ʒ Hipponactaeum, ab Hipponacte Iambographo carmen appellatum. Eſt autem metrum Iambicum Hipponactaeum, ut Manlius inquit Theodoricus, quod repetit pedes ex lege in aliis comprehenſa: & additur ei in fine pes bacchius, Ibis Liburnis inter alta nauium recurrens. Eſt etiam alterum Iambicum Hipponactaeum, quod a nobis comprobatur, in quo ſextus pes Spondeus ponitur. huius exemplum, Hic non Iambum reddidit pedem ſextum. SED *tamen uerſus, uitioſum genus* ʒ uerumtamen, inquit, uitioſe uerſibus utimur. SED *etiam Anapaeſta* ʒ ſubaudi, carmina. Sane in Anapaeſtico metro, ut idem Manlius Theodoricus inquit, nullum pedem ita congruere, ut Spondeum uidemus, nam quamuis Dactylum in hoc metro a quibuſdam Graecis poſitum inuenimus, eo tamen adhibito, confragoſius quiddam reſonat, & durius. Itaque, tametſi Dactylus, atque Anapaeſtus ſunt temporibus pares: id tamen aurium ſenſus, cui eſt maxime parendum, efflagitat, ut, quemadmodum intromitti in metrum Dactylicum, ne eius ſuauitatem corrumpat, Anapaeſtus non poteſt: ita metrum Anapaeſticum, ne eius gratia minuatur, Dactylo inhoſpitale erit. accommodatiſſimus uero Spondeo in hoc metro locus primus: ceteri atque omnes pedes Anapaeſti. ita tamen ut pro ultimo pede, ſicut in Trochaico metro, una tantum ſyllaba conſtituatur. primo autem metrum Anapaeſticum, aut Dactylicum ab Hexametro metro ordimur. huius exemplum, Alte ſuperemicat Aetna, Poloq. propinquat. Haec Manlius. Non me fugit hic de hoc metro poſſe alia plura dici: ſed, quod ad hunc locum attinet, pluribus dicendum non fuit. ANAPAESTICVS *is, qui Ariſtophaneus nominatur* ʒ Ariſtophaneus conſtat monometro, uel dimetro: ut, Optima Calliope. SED *tamen hic corrector* ʒ ironicos, Hic corrector, quoniam, dum alios corrigit, in eo, in quo corrigit, uitio, ipſe reprehendendus.

CICERO

CICERO

SIт igitur hoc cognitum; in ſolutis etiam uerbis ineſſe numeros, eoſdemq. eße oratoris, qui ſint poetici. Sequitur ergo, ut, qui maxime cadant in orationem aptam numeri, uidendum ſit. ſunt enim, qui iambicum putent, quod ſit orationi ſimillimus: qua de cauſſa fieri, ut is potiſſimum propter ſimilitudinem adhibeatur in fabulis; quod ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae ſit accommodatior. Ephorus autem, leuis ipſe orator, ſed profectus ex optima diſciplina, paeona ſequitur, aut dactylum; fugit autem ſpondeum, & trochaeum. quod enim paeon habeat tres breues, dactylus autem duas; breuitate, & celeritate ſyllabarum labi putat uerba procliuius: contraq. accidere in ſpondeo, & trochaeo; quod alter e longis conſtaret, alter e breuibus fieret; alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam. Sed & illi priores errant: & Ephorus in culpa eſt. nam, qui paeona praetereunt, non uident molliſſimum a ſeſe numerum, eundemq. ampliſſimum praeteriri. quod longe Ariſtoteli uidetur ſecus; qui iudicat heroum numerum grandiorem, quam deſideret ſoluta oratio; iambum autem nimis e uulgari eſſe ſermone. ita neque humilem, nec abiectam orationem, nec nimis altam, & exaggeratam probat: plenam tamen eam uult eße grauitatis, ut eos, qui audient, ad maiorem admirationem poſſit traducere.

EXPLANATIO

SVNT *enim qui Iambicum putent* ꝫ ut Ariſtoteles. QVOD *ille Dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae ſit accommodatior* ꝫ ſicut Demetrius Phalereus putat. PROFECTVS *ex optima diſciplina* ꝫ ſubaudi, Iſocratea. ET *trochaeum* ꝫ Choreus aliquando Trochaeus, aliquando Tribrachus appellatur. ALTERAM *nimis incitatam* ꝫ quae ex choreis, id eſt Tribrachis. ALTERAM *nimis tardam* ꝫ quae lex Spondeis. PRIORES *errant* ꝫ ideo non mirandum, ſi numeri nondum eis ſatis noti. HEROVM *numerum* ꝫ qui ex Dactylis conſtet, uel Spondeis.

CICERO

TROCHAEVM *autem, qui eſt eodem ſpatio, quo choreus, cordacem appellat; quia contractio, & breuitas dignitatem non habeat. ita paeona probat; eoq. ait uti omnes, ſed ipſos non ſentire cum utantur; eſſe autem tertium, ac medium inter illos; ſed ita factos eos pedes eſſe, ut in eis ſingulis modus inſit aut ſeſquiplex, aut duplex, aut par. itaque illi, de quibus ante dixi, tantummodo commoditatis habuerunt rationem, nullam dignitatis. iambus enim, & dactylus in uerſum cadunt maxime. itaque, ut uerſum fugimus in oratione. ſic hi ſunt euitandi continuati pedes. aliud enim quiddam eſt oratio: nec quidquam inimicius, quam illa uerſibus. Paeon autem minime eſt aptus ad uerſum: quo libentius eum recepit oratio. Ephorus uero ne ſpondeum quidem, quem fugit, intelligit eße aequalem dactylo, quem probat: ſyllabis enim metiendos pedes, non interuallis, exiſtimat. quod idem facit in trochaeo; qui temporibus, & interuallis eſt par iambo; ſed eo uitioſus in oratione, ſi ponatur extremus, quod uerba melius in ſyllabas longiores cadunt. Atque haec, quae ſunt apud Ariſtotelem, eadem a Theophraſto, Theodecteq. de paeone dicuntur. Ego autem ſentio omnes in oratione eſſe quaſi permiſtos, & confuſos pedes. nec enim effugere poſſemus animaduerſionem, ſi ſemper iiſdem ueteremus: quia nec numeroſa eſſe, ut poema, neque extra numerum, ut ſermo uulgi eſt, debet oratio. alterum nimis eſt uinctum, ut de induſtria factum appareat; alterum nimis diſſolutum, ut peruagatum, ac uulgare: ut ab altero non delectere, alterum oderis. Sit igitur, ut ſupra dixi, permiſta, & temperata numeris, nec diſſoluta, nec tota numeroſa, paeone maxime, (quoniam optimus auctor ita cenſet) ſed reliquis etiam numeris, quos ille praeterit, temperata.*

EXPLANATIO

TROCHAEVM *autem* ꝫ qui eſt eodem ſpatio, quo choreus. uterque enim tribus conſtat temporibus. CORDACEM *appellat* ꝫ id eſt, laſciuam, & procacem exſultationem: quod in breuitate grauitas nulla ſit. ITA *Paeana probat* ꝫ propter dictionis longitudinem. AVT *ſeſquiplex* ꝫ qui ab aliis ſeſquialter etiam dicitur Latinis: Graece autem ἡμίολος: ut tria ad duo, triginta ad uiginti: in quibus totum, & dimidia alterius pars continetur numeri ſuperparticularis. quis autem hic in pedibus metiendis ſit, ſicut & duplus, & triplus, & ſeſquitertius, aut par: iam dictum. IAMBVS *enim, & Dactylus in uerſum cadunt max.* ꝫ hoc non dicit, quin reliqui quoque uerſum faciant: ſed quia hi coniuncti facile uerſum facere dinoſcantur, multi Iambi, multiq. Dactyli. PAEAN *autem minime eſt aptus ad uerſum* ꝫ atqui Paeanicum etiam metrum dicimus. intelligendum ergo uerſum, qui ſonitum aliquem poeticum habeat: & eo metro rariſſime quoque utuntur poetae. AEQVALEM *Dactylo* ꝫ ſubaudi, temporibus: nam & aequalis eſt etiam ſectio. NEC *enim poßemus effugere animaduerſionem* ꝫ quia cum ſimilibus omnes clauſulae pedibus terminarentur, deprehenderetur dicendi aucupium: & proinde, ubi uere dicere uideri uelles, ludere uiderere. ALTERVM

nimis

nimis eſt uinctum poema. ALTERVM *nimis diſſolutum* quod ad ſermonem pertinet: ideo neutro genere protulit: quia ad rem, non ad ſermonem dirigit cogitatum. AB *altero non delectere* ſermone. ALTERVM *oderis* cum ſimile uideas poemati. OPTIMVS *auctor* ſubaudi, Ariſtoteles.

CICERO

QVOS autem numeros cum quibus, tamquam purpuram, miſceri oporteat, nunc dicendum eſt, atque etiam quibus orationis generibus ſint quique accommodatiſſimi. Iambus enim frequentiſſimus eſt in ijs, quae demiſſo, atque humili ſermone dicuntur; paeon autem in amplioribus; in utroque dactylus. ita in uaria, & perpetua oratione hi ſunt inter ſe miſcendi, & temperandi. ſic minime animaduertetur delectationis aucupium, & quadrandae orationis induſtria: quae latebit eo magis, ſi & uerborum, & ſententiarum ponderibus utemur. nam, qui audiunt, haec duo animaduertunt, & iucunda ſibi cenſent; uerba dico, & ſententias: eaq. dum animis attentis admirantes, excipiunt, fugit eos, & praeteruolat numerus: qui tamen ſi abeßet, illa ipſa delectarent.

EXPLANATIO

HI *ſunt inter ſe miſcendi* Iambus, Dactylus, Paean. ET *quadrandae orationis induſtria* ſicut enim quadrata forma maxime ſtabilis eſt, unde & eam Plato terrae adſcribendam eſſe cenſuit: quia quamquam iactes, & uoluas, firmatur; ita inde quadrare, conuenire dixerunt ueteres. QVAE *latebit eo magis* hoc dicit, Aurium quod quaerimus aucupium, occultabitur, ſi pondus erit in uerbis, atque ſententiis. QVI *tamen ſi abeſſet* ſi nullus foret numerus, propter grauitatem tamen uerborum, & ſententiarum aures ad audiendum intentae eſſent.

CICERO

NEC uero nimius is curſus eſt numerorum, orationis dico; (nam eſt longe aliter in uerſibus) nihil ut fiat extra modum: nam id quidem eſſet poema. ſed omnis nec claudicans, nec quaſi fluctuans, et aequaliter, conſtanterq. ingrediens, numeroſa habetur oratio. Atque id in dicendo numeroſum putatur, non quod totum conſtat e numeris, ſed quod ad numeros proxime accedit. quo etiam difficilius eſt oratione uti, quam uerſibus: quod in illis certa quaedam, & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe; in dicendo autem nihil eſt propoſitum, niſi aut ne immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, aut fluens ſit oratio. itaque non ſunt in ea, tamquam tibicini, percuſſionum modi; ſed uniuerſa comprehenſio, & ſpecies orationis clauſa, & terminata eſt; quod uoluptate aurium iudicatur.

EXPLANATIO

AD *numeros proxime accedit* ſiquidem ex pedibus conſtant numeri: nec pars ulla uacat pedibus. clauſula uero ſatis habet, ſi primordia pedibus conſtent, atque adeo uerſuum primordiis: fines pedibus concludantur uerſum non terminantibus. TAMQVAM *tibicini percuſſionum modi* ubi percuſſione digitorum breuitas, & longitudo ſyllabae oſtendatur.

CICERO

SOLET autem quaeri, toto ne in ambitu uerborum numeri tenendi ſint, an in primis partibus, atque in extremis. plerique enim cenſent, cadere tantum numeroſe oportere, terminariq. ſententiam. Eſt autem, ut id maxime deceat, non id ſolum: ponendus eſt enim ille ambitus, non abijciendus. quare, cum aures extremum ſemper exſpectent, in eoq. acquieſcant; id uacare numero non oportet: ſed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet uerborum illa comprehenſio, & tota a capite ita fluere, ut ad extremum ueniens ipſa conſiſtat. id autem bona diſciplina exercitatis, qui & multa ſcripſerint, &, quaecumque etiam ſine ſcripto dicerent, ſimilia ſcriptorum effecerint, non erit difficillimum. Ante enim circumſcribitur mente, ſententia, confeſtimq. uerba concurrunt: quae mens eadem, qua nihil eſt celerius, ſtatim dimittit, ut ſuo quodque loco reſpondeat: quorum deſcriptus ordo alias alia terminatione concluditur: atque omnia illa & prima, & media uerba ſpectare debent ad ultimum. interdum enim curſus eſt in oratione incitatior, interdum moderata ingreſſio: ut iam a principio uidendum ſit, quemadmodum uelis uenire ad extremum, nec in numeris magis, quam in reliquis ornamentis orationis, eadem cum faciamus quae poetae, effugimus tamen in oratione poematis ſimilitudinem. eſt enim in utroque & materia, & tractatio; materia in uerbis, tractatio in collocatione uerborum.

EXPLA-

EXPLANATIO

PONENDVS *eſt enim ille ambitus, non abijciendus* ʒ quod fieri uidebitur, ſi ſola ultima ſint numeroſa. NON *erit difficillimum* ʒ id uere. nam, quoquo modo ſe quiſpiam exercuerit, ita dicit. Vel adeo uerum eſt, ut nobis frequentiſſime ſcribentibus uerſus, extemporalis quaedam uerſum dicendi facultas emanet: uerba concurrunt ad illam afferendam ſententiam, ita ut mens ipſa, qua nihil celerius dici poteſt. SPECTARE *debent ad ultimum* ʒ quoniam pars ultima potiſſimum mouet audientem. INCITATIOR ʒ ſi ex breuibus conſtet. IN *reliquis ornamentis* ʒ quae ſunt in ſono uerborum, & figuris.

CICERO

TERNAE autem ſunt utriuſque partes uerborum, translatum, nouum, priſcum: nam de proprijs nihil hoc loco dicimus. Collocationes autem eae, quas diximus, compoſitio, concinnitas, numerus: ſed in utroque frequentiores ſunt, & liberiores poetae. nam & transferunt uerba cum crebrius, tum etiam audacius; & priſcis libentius utuntur, & liberius nouis. quod idem fit in numeris; in quibus quaſi neceſſitati parere coguntur. ſed tamen, haec nec nimis eſſe diuerſa, neque ullo modo coniuncta, intelligi licet. ita fit, ut non item in oratione, ut in uerſu, numerus exſtet; idque, quod numeroſum in oratione dicitur, non ſemper numero fiat, ſed non numquam aut concinnitate, aut conſtructione uerborum. Ita, ſi numerus orationis quaeritur qui ſit: omnis eſt, ſed alius alio melior, atque aptior. ſi locus: in omni parte uerborum. ſi, unde ortus ſit: ex aurium uoluptate. ſi componendorum ratio: dicetur alio loco; quia pertinet ad uſum, quae pars quarta, & extrema nobis in diuidendo fuit. ſi, ad quam rem adhibeatur: ad delectationem. ſi, quando: ſemper. ſi, quo loco: in tota continuatione uerborum. ſi, quae res efficiat uoluptatem: eadem, quae in uerſibus; quorum modum notat ars, ſed aures ipſae tacito cum ſenſu ſine arte definiunt. Satis multa de natura: ſequitur uſus, de quo eſt accuratius diſputandum. In quo quaeſitum eſt, in toto ne circuitu in illo orationis, quem Graeci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehenſionem, aut continuationem, aut circumſcriptionem dicimus, an in principijs ſolum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus ſit: Deinde, cum aliud uideatur eße numerus, aliud numeroſum; quid, interſit: Tum autem, in omnibus ne numeris aequabiliter particulas deceat incidere, an facere alias breuiores, alias longiores: idq. quando, aut cur, quibusq. partibus, pluribus ne, an ſingulis, imparibus, an aequalibus, & quando aut iſtis, aut illis ſit utendum; quaeq. inter ſe aptiſſime collocentur, & quo modo, an omnino nulla ſit in eo genere diſtinctio; quodq. ad rem maxime pertinet, qua ratione numeroſa fiat oratio. Explicandum etiam eſt, unde orta ſit forma uerborum: dicendumque, quantos circuitus facere deceat; deq. eorum particulis, & tamquam inciſionibus dißerendum eſt: quaerendumque, utrum una ſpecies, & longitudo ſit earum, an ne plures; &, ſi plures, quo loco, aut quando, quoq. genere uti oporteat. Poſtremo, totius generis utilitas explicanda eſt: quae quidem patet latius: non ad unam enim rem aliquam, ſed ad plures accommodatur. Ac licet non ad ſingulas res reſpondentem de uniuerſo genere ſic dicere, ut etiam ſingulis ſatis reſponſum eße uideatur. Remotius igitur reliquis generibus, unum ſelegimus hoc, quod in cauſſis, foroq. uerſatur, de quo diceremus. Ergo in alijs, id eſt in hiſtoria, & in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικόν, placet omnia dici Iſocrateo, Theopompeoq. more, illa circumſcriptione, ambituque, ut tamquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutisq. ſententijs.

EXPLANATIO

TERNAE *autem ſunt utriuſque partes uerborum* ʒ id eſt, in tria genera uerborum diſtribuitur ornatus, ut ſint tranſlata, ut nouata, ut priſca: addunt etiam alii, ut alibi ipſemet Cicero, propria: ſed ſubiungit, NAM *de proprijs nihil hoc loco dicimus* ʒ quoniam ea magis humili conueniunt characteri. CONCINNITAS ʒ ut ſupra oſtenſum, cum commode copulantur. AVT *conſtructione uerborum* ʒ ut habent contraria. SI *quando: ſemper* ʒ in grandiloquo, ſubaudi: ne ſibi ſit ipſe Cicero contrarius: ſupra enim humilem characterem ait longe abeſſe a numero oportere. IN *tota continuatione uerborum* ʒ id eſt, periodo. QVORVM ʒ ſubaudi, uerſuum. IMPARIBVS, *an aequalibus* ʒ quibus periodus conſtat. DEQ. *eorum particulis* ʒ id eſt, caeſis, ac membris. REMOTIS *igitur reliquis generibus* ʒ Demonſtratiuo, ſiue Panaegyrico, & deliberatiuo: uel etiam alijs generibus, ut dialogorum, & id genus diſputationum. de iudiciali dumtaxat genere loquimur. APPELLAMVS ἐπιδεικτικόν, ʒ id eſt, demonſtratiuum, quod alii etiam laudatiuum: quia Graeci encomiaſticon uocant.

CICERO

ITAQVE, poſteaquam eſt nata haec uel circumſcriptio, uel comprehenſio, uel continuatio, uel ambitus, ſi ita licet dicere; nemo, qui aliquo eßet in numero, ſcripſit orationem generis eius, quod eßet ad delectationem comparatum, remotumq. a iudicijs, forenſiq. certamine, quin redigeret omnes fere in qua-

drum,

d·um, numerumq. ſententias. nam, cum is eſt auditor, qui non uereatur, ne compoſitae orationis inſidijs ſua fides attentetur; gratiam quoque habet oratori, uoluptati aurium ſeruienti. Genus autem hoc orationis neque totum aßumendum eſt ad caußas forenſes, neque omnino repudiandum. ſi enim ſemper utare; cum ſatietatem affert, tum, quale ſit, etiam ab imperitis agnoſcitur. detrahit praeterea actionis dolorem, aufert humanum ſenſum actoris, tollit funditus ueritatem, & fidem. ſed, quoniam adhibenda nonnumquam eſt; primum uidendum eſt, quo loco; deinde, quam diu retinenda ſit; tum, quot modis commutanda. Adhibenda eſt igitur numeroſa oratio, ſi aut laudandum eſt aliquid ornatius, ut nos in accuſationis ſecundo de Siciliae laude diximus, aut in ſenatu de conſulatu meo: aut exponenda narratio; quae plus dignitatis deſiderat, quam doloris, ut in quarto accuſationis de Eanenſi Cerere, de Segeſtana Diana, de Syracuſarum ſitu diximus. Saepe etiam in amplificanda re conceſſu omnium funditur numeroſe, & uolubiliter oratio. id nos fortaße non perfecimus, conati quidem ſaepiſſime ſumus: quod plurimis locis perorationes noſtrae uoluiſſe nos, atque animo contendiße, declarant. id autem tum ualet, cum is, qui audit, ab oratore iam obſeſſus eſt, ac tenetur. non enim id agit, ut inſidietur, & obſeruet; ſed iam fauet, proceßumq. uult; dicendiq. uim admirans, non inquirit, quod reprehendat.

EXPLANATIO

IN *quadrum* ʒ id eſt, aptum, & concinnum, ut ſupra expoſuimus. GENVS *autem hoc ora.* ʒ ſubaudi, uoluptariae. DETRAHIT *praeterea actionis do.* ʒ quod ludere in compoſitione uideare. Dolorem autem: quia, ſeu accuſes, ſeu defendas, dolor exſuſcitatur. AVFERT *humanum ſenſum* ʒ id eſt, ſenſus affectum, qui fere in humano genere excitari ſolet. SI *aut laudandum eſt aliquid ornatius* ʒ quia ea pars demonſtratiui eſt generis, cui numerus potiſſimum accommodatur. VT *nos in accuſationis ſecundo* ʒ ſubaudi, in Verrem. IN *amplificanda re* ʒ quae quattuor fere modis fieri ſolet: aut incremento, aut congerie, aut comparatione, aut ratiocinatione. AB *oratore iam obſeßus eſt* ʒ hoc eſt, non in exordijs, cum attentio, docilitas, & beneuolentia quaerenda: ſed cum iam factus auditor in oratoris uidetur poteſtate, ut inſidietur oratori, & obſeruet, ne quid dicat, quod minime cauſſae conuenire arbitretur. NON *inquirit, quod reprehendat* ʒ id eſt, non circumſpiciens intentus ad ſingula quaerit quid ſibi perſuadeat.

CICERO

HAEC *autem forma retinenda non diu eſt, nec dico in peroratione, quam ipſe includit, ſed in orationis reliquis partibus. nam, cum ſis ijs locis uſus, quibus oſtendi licere; transferenda tota dictio eſt ad illa, quae neſcio cur, cum Graeci* κόμματα, & κῶλα *nominent, nos non recte inciſa, & membra dicamus. neque enim eße poſſunt, rebus ignotis, nota nomina: ſed cum uerba aut ſuauitatis, aut inopiae cauſſa transferre ſoleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut, cum id appellandum ſit, quod propter rerum ignorationem ipſarum nullum habuerit ante nomen, neceſſitas cogat aut nouum facere uerbum, aut a ſimili mutuari.*

EXPLANATIO

HAEC *autem forma* ʒ ſubaudi, in cauſſis numeroſe loquendi. TRANSFERENDA *tota dictio* ʒ totus is loquendi modus. CVM *Graeci* κόμματα, & κῶλα *nominent* ʒ ἀπὸ τοῦ κόπτειν, id eſt, ab incidendo. & cola, membra a noſtris dicuntur. IN *omnibus hoc fit artibus* ʒ ut uerba nouentur, transferanturque: ut geometres, rhombum figuram illam quadratam uocant, a rhombi piſcis ſimilitudine. arithmeticus, dociclas numeros, quod lateris gerant effigiem. muſicus, a numeris conſonantias appellauit ſeſcuplam, ſeſquitertiam, ſeſquioctauam, duplam, triplam, quadruplam, ob illorum menſuram numerorum. Aſtronomus, argumentum, quod ex eo in quo loco ſol ſit arguatur, a dialecticis, uel oratoribus ſumpta ſimilitudine: & ita in reliquis, ne ſim iam in enumerandis locis nimius.

CICERO

QVO *autem pacto deceat inciſe, membratimue dici, iam uidebimus. nunc, quot modis mutentur comprehenſiones, concluſioneſque, dicendum eſt. Fluit omnino numerus a primo tum incitatus breuitate pedum, tum proceritate tardius: curſum contentiones magis requirunt; expoſitiones rerum tarditatem. Inſiſtit autem ambitus modis pluribus: e quibus unum eſt ſecuta Aſia maxime, qui dichoreus uocatur, cum duo extremi chorei ſunt, id eſt e ſingulis longis, & breuibus. explanandum eſt enim: quod ab alijs ijdem pedes alijs nominantur uocabulis. Dichoreus non eſt ille quidem ſua ſponte uitioſus in clauſulis; ſed in orationis numero nihil eſt tam uitioſum, quam ſi ſemper eſt idem. cadit autem per ſe ille praeclare: quo etiam ſatietas formidanda eſt magis. me ſtante, C. Carbo, C. F. tribunus pl. in concione dixit his uerbis: O Marce Druſe: patrem appello. haec quidem duo binis pedibus inciſim: dein membratim: Tu dicere ſolebas, ſacram eße remp. haec item membra ternis: poſt ambitus: Quicumque eam uiolauiſſent, ab omnibus eſſe ei poenas perſolutas. dichoreus: nihil enim ad rem,*

extrema illa longa ſit, an breuis. deinde: Patris dictum ſapiens temeritas filij comprobauit. hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus eſt, ut admirabile eßet. Quaero, non ne id numerus effecerit? uerborum ordinem immuta, fac ſic, Comprobauit filij temeritas: iam nihil erit: etſi, temeritas, ex tribus breuibus, & longa eſt: quem Ariſtoteles, ut optimum, probat; a quo dißentio. At eadem uerba, eadem ſententia. animo iſtuc ſatis eſt, auribus, non ſatis. Sed id crebrius fieri non oportet. primum enim numerus agnoſcitur, deinde ſatiat, poſtea, cognita facilitate, contemnitur.

EXPLANATIO

FLVIT *omaino numerus a primo* ≀ quo modo autem fluat, oſtendit. CVM *incitatius breuitate pedum, tum proceritate tardius* ≀ id eſt, longis ſyllabis tardius. CVRSVM *contentiones magis requirunt* ≀ confirmatio, inquit, & confutatio magis exigunt, ut procurrat oratio. EXPOSITIONES *rerum tarditatem* ≀ quia grauiter, ac ſine affectu efferri debent. QVI *Dichoreus uocatur* ≀ id eſt, bini Trochaei coniunguntur: quod ipſe exponit, cum inquit, ID *eſt e ſingulis longis, & breuibus* ≀ nam ut ſupra quoque Choreus, etiam Tribrachus appellatur. SED *in orationis numero* ≀ ſi Trochaicum feceris metrum. CADIT *autem per ſe ille ipſe praeclare* ≀ Dichoreus inquam ſi clauſulam concluſerit. ME *ſtante* ≀ iam ponit eius quod dixit exemplum Carbonis, quem in Bruto facundum fuiſſe memorat: cuius per inciſa, & membra ſtructam numeroſe clauſulam metitur. POENAS *perſolutas,* ≀ in duos Trochaeos concluditur, Spondeo antecedente. & quoniam, *perſolutas,* ultima ſyllaba longa eſt, ut Spondeus potius uideatur, ſubiungit, NIHIL *enim ad rem extrema illa longa ſit, an breuis* ≀ quoniam ita etiam in uerſu libere ponitur: ſecus autem Quinctiliano uidetur, qui ait, Si longa ſit, quiddam uideri ſibi uberius ſonare, quam ſi breuis. qui accedere Ariſtotelicae uidetur eatenus ſententiae, quatenus Paean quartum probat Ariſtoteles in ultima clauſulae parte collocari. Nobis uero Cicero ipſe prudentiſſime dixiſſe uiſus eſt: ſiquidem ideo breuis pro longa haberi etiam a muſicis ſolet: quod mora quadam fit, donec alia exordium ſibi ſumat clauſula, quae recte breuem uideri longam facit. DEINDE *patris dictum ſapiens, temeritas filij comprobauit* ≀ quae Carbonis clauſulae pars extrema Dichoreo terminata, tantum clamorem, inquit Cicero, excitauit, ut admirabile eſſet. ORDINEM *immuta* ≀ ne ſit in poſtrema clauſula Dichoreus: ſed ſit Paean quartus, Comprobauit filij temeritas. IAM *nihil erit* ≀ ſubaudi, quod probes. SED *id crebrius fieri non oportet* ≀ ne ſimilitudo ſatiet.

CICERO

SED *ſunt clauſulae plures, quae numeroſe, & iucunde cadant. nam & creticus, qui eſt e longa, & breui, & longa, & eius aequalis paeon, qui ſpatio par eſt, ſyllaba longior, quam commodiſſime putatur in ſolutam orationem illigari, cum ſit duplex. nam aut e longa, & tribus breuibus, qui numerus in primo uiget, iacet in extremo; aut totidem breuibus, & longa, in quem optime cadere cenſent ueteres, ego non plane reijcio, ſed alios antepono. Ne ſpondeus quidem funditus eſt repudiandus: etſi, quod eſt e longis duabus, hebetior uidetur, & tardior: habet tamen ſtabilem quendam, & non expertem dignitatis gradum: in inciſionibus uero multo magis, & in membris: paucitatem enim pedum grauitatis ſuae tarditate compenſat. Sed hos cum in clauſulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adiungo, quod minimum ſit, proximum ſuperiorem, ſaepe etiam tertium. Ne iambus quidem, qui eſt e breui, & longa; aut par choreus, qui habet tres breues, ſed ſpatio par, non ſyllabis; aut etiam dactylus, qui eſt e longa, & duabus breuibus, ſi eſt e proximus a poſtremo, parum uolubiliter peruenit ad extremum, ſi eſt extremus choreus, aut ſpondeus. numquam enim intereſt, uter ſit eorum in pede extremo. Sed ijdem hi tres pedes male concludunt, ſi quis eorum in extremo locatus eſt, niſi cum pro cretico poſtremus eſt dactylus. nihil enim intereſt, dactylus ſit extremus, an creticus: quia, poſtrema ſyllaba breuis, an longa ſit, ne in uerſu quidem refert.*

EXPLANATIO

ET *eius aequalis Paean* ≀ quia totidem temporum, non tamen ſyllabarum. QVI *numerus in primo uiget* ≀ primus, inquit, Paean, in principio clauſulae: ut eſt, Incipite, deſinite. TOTIDEM *breuibus, & longa* ≀ ut eſt temeritas, facilitas, agilitas. CENSENT *ueteres* ≀ ut Ariſtoteles. HEBETIOR *uidetur, & tardior* ≀ ideo etiam in Iambico admiſſus, unde Horatius,

Tardior ut paullo, grauiorq. ueniret ad aures,
Spondeos ſtabiles in iura paterna recepit.

ET *non expertem dignitatis gradum* ≀ eſt ſiquidem in Spondeo grauitas. PAVCITATEM *enim pedum* ≀ quia, cum ſit duarum ſyllabarum, bis tantum poſitus, facit numerum, propter longarum tarditatem. NE *Iambus quidem* ≀ recte Iambus ante Dactylum collocatur: ut pro Marco Marcello, Ipſe finem hodiernus dies attulit. PAR *choreo* ≀ id eſt, Tribracho. SED *ſpatio* ≀ id eſt, temporibus. SI *eſt proximus a poſtremo* ≀ quia tum uerſus uidetur heroicus. NVMQVAM *enim intereſt, uter eorum ſit in pede extremo* ≀ propter indifferentem, ut diximus, ſyllabam ultimam, non intereſt, ſit ne ultimus Spondeus, an Trochaeus.

CICERO

QVARE *etiam paeona qui dixit aptiorem, in quo eſſet longa poſtrema, uidit parum: quoniam nihil ad rem eſt, poſtrema quam longa ſit. Iam paeon, quod plures habeat ſyllabas, quam tres, numerus a quibuſdam, non pes habetur. eſt quidem, ut inter omnes conſtat antiquos, Ariſtotelem, Theophraſtrum, Theodectem, Ephorum, unus aptiſſimus orationi uel orienti, uel mediae: putant illi, etiam cadenti: quo loco mihi uidetur aptior creticus. Dochimus autem e quinque ſyllabis, breui duabus longis, breuiq; longa, ut eſt hoc, Amicos tenes, quouis loco aptus eſt, dum ſemel ponatur; iteratus, aut continuatus numerum apertum, & nimis inſignem facit. Hic igitur tot commutationibus, tamq. uarijs ſi utemur; nec deprehēdetur manifeſto quid a nobis de induſtria fiat, & occuretur ſatietati. Et quia non numero ſolum numeroſa oratio, ſed & compoſitione fit, & genere, quod ante dictum eſt, concinnitatis: compoſitione, poteſt intelligi, cum ita ſtructa uerba ſunt, ut numerus non quaeſitus, ſed ipſe ſecutus eſſe uideatur: ut apud Craſſum: Nam, ubi lubido dominatur, innocentiae leue praeſidium eſt. Ordo enim uerborum efficit numerum ſine ulla aperta oratoris induſtria.*

EXPLANATIO

PAEANA *qui dixit aptiorem* ₰ Paeana, inquit, quartum, qui dicit in extremo collocandum propter indifferentem ultimam. VIDIT *parum* ₰ hoc Ariſtoteles ait: cui Quinctilianus adſtipulatur, ut iam ſupra diximus. NVMERVS *a quibuſdam non pes habetur* ₰ & proinde exſtimant ſolum hunc eſſe ponendum. OCCVRRETVR *ſatietati* ₰ cuius mater eſt ſimilitudo. QVOD *ante dictum eſt concinnitatis compoſitione* ₰ quia aptam diximus, inquit, ſtructuram compoſitione concinnitatis, id ita intelligendum: quod tametſi numerus a nobis fiat, non is tamen quaeſitus, ſed, dum uerba ſtruimus, ſponte ſe numerus obtulit. LEVE *praeſidium eſt* ₰ Pyrrhichius ante Paeana primum, propter ultimam indifferentem, quae a monoſyllabo excepta, partem dictionis facit.

CICERO

ITAQVE, *ſi quae ueteres illi (Herodotum dico, & Thucydidem, totamq. eam aetatem) apte, numeroſeq. dixerunt, ea non numero quaeſito, ſed uerborum collocatione ceciderunt. Formae uero quaedam ſunt orationis, in quibus ea concinnitas ineſt, ut ſequatur numerus neceſſario. nam, cum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quae ſimiliter cadunt uerba uerbis comparantur; quidquid ita concluditur, plerumque fit, ut numeroſe cadat: quo de genere cum exemplis ſupra diximus: ut haec quoque copia facultatem afferat, non ſemper eodem modo deſinendi: nec tamen haec ita ſunt arcta, & adſtricta, ut ea, cum uelimus, laxare nequeamus. Multum intereſt, utrum numeroſa ſit, ideſt ſimilis numerorum, an plane e numeris conſtet oratio. alterum ſi fit, intolerabile uitium eſt: alterum niſi fit, diſſipata, & inculta, & fluens eſt oratio.*

EXPLANATIO

APTE, *numeroſeq. dixerunt* ₰ ſicut Dionyſius Halycarnaſſeus eos locutos uideri plerumque uult. ALTERVM *ſi fit* ₰ ut e numeris conſtent, ut iam diximus, fuerit uitioſum. ALTERVM *niſi ſit* ₰ ut ſit numeroſa e quattuor fere partibus: aliquando ſimplex eſt periodos, & dicitur monocolos, ut Demetrius Phalereus ſcribit: aliquando duobus membris, & dicitur dicolos: ſi tribus, tricolos: ſi quattuor, tetracolos: ultra non progreditur.

CICERO

SED, *quoniam non modo non frequenter, uerum etiam raro in ueris cauſſis, aut forenſibus circūſcripte, numeroſeq. dicendum eſt: ſequi uidetur, ut uideamus, quae ſint illa, quae ſupra dixi, inciſa, quae membra. haec enim in ueris cauſſis maximam partem orationis obtinent. Conſtat enim ille ambitus, & plena comprehenſio e quattuor fere partibus, quae membra dicimus, ut & aures impleat, & ne breuior ſit, quam ſatis ſit, neque longior. quamquā utrumque nonnumquam, ſed potius ſaepe accidit, ut aut citius inſiſtendum ſit, aut longius procedendum; ne breuitas defraudaſſe aures uideatur, ne ue longitudo obtudiſſe. ſed habeo mediocritatis rationem: nec enim loquor de uerſu; & eſt liberior aliquanto oratio. E quattuor igitur, quaſi hexametrorum inſtar uerſuum quod ſit, conſtat fere plena comprehenſio. His igitur ſingulis uerſibus quaſi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus. Sin membratim uolumus dicere, inſiſtimus: idq. cum opus eſt, ab iſto curſu inuidioſo facile nos, & ſaepe diiungimus. Sed nihil tam debet eſſe numeroſum, quam hoc, quod minime apparet, & ualet plurimum. Ex hoc genere illud eſt Craſſi: Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant. Niſi interuallo dixiſſet, Ipſi prodeant; ſenſiſſet profecto effugiſſe ſenarium. omnino melius caderet, prodeant ipſi: ſed de genere*

nunc diſputo. Cur clamdeſtinis conſilijs nos oppugnant? cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos? Prima ſunt illa duo, quae κόμματα *Graeci uocant, nos inciſa dicimus: deinde tertium,* κῶλον *illi, nos membrum. Sequitur non longa: ex duobus enim uerſibus, id eſt membris, perfecta comprehenſio eſt, & in ſpondeos cadit.*

EXPLANATIO

QVAM *ſatis ſit* ȝ quam uno poſſimus pronunciare ſpiritu: ideo longiſſimi ſpiritus fuiſſe Demoſthenes arguitur, quod periodis utatur longiſſimis: ergo erit fere, inquit, ex quattuor hexametris. MEMBRATIM *uolumus dicere* ȝ ubi urgendum, & contentioſius dicendum ſit. NISI *interuallo dixiſſet, ipſi prodeant* ȝ quoniam dicendo, Miſſos faciant patronos, aliquantulum conquieuit: inde intulit, Ipſi prodeant. quod ſi continuus pronunciatione fuiſſet ſpiritus, trimeter erat Iambicus: ſed numeroſius, inquit, erat, Prodeant ipſi, Creticus ut ſit ante Spondeum. CVR *clamdeſtinis conſilijs* ȝ ex Craſſo ſumpta ſunt exempla. NON *longa* ȝ ab inferiore pede. Eſt enim ordo uerborum, Non longa comprehenſio eſt.

CICERO

ET Craſſus quidem ſic plerumque dicebat; idq. ipſe genus dicendi maxime probo. Sed quae inciſim, aut membratim efferuntur, ea uel aptiſſime cadere debent, ut eſt apud me: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. Haec inciſe dicta ſunt quattuor: at membratim quae ſequuntur duo: Incurriſti amens in columnas: in alienos inſanus inſaniſti. Deinde omnia, tamquam crepidine quadam, comprehenſione longiore ſuſtinentur. Depreſſam, caecam, iacentem domum pluris, quam te, & quam fortunas tuas aeſtimaſti. dichoreo finitur. at diſpondeo proximum illud. nam ijs, quibus ut pugiunculis uti oportet, breuitas facit ipſa liberiores pedes. ſaepe enim ſingulis utendum eſt, plerumque binis, & utriſque addi pedis pars poteſt: non fere ternis amplius. Inciſim autem, & membratim tractata oratio in ueris cauſſis plurimum ualet, maximeq. his locis, cum aut arguas, aut refellas: ut noſtra in Corneliana ſecunda: O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda. Membratim adhuc, deinde caeſim diximus, rurſus membratim: Teſtes dare uolumus. Extrema ſequitur comprehenſio, ſed ex duobus membris, qua non poteſt eſſe breuior: Quem, quaeſo, noſtrum fefellit, ita uos eſſe facturos? Nec ullum genus eſt dicendi aut melius, aut fortius, binis aut ternis ferire uerbis, non numquam ſingulis, paullo alias pluribus: inter quas uarijs clauſulis interponit ſe raro numeroſa comprehenſio: quam peruerſe fugiens Hegeſias, dum ille quoque imitari Lyſiam uult, alterũ paene Demoſthenem, ſaltat, incidens particulas. & is quidem non minus ſententijs peccat, quam uerbis. ut non quaerat, quem appellet ineptum, qui illum cognouerit. Sed ego illa Craſſi, & noſtra poſui, ut, qui uellet auribus ipſis, quid numeroſum etiam in minimis particulis orationis eſſet, iudicaret.

EXPLANATIO

ET *Craſſus quidem ſic plerumque dicebat* ȝ grauior enim ex longis, ut diximus, fit oratio. DOMVS *tibi deerat? at habebas* ȝ ſimiliter deſinens. TAMQVAM *crepidine* ȝ tamquam fornicato opere, ut rotunda fiat conſtructio: quae concluſa eſt gemino Trochaeo, Iambo antecedente, Fortunas tuas aeſtimaſti. AT *diſpondeo proximum illud* ȝ quod membratim enunciatum eſt, id diſpondeo terminatur, Inſanus, inſaniſti. NAM *in ijs, quibus ut propugnaculis* ȝ recte tranſlatio facta a propugnaculis, ut inciſa, ut membra tamquam propugnacula antecedant: inde maior uis infertur ex uocum ingeminatione per quandam, ut ipſe ait, crepidinem. SAEPE *enim ſingulis* ȝ ſubaudi, pedibus. BINIS: *& utriſque* ȝ hoc eſt, ſingulis: &, *binis*, poteſt addi pes medius: quod in metris fieri ſolet macrocatalectis. NON *fere ternis amplius* ȝ non excedunt tres, inquit, pedes. CVM *aut arguas, aut refellas* ȝ id eſt, in argumentationibus. QVIA *non poteſt eſſe breuior* ȝ quam ut ſit dicolos. non ſimplex membrum habere putat Cicero: Demetrius inde Phalereus ipſam Monocolon appellauit. INTERPONIT *ſe raro numeroſa comprehenſio* ȝ raro, inquit, ubi membratim dicas, interponitur clauſula numeroſa, quae fructum oratori ferat, quae palmam patrono comparet.

PAVLLVS. MANVTIVS. INCISIM *autem, & membratim tractata oratio* ȝ ſic antea: repoſui, Tracta: quod uerbum, & ad ſententiam, & ad uſum Latinae linguae aptius exiſtimaui, idq. poſtea comprobarunt duo ueteres Borromaei libri. διῃρημένην ἑρμηνείαν uocat Demetrius rhetor, εἰς κῶλα λελυμένην: Ariſtoteles lib. 3. rhetor. εἰρομένην λέξιν: alterum genus κατεςραμένην appellat, quae periodis conſtat. nec diſſentit alter ab altero. nam εἰρομένη λέξις eſt, non connexa, & uincta, ut alij interpretantur, ſed potius, ut opinor, pendens. & producta, cathenarum inſtar. ſic & Cicero eam nominauit lib. 3. de orat. Rudis, ait, & indocta illa ſine interuallis loquacitas perennis, & profluens. Et ibidem, paullo poſt: Continuata, ac producta uerborum continuatio. εἰρομένη igitur, quae pendet, nondum terminata: διῃρημένη, quae disiungitur, & in membra diſſoluitur. haec enim diſſolutio productior, quia caret orbe illo, & ambitu orationis, εἰρομένην facit eſſe λέξιν, ſine non inuento. QVEM, *quaeſo, noſtrum fefellit,* ȝ ſciat lector, in omnibus antiquis libris eſſe, Quaſi; a nobis autem, Quaeſo, repoſitum ex ingenio. uide locum, in Bruto.

CICERO

CICERO

*E*T, *quoniam plura de numeroſa oratione diximus, quam quiſquam ante nos; nunc de eius generis utilitate dicemus. Nihil enim eſt aliud, Brute, quod quidem tu minime omnium ignoras, pulchre, & oratorie dicere, niſi optimis ſententijs, uerbiſq. lectiſſimis dicere. & nec ſententia ulla eſt, quae fructum oratori ferat, niſi apte expoſita, atque abſolute: nec uerborum lumen apparet, niſi diligenter collocatorum: & horum utrumque numerus illuſtrat; numerus autem (ſaepe enim hoc teſtandum eſt) non modo non poetice iunctus, uerum etiam fugiens illum, eiq. omnium diſſimillimus: non quin ijdem ſint numeri non modo oratorum, & poetarum, uerum omnino loquentium, denique etiam ſonantium omnium, quae metiri auribus poſſumus: ſed ordo pedum facit, ut id, quod pronunciatur, aut orationis, aut poematis ſimile uideatur. Hanc igitur ſiue compoſitionem, ſiue perfectionem, ſiue numerum uocari placet, & adhibere neceſſe eſt, ſi ornate uelis dicere, non ſolum quod ait Ariſtoteles, & Theophraſtus, ne infinite feratur ut flumen oratio, quae non aut ſpiritu pronunciantis, aut interductu librarij, ſed numero coacta debet inſiſtere; uerum etiam, quod multo maiorem habent apta uim, quam ſoluta. ut enim athletas, nec multo ſecus gladiatores, uidemus nihil nec uitando facere caute, nec petendo uehementer, in quo non motus hic habeat palaeſtram quandam; ut, quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad adſpectum etiam ſit uenuſtum: ſic oratio nec plagam grauem facit, niſi petitio fuerit apta; nec ſatis tecte declinat impetum, niſi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit*

EXPLANATIO

NON *quin ijdem ſint numeri* ʒ cadunt enim numeri ſub tactum, ſub uiſum, ſub auditum, ut arteriae, ſaltatio, & ſonitus ſiue ore, ſiue inſtrumento fiat. NE *infinite feratur ut flumen oratio* ʒ ſed decore numeri tamquam habenis retineantur. INTERDVCTV *librari* ʒ iactari, quaſi ſingultu. VT *enim athletas* ʒ id eſt, pugiles. HABEAT *palaeſtram quandam* ʒ quae ludendi, non feriendi cauſſa adhibetur: ſed incurſandi, ſubducendiq. per ſeſe quaedam dexteritas eſt. NEC *plagam grauem facit* ʒ argumentis iaculando. NISI *petitio* ʒ id eſt, inuaſio, ut cum aduerſarium inceſſimus, apte faciamus. NEC *ſatis tecte* ʒ ab aduerſarij argumentis. DECLINAT ʒ ſubterfugit.

PAVLLVS. MANVTIVS. ET *nec ſententia ulla eſt,* ʒ ſuſpicor, Et, abundare: non enim, Et nec, placet coniungi. HANC *igitur ſiue compoſitionem, ſiue perfectionem, ſiue numerum uocari placet, & adhibere neceſſe eſt* ʒ cum opinarer particulam, Et, induci oportere; ſuffragatus eſt opinioni meae unus Borromaei liber: itaque tum demum eam delere ſum auſus. eſt autem haec ſententia. neceſſe eſt hanc adhibere ſiue compoſitionem, ſiue perfectionem, ſiue numerum uocari placet.

CICERO

ITAQVE, *qualis eorum motus, quos* ἀπαλαίστους *Graeci uocant, talis horum mihi uidetur oratio, qui non claudunt numeris ſententias: tantumq. abeſt, ut; quod ij, qui hoc aut magiſtrorum inopia, aut ingenij tarditate, aut laboris fuga non ſunt aſſecuti, ſolent dicere, eneruetur oratio compoſitione uerborum, ut alter in ea nec impetus ullus, nec uis eſſe poſſit. ſed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc ſecuti non tenuerunt, ſimile faciamus, ut uerba traijciamus aperte, quo melius aut cadat, aut uoluatur oratio: quod ſe L. Coelius Antipater in proemio belli Punici, niſi neceſſario, facturum negat. O uirum ſimplicem, qui nos nihil celat; ſapientem, qui ſeruiendum neceſſitati putet. ſed hic omnino rudis: nobis autem in ſcribendo, atque in dicendo neceſſitatis excuſatio non probatur: nihil eſt enim neceſſe; &, ſi quid eſſet, id neceſſe tamen non erat confiteri. Et hic quidem, qui hanc a Laelio, ad quem ſcripſit, cui ſe purgat, ueniam petit, & utitur ea traiectione uerborum, & nihilo tamen aptius explet, concluditq. ſententias. apud alios autem, & Aſiaticos maxime numero ſeruientes, inculcata reperias inania quaedam uerba, quaſi complementa numerorum. Sunt etiam, qui illo uitio, quod ab Hegeſia maxime fluxit, infringendis, concidendiſq. numeris in quoddam genus abiectum incidant Siculorum ſimillimum.*

EXPLANATIO

ΑΠΑΛΑΙΣΤΟΥΣ *Graeci uocant* ʒ id eſt, Palaeſtricae agilitati minime idoneos. TANTVMQ. *abeſt, ne* ʒ ſenſus eſt, Tantum abeſt, ut eorum non eneruetur oratio, qui aut inopia magiſtrorum, aut ingenij imbecillitate, aut laboris fuga, aſſequi non potuerunt, ut numeris uterentur: ut etiam eorum nullus impetus ſit in oratione, nec uis ulla in dicendo eſſe poſſit. SED *magnam exercitationem res flagitat* ʒ ut omnia certe humana, quae ad laudem modo aliquam adſpirare poſſe uideantur. TRAIICIAMVS *aperte* ʒ ne poetarum more uerba transferamus: ut numerum faciamus, quem ſolent facere poetae, ut uerſum concludant. ET *Aſiaticos maxime* ʒ quos ſuperius diximus cantum, & tumorem quendam in oratione ſecutos, prorſus Atticis contrarios oratoribus. QVASI *complementa numerorum* ʒ quod cum poetis, qui neceſſitate coguntur

eo modo explere uerſum,ut nec deſit, nec redundet,puerile ſit: multo id magis erit oratoribus, quos multa ducit neceſſitas. SICVLORVM *ſimillimum*} qui,ut Dorica lingua utebantur,ita ruſtica,ut apparet adhuc ex Archimede Eutotio,& Timaeo,qui eadem lingua uſi ſunt.

CICERO

TERTIVM eſt, in quo fuerunt fratres illi, Aſiaticorum rhetorum principes, Hierocles, & Menecles, minime mea ſententia contemnendi. et ſi enim a forma ueritatis, & ab Atticorum regula abſunt: tamen hoc uitium compenſant uel facultate, uel copia. ſed apud eos uarietas non erat; quod omnia fere concludebantur uno modo. quae uitia qui fugerit, ut neque uerbum ita traijciat, ut id de induſtria factum intelligatur; neque, inferciens uerba, quaſi rimas expleat; nec, minutos numeros ſequens, concidat, delumbetq. ſententias; nec ſine ulla commutatione in eodem ſemper uerſetur genere numerorum; is omnia fere uitia uitauerit. nam de laudibus multa diximus: quibus ſunt alia perſpicue uitia contraria. Quantum autem ſit, apte dicere, experiri licet, ſi aut compoſiti oratoris bene ſtructam collocationẽ diſſoluas permutatione uerborum: corrumpatur enim tota res: ut haec noſtra in Corneliana, & deinceps omnia: Neque me diuitiae mouent, quibus omnes Africanos, & Laelios multi uenalicij, mercatoresq. ſuperarunt. Immutata paullulum, ut ſit, Multi ſuperarunt mercatores, uenalicijque: perierit tota res. Et quae ſequuntur: Neque ueſtis, aut caelatum aurum, & argentum, quo noſtros ueteres Marcellos, Maximosq. multi eunuchi e Syria, Aegyptoq. uicerunt. Verba permuta ſic, ut ſit, Vicerunt eunuchi e Syria, Aegyptoque.

EXPLANATIO

HIEROCLES} qui uerſus Pythagorae, quos aureos uocant, interpretatus eſt. NEQVE, *inferciens uerba*} quae momenti nullius ſint: ſicut aduerbia aliquando poetae interſerunt. MVLTI *uenalicij*,} qui ſeruos mercantur, enunciantque, qui & uenaliciarij dicuntur. Vlpianus in XXI, Plerique ſolent mancipia, quae nouicia non ſunt, quaſi nouicia diſtrahere, ad hoc ſcilicet, ut pluris uendat. Praeſumptum enim eſt ea mãcipia, quae rudia ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora, & dociliora eſſe, & ad omne miniſterium habilia. Trita uero mancipia, & ueterana difficile eſt reformare, & ad ſuos mores formare. Quia ergo uenaliciarij ſciũt facile decurri ad nouiciorum emptionem, iccirco interpollant ueteratores, & pro nouiciis uendunt. Dicimus etiam uenalicium, quod eſt ad uendendum expoſitum, de hominibus locuti: ut Pomponius, Qui uir cibaria uxori, familiae, iumentis ne praeſtiterit; quae in uſu communi erant, non condicentur: quod ſi familiam uxoris domeſticam, aut uenalicia pauerit, contra puto obſeruari debere. VERBA *permuta*} tum uidemus clauſulam ſordidam: quia deeſt numerus.

CICERO

ADDE tertium: Neque uero ornamenta iſta uillarum, quibus L. Paullum, & L. Mummium, qui rebus his urbem, Italiamq. omnem referſerunt, ab aliquo uideo perfacile Deliaco, aut Syro potuiſſe ſuperari. Fac ita, potuiſſe ſuperari ab aliquo Syro, aut Deliaco: uides ne, ut, ordine uerborum paullum commutato, ijſdem uerbis, ſtante ſententia, ad nihilum omnia recidant, cum ſint ex aptis dißoluta? aut, ſi alicuius inconditi arripias diſſipatam aliquam ſententiam, eamque, ordine uerborum paullum commutato, in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerat antea diffluens, ac ſolutum. Age, ſume de Gracchi apud cenſores illud, Abeſſe non poteſt, quin eiuſdem hominis ſit, probos improbare, qui improbos probet. Quanto aptius, ſi ita dixiſſet, quin eiuſdem hominis ſit, qui improbos probet, probos improbare. Hoc modo dicere nemo umquam uoluit, nemoq. potuit, quin dixerit. qui autem aliter dixerunt, hoc aßequi non potuerunt: ita facti ſunt repente Attici. quaſi uero Trallianus fuerit Demoſthenes, cuius non tam uibrarent fulmina illa, niſi numeris contorta ferrentur. ſed, ſi quos magis delectant ſoluta, ſequentur ea ſane, modo ſic, ut ſi quis Phidiae clypeum diſſoluerit, collocationis uniuerſam ſpeciem ſuſtulerit, non ſingulorum operum uenuſtatem: ut in Thucydide orbem modo orationis deſidero, ornamenta comparent. iſti autem cum dißoluunt orationem, in qua nec res, nec uerbum ullum eſt, niſi abiectum, non clypeum, ſed, ut in prouerbio eſt, (etſi humilius dictum eſt, tamen ſimile eſt) ſcopas, ut ita dicam, mihi uidentur diſſoluere. atque, ut plane genus hoc, quod ego laudo, contempſiße uideantur, aut ſcribant aliquid uel Iſocrateo more, uel quo Aeſchines, aut Demoſthenes utitur: tum illos exiſtimabo non deſperatione formidauiſſe genus hoc, ſed iudicio refugiße: aut reperiam ipſe, eadem condicione qui uti uelit, ut aut dicat, aut ſcribat, utra uoles lingua, eo genere, quo ibi uolunt. facilius eſt enim apta diſſoluere, quam diſſipata connectere. Res autem ſe ſic habent: (ut breuiſſime dicam, quod ſentio) compoſite, & apte, ſine ſententijs, dicere, inſania eſt: ſententioſe autem, ſine uerborum & ordine, & modo, infantia, ſed eiuſmodi tamen infantia, ut, ea qui utantur, non ſtulti homines haberi poſſint, etiam plerumque prudentes: quo qui eſt contentus, utatur. Eloquens uero, qui non approbationes ſolum, ſed admirationes, clamores, plauſus, ſi liceat, mouere debet, omnibus, oportet, ita rebus excellat, ut ei turpe ſit quidquam aut ſpectari, aut audiri libentius.

EXPLANATIO

ADDE *tertium* ʒ quia duo protulimus. AD *nihilum omnia recidant* ʒ id eſt, quae nullius momenti eſſe omnia uideantur. IN *quadrum redigas* ʒ id eſt, in aptiſſimam, & congruentiſſimam ſenſibus clauſulam: idq. Gracchi minime numeris utendum docet exemplo. HOC *modo* ʒ ſubaudi, numeroſe: Nemo, inquit, ita ineptus eſt, & delirus, qui potius concinne non cupiat dicere ſi poſſit. ITA *facti ſunt repente Attici* ʒ ironicos, Dum, inquit, numeris uti neſciunt: & quia Thucydides, aut Herodotus Attici numeris uſi non ſunt, quoniam per id tempus nondum numerus cognitus erat, ſe putant Attice loqui, & repente ſe factos Atticos: & quia numeris non utantur, rem ſtatim confectam putant. SIQVIS *Phidiae clypeum diſſoluerit* ʒ in eius medio Phidiae caput fuit: ſed ſtatua Mineruae, ſicut ſuperius oſtendimus. VT *in Thucydide, orbem modo orationis deſidero* ʒ in Thucydide, inquit, ſolum deſidero numerum: cetera ſiquidem mihi uidentur abſolutiſſima. ISTI ʒ ac ſi dicat, Homines ineptiſſimi, qui ſe Atticos faciunt. NON *clypeum, ſed ut in prouerbio eſt* ʒ ſenſus eſt, Thucydides, uel ſiquis alius Thucydidaeo more locutus, grauiſſimis ſententijs, electiſſimis, grauiſſimisq. uerbis quod numeroſe, ſi in ordinem ducatur, efferri potuit, non effertur: ſed diſſolui, traijciq. numerus uidetur. Is iure Phidiae clypeum diſſoluere dici poteſt: ſiquidem eius grauiſſime dicta, pulcherrimaeq. ſententiae minime clypeo uidentur poſſe comparari. Qui autem ineptiſſimis uerbis ineptiſſimas deuinciunt ſententias, ſiquando iactantiae cauſſa ſimiles Thucydidi, quod numeris non utantur, uideri uelint: & perinde, quae numeroſe efferri poterant, diſſoluunt: non illi, inquit, Mineruae clypeum, ſed ſcopas, ut in prouerbio eſt, diſſoluere iure dici poſſunt: ſtolidiſſimi, qui hoc uno, quo illi deliquerunt, uideri uolunt ſimiles eis, qui nullam eorum uirtutem, in quibus maxime probari ſolent, aemulentur. aut certe cum etiam poſſint, non iniuria diſſoluere ſcopas dicuntur: quoniam eorum dicta non clypeus Mineruae ſunt, tamquam longe ab eo abſint, ut iam, quae loquantur, ſcopae dici poſſint. ETSI *humilius dictum* ʒ quoniam nihil uidetur abiectius ſcopis. ATQVE, *ut plane genus hoc* ʒ ſenſus eſt, Quod ſi genus hoc dicendi non probant, ſcribant igitur Socratis more aliquid, & quantumuis diſſoluant: tunc credemus poſſe & haec, & alia quaeuis factitare. QVO *Aeſchines* ʒ ſubaudi, Socraticus: uel etiam qui Demoſthenis inimicus: uel quo ſcripſit ipſe Demoſthenes modo. FACILIVS *eſt enim apta diſſoluere* ʒ quia facilius eſt delinquere, quam bene uiuere: facilius a circuli centro abſcedere, quam ipſum centrum inuenire. RES *autem ſe ſic habet* ʒ ſuam nunc Cicero de ſcribendi iudicio effert ſententiam. ETIAM *plerumque prudentes* ʒ poſſibile ſiquidem eſt, ut multi ſenſus, magnaeq. prudentiae, eximijsq. iudicij ſis: & tamen dicendi genus nullum habeas. SI *liceat* ʒ quoniam non ſemper opus.

CICERO

HABES meum de oratore, Brute, iudicium: quod aut ſequere, ſi probaueris; aut tuo ſtabis, ſi aliud quoddam eſt tuum. in quo neque pugnabo tecum; neque hoc meum, de quo tantopere hoc libro aſſeueraui, umquam affirmabo eſſe uerius, quam tuum. poteſt enim non ſolum aliud mihi, ac tibi, ſed mihi ipſi aliud alias uideri. nec in hac modo re, quae ad uulgi aßenſum ſpectat, & ad aurium uoluptatem, quae duo ſunt ad iudicandum leuiſſima, ſed ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inueni, firmius quod tenerem, aut quo iudicium meum dirigerem, quam id, quodcumque mihi quamſimillimum ueri uideretur, cum ipſum illud uerum in occulto lateret. Tu autem, uelim ſi tibi ea, quae diſputata ſunt, minus probabuntur, ut aut maius opus inſtitutum putes, quam effici potuerit; aut, dum tibi roganti uoluerim obſequi, uerecundia negandi, ſcribendi me impudentiam ſuſcepiſſe.

EXPLANATIO

HABES *meum de oratore, Brute, iudicium* ʒ mos Ciceronis ita libros concludens, Habes: uel, Haec fuerunt. SI *aliud quoddam eſt tuum* ʒ quod tu ſolus tibi inueneris. poteſt enim non ſolum aliud mihi, (quoniam mutari hominis prudentia conſueuit) aut aliud alio tempore uideri: alioqui ne Cicero quidem tot libros nobis rhetoricos reliquiſſet: neque, ut fecit, emendaſſet, quae antea ea multa tenenda pronunciarat. QVAE *ad uulgi aſſenſum ſpectat* ʒ ſtudium enim oratoris totum ad multitudinis imperitae iudicium relegatur. SED *ne in maximis quidem rebus* ʒ quae altiſſimo reguntur conſilio. QVIDQVAM *inueni firmius* ʒ quod minus poſſet imitari. QVAM *ſimillimum ueri uideretur* ʒ id eſt, probabile. nam quaenam, quaeſo, diſciplina iam eſt, quae maxime hoc non ſequatur, praeter Mathematicas diſciplinas, in quibus etiam inuenias aliqua aliquando, quae & ipſa quoque ueri ſimilitudinem, atque umbram ſequatur. Quae certe proferrem, nec ullus eſſet labor, ſi mihi id modo propoſitum eſſet. MAIVS *opus inſtitutum putes* ʒ quia, quod numquam fuit, aut dubium ſit, eſſe ne poſſit, nos aggreſſi fuerimus oſtendere: quae certe quam magna ſint, uix etiam cogitatione poteſt acutiſſimi quilibet ingenij proſpicere.

LAELIO · GAVARDO
PRAEPOSITO
D. ZENONIS
PAPIAE
AMICORVM . OPTIMO

EXIGVVM munus, non exiguo amore compenſetur. Iure a me fit, optime Laeli, ut Tibi maximum beneuolentiae meae indicium uel paruo declarem argumento. quod quamquam Tu non neceſſarium iudices, qui amicitiam noſtram, atque adeo affinitatem, altis radicibus, & ſatis firmis fundamentis innixam putes, eſt tamen, cur ego, meo ſenſu non contentus, apparere uelim in Tuo nomine hoc, qualecumque eſt, μνημόσυνον. Ego uero, ſi, quae Tibi officia debeam, recenſere uellem, areſcere mihi uel optimum ipſum genus dicendi iudicarem. neque ullam eloquentiam eſſe tantam exiſtimo, quae Tuis meritis reſpondeat. factis quippe uerba non aequiparanda. Quo fit, ut auitam iam, ne dicam paternam amicitiam, ad nos transfuſam, & quaſi per manus traditam, mutuisq. meritis, & officiis hinc inde fultam, mihi ſancte tuendam cenſeam. hoc Tuae uirtutes poſtulant. hoc amicitiae uinculum, quo inter nos adſtringimur, cuiq. uix par reperiri poſſe affirmo, exigit. Fac igitur, ut, quo me amore huc uſque amaſti, amare pergas: neque quidquam cogites pro Te a me poſſe fieri, quo uoluntati meae plene ſatisfaciam. Id ſi credis, (quod Te credere non dubito) maximum amoris fructum recipere me, laetabor; qui in Tua beneuolentia meliorem uitae

meae partem ſitam eſſe debere iamdiu ſtatuerim. Viue, &, dum uiuis, uiue, meiq. memor uiue.

Venetiis. ex iiſdem aedibus. Idib. Febr. CIↃ IↃ XXCIII more Veneto. quo ego die XXXIIX. ingredior annum.

Tibi fraterna beneuolentia coniunctus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.

IN

M. TVLLII. CICERONIS DE. OPTIMO. GENERE ORATORVM

Io. Antonij Viperani Commentarius.

CVM auditorum opinione laus eloquentiae contineatur; nam,qui probari uolunt, orationem formant ad eorum, qui audiunt, uoluntatem; certe id genus dicendi maxime laudandum eſt,quod eorum commendationem habet, quorum prudens eſt,ſincerumq. iudicium,nihil ut poſſint uiſi incorruptum,& elegans audire: quale Athenienſium fuit; ita ut,qui benedicerent, Attice dicere crederentur. Nam abundantia uitioſa Aſiaticorum fuit,& conciſa breuitas Spartarum; aliis quoque nationibus apta quaedam,& conueniens ſuis artibus,& ingenio dictionis nota placuit; incorrupta uero,& ſanitas excellens orationis forma Atticorum eſt propria: qui prae ceteris habentes aures teretes,& religioſas,atque intelligens,ſapiensq. iudicium ueram, & perfectam eloquentiae ſpeciem cognouerunt. Ceterum M. Tullius (& quidem inuidiae facibus inflammata ſunt omnia) cum tamquam Aſiaticus morderetur ab iis, qui Atticorum eloquentiam ſua tenuitate,& ſiccitate metiebantur,ut illorum inſaniam praeſtantiſſimoram Oratorum auctoritate coargueret, Aeſchinis, & Demoſthenis inter ſe contraria, ac longe optimas orationes conuertit: quarum uidelicet exemplo aperte intelligerent Attici eſſe orationem ad id, quodcumque decet accommodare, & humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperate dicere: alioquin ſi ornate,grauiter,& copioſe dicere non eſt Atticorum, ne Aeſchines quidem,& Demoſthenes Attici fuerunt; cum iidem grauiter,& ornate dixerint. Sed,priuſquam orationum argumenta explicaret,& cauſſam,quae in iudicium ducta eſt,paucis de Optimo genere Oratorum, & abſoluta eloquentiae forma diſſeruit,quo perfecti Oratoris facies ab iis cerneretur,qui Attici, hoc eſt,excellentes,atque optimi Oratores dici uolebant: quam quidem pluribus in Oratore ad Brutum expreſſit. Et,quoniam cuiuſque rei quaedam eſt forma, quam ideam Plato uocat,quae nullo ſenſu percipitur, cogitatione tantum,& mente comprehenditur; Oratoris quoque ſua eſt ſpecies,& quaſi figura; quam doctiſſimi uiri animo quidem uiderint, ſed in nullo conſpexerunt. Siquidem perfectionem ipſam rerum ob imbecillem humanae naturae condicionem aſſequi non poſſumus: uerum hoc magis quiſque aliis excellit, quo magis ad eloquentiae perfectam ſpeciem uim ſuam accommodat. Atque,ut poetae cum alicuius ducis perſonam fingunt, Imperatoris egregiam formam,quae in animo inſidet, contemplantur,ad cuius ſimilitudinem actiones illius referunt; utq. etiam Poetis affines pictores pulchram aliquam mulierem depingentes ad excogitatam pulchritudinis ſpeciem artem,& manum dirigunt; ſic boni Oratores eloquentiae figuram ante oculos ſibi proponũt, ad quam dictionem ſuam dedueunt. Quare non eſt intelligentis hominum facultate non illarum uirtute rerum praeſtantiam circumſcribere; nec quid in re optimum ſit quaerere,ſed quid in homine ſit dicere; & rem unam genere ex hominum ingeniis,& diſſimilitudine in plures formas diſtinguere. Itaque prudenter Cicero primum docet eloquentiae unum & perfectum genus eſſe, non in plures formas ſecari, ſicut poetica in plures ſpecies certis, propriisq. differentiis inter ſe diſiuncta ſecernitur; deinde quale illud ſit, ac cui ſimile demonſtrat; poſtremo de ſe ipſo pauca,& modeſte diſſerit,ac ſimul cauſſam reddit,cur duorum praeſtantiſſimorum Oratorum orationes conuerterit, & quo pariter modo, ac ratione in Latinum tranſtulerit oſtendit. Inquit igitur.

CICERO

ORATORVM *genera eſſe dicuntur tamquam poetarum. id ſecus eſt.*

EXPLANATIO

GENVS pro ſpecie, ſiue forma ſaepe dicit Cicero, atque etiam interdum Ariſtoteles; quoniam ab ipſa quoque forma tamquam a capite res plures deducūtur. Licetq. Orator poetae finitimus ſit & uerborum ornamentis, & numerorum concinnitate, non tamen, ut poetarum ſunt inter ſe natura, & ui diſtinctae, ac perfectae formae, ſi etiam ſunt Oratorum; cum eloquentiae ſit una tantum abſoluta, & perfecta figura. Nec me fugit uel ipſummet Ciceronem in Oratore, quem ad Brutum ſcripſit, affirmaſſe totidem Oratorum genera reperiri, quot orationum eſſe dixerat; ſed cum Oratorum genera dixit, non addidit ut poetarum, hoc eſt, quod quis uel tenuitate ſola, uel grauitate, uel mediocritate orationis perfecti Oratoris nomen, & laaudem conſequatur, quemadmodum poetarum in ſuo quiſque genere perfectus eſſe, ac iure dici poteſt: uerum Oratorum genera dixit, quod nimirum in ſingulis dicendi generibus aliqui floruiſſent. Quare aliter Poetarum, & Oratorum genera ſeſe habent.

PAVLLVS. MANVTIVS. HIc liber, Cariſij teſtimonio, cui ſane multum tribuo, (nam Pedianus in argumento orationis pro Milone, ita loquitur, ut non affirmet) Ciceronis eſt: mutilus tamen mihi uidetur. nam & ſuſpectam habeo breuitatem nimiam: & illa pars de conuerſis duabus Graecis orationibus Demoſthenis, & Aeſchinis, nullam cum hoc libro ſocietatē uidetur habere poſſe. aut enim prooemium hoc eſt, praepoſitum duabus illis oratiouibus; aut liber eſt de optimo genere Oratorum. ſi prooemiū: quorſum illa de Graecis Oratoribus? quae, ſi Cariſio credimus, ad librum pertinent, ſin liber eſt: unde illa de conuerſione orationum? Praeterea, in parte, quae ad oratores pertinet, oratio ſignificatur pro Milone habita, Cicerone iam ſeneſcente: at illas duas orationes non ſenior, ſed adoleſcens potius conuertiſſe Cicero uidetur. ideoq. diuus Hieronymus non admodum in ea conuerſione Ciceronis probauit induſtriam.

CICERO

NAM *alterum eſt multiplex.*

EXPLANATIO

EORVM enim, quae hic conferuntur, alterum genus, poema inquam (neque enim relatum nomen antecedentis terminationem ſemper, ſed interdum uim, & ſignificationem reſpicit) in plures inter ſe differentes ſpecies diuiditur. Hoc equidem ſignificat multiplex eſſe.

CICERO

POEMATIS *enim tragici, comici, epici, melici etiam, ac dithyrambici, quod magis eſt tractatum a Latinis, ſuum cuiuſque eſt diuerſum a reliquis.*

EXPLANATIO

POEMA nomen Graecum eſt a ποιεῖν deriuatum, quod tum facere, tum fingere ſignificat: unde & factores & fictores tum uerborum, tum rerum poetae uocantur: uerumtamen, qui humanas actiones imitatur, & illas explicat uerſu, tum ab orationis, tum a rerum praeſtantia poeta ἀντονομαστικῶς appellatur. Eius fictio poeſis dicitur, opus uero poema, id inquam, quod factum, effictum ue eſt: ſed & poeſis ſaepe pro poemate, & pro poeſi poema accipitur. Qui uero poema uel paruum aliquod opus poetae, uel particulam quandam poeſis eſſe putat, non ſatis probatur, cum Ilias Homeri a doctiſſimis uiris poema nuncupetur. Eſſe autem poeticae plures formas clarum eſt: ſed qui ex diſſimilitudine carminum poeſim in plura genera ſecant, uim eius nullam attingunt: nempe cuius forma, & (ut loquitur Ariſtoteles de Poetica) anima ſit fabula, ſcilicet humanarum actionum imitatio. Rectius a laudatione, & uituperatione poetarum genera deduxeris: quandoquidem poeta eſt humanarum actionum imitator; humanae autem actiones aut bonae ſunt & laudabiles, uidelicet quae a uirtute proficiſcuntur; aut malae & uituperandae, quae cum uitiis coniunctae ſunt. Ex laudatiuo genere primum melici exſtiterunt, qui deorum, uirorum, & heroum precationes, & laudem ad lyram concinebant: maxime uero Bacchi numen, & uirtutes celebrabant; a quo dithyrambici uocati ſunt; quoniam ille dithyrambus, quaſi bis natus, atque e duobus locis, e Semeles inquam uentre, & Iouis femore ortus diceretur. Et hoc eodem genere Epici emanarunt, qui illuſtrium uirorum res bene geſtas ſine ulla ſaltatione, & harmonia ſolo carmine hexametro utentes explicant. Ex melicis, ſiue dithyrambicis profecti ſunt tragici, qui fictis perſonis agenda omnia committunt, Nam, cum primum Bacchi de regibus uictorias per agentes perſonas in ſcena referre conſueuiſſent, in aliorum deinde regum calamitates iuere, inducta forma grauiore, & aucto nume-

ro perſonarum, & inuento loci ornatu, & ſcenae cultu commodiore. Quapropter Ariſtoteles a dithyrambica natam eſſe tragoediam affirmat. Ex illo altero ad reprehendendum comparato genere profecta eſt comoedia primum uetus illa, in qua licebat omnes uel nominatim uellicare: cui ob nimiam maledicendi licentiam media, ac poſtremo mediae noua ſucceſſit captans undiq. iocos, & riſus, ac ſublato penitus choro, penes quem erat iſta maledicendi licentia. Itaque poetica in haec genera Epicum, Tragicum, Comicum, & Melicum diuiditur: quod a lyrae ſuauitate, ad quam accinebatur, etiam lyricum nominatum eſt. Ariſtoteles hoc genus a praeſtantioris Dei laudibus dithyrambicum uocauit, aut quia maior imitatio in eo cerneretur: & quidem (ſi Tzetzi credimus) olim dithyrambici ijdem erant cum melicis aliquanto tamen altiores: at Cicero melicum a dithyrambico propter illius forte orationis tumorem, & grauitatem ſeparauit. Ne autem crede illis uerbis Ariſtotelis, τῆς ἀυλητικῆς ἡ πλείςη, καὶ κιθαριςικῆς, melicam poeſim notari, ſed quandam muſicam imitationem affinem poeticae, quae uel citharae ſono fit, uel tibiae, non cuiuſcumque, ſed eius, quae ad imitandum idonea eſt. ſiquidem iſtam ſpeciem imitationis ipſemet Ariſtoteles carminis expertem eſſe inquit. at qui nulla poeſis expers eſt carminis. Declarata poeticae diuiſione, cuiuſque generis natura paucis explicanda nunc eſt: nimirum quae ſit cuiuſque notatio, materia, & dictio, quam Graeci λέξιν appellant. TRAGICI § Tragoedia dicta eſt quaſi τράγου ᾠδὴ, quod hircus, Graece τράγος, uictori daretur; unde Horatius:

Carmine qui tragico uilem certauit ob hircum;

uel, quod praemium eſſet uter hirci muſto plenus; uel ab ipſo uino, quod τρὺξ olim uocabatur; uel quia ſcenici ante perſonarum uſum ab Aeſchylo repertum ora faecibus, τρύγες Graece dicuntur, perlinebant; unde etiam ſcripſit Horatius:

Ignotum tragicae genus inueniſſe Camoenae
Dicitur, & plauſtris uexiſſe poemata Theſpis,
Quae canerent, agerentq. peruncti faecibus ora.

uel ſic dicta, quod τραχείας ᾠδὰς, hoc eſt, aſperos cantus habeat. nam tragoedia in exprimendis regum calamitatibus potiſſime uerſatur: &, licet prius res ſecundas etiam habuiſſet, tamen ubi in terrorem, & commiſerationem ſe totam intendit, niſi principum calamitates & infortunia complecti noluit. Hinc quondam Euripides a rege Archelao rogatus, ut de ſe tragoediam ſcriberet, abnuiſſe dicitur, ac Deos precatus, ne ipſi regi aliquid accideret, quod eſſet proprium tragoediae. Itaque nonnulli tragoediam eſſe finierunt heroicae fortunae in malis comprehenſionem. Eius dictio tota grauis eſt, ornata figuris, plena ſententijs: quae metrum iambicum ſibi aptauit; quod alternis ſermonibus maxime idoneum eſſet, ac natum (ut Horatius loquitur) rebus agendis. Nam in iambis minor eſt ſonus, minus ue ſentitur, quiq. in orationem ſponte nec accerſiti frequentes adueniunt. COMICI § comoediam uel ἀπὸ τοῦ κώματος, hoc eſt, a ſopore, quod ſomni tempore actitaretur; uel a κωμάζειν ἐν ταῖς ὁδοῖς, quod eſt in uijs laſciuia efferri, & in alios maledicta torquere, ac ſe inuicem carpere, uel a κωμάζειν καὶ ᾄδειν, hoc eſt poſt comeſſationem canere; uel ἀπὸ τῆς κωσμῆς, id eſt, uico dictam exiſtimant, quod in uicis prius ageretur, quam fuiſſet in urbem illata: quin etiam omnes fabulae dramaticae, quae per agentes perſonas in ſcenis fiunt, hoc ipſo nomine deſignabantur. Ei materiam praebent res priuatae, & ciuiles, quarum ſecundus eſt exitus. unde finitur ἰδιωτικῶν, καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχὴ, hoc eſt, ciuilis & priuatae fortunae (ſic enim Latinorum quidam finiunt) in bonis comprehenſio. & cum prius maledictis gauderet (ut antea diximus) poſtmodum ſublata maledicendi licentia totam ſe ad iocos, & ſales conuertit. Quare eius oratio gracilis breuis, ac ſaepe conciſa eſt, & quam pauciſſimis diſtincta ſententijs, atque iſs, quae ad uulgarium hominum opinionem accommodatae, & in frequentiore uſu, & in communione uitae poſitae ſunt. Vtitur uero metro iambico eandem ob rationem, ob quam illud acceptum a tragoedia fuiſſe recenſuimus. Proinde Horatius in arte poetica:

Hunc ſocci cepere pedem, grandesq. cothurni
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

Tamen Latina pedes diſſoluit, ne aut harmonia, ſiue concinnitas maior, quam tenuiorum ſermones, & colloquia deceat, ſentiatur, aut grauitas ulla carminis ſuſpecta ſit: ni Latinorum deſidia, & incuria id factum dicamus. Admittit quandoque trochaicum, quoniam eſt interuallis iambo par. Nolim te interim lateat per ſoccos notari comoediam, per cothurnos uero tragoediam. Nam ſoccus erat humile quoddam genus calceamenti, quo pedi reticulis alligato comoedi, nimirum actores comoediae utebantur: cothurnus uero calceamenti genus (ut aliqui tradunt) ſuppoſito ſubere altum, quod tragoedi pedum ſuris uinctum geſtabant. EPICI § ut a tragoedia tragici, & a comoedia comici, ſic ab epopoeia epici nominantur. Epopoeia uox eſt ab ἔπος & ποιεῖν compoſita: ἔπος modo uerbum, modo carmen. ποιεῖν nunc facere, nunc fingere ſignificat: unde epopoeia tam uerborum carminum ue compoſitionem, quam omnem imitationem uel ſoluta oratione, uel metris expreſſam deſignat. quare tum dialogorum compoſitores, tum omnes poetae ipſa generali uocis ſignificatione poſſunt epici uocari. Sed carmen hexametrum propter grauitatem, & maieſtatem ipſum generale nomen arripuit; & hexametri carminis conditores epici nominati ſunt. Ac uero etiam hexametrum carmen heroicum nuncupatum eſt, quod eo res geſtae ab heroibus, & regibus grauiter ſcriberentur. Sed neque omne hexametrum heroicum eſt, uerum quod habet grauem grauitati rerum conuenientem dictionem, electis uerbis & illuſtribus ornatam, uerborumq. apta compoſitione ſonoram. Neque ſolum propter rerum, quas tractat, grauitatem epopoeia hexametrum elegit, quoniam alium, grande, ſtabile, ac longiore uocis ambitu conſonantius eſſet, uerum etiam quod longa rerum narratio non poſſet alio carmine, quam hexametro melius, & commodius,

modius, ſicut Ariſtoteles in Poetica ſentit, explicari: atqui epopoeia tota conſtat narratione. Eius materiam, & carmen illis uerſibus Horatius in arte poetica complexus eſt:

Res geſtae, regumq. ducumque, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtrauit Homerus.

Melici } μέλος eſt Graeca uox cantum ſignificans, e qua melicum nomen ducitur. Quare omnes poetae quaſi cantores primum melici appellati ſunt; ſed proprius ea carmina, quae cum fidium, ac tibiarum modulatione conſociabantur, melica nuncupata ſunt; qualia ſunt lyricorum poetarum, & dithyrambicorum. Sed & ipſi lyrici cantilenas ſuas μέλη, & ᾠδάς uocitarunt. Itaque ob praeſtantiam cantus lyrica poeſis melicae nomen obtinuit, ac proprium effecit, cuius erat ſignificatio communis. Melicae poeſi ſubiectam materiam ſatis apte Horatius mihi deſcripſiſſe uidetur.

Muſa dedit fidibus diuos, puerosq. deorum,
Et pugilem uictorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera uina referre.

Eius uero numeri uarij ſunt, ac multiformes, ad lyricam harmoniam, & ſaltationem idonei: oratioq. florens, picta, ſuauis, expolita, omnibus uerborum, & ſententiarum leporibus adſperſa, temperatum dicendi genus maxime perſequens. Dithyrambici } Dithyrambicum poema ſolius Bacchi laudes amplectitur, a quo etiam nomen accepit: quoniam ille, quod bis natus crederetur, ſemel e Semele, iterum ex femore Iouis, ac quaſi duas ianuas, θύρας Graeci uocant, penetrarit, talem appellationem ſortitus fuit. Ac dithyrambici carmen multiplex erat, & uarium, a Bacchica ſaltatione minimum abhorrens, uerbis conſtans nouis, grandibus, longis, audacterq. compoſitis; ſicut de Pindaro inquit Horatius lib. carminum 4. od. 2.

Seu per audaces noua dithyrambos
Verba deuoluit.

Sed non poſſum mecum ipſe non uehementer mirari, quod, cum Cicero illud dicat a Latinis magis tractatum fuiſſe, ita prorſus exſtinctum ſit, ut ne ueſtigium quidem ullum appareat, quo, quale omnino fuerit, coniicere poſſimus. Sed neque multa melicorum ante Horatium apud Latinos exſtant exempla. quare illud aduerbiũ. Magis } ad melicum ſolum quiſpiam retulerit. Haec de cuiuſque poematis genere dixi quidem breuiter: ſed ad Ciceronis ſententiam explicandam non erat meo iudicio dicendum pluribus; cum praeſertim de toto genere poematis, atque eius formis in illis, quos De Poetica libros ſcripſi, copioſe diſſeruerim. Senſus autem Ciceronis eſt, Poeticam in plures formas diuidi, quae inter ſe ui, & tractatione diſtant. atque hoc uerba illa ſignificant. Svvm *quoduis eſt diuerſum a reliquis* } ideſt, cuiuſque natura diuerſa eſt ab aliis: nempe genere, ſeu ſpecie differunt; quoniam unumquodque propriam habet differentiam. Quae poematim diſcrimina ſatis ſuperq. nobis explicaſſe uidemur.

CICERO

Itaqve *& in tragoedia comicum uitioſum eſt, & in comoedia turpe tragicum.*

EXPLANATIO

Comicvm } quodcumque eſt comoediae proprium. Vitiosvm } reprehendendum. Tvrpe } indecorum. Tota uis argumentationis in hoc uerſatur, quod formae, quae ab eodem genere manantes certis, propriisq. differentiis diſiunguntur, permiſceri nullo modo poſſunt: multum ſiquidem inter ſe differunt; ſicut rationis capax animal longo interuallo diſtat ab experte: quandoquidem ſola differentia ſpeciem conſtituit, atque ab alia quamque forma ſeiungit. Quare poeticae formarum altera in alterius conſocitationem uenire non poteſt, ut quae propriam habeant, diſtinctamq. naturam. Quando igitur uirorum illuſtrium actiones tragoedia imitatur, & comoedia humilium, indecorum eſt, ac uitioſum, repugnansq. cuiuſque naturae, ſi aut comicae res, & iocoſae in tragoedia excitentur, aut in comoedia tragicae perturbationes adhibeantur: ſicuti apud Plautum in Ciſtellaria Alceſimarchus adoleſcens cum gladio in ſcenam inducitur ſibi ipſi necem conſciturus. neque ſolum diuerſa actionum illuſtrium, & humilium imitatione comoedia, & tragoedia differunt, ſed etiam in oratione. Nam tragoedia graui, & ſublimi oratione utitur, comoedia uero ad uſitatam fere puri ſermonis conſuetudinem ſeſe dimittit. Rebus enim par eſſe debet, atque aequalis oratio. Quamobrem, ut inquii Horatius in arte poetica:

Verſibus exponi tragici tes comica non uult:
Indignatur item priuatis, ac prope ſocco.
Dignis carminibus narrari cena Thyeſtae.
Singula quaeq. locum teneant ſortita decenter.

& Quinctil. lib. 10. c. 2. ait, Sua propoſita lex, ſuus cuique decor eſt: nec comoedia in coturnos aſſurgit, nec contra tragoedia ſocco ingreditur. Et quamuis tragoedia nonnumquam orationem attenuet, cum premit dolor, & attollat comoedia, cum ira dicentem exagitat, ſicut aſſerit idem Poeta ibid.

Interdum tamen & uocem comoedia tollit,
Iratusq. Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumq. dolet ſermone pedeſtri.

tamen ita ſe illa erigit, ac contra iſta demittit, ut non omnino condicionem ſuam oblita uideatur; ſed & res, & uerba genuinam quandam indolem, & proprietatem cuiuſque redoleant. Neque ſolum in comoedia, & tragoedia, ſed

CICERO

ET in ceteris ſuus eſt cuiuſque certus ſonus, & quaedam intelligentibus nota uox.

EXPLANATIO

CICERO de poetica locutione maxime loquitur, cum de orationis generibus diſputat: in qua uerba conſi derantur primo ſimplicia, deinde coniuncta. Simplicium quaedam ſunt ui ſua grauia, quaedam humilia, quaedam lenia, quaedam aſpera, quaedam nitida, quaedam obſcura, quaedam canora, quaedam languida, quaedam ornata, quaedam inculta. & quidem unaquaeque poeſis apta ſibi uerba eligit, ut comoedia humilia, nulliſq. luminibus illuſtrata; melica poeſis nitida, & iucunda; dithyrambica altiora, & ſono grauiora, & compoſitione audaciora; tragoedia, & epopoeia ornata, & grandia, ſed haec tamen conſonantiora. At coniuncta pro uaria numerorum dimenſione reddunt modo grauem, modo humilem, modo temperatum ſonum. Eſt enim numerus quidquid ſub aurium menſuram cadit; aures ſyllabarum interualla menſurant, breue interuallum dicimus, cuius concitatior eſt ſonus; cuius uero productior, longum; praeſcripta ſyllabarum diſpoſitio pes eſt; pedum uero rata coniunctio a menſura metrum nuncupatur. Ergo metrum in definita uocum contractione, & incitatione conſiſtit: quod certis interuallis concluſum pro diuerſa numerorum dimenſione, ac diſſimili longorum, & breuium interuallorum percuſſione diuerſos accentus, & ſonos emittit, a canendo a Latinis carmen appellatum. Iam epopoeia propter grandiorem, & ſtabiliorem, ac narrationi conuenientiorem ſonum hexametro utitur; tragoedia uero, & comoedia (ut dictum eſt) iambo colloquiis commodiore; ſed comoedia ut metri grauitatem, cantum ue remittat, & ad communem loquendi conſuetudinem magis accedat, pedes diſſoluit, tragoedia ſuam retinens grauitatem, lyricam ſuauitatem, & concentum fugit. Ceterum melicae, ac dithyrambicae uarii ſunt numeri uariae ſaltationi, & harmoniae aptiores. Hinc cuiuſque poematis inter ſe diuerſos, & in ſingulis certos ſonos aurium ſenſu percipimus. QVAEDAM *intelligentibus nota uox*; ſonus eſt, qui ex aeris percuſſione ſentitur; uox ſpecies ſoni eſt, nimirum rei anima praeditae ſonus, atque alicuius rei ſignum, aut inſitum a natura, aut pro hominum libidine impoſitum: interdum etiam uox orationem ipſam ſignificat. Ac ſane cuiuſque poematis, tum ſonus, ſiue uox, tum etiam dicendi modus, ſiue locutio, φράσις Graece dicitur, niſi ab intelligentibus, & iis, qui in illo genere uerſati ſint, cognoſci non poteſt. Profecto aliena (ut ſentit apud Ciceronem Antonius de Oratore in lib. 1.) poetae lingua, & inter ſe quoque diſſimili loqui uidentur.

CICERO

ORATORVM autem ſi quis ita numerat plura genera, ut alios grandes, aut graues, aut copioſos, alios tenues, aut ſubtiles, aut breues, alios eis interiectos, & tamquam medios putet; de hominibus dicet aliquid, de re parum.

EXPLANATIO

TRIA eſſe genera dicendi omnes dicendi magiſtri tradiderunt: ea Graeci ſatis apte χαρακτῆρας appellant. ſiquidem χάρακτήρ, quod nomen a uerbo χαράσσειν deriuatur, notam, figuramue ſignificat: rerum autem notae uerba ſunt: iſta enim (Fabius inquit lib. 3. cap. 5.) ſignificant, illae ſignificantur. quare dictio, quae rei proprietatem notat, recte χαρακτὴρ nuncupatur; ab aliquibus quoque ſtylus dicitur, a nonnullis idea locutionis, a Cicerone in Oratore forma, genusq. dicendi. Ac ſane res alia grandis, & magnifica, alia humilis, tenuiſque, alia mediocris eſt: unde alia forma dictionis eſt grauis, alia gracilis, alia temperata. Primum illud dicendi genus Graeci ἁδρὸν uocant, Latini robuſtum, grande, graue, copioſum, uber, amplum; alterum ἰσχνὸν illi nominant, noſtri gracile, ſubtile, tenue, breue, humile, ſubmiſſum, attenuatum; tertium μέσον illi, quia ex duobus, noſtri temperatum, mediocre, medium, intermedium, interiectum utriuſque particeps, nonnumquam etiam floridum, quoniam Graeci ἀνθηρὸν quoque illud nuncupant. Licet inter has tres enumeratas orationis quaſi formas alias poſſe conſtitui Fabius ſcribat lib. XII. cap. X. tamen ad eam, cui magis propinqua eſt, ſemper unaquaeque refertur. Porro gracilis generis propria eſt uenuſta ſubtilitas: quod acutis frequens ſententiis, & ſine ulla elaborata concinnitate elegans ſolam diluciditatem, & latinitatem amat; non ullum delectationis aucupium ſequitur, ſed figuris parcius utitur, & tranſlationibus uerecundius, niſi his, quae uel ſermoni uulgari communes ſunt; nec uerba uerbis coagmentare curat, neque numerorum ſonos, neque rerum, & uerborum flores cutioſius ſectatur. Vitanda tamen illi ieiunitas eſt, ſiue ſiccitas, ſiue ariditas; ut ne (quemadmodum Horatius monet in Arte poetica) deficiant ſectantem leuia nerui. quamobrem

Serpat humi tutus nimium, timiduſq. procellae.

In quod uitium quaſi ſcopulum incidet, ſi uerbis rem minuat, & ſe nimis praeciſo, atque anguſto circuitu, periodoue concludat. Sed alti propria eſt dignitas, & amplitudo: quod ponit uerba grandia, & tranſlata, & ſuperlata, & idem ſignificantia, & contentione iterata, & litteris immutata, & ad nomen adiuncta, atque duplicata,

&

& relata, & paria, & concluſa ſimiliter, & eodem pacto cadentia, & quae ab ipſa actione rerum, atque imitatione non abhorrent: amplificationibus extollit orationem, & ui ſuperlationum quoque erigit. atque etiam rempubl. facit loquentem, & mortuos excitat, & aceruatim multa frequentans una complexione deuincit. Quare uerba coagmentans, & numeris grauibus, & figuris uerborum, ac ſententiarum illuſtribus utens tum ornate, & copioſe dicit, tum iram, & miſericordiam, atque omnes affectus inſpirat. Quo in genere fugiendus eſt tumor, ſiquidem ſaepe, ut refert Horatius, ibid.

—— profeſſus grandia turget.

Id quod equidem fit, dum quis inſolenter exſultat, & impudentius id affectat, quod aſſequi non poteſt. Sane oratio ex nimia uehementia fit inſuauis, qualem Thucydidis orationem Hermogenes eſſe cenſuit, & ex nimia diligentia elumbis, cuiuſmodi orationem Iſocratis idem cenſor eſſe iudicauit. atque, ut ſiccitatis mater eſt negligentia, ſic tumoris (ut hoc uerbo utar) affectatio. Temperatum uero plenius humili, ſubmiſſius copioſo, utriuſque particeps, uel potius (quemadmodum ſentit Cicero in Oratore) expers eſt. huic lepores omnes orationis, & rerum, & uerborum lumina conueniunt. tranſlationibus eſt crebrius, figuris iucundius, egreſſionibus amoenum, compoſitione aptum, ſententijs dulce, lenius tamen, & (ſicut ait Fabius lib. XII. cap. X.) ut amnis lucidus quidam, & uirentibus utrimque ſiluis inumbratum. Eius uitium eſſe trepidationem dicunt, ne inconſtans ſibi ipſi, & uarium ſit, dum imprudenter ab utroque fugit. Quae uarietas orationum in tribus illis philoſophis Carneade, Critolao, Diogene, qui Romam legati ab Athenienſibus miſſi fuerunt (ut auctor eſt A. Gellius lib. VII. cap. IIII.) animaduerſa eſt. Nam Carneades uiolenta, & rapida, Critolaus ſubtilia, & teretia, Diogenes modeſta dicebat. Quin etiam in tribus illis ducibus Vlyſſe, Neſtore, Menelao haec ipſa uarietas apud Homerum notata eſt, ἰλιάδ. γ. Nam Menelaus breuiter & ſubtiliter,

Ἤτοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε,
παῦρα πὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
οὐδ᾽ ἀφαμαρτοέπης:

Vlyſſes uero magnifice, & copioſe: cuius uerba grandinibus ſimilia uidentur, ibid.

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ ῥ᾽ ὄπατε μεγάλην ἐκ ςήθεος ἵει,
καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν:

At Neſtor temperate, & ſuauiter dicit, ἰλιάδ. α.

Ἐκ τοῦ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίον ῥέεν αὐδὴ.

IGITVR *Oratorum ſi quis ita numerat plura genera, ut alios grandes, aut graues, aut copioſos* ꝫ qui (utar Ciceronis uerbis in Oratore) cum ampla, & ſententiarum grauitate, & maieſtate uerborum uehementes, uarij, copioſi, graues ad permouendos, & conuertendos animos inſtructi, & parati ſunt: qualem fuiſſe Periclem accepimus; qui ab Ariſtophane poeta fulgurare, tonare, permiſcere Graeciam dictus eſt: ALIOS *tenues, aut ſubtiles, aut breues* ꝫ qui acuti ſunt omnia docentes, & dilucidiora non ampliora facientes ſubtili quadam, & preſſa oratione limati: cuiuſmodi Lyſias perhibetur ſubtilis, & elegans, qui ſe ad minutarum genera cauſſarum limauit: ALIOS *eis interiectos, & tamquam medios putet* ꝫ qui nec acumine poſteriorum, nec fulmine uten tes ſuperiorum uicini amborum in neutro excellentes uno tenore (ut aiunt) in dicendo fluunt, nihil afferentes praeter facultatem, & aequalitatem, aut addunt aliquos, ut in corona toros, omnemq. orationem ornamentis modicis uerborum, ſententiarumq. diſtinguunt: in qua orationis forma multi floruerunt apud Graecos, ſed Phalereus Demetrius Ciceronis in Oratore iudicio praeſtitit ceteris; cuius oratio cum ſedate, placideq. loquitur, tum illuſtrant eam, quaſi ſtellae quaedam, tranſlata uerba, atque immutata. DE *hominibus dicet aliquid* ꝫ nam, quicumque alicuius generis uim conſecuti ſunt, magnum in Oratoribus nomen habuerunt. DE *re parum* ꝫ quia naturam eius, & perfectionem non attingit.

CICERO

IN *in re enim, quod optimum ſit, quaeritur; in homine dicitur, quod eſt.*

EXPLANATIO

QVOD *ſit optimum* ꝫ hoc eſt, quae ſit eius uera, & perfecta natura. Optimum enim dicimus, quod in comparatione ſummum eſt, quod eſt perfectum, ac ſuis (ut aiunt) numeris abſolutum, quod omnes (ut ipſemet Cicero paullopoſt definiet) laudes habet. QVAERITVR ꝫ recte dicit, Quaeritur. nam cuiuſque rei natura cognitu difficilis eſt, nec niſi longa diſquiſitione percipitur. DICIMVS *quod eſt* ꝫ nimirum uires, & facultatem, quam in eo eſſe cognoſcimus.

CICERO

ITAQVE *licet dicere & Ennium ſummum epicum poetam, ſi cui ita uidetur, & Pacuuium tragicam, & Caecilium fortaſſe comicum.*

EXPLANATIO

EX his, quae dicta ſunt, primum infert Poetarum in ſuo quemque genere perfectum eſſe poſſe, cum diuerſae ſint formae poematum, atque inter ſe certis, propriisq. differentiis diſcretae; tum Oratorum non

eſſe parem rationem oſtendet, quoniam eloquentiae non eſt, niſi dumtaxat una perfecta ſpecies, & idea; ad quā qui magis uim ſuam accommodat, perfectior is eſt Orator. ENNIVM⸗ is Rhudiis opido Calabriae natus eſt, ac Romae educatus, Scipionibus adeo carus, ut in illorum tumulis ſepultus eſſe credatur. Scripſit heroico carmine Romanorum annales, & de ſecundo bello Punico hiſtoriam. Verum ſi fabula, hoc eſt, humanarum actionum imitatio poetam facit, non autem carmen, alioquin Empedocles, Lucretius, & Lucanus inter poetas cenſerentur, non uideo, cur Ennius inter epicos annumerari debeat, cum hiſtorias ſolum ſcripſerit, & in nulla propria poetae materia, nempe fabula, uerſatus ſit. Ita enim Phalereus Demetrius poetae materiam fabulam eſſe dicebat. Quod ſi poetam a faciendo carmine, non a fingendo uocatum putat, ſicut Fabius Quinctil. & Euſtathius exiſtimaſſe uidetur; nam iſte in Iliade ſcribit ποιεῖν ſignificare carmen facere, ille poetam uocat metrorum compoſitorem, & carmen poema; cur obſecro ſicut ab heroico carmine poetae heroici, uel epici dicuntur, non item iambici ab iambo, & ab elego elegiaci dicentur? Martialis quoque inter poetas recenſeri ſe debere contendet. Quae res, ſi tibi probabilis, & a poeticae facultate non aliena uidetur, uide, quo pacto in quinque ſolum partes a Cicerone poeticam recte diuiſam tuearis. Quamobrem forte Cicero ſubiungit, *Si cui ita uidetur*. Omitto, quod rudis, & impolitus fuit; ut plus religionis ob uetuſtatem, quam pulchritudinis, Quinctiliano teſte lib. 10. cap. 1. habuerit. De cuius ſtercore aurum ſe colligere Virgilius dictitabat: de quo etiam pulchre ſcripſit Ouidius lib. 11. de Triſt.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

PACVVIVM⸗ Pacuuius Brundiſinus fuit, & tragoedias ſcripſit, clariſſimus, Fabij teſtimonio lib. 10. cap. 1. grauitate ſententiarum, uerborumq. pondere, & auctoritate perſonarum: quamquam illum his uerbis Martialis irridet,

Attonitusq. legis terrai frugiferai,
Attius & quidquid, Pacuuiusq. uomunt.

Et Perſius Satyra prima,

Eſt nunc, Bryſeis quem uenenoſus liber Atti;
Sunt, quos Pacuuiusque, & uerrucoſa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.

CAECILIVM⸗ Statiū, natione Gallum, ſecundum aliquos Mediolanenſem, Ennij contubernalem. Huic Volcatius lib. epiſt. 11. epiſt. 12. comicorum palmam defert, eumq. Horatius ceteros grauitate uincere affirmat. FORTASSE⸗ quia, opinor, ipſemet Cicero ad Atticum lib. 7. epiſt. ſcribens illum malum Latinitatis auctorem appellat. Reliquorum duorum generum non meminit, aut quia ſuis temporibus non eſſent, qui in his generibus aliis antecellerent; aut quia minus in melicis, & dithyrambicis poeticae uis cerneretur; aut quia res ſatis illorum trium exemplo manifeſta eſſet.

CICERO

ORATOREM genere non diuido: perfectum enim quaero. Vnum eſt autem genus perfecti: a quo qui abſunt, non genere differunt, ut ab Attio Terentius, ſed in eodem non ſunt pares.

EXPLANATIO

SATIS oſtenſum eſt poetarum genus multiplex eſſe. nunc contra Oratorum genus ſimplex eſſe demonſtratur, hoc eſt, in plures ſpecies non diuidi, quoniam eloquentiae una eſt forma multis perfecta uirtutibus. Nec quia diximus tria eſſe genera dicendi, tres inquam dictionis, qui rerum naturam exprimunt, characteres, ideo tres formas perfecti Oratoris eſſe intelliges. Nam illa peraeque in Oratore perfecto requiruntur; quem decet tum ſubtiliter, tum grauiter, tum moderate, prout res poſtulat, dicere. GENERE *non diuido*⸗ diuiſio eſt propria generis in ſpecies, partitio totius in partes. PERFECTVM⸗ in quo inſint omnia, quae ad ſummam laudem requiruntur. VNVM⸗ ſimplex, quod multiplici opponitur. A *quo qui abſunt*⸗ ſunt profecto rerum omnium ideae quaedam, & formae, quae a rebus ipſis ſeparatae, & abſtractae animo, & intelligentia con tinentur: & eloquentia ſua eſt forma, quam ſummi uiri mente comprehendunt, pulchra, & perfecta, cui nihil deſit: a cuius ſimilitudine qui magis recedit, deterior eſt Orator. Iccirco neque enim omnium in eodem genere eadem uis eſt, atque facultas, *abſunt*, dixit, nempe qui minorem ab eloquentiae imagine ſimilitudinem ducunt, *abſunt* inquam magis aut minus: ut in exprimenda eloquentiae forma facultates, non genera notentur. NON *genere differunt*⸗ hoc eſt, non referuntur ad diuerſas ſpecies. Etenim differentia licet omnem diſſimilitudinem ſignificet, tamen ea proprie differentiae dicitur, quae addita generi ſpeciem facit. VT *ab Attio Terentius*⸗ ſupple genere, ſiue ſpecie differt. Nam Attius, quem parentibus libertinis natum tradunt Marcino, & Serrano cos. tragicus fuit non minus clarus, quam Pacuuius: tragoedias multas ſcripſit, quarum pleraſque e Sophocle conuertit: Terentius uero comicus Carthagine natus, Laelio, & Scipioni familiariſſimus, quorum opera in faciendis comoediis creditur adiutus fuiſſe, multa a Graecis, praeſertim a Menandro, deſumpſit. Atqui Tragoedia, & Comoedia diuerſae formae ſunt poematis, plurimumq. inter ſe differunt. IN *eodem*⸗ genere. NON *ſunt pares*⸗ non aequipollent, ſed alter alteri facultate praeſtat. Nam, ut in pictura, quod alius melius, quam alius pingat, ſic in eloquentia reperiuntur gradus pro hominum ingenio, & uiribus, quod in dicendo alius alio perfectior ſit. Quinimmo in ipſis poeticae ſingulis generibus

Aa ſunt

ſunt primae,ſecundae,ac tertiae partes,ut nemo uelit in epopoeia non eſſe quam ſimillimus Homeri, & in tragoedia Sophoclis,& in comoedia Menandri.

C I C E R O

Optimvs eſt enim orator, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permouet. Docere, debitum eſt; delectare, honorarium; permouere, neceſſarium.

E X P L A N A T I O

A Tribvs Oratoris Officiis probat tres illas dicendi rationes in uno eodemq. Oratore ineſſe debere, non tres ſpecies Oratoris efficere. Sed,quoniam officium abſque fine (ſunt enim in ſe relata) intelligi non poteſt,pauca de fine prius diſſeremus. Finem oratoris eſſe dicendo perſuadere maximo rhetorum conſenſu iã comprobatum eſt. Perſuadere eſt auditoris ad id,quod dicis, uoluntatem inducere: uoluntas uel ratione mouetur,uel aliquo animi affectu: quare Oratori haec duo in omni cauſſa propoſita eſſe debent,ut fidem faciat, & motum inferat. Itaque in exornatiuo genere honeſtas,in deliberatiuo utilitas,in iudiciali aequitas propoſita eſt,qua fides fiat orationi: ad motum uero pertinentes fines ſunt in primo delectatio, in altero ſpes,aut reformidatio,in tertio ſaeuitia,uel clementia. Hinc etiam quattuor partes orationis effectae ſunt, quarum prima (ut docet Cic.in Partit.) & poſtrema ad motum animi ualent; is enim initiis eſt,& perorationibus excitandus; ſecunda narratio, & tertia confirmatio ad faciendam fidem pertinent. Hinc quoque tria officia Oratoris conſtituta ſunt docere,delectare,& permouere. primum illud probationem habet cauſſae,reliqua motum. atqui motus animi eſt duplex,alter ſedatior,alter uehementior. equidem delectatio ſuauis eſt animi commotio,permotio uero grauis affectio: uterque autem motus pro re loco adhibendus. Vnde apud Ciceronem II. de Or. Antonius,Tribus rebus,inquit,omnes ad noſtrã ſententiam perducimus aut docendo,aut conciliando, aut permouendo. Erit igitur (ut Ciceronis uerbis utar in Oratore) is eloquens, qui in foro, cauſſisq. ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat: probare neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere uictoriae. nam id unum ex omnibus ad obtinendas cauſſas poteſt plurimum. Qui uero unum Oratoris officium eſſe dixit, nempe docere, is ab Oratore motum ſubtraxit; in quo ſe late fundit, & in quo maxime dominatur eloq̃entia. nam omnem amplificationem ſuſtulit; nec dicentis finem, qui in auditoris animo ſitus eſt, ſatis aduertit. Docere *debitum eſt*} ſiue opus eſt. Oportere (ut docet Cic.in Or.) perfectionem declarat officij,quo & ſemper utendum eſt,& omnibus. atqui cauſſam probare & ſemper neceſſarium eſt, & omnibus. Ideoq. alibi docere dixit eſſe neceſſitatis, quoniam hoc officium & ſemper, & omnibus eſt neceſſario praeſtandum, ſi omnino docendus eſt auditor id,quo de agitur. Immo ſemper Orator uel in alijs officijs id praeſeferre debet, ut docere uelle uideatur; quandoquidẽ illi animi adhaeret affectio,quae cum ratione ſuſcepta uidetur. Quare Ariſtoteles Rhetoric. lib.3. duas orationis partes neceſſarias eſſe duxit, ſine quibus ſtare cauſſa non poſſit, propoſitionem & confirmationem; principum uero & concluſionem non neceſſarias, quod non ſemper uſui ſint, ſed permouendorum auditorum cauſſa adhibeantur. Et quidem Oratori, ſi ſatis eſſet rem tantum probare,non etiam ad id, quod ſuadet, auditoris uoluntatem impellere, proculdubio alijs officijs illi opus non eſſet; ſed quoniam illi propoſitum eſt, dicendo perſuadere, permouere illi quoque eſt neceſſarium. ſiquidẽ in motu eſt uictoria. Igitur docere neceſſitatis eſt ratione cauſſae; & auditoris,ſeu uictoriae gratia permouere itidem eſt neceſſariũ: uerum illud ſemper eſt neceſſarium,hoc uero non ſemper, ſed cum probatio ad obtinendam cauſſam ſatis per ipſa non ualet. At delectare ſuauitatis eſt, quoniam eſt ad delectationem aurium potiſſime comparatum; & eſt honorarium, quoniam ex nulla re alia maiorem laudem,& honorem Orator, quam ex orationis ſuauitate, acquirit, qui ab eloquendo nomen accepit. Ex his tribus officijs tria dicendi genera orta ſunt, docente ipſomet Cicerone in Oratore. Sed, quot officia Oratoris, tot ſunt genera dicendi, ſubtile in probando, modicum in delectando, uehemens in flectendo. Et Fabius Quinctilianus lib.12.cap.10.cum eadem orationis tria genera ſtatuiſſet, ſubdidit: quorum tamen ea fere ratio eſt, ut primum docendi, ſecundum mouendi, tertium illud delectandi, ſiue interconciliandi praeſtare uideatur officium. Quamobrem, ſi praeſtare optimus Orator haec debet, ut docendo, delectando, commouendo in ſuam ſententiam audientes perducat, ſimul habeat tria genera dicendi neceſſe eſt; uidelicet ut ſubtiliter & uenuſte doceat, ut leniter, & temperate delectet,ut grauiter,& copioſe commoueat.

C I C E R O

Haec ut alius melius, quam alius, concedendum eſt: uerum id fit non genere, ſed gradu.

E X P L A N A T I O

Melivs} adde tu uerbum Praeſtet. Id *fit non genere*} diuerſo, neque in diuerſo genere. Sed *gradu*} quod idem illis uerbis antea dixit: non genere differunt, ſed in eodem non ſunt pares.

CICERO

*O*PTIMVM *quidem unum eſt,& proximum, quod ei ſimillimum: ex quo perſpicuum eſt, quod optimo diſſimillimum ſit, id eſſe deterrimum.*

EXPLANATIO

NON enim poſſunt de genere differre, qui in eodem genere uerſantur. OPTIMVM} aut eloquentia, aut Oratoris genus. PROXIMVM} optimo. SIMILLIMVM} quod maxime ad illius formam accedit. DETERRIMVM} contrariorum enim (ut dialectici loquuntur) eadem eſt ratio. nam unius perſpecta ui, alterius quoque ſtatim natura cognoſcitur. Optimo autem peſſimum aduerſatur.

CICERO

*N*AM, *quoniam eloquentiam conſtat ex uerbis, & ſententijs; perficiendum eſt, ut pure, & emendate loquentes, quod eſt Latine uerborum praeterea, & propriorum, & tranſlatorum elegantiam perſequamur; in proprijs, ut aptiſſima elegamus; in translatis, ut, ſimilitudinem ſecuti, uerecũde utamur alienis.*

EXPLANATIO

PRAETEREA idem probat ex partibus eloquentiae, quod Oratoris non ſit niſi unum perfectum genus, in quo laudes omnes inſint. Sane omnis oratio conſtat ex his (ut ait Fabius libro 3. cap. 5.) quae ſignificantur, & his, quae ſignificant, hoc eſt, rebus, & uerbis: illae enim ſignificantur, iſta ſignificant; neque uerba (ut cum Cicero in libro tertio de Oratore dicam) ſedem habere poſſunt, ſi rem ſubtraxeris; neque res lumen, ſi uerba ſemoueris. Res Cicero hoc loco ſententias uocat, nimirum animi ſenſa, quae uidelicet animo, & mente quiſque concipit, atque intelligit. Verborum autem ratio (eodem Cicerone multis in locis, & Fabio praecipiente) tum in ſimplicibus, tum in coniunctis poſita eſt. Simplicia eſſe debent Latina, & propria Romani ſermonis, non barbara, aut peregrina; perſpicua, quae & uſitata ſunt, & rem proprie declarant; non ambigua, uel obſcura; figuris ornata, non inculta; rei, qua de agitur, apta, non inepta, quae nec conueniant, neque ullam energiam, ſiue efficaciam habeant. At in coniunctis ſeruanda eſt conſecutio, ne generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus perturbetur oratio. quae Latine loquendi praecepta (ut ſcribit Cicero in 3. de Orat.) puerilis doctrina tradit, & ſubtilior cognitio, ac ratio litterarum alit, aut conſuetudo ſermonis quotidiani, ac domeſtici libri confirmant, & lectio ueterum Oratorum, & Poetarum. Studendum eſt etiam perſpicuitati, ut ea, quae dicimus, intelligantur; ne ſit ambiguus ſermo, non nimis longa uerborum continuatio, non diſcerptae ſententiae, non praepoſtera tẽpora, non confuſae perſonae, non perturbatus ordo. Tertia uirtus locutionis eſt, ut quibuſdam quaſi luminibus figurarum illuſtretur, ac lenis ſit & aequabilis, & quaſi quendam numerum, uerſumq. conficiat. Nam ut ſimplicium, ſic etiam coniunctorum uerborum ſuus eſt ornatus: & quas Latini figuras, Graeci quaſi geſtus, σχήματα uocant. Vltima eius uirtus eſt, ut rerum, & perſonarum dignitati conſentiat. quod decorum ſapientia cernitur, quae fundamentum eſt eloquentiae. cuius rei gratia tria genera dicendi facta ſunt, quae nos breuiter ante perſtrinximus. Haec, quae dicta ſunt, opinor, iam melius Ciceronis ſenſum aperient. PVRE} ſine ullo peregrino uerbo, aut barbara coniunctione uerborum. EMENDATE} ſine ſoloeciſmo, qui aut genere, aut numero, aut perſona, aut tempore, aut caſu inquinat orationem. QVOD *eſt Latine*} atque haec prima uirtus orationis eſt. PROPRIORVM} propria ſunt, quae ſunt, aut eſſe poſſunt eius rei, quam ſignificari uolumus, ac quae habent cuiuſque rei propriam ſignificationem; quae (ut inquit Fabius lib. 8.) id ſignificant, in quod primum denominata ſunt, & (ut ait Cic. in 3. de Or.) certa ſunt quaſi rerum uocabula paene una nata cum rebus ipſis. TRANSLATORVM} translata ſunt (quemadmodum Cicero, & Fabius docent) quae alieno quaſi in loco collocantur, hoc eſt, quando uerbum ex proprio loco, & ſignificatione in alium locum transfertur; uel ubi deeſt proprium, ut neceſſitatis, & inopiae gratia dicimus gemmare uites, ſitire agros, laetas ſegetes, luxurioſa frumenta: quibus quidem translationibus frequentiſſime omnis ſermo utitur; uel ubi translatum uerbum proprio eſt melius, cum aut maioris ſignificationis cauſſa transferimus, ut incenſus ira, inflammatus cupiditate, effrenis libido, aut ornatus cauſſa, ut flumen eloquentiae, orationis lumen, concionum procellae. Et, licet uerba multis aliis figuris ornentur, quam metaphora, tamen translata maiorem prae ceteris & ſuauitatem, & ſplendorem afferunt. ELEGANTIAM} nitorem, qui ex ſordium abſterſione fit: ex quo nonnulli terſum ſtylum uocant eum, qui cultus, & elegans eſt. Quae ſit autem in utriſque elegantia, docet, cum inquit, IN *proprijs, ut aptiſſima eligamus*} ne ſint obſoleta, neque ſordida, neque humilia, ſed uſitata, ſignificantia, plena, quae inquam uel optime ſonant, uel rem maxime explanant. Et id maxime proprium uerbum eſt, quo nihil inueniri poteſt ſignificantius. IN *translatis, ut ſimilitudinem ſecuti uerecunde utamur alienis*} etenim metaphora uerbum a gemina, & propria ſignificatione per ſimilitudinem transfert ad non propriam. Quare (ut apud Ciceronem inquit Craſſus in 3. de Or.) ſi tranſlatio ſimile nihil habet, repudiatur; ſi agnoſcitur, ſimilitudo, delectat. Ac porro translatio neque re maior, neque minor, neque humilis, neque ſordida, neque dura, neque obſcura, neque nimis frequens eſſe debet; ſed ea VERECVNDE} neque frequentius, neque temere, & audacter utendum eſt, quoniam alienam ſignificationem

mutuo accipimus. Profectò ut propria claram,& perſpicuam, ſic tranſlata uerba comptam,& ornatam orationem efficiunt. Atque haec pertinent ad inuentionem,electionemq. uerborum: illa uero ad rerum.

CICERO

Sententiarum autem totidem genera ſunt, quot diximus eße laudum. ſunt enim docendi acute; delectandi, quaſi argutae; commouendi, graues.

EXPLANATIO

Lavdem appellant perfectionem officij. Svnt *enim*] idem etiam Fabius monet lib. 12. cap. 10. ut in docendo acumen, in interconciliando lenitas, in mouendo grauitas uideatur. Acvtae] id eſt, perſpicaces,& quae facile in animum penetrant,& inhaerent. Qvasi *argutae*] argutum ſollers ſignificat,& acutum. ad delectandum enim ualent ſenentiae non omnino argutae,ſed quadam cum ſolertia ſenes.

CICERO

Sed & uerborum eſt ſtructura quaedam, duas res efficiens, numerum, & lenitatem.

EXPLANATIO

Redit ad uerba, quorum non eſt ſolum electio, ſed etiam conſideranda coniunctio: quae duas res facit ſpectantes ad ornatum, numerum,& lenitatem. Strvctvra] collocatio. Nvmervm] numerus, quem Graeci ῥυθμὸν uocant, eſt (ut inquit Cicero in Orat. & nos ante explicauimus) quidquid ſub aurium menſuram cadit: uel, ut alij finiunt, temporum ordo, celeris, inquam, uel tardi motus conſenſus. Nam tempus eſt minima uocis menſura: menſura uero uocis alia breuis eſt, alia longa. Vocum certa dimenſio concinnam facit, ſiue apte cadentem orationem. Debere autem numeroſam, uel concinnam orationem eſſe, ſed carentem uerſu; Ariſtoteles, Cicero, Fabius, atque omnes rhetores praecipiunt: ut eius forma nec ἔμμετρος ſit poeticae ſimilis, nec ἄρυθμος, hoc eſt, ut proxime ad numeros accedat, non tota e numeris conſtet. Vitioſum eſt enim in ſoluta oratione carmen facere; ſed ſumma laude,& admiratione dignum eſt ad ſuauem quendam ſonum aptis interuallis orationem diſtinguere. Quamobrem Orator tantum ſpatia temporum conſiderat, ut recte,& ſuauiter procurrant; non autem ordinem; quo praeſcriptos pedes uincit inter ſe poeta, qui arctiore ſe lege coercuit. Numeros aures ipſae metiuntur, ut ſentit Cic. in Part. ne aut non compleas uerbis, quod propoſueris, aut redundet: & (ut idem inquit in lib. 3. de Orat. & in Orat.) ne ut procurrat longius, nec tardius ſubſiſtat oratio. Idemq. alibi, Aures, uel animus aurium, nuncio naturalē quandam in ſe continet uocum omnium menſionem. Itaque & longiora,& breuiora iudicat, ac perfecta, & moderata ſemper exſpectat: mutila ſentit quaedam,& quaſi decurta; quibus, tamquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia, & quaſi immoderatius excurrentia; quae magis etiam aſpernantur aures. ſed non eſt noſtri operis docere quibus maxime numeris Oratoris oratio uinciatur,& qui in principio, qui in fine, qui in medio potiſſime probentur: de quibus Cicero multis in locis copioſiſſime differuit. Lenitatem] aequabilitatem, quam facit uerborū concurſus neque aſper, neque hiulcus, ſed (ut docet Cic. in 3. de Orat.) quodammodo coagmentatiis,& leuis. Itaque uidendum, ne concurrant uocales; ut illud Baccae aeneae impendebant; ne aſperiores conſonantes inter ſe commiſſae rixentur, ut Ars ſtudiorum, ne ſequens dictio ab ultimis litteris praecedentis incipiat, ut O fortunatam natam; ne eadem littera frequentetur, ut O Tite tute tate tibi tanta tyranne tuliſti; ne continua ſint cadentia ſimiliter,& deſinentia,& declinata, ut Flentes, plorantes, lacrymantes,& miſerantes. Poſtremo fugienda ſunt plura ſimul monoſyllaba, plures dictiones breues aut longae, nomina iuncta nominibus, uerba uerbis, ſimilia ſimilibus, atque inſuauis eiuſdem dictionis repetitio, & uerborum uitioſa traiectio, longaq. continuatio, ut lenis,& aequabilis fiat, ac dulciter fluat oratio. quae a Fabio Quinct. lib. 9. cap. 4. & ab auctore lib. 4. ad Herennium fuſius praecipiuntur. Nec ſolum uerba, ſed

CICERO

Et ſententiae ſuam compoſitionem habent ad probandam rem accommodatum ordinem.

EXPLANATIO

Compositionem rerum ipſemet ordinem appellat. Rhetores omnes proprio artis uocabulo diſpoſitionem. Ad *probandam rem*] ordo, qui docetur ad faciendam fidem, is uidetur eſſe, ut primum firmiora, deinde leuiora, poſtremo argumenta firmiſſima, uelut triarij, in ultima acie collocentur. Et quidem praecepta diſpoſitionis multa ſunt, ſed in ſingulis cauſſarum generibus accommodatius illa traduntur: uelut in demonſtratiuo genere, in quo aut laudamus, aut uituperamus, triplicem factorum collocationem Cicero in Partitio. inſtituit, ut aut temporum ſeruentur gradus, aut generum diſtributiones, aut grata uarietate unum-

quodque

quodque diſtinguatur: in deliberatiuo ſuaſori haec duo confirmanda ſunt, ut & utile eſſe, quod ſuadet, ex fine demonſtret, & poſſe fieri ex cauſſis; diſſuaſori horum alterum labefactare ſatis eſt, aut utile non eſſe, aut fieri non poſſe: in iudiciali uero quid in coniectura, quid in definitione, quid in qualitate, quid in legalibus quaeſtionibus uel accuſatori, uel reo ſequendum ſit tam multa, ac tam copioſe Rhetores praeceperunt, ut huius generis gratia tantum ſcripſiſſe uideantur. Quae praecepta diſpoſitionis naturae uim adiuuant; ſed niſi adſit prudentia, nulla eſt omnis praeceptorum traditio. Haec enim pars eloquentiae maiorem prae ceteris prudentiam, iudiciumq. requirit. Nunc uero illud dubitationem aliquam afferre uidetur, quod Cicero cum dixit, *ad probandam rem*, uidetur motus oblitus fuiſſe. uerum ordo, qui ad faciendam fidem ſpectat, idem etiam quibuſdam ornamentis, & amplificationibus interpoſitis ad motum ualet. qui porro motus a fide ſeparari non poteſt; at fides ſine motu eſſe non poteſt.

CICERO

SED *earum omnium rerum, ut aedificiorum, memoria eſt quaſi fundamentum, lumen actio.*

EXPLANATIO

SANE in Partitionibus Cicero ex rerum, & uerborum inuentione, & collocatione quinque partes eloquentiae clarius, quam hoc loco, deduxit. Nam inuentio rerum, & diſpoſitio duas per ſe partes efficiunt, cum ratione, & tempore diſiunctae ſint: uerborum autem inuentio, & collocatio, cum eodem ſint tempore, nec intelligentia ſeparentur, dumtaxat unam partem conſtituunt, quae elocutio proprie dicitur. Quod autem quartum locum actioni dederit in partitionibus, quem hic, ſicut omnes dicendi magiſtri, memoriae tribuunt, non inſcienter factum exiſtima: nam actionem illic uoluit eam intelligi, quae domi exercetur, ac memoriae ſimul commendatur, non eam, quae ſe foris, atque una ſecum reliquas partes oſtendit. Quinque igitur ſunt partes, quibus conſtat eloquentia, Inuentio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, & Actio. quas nonnulli rhetoricae partes appellant, quod illarum praeceptiones uniuerſam benedicendi artem complectantur: alij Oratoris officia, quod Orator ad perſuadendum ex ſe illa praeſtare debeat. EARVM *omnium rerum* § tam ſententiarum, quam uerborum. Etenim, quidquid eſt, aut ſub intelligentiam cadens, aut ſub ſenſum, res dicitur, proprius tamen, quod aut cerni, aut tangi poteſt, corpus nominatur. MEMORIA *eſt quaſi fundamentum* § eſt enim memoria rerum, & uerborum diſpoſitionis firma animi perceptio: quocirca dicitur theſaurus, & cuſtos omnium partium orationis. Quae ut ſit non contemnendum beneficium naturae, certe etiam exercitatione, uelut aliae partes, augenda, & artificio confirmanda eſt. Conſtat autem artificioſa memoria tum locis, quae uel natura perfecit, uel manus abſoluit; tum imaginibus, quae ſunt rerum effigies, & ſimulacra. ideoq. Ciceronis in Partit. ſententia litteraturae perſimilis, in diſſimili genere, & quodammodo germana eſt. Nam, ut litteratura cera indiget (ueteres enim in cera ſcribere ſolebant nondum inuento papyri uſu) & notis, quae in cera imprimuntur; ſic confectio memoriae, tamquam cera, locis utitur, & in his, uelut litteras, imagines collocat. LVMEN *actio* § a geſtu actio dicitur, a uoce pronunciatio: ſed habet utrumque nomen communem ſignificationem: finiturq. eſſe rerum, & uerborum cum dignitate moderatio. Lumen Cicero appellat, quia reliqua ſepulta, & quaſi in tenebris iacerent, niſi actionis lumen accenderet: recte quoque eloquentiae comitem uocaueris; quoniam, quo modo dicatur, id eſt (inquit Cicero in Oratore) in duobus, in agendo, & in eloquendo. Eſt enim actio quaſi corporis quaedam eloquentia, cum conſtet e uoce, atque motu. Ac tantum illa ualet, ut plerique uiri eloquentes actionis deformitate infantes, contra infantes indiſerti, & ineloquentes actionis dignitate eloquentes Cicerone in Oratore teſte putati fuerint. Itaque non immerito Demoſthenes illi primas, ſecundas, & tertias adſcripſit; quod eloquentia ſine actione nihil, contra actio ſine eloquentia plurimum poſſit. Quamobrem intellige Oratorem a Cicerone dici non orationum modo compoſitorem; qua ſignificatione Iſocratem rite uocaueris Oratorem, ſed cauſſarum actorem, qui in ſenatu, foro, iudicijsq. uerſatur. Et, ut ea, quae diximus, ad Oratoris officia reducamus, primum ſententiae inueniendae ſunt ad docendum acutae, ad delectandum, quaſi argutae, ad mouendum graues; tum diſponendae ad faciendam fidem, & motum in ſuo quaeque genere cauſſarum accommodate; ipſa quoque dictionis forma, cum docendum eſt, ſubtilis, cum interconciliandum, temperata, cum permouendum grauis eſſe debet. Ad haec uolet eloquens (ut Ciceronis in Oratore uerba referamus) contenta uoce grauia, ſubmiſſa lenia, temperata mediocria dicere apto corporis geſtu, & uultu. Omnium autem quaſi fundamentum, & cuſtos eſt memoria, ſine qua cuncta corruerent.

CICERO

EA *igitur omnia, in quo ſumma, erit orator periſſimus; in quo media, mediocris; in quo minima, deterrimus.*

EXPLANATIO

ITAQVE concludit unam eſſe perfectae eloquentiae formam, quam alius melius, quam alius imitatur. Vnde gradus ſunt in eloquendo plures pro hominum ingenio, & facultate; ipſa uero perfectio una. Quam ſententiam

ſententiam illis uerbis ante expreſſit, Optimum quidem unum eſt, & proximum, quod ei ſimillimum. ex quo perſpicuum eſt, quod optimo diſſimillimum ſit, id eſſe deterrimum. SVMMA } optima, perfectiſſima, in ſummo gradu. PERITISSIMVS } praeſtantiſſimus in dicendo artifex.

CICERO

ET appellabuntur omnes oratores, ut pictores appellantur etiam mali: nec generibus inter ſeſe, ſed facultatibus different.

EXPLANATIO

SIMILE & re, & appellatione adducit argumentum. Nam, ut pictores dicuntur etiam mali, neque a bonis melioribus, & optimis ſpecie differunt, cum eandem artem exerceant, ſed facultate; ſic Oratores non genere, & appellatione diſſimiles inter ſe ſunt, ſed gradu. alioquin ſi genere differrent, ut Menander Homeri ſimilis eſſe noluit, ſic Lyſias Demoſthenis eſſe noluiſſet. At ſecus eſt.

CICERO

ITAQVE *nemo eſt orator, qui ſe Demoſthenis ſimilem eſſe nolit. at Maenander Homeri noluit: genus enim erat aliud. id non eſt in oratoribus.*

EXPLANATIO

QVOD ab Oratoris tribus officijs, & eloquentiae quinque partibus, quae Oratoris officijs deſeruiunt, probatum eſt. DEMOSTHENIS } omnium optimi, quo nihil poteſt cogitari perfectius: & quo Cicerone in Oratore Athenas quidem ipſas magis credit fuiſſe Atticas. SIMILEM *eſſe* } nam ſummum, & optimum ab omnibus per ſe expetitur. MENANDER } Athenienſis, qui nouae comoediae multa edidit argumenta, quorum aliquot Terentius conuertit. HOMERI } poetae heroici, cuius duo exſtant praeclariſſima poemata Ilias, & Odyſſea. eius laudes ab omnibus paſſim celebrantur. GENVS *enim erat aliud* } Menandri comicum, Homeri epicum. quae genera quantum inter ſe diſtent, ſatis ante oſtenſum eſt: cum aliud actiones illuſtres imitetur, aliud humiles; aliud graui, aliud gracili oratione utatur, atque illius numeri heroici, huius ſint iambici.

CICERO

AVT, *etiam ſi eſt, ut alius, grauitatem ſequens, ſubtilitatem fugiat; contra, alius acutiorem ſe, quam ornatiorem, uelit; etiam ſi eſt in genere tolerabili, certe non eſt in optimo.*

EXPLANATIO

QVIA uaria ſunt hominum ingenia, non eadem res quemque delectat, nec poſſunt eadem omnes. GRAVITATEM *ſequens* } ſicut Pericles, qui natus ad res grandes, numquam ſe uoluit ad humiles demittere. ACVTIOREM } ſicut Lyſias, qui ſe ad minutas cauſſas limauit. ORNATIOREM } id eſt grauiorem. ornatus enim proprius eſt generis dicendi grauis. IN *genere* } ſeu modo dicendi. TOLERABILE } carens uitio, & reprehenſione. NON *eſt in optimo* } genere, & perfecto: quod non modo uitio caret, ſed laudem etiam habet, & admirationem uniuerſam eloquentiae.

CICERO

SIQVIDEM, *quod omnes laudes habet, id eſt optimum.*

EXPLANATIO

PROBAT, quod dixit, a definitione optimi. Quod enim perfectiſſimum eſt, idem eſt optimum, & ſummum, in quo inſunt omnia; cui uero aliquid abeſt, id neque ſummum, neque optimum, neque perfectum dixeris. Eſſe uero tres Oratoris laudes docere, delectare, permouere, ſententijs acutis, quaſi argutis, & grauibus, uerbis etiam Latinis, puris, emendatis, proprijs, illuſtribus, aptis, ſtructura ſua lenitatem, & numerum quendam efficientibus, tum decente corporis geſtu, & uultu, uoceq. ſubmiſſa, temperata contenta, ſeruato in omnibus decoro, quod eſt munus proprium ſapientiae, iam demonſtratum eſt.

CICERO

HAEC *dixi, breuius equidem, quam res petebat: ſed ad id, quod agimus, non fuit dicendum pluribus. Vnum enim cum ſit genus; id quale ſit, quaerimus.*

EXPLA-

EXPLANATIO

HACTENVS probauit unum eſſe genus eloquentiae perfectum: quod uero illi ſimile in hominibus inuentum fuerit, deinde monſtrabit. Et, quoniam inſtituerat non eius naturam uniuerſam explicare, ſed illi ſimile aliquod oſtendere, quod in hominibus agnoſceretur, excuſat ſe, quod breuius iſta dixerit. QVAM *res petebat* } rei natura. quam tamen in Oratore ad Brutum doctiſſime, & elegantiſſime expreſſit. AD *id, quod agimus* } agit autem id, ut cum ſit unum multis laudibus cumulatum eloquentiae genus, illi Atticum ſimile eſſe intelligatur.

CICERO

EST *autem tale, quale floruit Athenis.*

EXPLANATIO

ID eſt Attico ſimile. Porro tria genera dicendi non nulli per gentes, & nationes diuiſerunt, atque adſcripſerunt Aſianis ubertatem, Atticis tenuitatem, Rhodijs mediocritatem. Atque illud Aſianis accidiſſe iccirco putat Fabius lib. XII. cap. X. quoniam, cum Graecae linguae proprietatem ignorarent, Graeco ſermone in Aſiae ciuitates influente, circumlocutionibus uterentur; atque inde factum, ut illorum ſermo nimia ubertate redundaret. Verum Athenienſes, quorum erat linguae proprietas, quod ſine ulla uitioſa abundantia limati eſſent, habiti ſunt tenues, & preſſi. At Rhodij interiecti medij quidam, neque inflati Aſiano ſermone, neque Attico emuncti iudicati ſunt. Sed non recte ſentiunt. Nam Aſiani repudiantur, ut tumidi, & inanes; Rhodij quoque non probantur, quoniam illorum ſermo e fonte puro non emanat; Atticum uero genus iccirco optimum eſt, quia eſt purum, terſum, & elegans, neque ſolum preſſum, ſed etiam, quando res poſtulat, graue, & temperatum. Etenim (ut ſentit Cicero in Oratore) eloquentiae moderatrix ſemper fuit auditorum prudentia. proinde, quorum aures teretes, & religioſae fuerunt, ut inepta & inornata reſpuerent, qui horum iudicio commendati ſunt, eos proculdubio credendum eſt benedixiſſe. atqui huiuſmodi fuerunt Athenienſium aures, & iudicium, ita ut nihil poſſent niſi incorruptum, & elegans audire. Igitur, qui ſe ad Atticorum aures ſinceras, & prudentes accommodarunt, ij benedicere exiſtimati ſunt, & Attice. Quamobrem de hoc nomine melius ſentiunt, qui Attice dicere ducunt eſſe optime dicere.

CICERO

EX *quo Atticorum oratorum ipſa uis ignota eſt, nota gloria.*

EXPLANATIO

VIS } facultas, & uirtus. GLORIA } nomen, & celebratio. Quis enim Oratores illos Atticos Demadem, Aeſchinem, Demoſthenem, alioſq. permultos non ſentit ubique laudari? at quotus quiſque illorum uim Atticam intelligit?

CICERO

NAM *alterum multi uiderunt, uitioſi nihil apud eos; alterum pauci, laudabilia eſſe multa.*

EXPLANATIO

HINC contra eos diſputare incipit, qui Attice dicere putabant eſſe tantummodo enucleate, & eleganter dicere. Hi partim recte iudicabant, quod in Attico nihil inſolens, aut ineptum eſſe exiſtimarent, partim fallebantur, quod ſolam tenuitatem Attici eſſe cenſerent; cum ornate, grauiter, & copioſe dicere Atticum ſit, aut ne ſit Aeſchynes, ne ue Demoſthenes Atticus. ALTERVM } refertur ad id, quod ſequitur VITIOSI *nihil* } neque in uerbis, neque in ſententijs, id quod ualet ad gloriam. PAVCI } nimirum periti: quorum ſemper magna eſt paucitas. LAVDABILIA *eſſe multa* } ut ſubtilitatem, & acumen, aequalitatem, & dulcedinem, grauitatem, & cultum, atque energiam orationis.

CICERO

EST *enim uitioſum in ſententia, ſi quid abſurdum, aut alienum, aut non acutum, aut ſubinſulſum eſt.*

EXPLANATIO

OSTENDIT uitia euitata ab Atticis primum in ſententijs, deinde in rebus. ABSVRDVM } ineptum, & abſonum, ac ſibi ipſi repugnans. ALIENVM } diſiunctum, minimeq. cohaerens. NON *acutum* }

non

non ſubtile, non perſpicax, ſed ſtolidum, & quaſi obtuſum. SVBINSVLSVM } aut paucos, aut nullos quaſi ſales, & lepores habens.

CICERO

IN uerbis, ſi inquinatum, ſi abiectum, ſi non aptum, ſi durum, ſi longe petitum.

EXPLANATIO

INQVINATVM } ſordidum. quale, curiae ſtercus Glaucia. ABIECTVM } humile, rei dignitatem non adaequans. ut illud, In ciſta ueſtem mures roſere Camilli. NON *aptum* } ſiue improprium, quod Graeci ἄκυρον uocant, cuiuſmodi eſt ſperare pro timere, cum ſperemus bona, timeamus mala, ſiue aut plus, aut minus re ipſa ſignificans. DVRVM } quod uel non bene ſonet, ut Ciceroni de Nat.de. I. beatitas, & beatitudo utrumque durum uidetur, uel quod minus commode transfertur, ut illud eſt, Iuppiter hibernas cana niue conſpuit alpes. LONGE *petitum* } quod longe tranſlatum eſt, ut hoc, campos pacis ſuſtulit, belli montes excitauit. Poterat enim a tranquillo, aut turbato mari duci tranſlatio. Neque ſolum in ſimplicibus uerbis eſt uitium, ſed etiam in coniunctis: ſi quid non eſt conſequens. Quam rem quippe puerilem praetermiſit Cicero. & in ſententiarum quoque ordine peccatur, ſi quid loco non ponitur. cuius rei longa eſſet, ac difficilis explicatio, ſed nihil ad id, quod nunc agitur, pertinens.

CICERO

HAEC uitauerunt fere omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Attice.

EXPLANATIO

HAEC } uerborum, & ſententiarum uitia. Nam hoc primum eſt in laude poſitum Atticorum, quod incorrupti ſunt, & elegantes, neque ullo uitio maculati.

CICERO

SED, quatenus ualuerunt, ſani, & ſicci dumtaxat habeantur, ſed ita, ut palaeſtrice ſpatiari in xyſto, ut liceat, non ab Olympijs coronam petant.

EXPLANATIO

HOs Oratores, qui uitia quidem uitarunt, quod eſt proprium Atticorum, ſed laudabiles uirtutes non habuerunt, appellat ſanos, & ſiccos, quia ſunt bona ualetudine, & graciles, uerum ſine uiribus, ſine lacertis, ſine ſanguine colorisq. ſuauitate; ac ſimiles dicit ijs Athletis, qui poſſunt palaeſtrice in xyſto ſpatiari, hoc eſt, minutas cauſſas agere, non autem ab Olympijs coronam petere, & in magnis, grauibusq. cauſſis auditorum aſſenſionem captare. SANI } ſine ulla aegritudine, ſeu uitio. eſt autem uitium, quaeuis mala, uel animi, uel corporis affectio: quod ad orationem quoque transfertur. SICCI } tenues, ſeu graciles. qui robuſti non ſunt, & in dicendo minime uberes, & copioſi. SED *ita, ut liceat* } propter bonam ualetudinem poſſint. VT *palaeſtrice ſpatiari in xyſto* } deambulare palaeſtritarum more in xyſto, (ut ait Vitru. lib. V. cap. XI.) hoc eſt, in minoribus cauſſis uerſari. Xyſtum, & Xyſtus apud Graecos idem ſignificant, nimirum ſtadium tectum, in quo per hiberna tempora Athletae exercebantur: at Latini Xyſtos uocant porticus tectas, in quibus ſe Athletae per hiemem exercebant: Xyſta uaro ſubdiales ambulationes, in quibus ſudo caelo ſuas exercebant palaeſtras. Palaeſtra uero luctatio eſt, qua membra exercentur. AB *Olympijs* } Olympia ludi ſunt in Iouis Olympici honorem inſtituti; qui quincto quoque anno celebrabantur apud Piſas in Helide regione: quo ad ſpectandum omnes fere Graeciae populi confluebant. In quod certamen qui prodibant, non ſolum integri, ac ſani, ſed etiam robuſti, ac ualentes erant: quoq. magis placerent, ſuauitatem quandam coloris ſtudioſe curabant. CORONAM } dabatur autem uictori oleae corona, qua de re multi ſcripſerunt, praeſertim ij, qui Pindari Olympia commentarijs illuſtrarunt. Cum huiuſmodi athletis Cicero magnificos Oratores confert.

PAVLLVS. MANVTIVS. SED *ita, ut palaeſtrice ſpatiari in Xyſto, ut liceat,* } uel inferius, Vt, abundat, uel ſuperius eſt pro tamquam.

CICERO

QVI cum careant omni uitio, non ſunt contenti quaſi bona ualetudine, ſed uires, lacertos, ſanguinem quaerunt, quandam etiam ſuauitatem coloris. eos imitemur, ſi poſſumus.

EXPLA-

EXPLANATIO

MONET, ut eos Oratores imitemur, qui cum careant OMNI *uitio* } omni prauitate. neque enim aliud eſt uitium, quam prauitas, &, quod ante diximus, mala quaedam affectio. Carere autem omni uitio eſt bona ualetudine eſſe. Et, quia metaphorice loquitur uel ad explicandam, uel ad emolliendam metaphoram, addit *quaſi*. VIRES } robur, ſiue efficaciam. LACERTOS } brachiorum neruoſitatem. orationis uero nerui ſunt argumentationes. SANGVINEM } copiam, & ubertatem. QVANDAM *etiam ſuauitatem coloris* } quae a Venere uenuſtas dicitur, pulchritudinem ipſam perficiens. orationis autem ſuauitas eſt ornatus numerus, & aequabilitas. SI *poſſimus* } non enim omnia poſſumus omnes; neque eodem pacto a natura comparati ad rem quamlibet omnes ſumus.

CICERO

SIN minus, illos potius, qui incorrupta ſanitate ſunt, quod eſt proprium Atticorum, quam eos, quorum uitioſa abundantia eſt, quales Aſia multos tulit.

EXPLANATIO

QVOD ſi magnificos Oratores imitari non poſſumus, quia nos ad tantam excellentiam natura non finxit, quoad poſſimus noſtro ſtudio eos imitemur. QVI *incorrupta ſanitate ſunt* } hoc eſt ſani, ſine ullo uitio, ſed bona ualetudine. QVOD *eſt proprium Atticorum* } nimirum uitioſi nihil habere: quamquam non eſt hoc ſolum Atticorum. nam illi etiam grauiter, & ample dicunt. VITIOSA *abundantia* } ea copia reprehenditur, quae inſolenter inflatur & turget, ac temere & inconſulto redundat, & depaſcenda quaſi luxurians ſeges eſt. QVALES *Aſia multos tulit* } ut Cariam, Phrygiam, Myſiam: quorum meminit in Oratore Cicero. Quare Aſiaticum dicendi genus uitioſum eſt inflatum & tumidum. Atqui melius eſt ſine uitio gracilem eſſe, quam male corpulentum.

CICERO

QVOD cum faciemus; (ſi modo id ipſum aßequemur: eſt enim permagnum) imitemur, ſi poterimus, Lyſiam, & eius quidem tenuitatem potiſſimum.

EXPLANATIO

PROFECTO, ut in uita, ſic etiam in oratione aliquos eſt neceſſe nobis proponamus, quorum ſtudioſi eſſe uelimus, alioquin uelut abſque rectore euagaretur, & erraret oratio, (ut ait Fab. lib. x. cap. x I.) Vbi conſiderandum eſt, quem eligamus, quid imitari uelimus, & quantum. Itaque, cum ad tenuem, ſed elegantem dicendi rationem uim noſtram accommodare ſtudemus, quod ad maiora nati non ſimus, aut certe non liceat per opportunitatem contendere, Lyſiam nobis ad imitandum proponamus hoc in genere praeſtantiſſimum, ac Ciceronis ſententia uenuſtiſſimum, ac politiſſimum: neque omnia, quae in Lyſia ſunt, imitabimur. SED *eius tenuitatem potiſſimum* } qua ceteris excelluit. Id enim in quoque imitari debemus, quod in eo maxime laudatur. (*ſi modo id ipſum aßequemur. Eſt enim permagnum.*) quod antea tolerabile in genere dixit, ſi uniuerſa rei perfectio ſpectaretur, hic hominum uires, & facultatem animaduertens permagnum eſſe affirmat. &, qui in aliquo genere excelluerunt, boni Oratores habiti ſunt. Lyſias unus e decem, qui in Graecia floruerunt, Oratoribus fuit, Cephali filius, natus Athenis, Syracuſis oriundus, in dicendo tenuis, & limatus. quem qui audiunt, quamuis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere. Nam (ut ait Cicero in Oratore) orationis ſubtilitas imitabilis quidem illa uidetur eſſe exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus. Etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, tamen habeat ſuccum aliquem oportet, ut etiam ſi maximis uiribus careat, ſic (ut ita dicam) integra ualetudine. Scite igitur dictum eſt, *ſi modo id ipſum aſſequemur. eſt enim permagnum.* Habes quem in humili genere imiteris, nempe Lyſiam, qui magnum in hoc genere nomen adeptus eſt: & quid, nimirum eius tenuitatem.

CICERO

EST enim multis in locis grandior: ſed, quia & priuatas ille pleraſque, & eas ipſas alijs, & paruarum rerum cauſſulas ſcripſit; uidetur eſſe ieiunior; quoniam ſe ipſe conſulto ad minutarum genera cauſſarum limauerat.

EXPLANATIO

ICCIRCO eius tenuitatem imitari potiſſimum debemus, quia, licet interdum ſeſe erigat, tamen in eo ſubtilitas eſt maxime admirabilis: qui de induſtria ſe ad minutas cauſſas compoſuit & limauit. Decet autem in

aliquo id imitari, in quo ipſe ceteris excellit. PRIVATAS ⁊ cauſſas in priuatis poſitas diſceptationibus tum ſuſcepit ipſe, tum alijs dedit agendas; cum Oratorem adhibere non liceret; ſicut legimus Socrati, dum in carcere eſſet, elegantiſſimam orationem obtuliſſe. CLAVSVLAS ⁊ circuitus, uel periodos. Et paruarum rerum breues ſunt, & anguſtae periodi, ut contra magnarum, & grauium grandes, & longi ambitus. IEIVNIOR ⁊ ſiccior. ſicco uber, & copioſum opponitur. AD *minutarum genera cauſſarum limauerit* ⁊ ad priuatarum, & prauarum controuerſiarum genera, formas ue poliuerit. A fabris ſumpta metaphora eſt. Vnde mihi non probatur, qui dicendi characteres non e rerum natura, ſed ex ingeniorum ui deſcribit; cum dicantur characteres orationis, hoc eſt, rerum, quae oratione explicantur, imagines. Quod autem quis ad grauitatem ſit magis natus, & aptior, aut ad tenuitatem, concedendum eſt: ſed in uitio erit, ſi aut humilia grauiter, aut grauia humiliter dixerit. Ad id autem quiſque uim ſuam intendat, ad quod ſe magis idoneum cognoſcit.

C I C E R O

QVOD qui ita faciet, ut, ſi cupiat uberior eße, non poſſit: habeatur ſane orator, ſed de minoribus.

E X P L A N A T I O

MINORES ſunt Oratores, qui minores cauſſas ſicce, & ſubmiſſe agunt: nec ſe poſſunt ad grauiores erigere.

C I C E R O

MAGNO autem oratori etiam illo modo ſaepe dicendum eſt in tali genere cauſſarum.

E X P L A N A T I O

AT magnus, & perfectus Orator etiam ad humiles, & priuatas cauſſas orationem attenuat. SAEPE ⁊ quia ſaepe ad illum deferuntur. tantum ergo Oratori praeſtat Orator.

C I C E R O

ITA fit, ut Demoſthenes certe poßit ſummiſſe dicere, elate Lyſias fortaße non poſſit.

E X P L A N A T I O

CERTE ⁊ affirmantis eſt. nam, quod poſſit ſubmiſſe dicere, declarat eius contra Leptinem oratio. FORTASSE ⁊ non enim probari poteſt ullo exemplo, quod iſtud poſſit. & facilius eſt de paruis rebus ſubmiſſe, quam de magnis elate dicere.

C I C E R O

SED, ſi eodem modo putat, exercitu in foro, & in omnibus templis, quae circum forum ſunt, collocato, dici pro Milone decuiße, ut ſi de re priuata ad unum iudicem diceremus; uim eloquentiae ſua facultate, non rei natura, metiuntur.

E X P L A N A T I O

CAPTATA occaſione ex magni Demoſthenis, & Lyſiae minoris Oratoris comparatione, oſtendit a decoro, quod in principio propoſuerat, unum eſſe perfectum Oratorem, illumq. dicendi formas pro rerum condicione uariare. Eſt autem decere quaſi aptum eſſe, conſentaneumq. tempori, & perſonae, & rei: cuius decori ignoratione non ſolum in uita, ſed etiam in poematis, & oratione peccatur: Oratori uero uidendum eſt non ſolum in ſententijs, ſed etiam in uerbis, quid deceat; nec in omni modo genere, uerum etiam in omni parte cauſſarum. Quam enim, inquit Cicero in Oratore, indecorum eſt, de ſtillicidijs cum apud unum iudicem dicas, ampliſſimis uerbis, & locis uti communibus: de maieſtate uero populi Rom. ſummiſſe, & ſubtiliter? Non omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec uero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut uerborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum: ſemperq. in omni parte orationis, ut uitae quid deceat eſt conſiderandum: quod & in re, de qua agitur, poſitum eſt, & in perſonis, & eorum, qui dicunt, & eorum, qui audiunt. Et Fabius Quinctilianus lib. XII. cap. X. inquit, Plures ſunt eloquentiae facies, quibus Orator utetur, ut res exiget; nec pro cauſſa modo, ſed etiam pro partibus cauſſae. Nam, ut non eodem modo pro reo capitis, & in certamine hereditatis dicitur; & ſententiarum in ſenatu, & concionum, & priuatorum conſiliorum ſeruatur diſcrimen: ita in eadem oratione aliter conciliatur, docetur, mouetur; partibus etiam orationis prooemij, narrationis, confirmationis, & perorationis mutato colore. Longa res, & ſubtili diſputatione,

&

& copia orationis digniſſima, ſed in Oratore multis a Cicerone tractata eſt. Ergo in cauſſa Miloniana, in qua de nece P.Clodii agebatur, in foro diſpoſitis militibus a Cn.Pompeio iuſſu ſenatus, & in templis, quae circa forum erant, ut Saturni, Caſtoris, & Pollucis, & ſi quae erant alia, non ſeruaſſet Cicero decorum, ſi eodem pacto dixiſſet, ut apud unum iudicem de quaeſtione priuata. Quod ſi quis eodem pacto dicendum arbitratur, is quid ipſe poſſit conſiderat, non quid eloquentiae natura poſtulet: quae petit pro ratione decori, ut ne omnis locus, tempus, auditor eodem uerborum genere tractetur, & ſententiarum. Exemplo eſſe poteſt ipſamet pro Milone Ciceronis oratio, artificio, & ornatu cunctis admirabilis.

C I C E R O

*Q*VARE, *quoniam non nullorum ſermo iam increbuit, partim ſe ipſos Attice dicere, partim neminem noſtrum dicere: alteros negligamus: ſatis enim his res ipſa reſpondet; cum aut non adhibeantur ad cauſſas, aut adhibiti derideantur: nam, ſi arrideantur, eſſet id ipſum Atticorum.*

E X P L A N A T I O

NVNC orationem in eos conuertit, qui, quod preſſe, & ieiune dicerent, Attice ſe dicere praedicabant, imbecillitatem ſuam appellatione ſanitatis obtegentes, &, quod eloquentiae lumen afferre non poſſent, magni nominis umbra deliteſcere conantes. cumq. ſe Atticos praedicabant, Ciceronem tamquam Aſiaticum reprehendebant: quemadmodum alibi quoque ſe de ſua copia, & ubertate dicendi reprehenſum Cicero refert, & Fabius lib. XII. cap. X. teſtatur. At M. Tullium non habemus Euphranorum circa plurium artium ſpecies praeſtantem, ſed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentiſſimum. Quem tamen, & ſuorum homines temporum inceſſere audebant, ut tumidiorem, & Aſianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidum, & in compoſitione fractum, exſultantem, ac paene (quod procul abſit) uiro molliorem. Sed illos, qui ſe Atticos uocabant, Cicero contemnendos putat; quoniam, cum Atticorum ſit aſſenſionem auditorum captare, ipſi uero aut non eligantur patroni, aut derideantur ad cauſſam adhibiti, ſatis res ipſa declarat eos malos Oratores, nedum Atticos eſſe. DERIDEANTVR ʒ illudantur, uel explodantur. ARRIDEANTVR ʒ cum riſu, & bona omnium gratia excipiantur, & laudentur. In derideantur, & arrideantur figura eſt uerborum in eodem uerbo ludens (ut Graeco nomine utamur) Paronomaſia.

PAVLLVS. MANVTIVS. SI *arrideantur* ʒ nouum, opinor, loquendi genus: & malim, Arrideatur.

C I C E R O

*S*ED, *qui dici a nobis Attico more nolunt, ipſi autem ſe non oratores eſſe profitentur: ſi teretes aures habent, intelligensq. iudicium, tamquam ad picturam probandam adhibentur etiam inſcij faciendi, cum aliqua ſollertia iudicandi.*

E X P L A N A T I O

SENSVS eſt, aut fallor, qui nolunt nos Attice dicere, aut ipſi Oratores ſunt, aut non: ſi Oratores non ſunt, dum intelligentes ſint, quemadmodum ad probandam picturam adhibentur etiam pingendi ignari, qui polleant aliqua ſollertia, ſic ipſi ad iudicandum de Attico more dicendi admittentur. Nam doceri poterunt, ſi quid aut laudent, aut uituperent, quod aut laudandum, aut uituperandum non ſit. Quod etiam in poematibus, ut in picturis, atque in aliis compluribus, (uerba ſunt iſta Ciceronis lib. III. de officiis; quae, quod in huius loci declarationem facerent, lubenter appoſui) uſu uenit, ut delectentur imperiti, laudentq. ea, quae laudanda non ſint: qui iidem, quid in unaquaque re uitii ſit, nequeant iudicare; ſed inſtructi, atque docti a peritis facile deſiſtunt a ſententia. TERETES ʒ rotundas, & perfectas, quae apta, & ſonora ſentiant, nec quidquam inſolens, aut ineptum accipiant. Ac Virgilius probum, & ex ſe aptum hominem, non aliunde pendentem, rotundum uocauit, hoc eſt, ſapientem, atque perfectum. Perfectio enim rotundi, firmitas uero res quadrati forma deſcribitur. Securus, mundi inſtar habens, teres, atque rotundus. INTELLIGENSQ. *iudicium* ʒ prudens, & ſapiens. Porro ad recte iudicandum de eloquentia duo requiruntur, aurium ſenſus, quae numerorum iudices ſunt. & mentis prudentia, quae res, & uerba ab ineptis apta diſcernit. FACIENDI ʒ pingendi. SOLLERTIA ʒ uigore animi, & acumine, ac praeſtantia.

PAVLLVS. MANVTIVS. TAMQVAM *ad picturam probandam adhibentur* ʒ rectius puto, Adhibeantur.

C I C E R O

*S*IN *autem intelligentiam ponunt in audiendi faſtidio, neque eos quidquam, excelſum, magnificumq. delectat: dicant ſe ſubtile quiddam, & politum uelle, graue, ornatumq. contemnere: id uero deſinant dicere, qui ſubtiliter dicunt, eos ſolos Attice dicere. id eſt quaſi ſicce, & integre.*

EXPLANATIO

QVOD, ſi Oratores ſe eſſe profitentur, & ſolo tenui dicendi genere delectantur, dicant quid ipſi poſſint, aut uelint; neque ſuo faſtidio rerum intelligentiam, ſed illarum natura definiant, nec ſua libidine, ſed illius uirtute eloquentiam metiantur. At recte quidem Cicero ad Brutum ſcribit, Tantum nunc quiſque laudat, quantum ſe poſſe ſperat imitari. ID *eſt quaſi ſicce, & integre* ⁊ declarat quid ex illorum ſententia ſit Attice dicere: perſiſtitq. in eadem metaphora ſumpta a corporis ualetudine, qua huc uſque ſemper uſus eſt. Siccus idem eſt, qui gracilis; integer, idem qui ſanus. Equidem iſti recte ſentiebant, quod in Attico nihil inſolens aut ineptum reperiretur; ſed quod Atticus foret is, qui tenuis, & inornatus eſſet, oon recte ſentiebant.

PAVLLVS. MANVTIVS. ID *eſt quaſi ſicce, & integre* ⁊ deſtitutus ueterum librorum ope, quod affirmem, nihil habeo. placeret ſic: Quia ſi ſicce, & integre, &c. nam illud, Ideſt, natum uidetur ex Quaſi, non neceſſarium e corrupto.

CICERO

ET *ample, & ornate, & copioſe, cum eadem integritate, Atticorum eſt: quid dubium eſt, utrum orationem noſtram tolerabilem tantum, an etiam, admirabilem eſſe cupimus.*

EXPLANATIO

TOLERABILIS eſt oratio, quae in aliquo genere tolerabili conſiſtit carens uitio, & integra ſolum; admirabilis uero, quae in ſui admirationem audientes rapit. Verumenim eloquentia (ut ait Cicero in Oratore ad Brutum in quadam epiſtola ſcribens) ſine admiratione nulla eſt. Efficiunt autem admirabilem eloquentiam (ut docet idem ad eundem ſcribens) duo in primis, ſi bene tractentur: alterum eſt ἠθικὸν, iucundũ, & come, ad beneuolentiam conciliandam paratum, ad naturas pertinens, ad mores, & ad omnem uitae conſuetudinem; alterum παθητικὸν, uehemens, incitatum, atque incenſum, quo perturbantur animi, & concitantur: illud leni, aequabili, & ſuaui oratione, hoc ampla, graui, & uehemente tractandum eſt. Quamobrem, ſi bene dicere Atticorum eſt, erit etiam Atticorum nõ ſolum integre, ſed cum eadem integritate, cum opus fuerit, etiam copioſe, & magnifice dicere. Nec quiſquam eſt, qui nolit Atticorum Oratorum ſimilem fieri, & orationem ſuam non ſolum tolerabilem, ſed etiam admirabilem eſſe; hoc eſt, optimam. Quod contra eos dicitur, qui ſubtilitate contenti ſplendorem orationis, & amplitudinem contemnebant: qua ſola in aliorum admirationem uenit Orator.

CICERO

NON *enim iam quaerimus, quid ſit Attice, ſed quid optime dicere.*

EXPLANATIO

QVASI dicat, etiam ſi ornate dicere non eſſet Atticum: tamen, quia iſtud etiam ad perfectam eloquentiae ſpeciem, quam quaerimus, pertinet, ample, & magnifice quoque dicere ſtudebimus. QVID *ſit optime dicere* ⁊ quae ſit eloquentiae perfecta forma, quam ideam Plato uocat, ab ea, quam in hominibus uidemus, abſtracta: cui quae ſimillima eſt, ea eſt optima: ſimillima uero eſt Atticorum Oratorum oratio. Quae ſi ex perfecta illa, uelut ex ore aliquo imago non exprimeretur, laudabilis non eſſet. at, quoniam exprimitur, proinde Attice dicere eſt bene dicere, & qui Atticorum optimum imitatur, is proculdubio creditur optime dicere. Igitur Atticae eloquentiae laus ab ipſius perfectae eloquentiae ſimilitudine ducitur: & optimum dicendi genus non male antea dictum eſt tale eſſe, quale floruit Athenis.

CICERO

EX *quo intelligitur, quoniam Graecorum oratorum praeſtantiſſimi ſunt ij, qui fuerunt Athenis, eorum autem princeps facile Demoſthenes; hunc ſi quis imitetur, eum & Attice dicturum, & optime: ut, quoniam Attici nobis propoſiti ſunt ad imitandum, bene dicere id ſit Attice dicere.*

EXPLANATIO

QVI *fuerunt Athenis* ⁊ in ea enim urbe eloquentia maxime floruit. PRINCEPS *facile Demoſthenes* ⁊ quis enim eo diuinior, quis perfectior eſt? in quo uirtutes omnes, & laudes Oratoris exſtiterunt: ſe demittit, & attollit quando uult, diſputat ſubtiliter non minus quam Lyſias, argutę magis quam Hyperides; neque lenitate, & ſplendore uerborum Aeſchini cedit. Multae ſunt eius (ne a iudicio Ciceronis in Oratore, & uerbis diſcedam) totae orationes ſubtiles, ut contra Leptinem: multae & totae graues, ut quaedã Philippicae;

multae uariae, ut contra Aeſchinem; falſae legationis, ut contra eundem pro Cteſiphonte. Iam illud medium quoties uult arripit, & a grauiſſimo diſcedens, eo potiſſime delabitur. Clamores tamen tum mouet, & tum in dicendo plurimum efficit, cum grauitatis locis utitur. quem qui imitabitur, Attice dicet, & optime. PROPOSITI *ad imitandum*] quos imitemur. quoniam ad eloquentiae formam, quod ſaepe diximus, ũm ſuam prae ceteris accommodarunt.

CICERO

SED, *cum in eo magnus error eſſet, quale eßet id dicendi genus; putaui mihi ſuſcipiendum laborem utilem ſtudioſis, mihi quidem ipſi non neceſſarium.*

EXPLANATIO

ID *dicendi genus*] nempe Atticum. quod plerique (ut antea retulimus) gracile, ſiccum, & tenue ſolum eſſe cenſebant. VTILEM *ſtudioſis*] nam duorum praeſtantiſſimorum Oratorum exemplo quale ſit Atticum dicendi genus facile agnoſcunt; ſimul & rationem ex una in aliam linguam conuertendi libros addiſcent.

CICERO

CONVERTI *enim ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes inter ſe contrarias Aeſchinis, Demoſthenisque: nec conuerti ut interpres, ſed ut orator, ſententijs ijſdem, & earum formis tamquam figuris, uerbis ad noſtram conſuetudinem aptis: in quibus non uerbum pro uerbo neceße habui reddere, ſed genus omnium uerborum, uimq. ſeruaui. non enim ea me annumerare lectori putaui oportere, ſed tamquam appendere.*

EXPLANATIO

PRIMVM explicat rationem, quam in uertendo Graecas orationes ſeruauit: deinde laboris ſui fructum oſtendit. NOBILISSIMAS] longe optimas: ad quas ſpectatum tota fere Graecia conuenit. Commendat itaque primum orationes; &, quae illae ſint, demonſtrat. INTER *ſe contrarias*] Aeſchinis contra Cteſiphontem, & pro Cteſiphonte Demoſthenis. NEC *conuerti ut interpres*] cuius officium eſt ex una lingua in aliam ita uertere, ut ſingula uerba uerbis reddantur, quemadmodum qnoque inquit Horatius in Arte poet.

Nec uerbum uerbo curabis reddere fidus
Interpres.

SED *ut Orator*] Orare interdum eſt petere; unde Oratores dicuntur legati, qui ad petendum aliquid mittuntur: interdum eſt cauſſam agere; unde Oratores uocantur, qui in foro, cauſſisq. ciuilibus uerſantur: interdum Orator eloquentem ſignificat, nimirum copioſe, & ornate quauis de re dicentem. atque eloquentia iccirco cauſſarum actorum propria uidetur, quoniam ipſi primi orationem exercuerunt, & expoliuerunt. Itaque ab eloquendo Orator dictus eſt, Graece ῥήτωρ: quamquam hoc nomen apud Latinos magiſtrum artis oratoriae ſignificat. at, qui in fictis cauſſis ingenium, & uires exercent, neque in aciem prodeunt, a quibuſdam Declamatores, a nonnullis Sophiſtae nuncupantur. Ergo VT *Orator*] qui uerborum proprietati, copiae, & ornatui ſtudet, hoc eſt, eloquentiae. SENTENTIIS *ijſdem*] ſeruatis iiſdem ſenſis. ſiquidem in uertendo hoc eſt in primis animaduertendum, ne ſententia, uel ſenſus immutetur. EARVM *formis tamquam figuris*] quas Graeci uocant σχήματα, quoſdam quaſi (ut ait Cicero in Orat.) geſtus. Nam, quemadmodum uerborum, ſic etiam rerum ſuae ſunt figurae: quarum ad probandum aliae ſunt acriores, aliae ad mouendum aptiores; ut praeclare Fabius lib. 1. docet. VERBIS *ad noſtram conſuetudinem aptis*] hoc eſt, a nobis uſitatis, & in noſtro more loquendi poſitis. VERBVM *pro uerbo reddere*] quod eſt interpretis, non conuerſoris. GENVS *uerborum*] liceat mihi dicere qualitatem, quam Graeci ποιότητα uocant. VIM] quam Graeci uocant δύναμιν appellant, ut non minor ſignificatae rei uis in Graeco, quam in Latino uerbo ſit. NON *enim ea me annumerare lectori putaui oportere, ſed tamquam appendere*] metaphora ſumpta a uendentibus; quorum alij numerum, alij pondus earum rerum, quas uendunt, inſpiciunt. qui uerbum pro uerbo reddunt, annumerare uidentur; at, qui ſententiarum, & uerborum generã, ac uirtutes in uertendo ſeruant, ij recte appendere dicuntur. TAMQVAM] ad emolliendam ſimilitudinem, ſi durior, & ad explicandam, ſi obſcurior eſt, commode huiuſmodi aduerbia quaſi, tamquam, uelut, & his ſimilia adhibentur.

CICERO

HIC *labor meus hoc aſſequetur, ut noſtri homines, quid ab illis exigant, qui ſe Atticos uolunt, & ad quam eos quaſi formulam dicendi reuocent, intelligant.*

EXPLANATIO

OSTENDIT, quem ſtudioſis fructum labor iſte allaturus ſit. Nam intelligent, quid ſit Attice dicere, & cognoſcent in nouis iſtis Atticis copiam, & ornatum deeſſe, ac poſſe illos, immo etiam debere in tenuem dicendi formam & ſubtilem, non in amplam illam, & admirabilem, in qua Graecorum praeſtantiſſimi Oratores excelluerunt, includi.

CICERO

SED exoriĉtur Thucydides: eius enim quidam eloquentiam admirantur: id quidem recte, ſed nihil ad eum oratorem, quem quaerimus. aliud eſt enim, explicare res geſtas narrando; aliud, argumentando criminari, crimen ue diſſoluere: aliud, narratione tenere auditorem; aliud, concitare.

EXPLANATIO

EXCLVDIT modo genus dicendi hiſtoricorum, ab ea, quam quaerit, eloquentiae forma. Quod etiam in Oratore ad Brutum his uerſis ſcripſit: Ecce autem aliqui ſe Thucydidios eſſe profitentur, nouum quoddam imperitorum, & inauditum genus. Nam, qui Lyſiam ſequuntur, cauſſidicum quendam ſequuntur, non illum quidem amplum, atque grandem, ſubtilem, & elegantem tamen, & qui in forenſibus cauſſis poſſit praeclare conſiſtere. Thucydides autem res geſtas, & bella narrat, & proelia, grauiter ſane, & probe, ſed nihil ab eo transferri poteſt ad forenſem uſum, & publicum. ID *quidem recte* ? nam compoſitionis ſtudio, & dicendi artificio facile omnes hiſtoricos ſuperauit, ſincerus, & grandis rerum pronunciator, habitus hiſtoriae pater: qui de bello Peloponneſiaco hiſtoriam non minus prudenter, & grauiter, quam uere ſcripſit. SED *nihil ad eum oratorem, quem quaerimus* ? Oratorem antea diximus interdum eum intelligi, qui quauis de re eleganter loquitur; at uero hic eum Cicero intelligit, qui in foro, cauſſisq. ciuilibus uerſatur, cuiq. propoſitum eſt docendo, delectando, mouendo perſuadere. Quoniam uero Thucydides ſemper eſt denſus, breuis, & inſtans ſibi habens obſcuras ſententias, & abditas, uix ut intelligatur, quod in oratione ciuili maximum uitium eſſet, nihil fere ex eo in forenſem uſum transferri poteſt. ALIVD *eſt enim explicare res geſtas narrando* ? quod eſt proprium hiſtorici. ALIVD *argumentando criminari, crimen ue diſſoluere* ? quod eſt Oratoris in genere iudiciali: quod duobus officiis conſtat, accuſatione, & defenſione. Porro huius maxime generis Cicero meminit, quoniam in eo ſuas uires omnes, & laudes eloquentia maxime explicat, & oſtentat. ALIVD *narratione tenere auditorem, alìud concitare* ? a diuerſis officiis diſſimilem debere utriuſque orationem eſſe demonſtrat. Vnde Oratoris, quia mouere affectus debet, & rapere in ſuam ſententiam auditorem, grauis, & uehemens eſt oratio; hiſtorici uero lenis, & aequabilis, cui propoſitum modo eſt lectorem narratione ſua detinere.

CICERO

AT loquitur pulchre: num melius, quam Plato? neceſſe tamen eſt oratori, quem quaerimus, controuerſias explicare forenſes, dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permouendum.

EXPLANATIO

PROPONIT, quod obiiceretur, Thucydidem pulchre loqui, & eleganter, tum a maiori reſpondet obiectioni. NVM *melius, quam Plato* ? qui uel acumine diſſerendi, uel eloquendi facultate reliquorum eſt magiſter, & princeps: cuius (ut dicunt Graeci) ſermone, ſi uellet, Iuppiter loqueretur. Sed eius oratio forenſi Oratori uſui non eſt. Nam hiſtorici, & philoſophi uel narrando, uel docendo unam formulam orationis ſequũtur tenuem, & elegantem, non abhorrentem ab ipſarum rerum tractatione: at Orator iſte, qui forenſes controuerſias, ſeu cauſſas explicat, orationis genus adhibere debet aptum ad docendum, ad delectandum, ad permouendum: in quo inſit cum breuitate acumen, cum lenitate ſuauitas, cum uehementia grauitas.

CICERO

QVARE, ſi quis erit, qui ſe Thucydidio genere cauſſas in foro dicturum eſſe profiteatur; is abhorreat etiam a ſuſpicione eius, quae uerſatur in re ciuili, & forenſi: qui Thucydidem laudabit, adſcribat ſuae noſtram ſententiam.

EXPLANATIO

ETSI Cicero quodam in loco dixit Oratoris munus eſſe hiſtoriam ſcribere, & nos in eo libello aſſeruimus, quẽ De ſcribenda hiſtoria compoſuimus, quod uidelicet omnis cultus orationis aut ſit Oratoris, aut ab

ab Oratore petendus; tamen oratio, quae rerum geſtarum explicationi conuenit, longe a forenſi dictione, quam quaerimus, diſſimilis eſt. Quod ſi quis (etenim uarietas ingeniorum ſemper ſcriptorum peperit uarietatem, & lectorum) cauſſas forenſes hiſtorico dicendi more dicturum ſe profiteatur, is etiam remouere a ſe ſtudeat omnem ſuſpicionem eius dicendi rationis, quae in foro, cauſſisq. ciuilibus uerſatur: &, qui Thucydidem laudat, ſentiat quoque idem cum Cicerone, nempe hiſtorici orationem nihil ad forenſem Oratorem pertinere.

CICERO

QVIN *ipſum Iſocratem, quem diuinus auctor Plato ſuum fere aequalem, admirabiliter in Phaedro laudari fecit a Socrate, quemq. omnes docti ſummum oratorem eſſe dixerunt, tamen hoc in numero non repono. non enim in acie uerſatur, & ferro, ſed quaſi rudibus eius eludit oratio.*

EXPLANATIO

NON modo Hiſtoricorum & Philoſophorum, ſed etiam Sophiſtarum orationem differre ab ea forma eloquentiae, quam quaerit, affirmat: ut minus mirum uideatur, ſi illorum oratio ad perfectam eloquentiae formam referri non debeat, cum iſtorum non poſſit, quorum ſtudium in eloquentia totum poſitum eſt. Sophiſtas ante diximus a nonnullis declamatores uocari: declamatores uero eos eſſe, qui in fictis ſe cauſſis exercent. Eſt ergo a maiori ad minus argumentum. IPSVM *Iſocratem* ⁒ ut pote Sophiſtarum optimum: quem unum aequalis Plato, & quidem exagitator omnium rhetorum miratur. IN *Phaedro laudari fecit a Socrate* ⁒ quem Platonis locum Cicero ſic conuertit in Oratore. Eſt in extrema pagina Phaedri his ipſis uerbis loquens Socrates. Adoleſcens etiam nunc o Phaedre Iſocrates eſt. Sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Maiore mihi ingenio uidetur eſſe, quam ut cum orationibus Lyſiae comparetur: praeterea ad uirtutem maior indoles: ut minime mirum futurum ſit, ſi, cum aetate proceſſerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc ſtudet, tantum quantum pueris, reliquis praeſtet omnibus, qui umquam orationes attigerunt: aut, ſi contentus his non fuerit, diuino aliquo animi motu maiora concupiſcat. Ineſt enim natura philoſophia in huius uiri mente quaedam. De Iſocrate etiam Fabius lib. 10. cap. 1. ingeniorum acutiſſimus & praeſtantiſſimus iudex haec ſcribit: Iſocrates in diuerſo genere dicendi nitidus & comptus, & palaeſtrae quam pugnae magis accõmodatus, omnes dicendi Veneres ſectatus eſt. nec immerito. auditoriis enim ſe, non iudicijs comparat, in inuentione facilis, honeſti ſtudioſus, in compoſitione adeo diligens, ut cura eius reprehendatur. Haec Fabius. Et de Iſocratis ludo praeſtantiſſimi in omni genere ſtudiorum, quaſi ex equo Troiano innumeri principes exiiſſe dicuntur. Cuius gloria permotus Ariſtoteles coepit artem dicendi profiteri, iactans uerſum illum ex Philocteta Sophoclis tragoedia deflexo ſenſu,

αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.

NON *in acie uerſatur, & ferro* ⁒ grauiores cauſſas non egit, neque in foro magnas cauſſas tractauit: unde corona, uelut ab Olympijs, petitur, aſſenſus inquam, & approbatio audientium: ſed intra parietes ſe continuit, dictus ἰσχνόφωνος, quoniam uoce impeditus eſſet. QVASI *rudibus eius eludit oratio* ⁒ quod Fabius dixit, palaeſtrae, quam pugnae magis accommodata. Rudes baculi ſunt, quibus exercitationis gratia inter ſe certabant gladiatores. Vnde ad magni Oratoris nomen grauitas, & uehementia requiritur, quae audientes in admirationem traducit.

CICERO

AME *autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobiliſſimum inducitur, Aeſchines, tamquam Aeſerninus, ut ait Lucilius,*

Non ſpurcus homo, ſed doctus, & acer.

Cum Pacidiano hic componitur, & optimu' longe

Poſt homines natos.

nihil enim illo oratore arbitror cogitari poſſe diuinius.

EXPLANATIO

AESCHINEM, & Demoſthenem uere Oratores, non Sophiſtas, quod grauiſſimas cauſſas in foro agerent, atque in acie uerſarentur, & ferro, ne a propoſita metaphora diſcederet, gladiatores uocauit: atque alterum Aeſernino docto, & acri, alterum Pacidiano, omnium mortalium optimo, qui ſunt apud Lucilium, ſimilem facit. De quibus haec etiam Fabius lib. x. cap. 1. Oratorum longe princeps Demoſthenes, ac paene lex orandi, tanta uis in eo; tum denſa omnia, ita quibuſdam neruis intenta ſunt; tum nihil otioſum: is dicendi modus, ut, nec quid deſit in eo, nec quid redundet, inuenias. Plenior Aeſchines, & magis fuſus, & grandiori ſimilis, quo minus ſtrictus eſt; carnis tamen plus habet, lacertorum minus. Aeſerninus cum Pacidiano, in prouerbium abijt, pro pugna aequali. cui ſimile illud eſt, Bithus cum Bacchio. Horum carminum Lucilij, quae libro quarto Satyrarum habentur, meminit etiam Cicero Tuſcul. II. & in Bruto.

CICERO

CICERO

*H*VIC *labori noſtro duo genera reprehenſorum opponuntur: unum hoc: Verum melius Graeci. a quo quaeratur, ecquid poßit ipſe melius Latine? alterum, Quid iſtas potius legam, quam Graecas (Ijdem Andriam, & Synephoebos, nec minus Terentium, & Caecilium, quam Menandrum, legunt: nec Andromacham, aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipiant: ſed tamen Ennium, & Pacuuium, & Attium potius, quam Euripidem, & Sophoclem, legunt. Quod igitur eſt eorum in orationibus e Graeco conuerſis faſtidium, nullum cum ſit in uerſibus?*

EXPLANATIO

OCCVRRIT duobus reprehenſorum generibus. Primum, quod obijcitur eſt, non aeque bene ſcriptas eſſe Latine. cui ſatis habet reſpondere, illos certe melius Latine non poſſe. Alterum, potius legendas eſſe Graecas; ad quod inquit a pari non debere in orationibus e Graeco conuerſis faſtidium ullum eſſe, cum nullum ſit in uerſibus. Quod probat exemplis. Eandem ſententiam lib. 1. De finibus bonorum, & malorum legimus contra eoſdem reprehenſores. Verba ſunt haec: His igitur eſt difficilius ſatisfacere, qui ſe Latina ſcripta dicunt contemnere: in quibus hoc primum eſt, in quo admirer, cur in grauiſſimis rebus non delectet eos patrius ſermo, cum ijdem fabellas Latinas ad uerbum de Graecis expreſſas non inuiti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano eſt, qui Ennii Medeam, aut Antiopam Pacuuii ſpernat, aut reiiciat? qui ſe iiſdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas litteras oderit. Synephoebos ego (inquit) potius Caecilii, aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam. A quibus tantum diſſentio, ut cum Sophocles uel optime ſcripſerit Electram, tamen male conuerſam Atilii mihi legendam putem: de quo Licinius Ferreum ſcriptorem, uerum, opinor, ſcriptorem tamen, ut legendus ſit. Rudem enim eſſe in noſtris Poetis aut inertiſſimae ſegnitiae eſt, aut faſtidij delicatiſſimi.

CICERO

*S*ED *aggrediamur iam, quod ſuſcepimus; ſi prius expoſuerimus, quae cauſſa in iudicium deducta ſit.*

EXPLANATIO

QVO melius orationes intelligerentur, quaeſtionem, in qua uerſantur, paucis explicuit, illarum inquam argumentum. CAVSSA] controuerſia, ſiue quaeſtio.

CICERO

*C*VM *eſſet lex Athenis, ne quis populi ſcitum faceret, ut quiſquam corona donaretur in magiſtratu prius, quam rationes retuliſſet: & altera lex, eos, qui a populo donarentur, in concione donari debere; quia in ſenatu Demoſthenes curator muris reficiendis fuit, eosq. refecit pecunia ſua: de hoc igitur Cteſiphon ſcitum fecit, nullis ab ipſo rationibus relatis, ut corona aurea donaretur, eaq. donatio fieret in theatro, populo conuocato, qui locus non eſt concionis legitimae; atque ita praedicaretur, eum donari uirtutis ergo, beneuolentiaeque, quam erga populum Athenienſem haberet.*

EXPLANATIO

HOc ipſum argumentum fuſius tractat Libanius. nos paucis euoluamus. Vt Philippus Alexandri Magni pater rex Macedonum uictis Thebanis illorum urbi praeſidium impoſuit, Athenienſes, qui in eodem bello Thebanorum ſocii fuerant, a rege ſibi metuentes, urbis moenia, quae multis in locis labefactata erant, reficienda decreuerunt. Cui operi decem ex unaquaque tribu electi ſunt: quorum unus fuit Demoſthenes e tribus Pandionis; qui non modo operam ſuam praeſtitit, ſed etiam priuatam pecuniam in reficiendis patriae muris impendit. Quamobrem Cteſiphon, unus ex his, qui remp. adminiſtrabant, retulit ſententiam ad ſenatum de donando Demoſthene ob tale beneficium a ſenatu, & populo aurea corona in Dionyſij theatro: qui maximus honor apud Arhenienſes benemeritis ciuibus dabatur. Itaque in Dionyſii Theatro aurea corona Demoſthenes donatus eſt acclamante praecone, ὅτι ϛεφανοῖ δημοσθένην δημοσθένους παιανιέα ἡ πόλις ἀρετῆς συμπάσης ἕνεκα, καὶ εὐνοίας τῆς πρὸς αὐτήν. Quod cum factum eſſet contra leges, occaſionem Aeſchini obtulit accuſandi Cteſiphontem, & eius nomine in iudicium facta, & famam Demoſthenis uocandi. PRIVSQVAM *rationes retuliſſet*] adminiſtratae rei. Haec una lex erat, quae prohibebat neque populi ſcitum fieri, neque donari corona quemquam poſſe, qui cuipiam rei praefectus eſſet; ſi non rationes illius rei prius retuliſſet. Demoſthenes autem non relatis rationibus plebiſcito a Cteſiphonte facto corona donatus eſt. QVI *a populo donarentur, in concione donari debere*] ſenatus, ſi donare aliquem corona uoluiſſet, alio in loco, praeterquam in curia, donare non poterat: nec populus niſi in curia, ſeu conſilii loco, quem πνυκὴν Graeci uocant.

Erat

Erat & tertia lex,quae iubebat totam illius uitam inſpici, & uniuerſam reip. adminiſtrationem, & acta publica,quae in Matroum (quo in loco Phrygiae deae ſacro acta publica continebantur) inferrentur,recte ſcripta eſſent,ac nullius falſitatis argui poſſent. Nvllis *ab ipſo rationibus relatis*} id quod lex prima prohibebat. In *theatro*} Dionyſij,ſiue Liberi patris,aut Bacchi: quo in loco tragoediae,quae a Bacchi uictoriis principium duxere,agebantur. Pavllo *conuocato* } qui conuentus πανήγυρις dicebatur. Qvi *locus non eſt concionie legitimae*} conſilij locus. Legitima uero donationis huiuſmodi loca ſecundum alteram legem erant pro ſenatu curia, pro populo concio. Contra tertiam legem erat illud, quod poſtmodum dicitur: quoniam Demoſthenes nec uir bonus eſſet, nec benemeritus de ciuitate.

CICERO

Hvnc igitur Cteſiphontem in iudicium adduxit Aeſchines, quod contra leges ſcripſiſſet, ut &, rationibus non relatis, corona donaretur, & ut in theatro; & quod de uirtute eius, & beneuolentia falſa ſcripſiſſet; quoniam Demoſthenes nec uir bonus eſſet, nec bene meritus de ciuitate.

EXPLANATIO

Volebatq. Aeſchines,ut Demoſthenes eodem ordine reſponderet, ac primum de rationibus non relatis, tum de loco, poſtremo de geſtis a ſe rebus diceret. Verum Demoſthenes ab eo,quod erat firmiſſimũ, coepit; ac primum de ſua in patriam beneuolentia,rebusq. a ſe geſtis diſſeruit, tum de rationibus, poſtremo de loco: ac poſt ad beneuolentiam ſuam erga patriam,& merita rediit: in qua beneuolentia totius cauſſae maximum firmamentum collocauerat.

CICERO

Cavssa ipſa abhorret illa quidem a formula conſuetudinis noſtrae. ſed eſt magna: habet enim, & legum interpretationem ſatis acutam in utramque partem, & meritorum in remp. contentionem ſane grauem.

EXPLANATIO

Consvetvdinis *noſtrae*} quoniam Romani in huiuſmodi contentionibus, & cauſſis minime uerſabantur. Status autem, in quo uerſatur cauſſa, eſt qualitatis, ſeu negotialis. Agitur de legibus, de ſcripto, & uoluntate, ac diſputatur in utramque partem: atque igitur de meritis in remp. quae potiſſimum qualitate cernuntur. Interpretationem *ſatis acutam*} acumen eſſe debet interpretationis, contentionis grauitas.

CICERO

Itaqve cauſſa fuit Aeſchini, quoniam ipſe a Demoſthene eſſet capitis accuſatus, quod legationem ementitus eſſet, ut, ulciſcendi inimici cauſſa, nomine Cteſiphontis iudicium fieret de factis, famaq. Demoſthenis.

EXPLANATIO

Cavssa, quae Aeſchinem induxit in hanc accuſationem, fuit, ut Demoſthenem ulciſceretur, a quo prius ipſe falſae legationis accuſatus fuiſſet. Nam rebus cum Philippo male geſtis circa Amphipolim, Athenienſes ad poſtulandum a rege pacem decem legatos miſerunt: pactiſq. induttiis ad ineundum foedus eoſdẽ remiſerunt; inter quos fuerunt Aeſchines, & Demoſthenes. Demoſthenes uero poſtea Aeſchinem falſae legationis accuſauit, obiiciens, quod Philocrati turpes, & inutiles pacis condiciones ferenti ſubſcripſiſſet; quod ſtatutum tempus inaniter contriuiſſet, unde multa Philippus in Thracia occupauit; quod ad ſenatum falſa renunciaſſet. quae res erat omnino capitalis.

CICERO

Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quam de eo, quod ciuis improbus, ut optimus, laudatus eſſet.

EXPLANATIO

Ivdicivm nomine quidem fit Cteſiphontis, ſed re uera de factis, famaq. Demoſthenis. Vnde ſatis quaeritur in principio fere orationis ſuae Demoſthenes, quod iudicium uideatur contra Cteſiphontem inſtitutum, ſed de ſua fama, uirtute, & uita fiat.

CICERO

Hanc multam Aeſchines a Cteſiphonte petijt quadriennio ante Philippi Macedonis mortem: ſed iudicium factum eſt aliquot annis poſt, Alexandro iam Aſiam tenente.

EXPLANATIO

Notatvr tempus, quo Aeſchines petiit Cteſiphonti multam, quae erat quinquaginta talentorum, irrogari. Qvadriennio *ante Philippi Macedonis mortem* qui a Pauſania nobili ciue Macedone (ut refert Iuſtinus lib. 9.) interfectus fuit; ſed quod iudicium factum eſt Alexandro *iam Aſiam tenente* Victo Perſarum Rege Dario.

CICERO

Ad quod iudicium concurſus dicitur e tota Graecia factus eſſe.

EXPLANATIO

Qvae ad ſacra Dionyſia conueniens donari aurea corona Demoſthenem in theatro uiderat.

CICERO

Qvid enim aut tam uiſendum, aut audiendum fuit, quam ſummorum oratorum, in grauiſſima cauſſa, accurata, & inimicitijs incenſa contentio?

EXPLANATIO

Sed Aeſchines ſuffragiis deſtitutus, ut quidam uolunt, in exſulium miſſus fuit; ut alio confirmant, Rhodum ſibi ſponte delegit: ubi cum Demoſthenis orationem contra ſe habitam legiſſet, mirantibus cunctis, quid ſi illam, inquit, beſtiam audiſſetis?

CICERO

Qvorvm ego orationes ſi, ut ſpero, ita expreſſero, uirtutibus utens illorum omnibus, id eſt ſententijs, & earum figuris, & rerum ordine, uerba perſequens eatenus, ut ea non abhorreant a more noſtro; quae ſi e Graecis omnia conuerſa non erunt, tamen, ut generis eiuſdem ſint, elaborauimus) erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Attice uolunt dicere.

EXPLANATIO

Concludit has orationes, ſi recte, ut ſperat, expreſſerit, fore his, qui Attice uolunt dicere, tamquam regulam, ſiue normam, ad quam orationem ſuam dirigant, cuius rei gratia laborem hunc conuerrendi ſuſcepiſſe ſe antea teſtatus eſt. Rationem uero, quam in conuertendo tenuit, etiam ante monſtrauit. Non uerbum uerbo reddidit, ſed eundem ordinem rerum ſeruauit, ſententiisq. iiſdem uſus eſt, & ſententiarum figuris. uerbis uero in Romano ſermone poſitis, atque uſitatis, eandemq. fere uim, & ſignificationem cum Graecis habentibus. Vnde prima conuerſoris cura eſſe debet, ut ſententiis rite explicet, illarumq. uim, & ornatum accurate aperiat, tum ut uerba ſint Latina, & uſitata, modumq. dicendi conſuetus, & proprius. Quod faciet, ſi non ea ſe interpretis lege adſtrinxerit, ut habeat uerbum uerbo reddere.

CICERO

Sed de nobis ſatis. aliquando enim Aeſchinem ipſum Latine dicentem audiamus.

EXPLANATIO

Qvas orationes e Graeco a Cicerone conuerſas D. Hieronymus ſe uidiſſe affirmat: ſed eas nobis, ut permultas res alias praeclaras, iniquitas temporum eripuit.

FINIS

INDEX
RERVM. ET. VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS
Quae in hoc uolumine continentur.

AB, ne uerum ſit, an abs, incertum 336
abeſſe a ſummo 261
abfer non dicitur, ſed aufer 336
abſugitis non dicitur, ſed aufugitis ibid.
abhorret cauſſa a formula conſuetudiuis noſtrae 379
abhorrere —— ut non abhorreant a more noſtro 380
abs in accepti tabulis tantum manet 336
abſoni uoce 23
abſorbuit hunc aestus gloriae adoleſcentibus non inſolitae 278
abſtinere ab alienis mentes, oculos, manus 33
abſum ab iſta ſententia 47
abundantia uitioſa Aſiaticorum pag. 371
abuti uerbo 152
abutimur uerbis propinquis, uel quod delectat, uel quod decet pag. 322
Academia negat quidquam ſciri 7
Academia recentior ab Arceſila manauit 135
Academiae mos patrius, aduerſari ſemper omnibus in dicendo. pag. 18
Academiae princeps Philo 285
Academiae spatia 301
Academici 142
Academicorum nomen unum: ſententiae duae 135
accendi, aut commoueri omnia arte poſſunt 22
accepiſſe multa auribus 42
acceſſit os ad artem 60
acceſſus, & receſſus lunae 155
Accius, Pacuuius, Ennius, diſſimiles 126
Accius, & Pacuuius, iiſdem conſulibus docuerũt fabulam 262
Accij error 212
accipere excuſationem 103
acclamatio aduerſa populi uitandi 112
acclamatio populi, quibus rebus excitetur ibid.
acclamationis populi, quae medicinae ibid.
accubuiſſent lauti 6
accuratae, & meditatae commentationes 50
accuratio mira in rebus inueniendis, & componendis 264
accuratus ſermo 96
accuſationis libri quinque 324
accuſationis liber ſecundus, ubi de Siciliae laude 346
accuſationis liber quartus, de Ennenſi Cerere, &c. 272.2
accuſationem factitauit M. Brutus 234
acer, & acutus in cogitando 79
aceruatim multa frequentare 320
acies acris 96
acies forenſis 29
acies ingeniorum intueri potest. pag. 125
acris memoria 96
actio conſtat e uoce, atque motu pag. 313
actio est quaſi corporis quaedam eloquentia ibid.
actio eſt quaſi ſermo corporis 164
actio in dicendo una dominatur. pag. 361
actio lumen eſt omnium uirtutum oratoriarum 162
actio maxime penetrat in animos pag. 239
actio ſine eloquentia, magna eſt. pag. 313
actio tragica 321
actio uitio uocis, & ineptijs claudicans 261
actionis dignitate infantes eloquẽtiae ſaepe fructum tulerunt. pag. 313
actionis praecepta ibid.
actionis quaeſtio —— ſit ne ſapienti capeſſenda resp. 142
actionis uis 162
actioni omnia tribuit Demoſthenes pag. 238
actioni primas, ſecundas, tertias dedit Demoſthenes 313.362
actione uulgus, imperiti, barbari commouentur 163
actuoſe 140
acuenda lingua 143
acuere ad dicendum 333
acuere ingenium 232
acuere linguam exercitatione dicendi 292
acui ingenia 140
aculei contumeliarum 96
aculei ſententiarum forenſium 67
aculeos relinquere in eorum, qui audiunt, mentibus 99
acumen dialecticorum 23
acumen uerſutum, ſollers, stomachoſum 264
Acuſilaus historicus 64
acuta legum interpretatio 379
acuta uox —— natura in omni uerbo poſuit acutam uocem, nec una plus, nec a poſtrema ſyllaba citra tertiam 314
acutae, crebraeq. ſententiae, quartum a Theophraſto numeratur in orationis laudibus 318
acutis, crebrisq. ſententijs nihil ſubtilius 60
ad aliquem referre 50.46
ad eum finem 29
addubitare quid potius, aut quomodo dicat 332
adducere in controuerſiam 32
adductus in ſummum diſcrimen. pag. 90
adductus ſum, ut crederem 223
adeſſe ſcribendo 121
adhibenda ratio in loquendo, quae mutari non poteſt 270

adhibere aegro medicinam 89
adhibere alicui conſolationem. pag. 292
adhibere curam, & gratiam ad obtinendum 263
adhibere delectum 311
adhibere lumen 129
adhibere quandam in dicendo ſpeciem, atque pompam 107
adhibere religionem 282
adipiſci nomen honoris, non honorem 277
aditus nobis obſtructus 181
aditum dare ad. 121
adiungere uſum frequentem ad doctrinam 21
admirabile — quae res admirabiles 112
admodum 56
admouere aurem Graecis 83
admouere certum uobis ſonum. 315
admouere orationem ad ſenſus animorum 11
admouere orationem animis iudicum, tamquam fidibus manum 253
adoleſcens — in adoleſcente debet ſe efferre fecunditas 71
aduerſus, & auerſus impudicus. 101
adumbrare 122
adumbrare dicendo 90
adumbrare ſpeciem eloquentiae excellentis. 310
aduocatus 90
aduocatus ſederet reo Beſtiae. 104
aenigmata ſunt ex translationibus 152
aequum, placatumq. aliquem dimittere 307
Aeſchini, quae cauſſa fuerit accuſandi Cteſiphontis 379
Aeſchines, Hyperides, Demoſthenes 72
Aeſchines damnatus ceſſit Athenis, & ſe Rhodum contulit. 362
Aeſchines Orator 192
Aeſchines Mileſius Aſianus. 291
Aeſchines Demoſthenem belluam appellat. 305
Aeſchini ne Demoſthenes quidem uidetur Attice dicere 305
Aeſchinis dictum de Demoſthene. 162
Aeſchines quaedam in Demoſthene reprehendit, & exagitat. 305
Aeſchines ſonitum habuit 126
Aeſchines tamquam Aeſerninus, ut ait Lucilius, non ſpurcus homo 377
Aeſchines, Academicus 63
Aeſchylus 126
Aeſchylus Cnidius, Aſianus 291
Aeſopus, ſi paullum irrauſerit, exploditur 46
aeſtimator — iuſtus rerum aeſtimator 332
aeſtus hunc gloriae abſorbuit. 58
aeſtus ingenij procul te a terra abripuit 147
aetas hominis debet contexi cum ſuperiorum aetate, memoria rerum ueterum 327
aetatis flexus 1
aetate longius prouectus 233
aetate procedere 341
Aetio pictor 211
affecta aetas 250
affectus — oratio ad affectus mouendos, uehemens, incenſa, &c. 330
affectus ſenectute 135
afferre delectationem 180
afferre obſcuritatem, & tenebras. 129
afferre ſalutem 181
affingere aliquid alicui 126
affingere probam orationem improbo 417
affluentes otio nimio, & ingeniis uberrimis 132
Africanum εἴρωνα appellat Fannius 103
Africanus εἴρων 283
Africanus grauitatem habuit in dicendo 126
agendi conſilium 142
agendi deformitate diſerti multi infantes putati ſunt 312
ager, qui multos annos quieuit, uberiores efferre fruges ſolet. 182
agere geſtum ſpectante Roſcio. 97
agere lege 7
agere primas 286
agere ſuum negotium 103
agere tragoedias in nugis 91
Ageſilaus laudatus 112
aggredi aliquid ſpe magna 56
Alaophon pictor 126
agnaſcendo rumpitur teſtamentum 4
Ahala, Axilla 335
Aiax Oileus 102
A. Albinus Graece ſcripſit hiſtoriam 216
Alcibiades 187
Alcibiades eruditus Socraticis diſputationibus 99
alere ingenium 233
Alexander laudatus 112
alias res agere 131
alias res agere populum mirarere 263
alienatio ſacrorum, quibus uerbis fiat 333
allegoria 322
allegoria ex pluribus tranſlatis uerbis connectitur 152
altius, quam ut nos humi ſtrati ſuſpicere peſſimus 125
amanti nihil difficile 307
ambigere. — omnis res eandem naturam habet ambigendi, de qua quaeri, & diſceptari poteſt 142
ambiguum admirationem magis, quam riſum, mouet 101
ambigui genera plura 101
ambiguum — ex ambiguo, controuerſia 75
ambigua ſunt in primis acuta. 101
ambiguorum genera 75
ambitionis occupatio 1
ambitus ille uerborum 243
ambitus, & plena comprehenſio e quattuor partibus conſtat, quae membra dicuntur 346
ambitus inſiſtit pluribus pedibus. 346
ambitus nominant Graeci uerborum conuerſionem 156
ambitus orationis ponendus, non abiiciendus 345
ambitus uerborum, periodus. 243
ambitus uerborum certi, & circūſcripti 308
ambitus uerborum completus, & perfectus 339
ambroſia alendus 97
amentatae haſtae 274
amoenus, & ſalubris locus 104
amor, quomodo concilietur 91
amouit, abegit, abſtulit 336
amplificatio quantum poſſit in utramque partem 330
amplificatio poteſt plurimum in eo loco, ubi auditorum animi concitantur 142
amplificatione quando ſit utendū. 330
amplius pronunciare 218
anapaeſtus 156
Anaxagoras Clazomenius 99
Anaxagoras 132
Anaxagoras phyſicus Periclem erudiuit 196
anceps cauſſa 89
Andromacha Latina 378
angit me cura 178
angit me dolor 292
anguſtiae temporis 1

animus

atimus acer, & praeſens, & acutus idem, atque uerſutus inuictos uiros effecit non difficilius arte coniuncta 70
animi maxime uoce commouentur 313
annales L. Piſonis 225
annales maximi 63
annumerare uerba —— appendere 375
ante oculos poſita 69
ante praemunire 332
anteire omnes intelligentia 262
antigenidas tibicen 250
Antimachus Clarius, poeta 251
Antiochus ueteris Academiae nobiliſs. philoſ. 287
Antipater hiſtoricus addidit hiſtoriae maiorem uocis ſonum 64
Antipater Sidonius uerſus hexametros, alioſq. uarijs modis ſolitus eſt fundere ex tempore 158
Antiphon Rhamnuſius 199
antiquitas in exemplis auctoritatem habet 339
antiquitatis iter 50
antiquitatis commemoratio, exemplorumq. probatio affert auctoritatem orationi, & fidem 327
Antiſthenes Cynicorum, & Stoicorum parens 134
Antiſtius rabula probabilis. 261
Ἀντίθετα numerum oratorium neceſſitate ipſa efficiunt etiam ſine induſtria 338
Antonius orator —— multa hic de Antonio 237
Antonius diligenter loquendi laude caruit ibid.
Antonius facilis in cauſſis recipiendis erat 256
Antonius magis affectus iudicum animis, quam doctis Sulpicium accuſatorem uicit 91
Antonius non exiſtimabatur tabulas conficere 72
Antonius omnia ſuo loco, ut imperator equites, & pedites, collocabat 236
Antonius probabiliorem populo orationem fore cenſebat ſuam, ſi omnino non didiciſſe putaretur 55
Antonius qua ratione uſus ſit in Norbano defendendo 90
Antonius qua ratione utatur in cauſſis 75
Antonij dicendi genus quale. 126
Antonij genus dicendi multo aptius iudicijs, quam concionibus 244
Antonij uis, animus, dignitas dicendi 77
Antonius, & Craſſus inter ſe comparantur 257
Antonius & Craßus oratores maximi 236
Ἀπαλαῖστοι 346
Apelles, Zeuxis, Aglaophon, diſſimiles 126
Apelles pictor 211
Apelles peccare eos dicebat, qui non ſentirent, quid eſſet ſatis. 317
Aperta debet eſſe narratio magis, quam ceterae orationis partes 111
apiſci, id eſt, adipiſci 50
Apollonius Alabandenſis non patiebatur, eos, quos iudicabat oratores euadere non poße, operam apud ſe perdere 23
Apollonius Rhodi docuit artem dicendi 12
apparatus epularum 320
apparatus uerborum 115
appellare debitorem 182
appellauit nomine 46
appellere mentem ad philoſophiam 83
appendere uerba, non annumerare 375
appetens alieni 79
Appius, Bruti ſocer 290
Appij Caeci oratio de Pyrrho 207
Appius Claudius 226
App. Claudius Bruti ſocer, collega Cicer. in auguratu 273
Appius Claudius Caecus, diſertus 203
Appius dicax 99
applicauerunt ſe ad hiſtoriam ſcribendam 64
aptus compoſitione 284
aquula ſecluſa 85
Aratus ignarus aſtrologiae ornatiſs. uerſibus de caelo, ſtelliſq. dixit 12
Arceſilas ex uarijs Platonis libris hoc maxime arripuit, nihil eße certi, quod aut animo, aut ſenſibus percipi poſſit 135
arceſſere a capite 77. & 122
arceſſere artes ex aliquo loco 292
arceſſitae, undiq. collectae res. 140
arceſſitum dictum, cauendum 101
Archilochus 300
Architas Tarentinus Philolaum inſtituit 99
Architecti uerborum Stoici 230
ardere communi incendio 306
ardens inuidia ſenatus 121
ardor animi non ſemper adeſt. 220
arguere, aut refellere 111
argumeutum ratio ipſa confirmat 92
argumentum, ſimul atque poſitum eſt, arripitur 92
argumento moleſto, aut difficili non reſpondendum 107
argumento quomodo reſiſtatur 92
argumenta cauſſarum expendenda, non numeranda 108
argumenta, in quibus aliquid eſt uitij, remouenda 12
argumenta mediocria in mediam turbam conijciantur 109
argumentorum genus aliud alij cauße generi conuenit 85
argumentorum puncta occulenda 85
argutiae digitorum 314
Ariſtides laudatus 112
Ariſtippus Cyrenaicae philoſ. parens 134
Ariſtophaneus uerſus 343
Ariſtoteles philoſophus 11
Ariſtotelis laus 83
Ariſtoteles, & Xenocrates a Platone 132
Ariſtoteles adoleſcentes exercuit in theſi 311
Ariſtoteles artem dicendi illuſtrauit, atque ornauit 99
Ariſtoteles ceterorum philoſophorum ſtudia admirabili quadam ſcientia, & copia non reſtinxit 300
Ariſtoteles doctiß. acutiſſ. &c. de numeris praecipit 340
Ariſtotelis hypallagen, metonymiam, catachreſin tranſlationi ſubiungit 322
Ariſtoteles Iſocratis aemulus 99
Ariſtoteles Iſocratem laceſſiuit. 314
Ariſtoteles neruoſus 231
Ariſtoteles probat in clauſulis paeana ſecundum. al. paeona 346
Ariſtoteles propoſuit quoſdam locos, ex quibus omnis argumenti ratio inueniretur 83
Ariſtoteles rerum omnium uim, naturamq. uidit 83
Ariſtoteles tradidit praecepta plurima diſſercadi 326
Ariſtus, Academiae ueteris heres, hoſpes, & familiaris Ciceronis. 293
armis tectus 6
armum, pro armorum 336
arripere patrociniū aequitatis 46

ars quid 21
ars quarum rerum ſit 60
ars aliquid limare poteſt 23
ars bene diſſerendi, & uera ac falſa iudicandi, quae διαλεκτική dicitur 83
ars conciliandae uoluptatis reperienda fuit, ſi ijs, qui audiunt, placere & iucundus eſſe is, qui dicit, uoluit 338
ars dicendi opiniones hominum, & ſaepe errores aucupatur 60
ars dicendi ſola uiam tradit argumentorum, & ſententiarum, & deſcriptionis, & ordinis 61
ars demonſtrat tantum, ubi quaeras 82
ars indotata, atque incomitata, & incompta 45
ars iuris ciuilis utrum facilis ſit, necne 46
ars ludicra armorum, & gladiatoria militi prodeſt aliquid. 70
ars memoriae a Simonide inuenta 108
ars niſi naturam delectet, nihil egiſſe uideatur 158
ars nulla eſſe poteſt, niſi quae cognitis, penitusq. perſpectis rebus contineatur 18
ars omnium maxima, quaſi lux ad ea, quae confuſe ab alijs aguntur 240
ars, quae docet rem uniuerſam tribuere in partes 240
ars, quae rem diſſolutam, diuulſamq. conglutinet, & ratione quadam conſtringat, dialectica eſt 32
ars ſalis nulla eſt 95
ars — cum tradita ſunt cuiuſque artis difficillima, reliqua tradi non neceſſe eſt 67
artem aliquarum rerum inſtituere 32
artem nullam eſſe dicendi, aut pertenuem 21
artem nullam eſſe dicendi 18
arte aliquid accipere 22
artes aliter tractantur ab ijs, qui utuntur, aliter ab ijs, qui earum tractatu delectantur. pag. 139
artes — omnes aliae artes ſine eloquentia ſuum munus praeſtare poſſunt, orator ſine ea nomen ſuum obtinere non poteſt pag. 61
artes duae ciuiles, ac forenſes. pag. 241
artes mutae 126
artes. — Omnes in artibus recta, & praua dijudicant, ſine ulla ratione 158
artes omnes olim fuerunt coniunctae, non, ut nunc, diſcerptae 98
artes reconditae 2
artium magnitudines diſtributione partium ſunt deminutae 98
artium omnium magnarum altitudo, ſicut arborum, nos delectat: radices, ſtirpesq. non item 333
artes recolere 1
articulus ad numerum cadens 314
artificioſa uerborum concluſione nullum carmen aptius 60
artificij quam minimam ſignificationem populo dare debet orator 83
aſcendere gradibus 277
aſcendere in magnũ honorem 329
Aſclepiades medicus 12
aſcribere ſuae aliorum ſententiam pag. 377
Aſia tota a Cicerone peragrata. pag. 287
Aſiaticae dictionis duo genera. pag. 290
Aſiatici oratores parum preſſi, & nimis redundantes 200
Aſiaticum dicendi genus adoleſcẽtiae magis conceſſum, quam ſenectuti 290
aſpergendum mendaciunculis id, quod uere narratur 99
aſpergere ſales orationis 321
aſperitas fugienda 338
aſpicere lucem 179
aſpicere per tranſennam 30
aſpirare ad laudem 333
aſſentior tibi utrumque 96
aſſignare alteri 213
aſſiliendum ad 96
aſtrictior uerſu poeta, quam orator 316
aſtrictus certa quadam numerorum moderatione 47
aſtringere numeris 155
Aſtrologia — in aſtrologia caeli conuerſio, ortus, obitus, motusq. ſiderum 32
Athenae omnium doctrinarum inuentrices 2
Athenis primum ſe orator extulit 185
Athenienſiũ ſemper fuit prudens, ſincerumq. iudicium 305
athletae, & gladiatores nihil nec uitando caute faciunt, nec petendo uehementer, in quo non motus hic habeat palaeſtram quandam 348
attentus fieri poteſt iudex tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denunciatione pag. 69
Attice dicere quid 279
Attice dicere 373
Attice dicere — benedicere 375
Attice dicere non eſt bene dicere: ſed bene dicere, Attice dicere eſt 281
Atticus quis 318
Atticus annorum ſeptingẽtorum memoriam uno libro colligauit pag. 327
Attici 95
Attici — Aduerſus eos, qui ſe Atticos eſſe, & Attice dicere uideri uolebant 210
Attici ipſi inter ſe ſunt diſſimillimi 279
Attici quae uitia uitarint 369
Atticorum auxes, teretes, & religioſae 305
Atticorum diſſimilitudines, & gradus 270
Atticorum eſt nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum 287
Atticorum eſt ornate, grauiter, copioſe dicere 306
Atticorum eſt ample, & ornate, & copioſe dicere 374
Atticorum laus propria, quae 304
Atticorum plura genera 305
Atticorum uis ignota eſt, nota gloria 162
Atticum quid ſit 304
Atticum dicendi genus 210
Atticum in Lyſia quid, & quare ſit 306
attingere cogitatione 122
attribuere alicui 58
anceps ſyllabarum 46
auctores locupletiſſimi orationis faciendae 340
aucupari delectationem dicendo 315
aucupari uerba 101
aucupari utilitatem aliquam ad dicendum 66
aucupium delectationis 345
audere etiam cum bonis rebus coniunctam, fugiendum 140
audientiam fieri 111
auditio, & cogitatio praecurrit aetatem 79
auertere animos ab eo, quod agitur 332
auferre in uentrem 102
augendi genere alio utendum in alia cauſſa 334
augendi genere quo utamur in quaque cauſſa, iudicij eſt 334
auguror coniectura 18

augures

INDEX

augures utrum uacationem habeant, quo minus iudicijs operam dent 229
augurum inſtitutis is, qui ab aliquo cooptatus eſt in collegium augurum, illud parentis loco colere debet 163
A. Albinus bene Latine loquebatur 235
A. Sempronius 99
aures extremum ſemper expectant 345
aures inhumanae, & agreſtes. 340
aures mutila quaedam, & quaſi decurtata ſentiunt, 341
aures, quid plenum, quid inane ſit, iudicant 190
aures —— quidquid ſub aurium menſuram cadit, etiam ſi abeſt a uerſu, numerus uocatur. 315
aures teretes 373
aures uocum, & numerorum ſunt iudices 338
aurium iudicium ſubtiliſſimũ. 334
aurium uoluptati morigerari debet oratio 337
auribus elegantis conuentus minime digni 260
auribus idem gratum, quod lateribus tolerabile, & facile 155
aurum multifariam defoßum 85
auxeſis maxime excellere debet in locis communibus 329

B

Bacchari apud ſobrios 323
baiulus 61
barbaria forenſis 23
belle, & feſtiue 140
bellum Punicum 213
bellum Viriaticum 217
bellum Volſcorum 196
bene dicere quid 55
bene dicere non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis ſaeptum teneatur 55
bene, & praeclare 140
beneuolus fit iudex facilius in curſu orationis, quam cum omnia ſunt inaudita 70
blandiri ſuppliciter ijs, a quibus ſit petendum 18
bona dicta, quae falſa ſunt 96
bona exiſtimatio diuitijs praeſtat 85
bonum caußae amplectendum, & ornandum 107
bonis uerbis uti 151
brachium procerius proiectũ 163
brachij contractio in remiſſionibus 314
brachij proiectio in contentionibus 314
breuiter, aut ſummiſſe dicere 92
breuitas, quae 111
breuitas appellanda, cum nullum redundat ibid.
breuitas defraudat aures 348
breuitas eſt, cum tãtum uerborum eſt, quantum neceſſe eſt 98
breuitas in uniuerſa eloquentia laudem non habet 199
breuitas obeſt interdum in narrando 111
Bruges, non Phryges 333
brulla talis delectabatur 139
brumale ſignum 151
buccis fluentibus 152
Burrum Ennius ſemper: numquã Pyrrhum 337
Byzantij 95

C

Cachinnos irridentium commouere 337
cadere in unam formam 308
cadere cauſſa 31
cadere in curſu 233
Caepionis caſus 90
caecae res, & ab adſpectib. iudicio remotae 115
Caecilius comicus 362
Caecilius male locutus Latine 270
Caelius hiſtoricus, al. Coelius 64
C. Caelius, al. Coelius 244
Caelum, rotundum 155
Caepiones duo 223
Caeſaris oratio —— Caeſar nouam rationem orationis attulit. 126
C. Aculeo 32
C. Aculeo propinquus M. T. C. 55
C. Aquillius Gallus iuriſc. 240
C. Bilienus 246
C. Carbo 7. & 223. & 284
C. Carbo eloquentiſſimi uiri filius. 259
C. Carbo conſul 74
C. Carbonis mors nefaria 122
C. Cato, Africani ſororis filius. 226
C. Cenſorius Graecis litteris ſatis doctus 264
C. Clodius Caeci fil. 212
C. Clodius diſertus 244
C. Cornelius cos. 212
C. Coſconius Callidanus nullo acumine 259
C. Cotta 6
C. Cotta orator 249
C. Cotta e ciuitate eiectus 122
C. Curio 227
C. Curio orator 249
C. Curio illuſtris orator 231
C. Curio: de quo multa 277
C. Curio tribunus pl. 284
C. Fabricius ad Pyrrhum de captiuis recuperandis mißus orator. 203
C. Fabricius 102
C. & L. Caepaſij, fratres 266
C. Fannij annales 217
C. Fannij duo 223
C. Fannius M. fil. Laelij gener, moribus, & genere dicendi durior, hiſtoricus 223
C. Figulus 215
C. Fimbria 233
C. Fimbria, M. Craſſi inimicus. 263
C. Flaminius 214
C. Flaminius cos. apud Thraſymenum interfectus 204
C. Gorgonius, eques Ro. 248
C. Gracchus 227
C. Gracchus eloquens: Graccho nemo uberior, nemo plenior. 232
C. Gracchus grandis uerbis, ſapiens ſententijs, genere toto grauis 232
C. Hoſtilij Mancij cõtrouerſia. 125
C. Iulius aedilis 284
C. Iulius Caeſar qualis orator fuerit futurus: ibidem multa de Caeſare 268
C. Iulius Caeſar de cuius laudibus oratorijs multa 271
C. Iulius crudeliſſime interfectus 286
C. Iulius feſtiuitate & facetijs aequalibus ſuis praeſtitit 247
C. Laelius 11. 104
C. Laelius eloquens fuit 41
C. Laelius, & P. Africanus eloquentes 216
C. Laelius laudatur 83
C. Licinius Nerua 233
C. Licinius Caluus, de quo multa 278
C. Licinius, nimium inquirens in ſe, uerum ſanguinem deperderat. 278
C. Lucilius, doctus, & perurbanus 12
C. Lucilius, homo doctus, &c. 58
C. Macer patronus diligentiß. 264
C. Mancinus 32
C. Memmius 104
C. Memmius L. fil. perfectus litteris Graecis. 267
C. L. Memmij fratres, oratores mediocres 235
C. Metellus 102
C. Norbanus a Sulpicio accuſatus 71
C. Perſius litteratus homo 213

C.

INDEX

C. Piſo, gener Ciceronis, ingenio acerrimo, de quo multa hic. 275
C. Stalenus, qui ſe de Staleno Aelium fecerat, idem in facinore manifeſto deprehenſus 260
C. Piſo ſtatarins, & ſermonis plenus orator 265
C. Publicius 103
C. Ruſtius, accuſator uetus 271
C. Ruſticellus Bononienſis 245
C. Sergius Aurata 31
C. Seruilius Glaucia improbiß. poſt homines natos 260
C. Sextius Caluinus 233
C. Sicinius Q. Pompeij Cenſorij, ex filia nepos 272
C. Sulpicius Gallus 214
C. Titius eques Ro. orator mediocris 244
C. Titius ſcripſit tragoedias. 244
C. Tuditanus 221
C. Varro 214
C. Velleius Epicureus 135
C. Viſellius Varro, Ciceronis conſobrinus 272
calamidis ſigna dura 211
calamiſtros adhibere 318
calamiſtris inurere 272
calcei habiles, atque apti ad pedem 43
callide, arguteq. dicere 323
Calliſthenes comes Alexandri ſcripſit hiſtoriam 64
calores animi, atque ingenij motus 22
Caluus dici ſe Atticum oratorem uolebat 279
canachi ſigna rigidiora, quam ut imitentur ueritatem 211
cancellis forenſibus circumſcripta ſcientia 207
canere bellicum 309
cannenſis calamitas 179
cantilena ex ſcholis 21
cantu remoto a modis quibuſdam ſoluta uidetur oratio 342
capere aures 339
capere.—— docendi cauſſa, non capiendi loquitur philoſoph. 315
capere dolorem 173
capita expoſita, nec explicata. 244
caput—— a capite fluere 345
caput—— ad dicendum probabiliter caput eße noße mores ciuitatis 112
caput artis, decere 24
caput eſt quam plurimum ſcribere 27
captioſum populo 252
Carbo profluens quiddam habuit, & canorum in dicendo 126
Caria minime polita, minimeq. elegans 305
Cariſius, orator Atticus 279
carmina in epulis cantitabantur a ſingulis conuiuis de clarorum uirorum laudibus 213
Carneades Acad. 10
Carneades Academiae recentis patronus 135
Carneades artem memoriae habebat 116
Carneades, Critolaus, Diogenes, miſſi legati ad ſenatum ab Athen. 83
Carneades de Clitomacho, & Charmada 312
Carneadis uis incredibilis dicendi, & uarietas 83
carpenda ſaepe membris minutioribus oratio eſt 158
Caßandra 102
caſus in exitu ſimiles 338
Catilina, a Cicerone in ſenatu accuſatus, obmutuit 330
Cato Lyſiae comparatus 282
Cato maior, annos quinque & octuaginta natus exceſſit e uita. 216
Cato maior cum Philiſto, & Thucyd. comparatus 282
Cato, id eſt liber de ſenectute, abſolutus 307
Cato perfectus Stoicus, & tamen eloquens 230
Catonis laus 282
Catonis cum Lyſia comparatio. 20
Catonis luminibus obſtruxit poſteriorum altius exaggerata oratio 210
Catonis orationes non minus multae, quam Lyſiae 207
Catonis maioris orationes quales. 282
Catonis orationes horridulae. 334
Catulus, minime indoctus, bene loquebatur 270
Catuli oratio pura, grauis, cum lepore 126
cauere ab alio, neminem a ſe petiturum 182
cauere ab alio, pro, ſatis accipere 182
cauillatio 95
caußa ambigendi 74
cauſſa, aut controuerſia tribus definitur, lite, aut deliberatione, aut laudatione 142
cauſſa diſcenda eſt primum oratori 74
caußa in rebus ciuilibus maxima: quibus de rebus 32
caußa inferior 188
caußa ſuperior. ibi.
caußa pro Milone dicta, exercitu in foro, & omnibus templis, quae circum forum erant, collocato 372
cauſſa publ. pro Sex. Roſcio prima a Cicerone dicta 286
caußa quamobrem Galbae, & ſimiliũ orationes deteriores ſint, quam habitae 220
caußae controuerſia, quid 69
cauſſa —— in genere caußae finitiuo, ſit ne nomen, quod caußam facit, definiendum 74
cauſſa — quid faciat caußam. 79
cauſſa cadere 31
cauſſae aliae, alia forma dicendi tractandae 318
cauſſae capitis alium uerborum ſonum requitunt, alium rerum priuatarum 161
caußae centumuirales 46
cauſſae, criminum infitiatione defenduntur. 74
caußae, in certis perſonis, ac temporibus locatae, partim in iudicijs uerſantur, partim in laudationibus 26
caußae —— non eodem modo omnes cauſſae ſunt agendae. 325
cauſſae pendent ex genere quaeſtionis, non ex temporibus, neque ex perſonis 79
caußae ſingulae quo tempore defendi coeptae ſint a plurib. 256
caußae —— in cauſſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus 68
cauſſarum genera 74
cauſſarum multitudo eſt infinita. 80
cauſſarum omnium unum eſt naturale principium, una peroratio. 256
cecidit inſperanti, ſed ualde optanti 20
cecidit mihi peropportune 58
cedere honeſte 126
cedere non modo non abiecto, ſed ne reiecto quidem ſcuto 107
cernere —— amicitiae caritate, & amore, cenſus domini uoluntate cernuntur 32
ceruicum mollitia 314
character 331
Charybdis bonorum 152
chorij pedes 158
Chryſippus ieiune, & exſiliter diſputauit 11
Cicero in affectibus mouendis plurimum ualebat 330

Cicero

INDEX

Cicero in quadam cauſſa ſublato rei filio paruo plangore, & lamentatione forum compleuit. pag. 330
Cicero magnificentius genus dicendi attulit, quam antea fuerat pag. 231
Cicero modum omnem, quo animus audientis, uel incitatur, uel lenitur, tentauit 330
Cicero puerum infantem perorans in iudicio tenuit ibid.
Ciceronis aures auidae, & capaces 324
Ciceronis aures non implet Demoſthenes 324
Ciceronis de ſuis orationibus praedicatio, & iudicium ibid.
Ciceronis diſputatio in eos, qui numeros in oratione eſſe debere negant 340
Ciceronis nomen celebratum in foro 287
Ciceroni cum plures dicerent, perorationem relinquebant 330
Ciceroni non ſatisfacit Demoſthenes 324
cincinni oratoris, aut poetae 140
cinnus 304
circuitus, conglutinatioq. uerborum 318
circuitus incitatior numero fertur, & labitur, quod ad finem perueniat, & inſiſtat 342
circuitus uerborum nec breuior, quam aures exſpectent, nec longior, quam uires, atque anima patiatur 158
circulans iudex 253
circumcidere, & amputare aliquid de aliqua re 12
circumueniri 99
circumueſtire dictis 151
ciuitas bene morata, & bene conſtituta 177
ciuitates bene moratae 18
clades importuniſſima ciuitatis. pag. 292
clamare a principio, agreſte quiddam eſt 162
clamator 99
clamator —— orator 249
clamatores facere 291
clamores, & admirationes efficere 239
clari uiri a doctis magiſtris eruditi 99
claudicat, aut inſiſtit oratio 339
clauſulae diligenter ſeruandae. 158
clauſulae in orationibus interpunctae debent eſſe nō librariorum notis, ſed uerborum, & ſententiarum modo 155
clauſulas, & interpuncta uerborū animae interclusio, atque anguſtiae ſpiritus attulerunt 155
clauſulas Ariſtoteles uult longa ſyllaba terminari 156
Cleon turbulentus quidem, ſed tamen eloquens 187
clepſydra —— ad clepſydram latrare 99
Cliſthenes dicendo ualuit 185
Clitomachus Academicus 10
Clitomachus eadem dicebat, Charmadas eodem modo 312
Cn. Flauius 32
Cn. Lentulus 262
Cn. Lentulus actione opinionem dicendi faciebat 263
Cn. Lentulus Marcellinus 266
Cn. Lentulus, ut Curio uerborum bonitate, ita actione, mediocritatem ceterarum dicendi uirtutum occultauit 263
Cn. Octauius eloquens 44
Cn. Octauius M. filius 260
Cn. Pompeius ad omnia ſumma natus 265
Cn. Pompeius Sex. fil. 284
Cn. Pomponius orator 249
Cn. Pomponius lateribus pugnans 259
Cn. Sicinius tribunus pl. 258
Coae Veneris pulchritudo 292
coagmentare uerba 210
coagmentatus concurſus uerborū, & laeuis 155
coemptio 46
coemptionem fecit mulier 46
coeptus adhiberi 384
cogitandum alio tempore quid dicendum ſit, alio tempore dicendum 74
cogitatione, & mente complecti. 301
cognitio omnium rerum, cum dicendi ratione a ueteribus coniungebatur 135
cognitionis quaeſtio 142. & 230
cognitionis tres modi 142
cognoſcere —— quae ſint cognoſcenda ei, qui ueras cauſſas agat 74
cohorrere 121
cohortari ad uirtutem ardenter. 60
collecta gratia ex priuatorum negotiis 99
collectam a conuiua exigere 96
colligare uerbis ſententiam. 339
colligendi ſui cauſſa 6
colliguntur oculis paene innumerabiles uoluptates 126
collocanda non ſunt prima, quae minime ſunt firma 111
collocare in bono lumine 271
collocare quaſi tabernaculum in aliqua re 135
collocari uerba quomodo debeant. 334
collocatio bene ſtructa, ſi diſſoluatur, corrumpitur 352
collocatio quae efficiat 155
collocatio uerborum 346
collocationis praecepta quaedam breuia 312
collocationis quid ſit proprium. 15
colonia Narbonenſis 242
color ueritatis ſine fuco 243
color urbanitatis 246
colorata oratio urbanitate: —— quaſi colorata 246
comiſſatio 152
comicorum ſenarij ita ſunt interdum abiecti propter ſimilitudinem ſermonis, ut uix in his numerus appareat 342
comitas a ſeueritate ualde diſtat. 307
Commentarij C. Iulij Caeſaris. 272
commentarium orationis paullo plenius 244
commentatio domeſtica 275
comminatio 160
committere contra legem 199
commoratio una in re 160
commouere admirationem, & aſſenſionem 253
commouere memoriam 58
communes loci a Protagora ſcripti 197
communicatio 160
communitio 110
comparare ſimilitudines 332
comparatio cum praeſtantibus uiris, in laudatione ualet plurimum 112
compellere in exiguum gyrum 135
compenſare —— labores magna gloria compenſati 122
complecti animo rei alicuius magnitudinem 3
complecti animo 125
complecti cogitando 116
complecti cogitatione 299
complecti omnem rerum memoriā libro 180
complementa numerorum 351
componere artes 199
componere cauſſas 333
componi cum aliquo 377
compoſite, & apte ſine ſententijs dicere,

INDEX

dicere, inſania eſt 523
compoſitio 349
compoſitio tota ſeruit grauitati uocum, non ſuauitati 183
compoſitione uerborum non eneruatur oratio, quin ſine ea nec impetus ullus, nec uis eſſe poteſt 351
compoſitione uerborum non impolitur oratio 64
compoſuit, conſueuit, concrepuit, &c. 337
comprehendenda ſcientia rerum plurimarum eloquentiae cupido 2
comprehendere celeriter animo omnia, quae ſunt in natura rerum 79
comprehendere memoria 29
comprehendere ſenſu, aut cogitatione 125
comprehenſam animo formã quandam eloquentiae habuit Antonius 303
comprehenſio numeroſe, & ante cadat 334
comprehenſio plena conſtat e quattuor 349
comprehenſio uerborum, περίοδος 243
comprimere inuidiam, excitare, oppon. 91
compungunt ſe ipſi ſuis acuminibus 83
conciliandorum animorum oratio lenitatem deſiderat 79
conciliare beneuolentiam 350
concilientur animi quibus rebus. pag. 89
conciliatio, & permotio animorum debet eſſe ſicut ſanguis in corporibus, in oratione fuſae pag. 108
concinnae, & uenuſtae ſententiae pag. 290
concinne diſtributa, non perite 70
concinnitas elaborata 320
concinnitas ſententiarum ornata pag. 291
concinnitas uerborum conficiat orbem ſuum 161
concio maxima quaſi oratori ſcena. 112
concio capit omnem uim orationis 111
conciones ſaepe exclamant, cum apte uerba ceciderunt 339
conciſum, non concaeſum 337
concitandorum animorum ratio uim deſiderat 79
concitandorum animorũ ratio 89
concitare inuidiam 244
concludere argumentum ratione. pag. 332
concludere uerba 140
concluſio quid efficere debeat 111
concluſio ſententiarum 339
confecto ſermone 247
conferre ingenium ad. 225
conferre omnia tela in aduerſarium 23
conferre uſum, ſcientiam, ſtudium ad rem aliquam 40
conficere eundem curſum 290
conficere munus 56
conficiens cauſſa, alia abſoluta, & perfecta per ſe: alia aliquid adiuuans 152
confirmare ſine ulla dubitatione pag. 185
confirmatio, & reprehenſio coniunctae ſunt 111
conformanda oratio, electione, & conſtructione uerborum 2
conformare 126
conformatio ſententiae 331
conformatio uerborum, quid a conformatione ſententiarum differat 160
conformatio oris 23
conformatio uocis 2
conformationes ſententiarum σχήματα 237
conformationes uerborum 160
congerere turbam in ſermonem. pag. 292
coniectis oculis 96
coniectura in cognitione 142
coniectura in quattuor diſpertitur ibid.
coniecturae quaeſtiones in cognitione ibid.
coniecturam mouere 239
coniectura duci ad ſuſpicandum. pag. 203
conijcere oculos in aliquem 60
conijcere ſe in uerſum 158
conſecutio in cognitione 142
conſecutionis duo genera quaeſtionum 143
conſecutionis ex comparatione diſceptatio ibid.
conſecutionis ſimplex diſceptatio ibid.
conſedit cura 179
conſenſio una naturae 125
conſenſus doctrinarum, & concentus ibid.
conſentanea 85
conſenuiſſe uetuſtate 86
conſequentia cernere 302
conſequi facultate rem aliquam. pag. 299
conſequi magnam gratiam 23
conſignare publicis commentarijs pag. 96
conſilium dare de rep. Ad conſilium de rep. dandum caput eſt noſſe remp. Ad dicendum probabiliter, caput eſt noſſe mores ciuitatis 111
conſiſtere in primis, ſecundis, tertijs 300
conſperſa floribus oratio 140
conſtituendum primum in omni diſputatione, quid quidque ſit 327
conſtituere in oculis ciuium 63
conſtituta poena 122
conſtitutiones, an ſit, quid ſit, quale ſit 135
conſtitutiones tres, ſitne, quid ſit, quale ſit 310
conſtrictae res una ui, atque una conſenſione naturae 125
conſtrictum quippiam uno in loco pag. 30
conſtringere ſupplicio 33
conſtructio minuta 334
conſtructio uerborum 2
conſtructio uerborum apta, & qua ſi rotunda 275
conſuetudo cauſſarum ſingularum a pluribus defendendarum quãobrem adſcita ſit 256
conſuetudo gignitur ex exercitatione 116
conſuetudo etiam indocta artifex ſuauitatis 337
conſuetudo pura, & incorrupta. pag. 271
conſuetudo uitioſa ibid.
conſuetudini auribus indulgenti libenter obſequor 336
conſuetudinis regula puriſſima: ea non eſt utendum 270
conſulere in reliquum ſuis uiribus pag. 110
conſumendi otij cauſſa 11
contentio — in contentionem, quomodo aduerſarij adducãtur 91
contendere interdicto cum aliquo. pag. 7
contendere lateribus, aut clamore 87
contentio — non eadem locis omnibus contentione utendum 90
contentiones curſum magis requirunt 347
contentiones uocis binae 50
conteri in re aliqua 47
continere animam 50
continere ſe in ſuis perennibus ſtudijs 292
continuatio longa uerborum 129
contortae res, & difficiles 47
contrahebant nomina ueteres, ut
eſſent

eſſent aptiora, ut Duellium, Bellium nominauerunt 335
contrarium contrario oppoſitum. 349
contraria contrarijs relata 331
contrarijs referendis numeroſa fit oratio 338
contrarijs relata contraria 338
contremiſcere omnibus artibus 23
controuerſia —— quidquid in controuerſia uerſatur, in eo aut ſitne, aut quid ſit, aut quale ſit, quaeritur 328
controuerſia definita certis temporibus, ac reis 142
controuerſia ex ambiguo 74
controuerſia cauſſae 69
controuerſia quaeſtionis 69
controuerſiae ex ſcripti interpretatione 26
controuerſia inter hominum ſententias ubi ſit 111
controuerſiam aut res facit, aut uerba 328
controuerſiae — omnes ad uniuerſi generis uim, & naturam referuntur 79
controuerſiae, factum ne ſit: quale ſit: quo nomine uocetur: recte ne factum ſit 26
controuerſiae temporibus & perſonis notatae 67
contuliſſet duo capita inter ſe contraria 96
contumelia inſanabilis 321
conuerſiones abſolutae 158
conuertere animos hominum ad ſe aliqua re 289
conuertere animos in hilaritatem, aut riſum 332
conuertere ſe aliquo animo, & cogitatione 1
cooptatus in collegium 173
copia dicendi —— qui dicendi copiam genuit, plus reip. dignitatis attulit, quam qui caſtella Ligurum expugnarunt 269
copioſus facultate 284
Corax, dicendi magiſter 136
Corax, & Tiſias primi artem dicendi docuerunt 18
Corax & Tiſias Siculi artem diſcendi primi ſcripſerunt 197
Coriolanus exſul 196
Coriolani mors qualis 196
Corneliae matris Gracchorum epiſtolae 257
Corneliana ſecunda 305
corona —— a corona relinqui. 281
corona multiplex 281
corpus intelligi ſine loco non poteſt 116
corporis bona optanda, non laudanda 112
correctio quid 160
Coruncanius 132
Cotta nihil ample dicebat 325
Cotta orator remiſſus, et lenis 288
Cottae oratio pro lege Varia a L. Aelio ſcripta eſt 255
Crantor philoſophus 135
Craſſi genus 257
Craſſus C. Carbonem adoleſcentulus perculit 7
Craſſus annos natus undeuiginti Carbonem in iudicium uocauit. 134
Craſſus & Antonius inter ſe comparantur 257
Craſſus faſtidioſus erat in cauſſis recipiendis 256
Craſſus plurima & maxima habuit ornamenta dicendi 77
Craſſus pro M' Curio dixit. 252
Craſſus unde exorſus ſit cauſſam M' Curij ibid.
Craſſi oratio 126
Craſſi mors 121
creatur odium 91
crebri ſententijs 187
crepidine quadam ſuſtinetur comprehenſio 350
crepundijs cognoſcere 287
creticus, pes 348
creticus ſententia Ciceronis orationi cadenti aptus 349
cretiones 21
criminum multitudo, non defenſionum, aut locorum, eſt infinita. 79
Critias 72
Critolaus Peripateticus 10. 83
Critolaus oratoris ſtudio prodeſſe poterat 83
cuiuis temporis homo 103
culpam in aduerſarium conferre in eo, in quo reprehendebatur. 332
culpam praeſtare 118. 37
cum nobis non dicitur, ſed nobiſcum 335
cumulatius ſuum munus augere, quam poſtulatum ſit 313
cumulum afferre 187
cunctantem, & quaſi uerecundantem incitare 126
cura, & cogitatione intentus 82
cura me ſollicitat 292
cura me torquet 126
cura mea omnis in hoc ſolet uerſari 108
curator muris reficiendis Demoſthenes 378
C. Curio facile, ſoluteq. uoluebat ſatis interdum acutas, crebras quidem certe ſententias 277
Curio in iudicio quodā priuato uel maximo ſubito totam cauſſam oblitus eſt 258
Curio in omni genere artium honeſtarum indoctus 257
Curio litterarum nihil admodum ſciebat 256
Curio memoria nulla 258
Curio pater in magna cauſſa cum coepiſſet Ciceroni reſpondere, ſubito aſſedit, cum ſibi uenenis ereptam memoriam diceret. 330
Curio pater neminem eſt imitatus 72
Curio ſplendidioribus uerbis utebatur 256
Curio ſuae aetatis tertius a quibuſdam habetur 256
Curionis domus aſſuefacta puro ſermoni 257
Curionis obliuio inſignis etiam in ſcripto 257
currentem incitare 80
curricula multiplicium, uariorumque ſermonum 302
curriculum 184
curſus in oratione incitatior. 345
curſus uerborum 30
curſum uitae tenere 1
cuſtodire litteris 55
cuſtodire memoria 23
cycnea uox 121
Cynici ab Antiſthene 134
Cyrenaici ab Ariſtippo 134

D

DACTYLVS 348
dactylus duas habet breues 344
dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae accommodatior eſt 344
Daedali opus 212
dare ſalutem 6
dare —— quam ſe cumque in partem dediſſet 132
dare ſe 89
dare ſe alicui 104
dare ſe hominum doctiſſ. ſermonibus 55
dare uela 318
dare ueniam 333
dare ueniam, ut, &c. 20
dicere aliud, aliud oportere. 317
dicere —— difficillimum, quid deceat, uidere 317
dicere —— quid deceat, uidendum oratori non ſolum in ſententijs,

ſed etiam in uerbis 317
deceemuiri XII. tabulas perſcripſerunt 11
decernere pro fama, & fortunis 91
decernitur ferro 110
D. Brutus is, qui conſul cum Mamerco fuit 246
D. Brutus M. fil. 226
D. Silanus 265
D. Valerius Soranus 245
declamator de ludo 311
declinare a propoſito, deflectereq. ſententiam 332
decocta ſuauitas 141
decorum 329
decorum — multa de decoro 317
decorum — quid maxime deceat in oratione, uidendum 161
decorum non eſt in omnibus rebus, nec in perſonis idem 317
decorum arte tradi non poteſt 24
decorum tractatur a philoſophis, & grammaticis 317
decori ignoratione multa & in uita, & in oratione peccantur. ibid.
decreta uirtuti praemia 112
decurſus honorum 1
dedere ſe deſidiae, aut maeſtitiae pag. 333
dedita opera 125
deditus ſtudijs 11
deducere ab errore 33
deducta cauſſa in iudicium 378
defendere — quae iure defendantur 74
defenſionis debet unum corpus eſſe 256
deferbuerat oratio 288
deferre cauſſam ad aliquem 129
definiendo rem explicare 302
definitio quid 34
definire extrema ſimiliter 315
definitio doctrinam redolet 174
definitio in cognitione 142
definitio, oratio, quae, quid ſit id, & de quo ambigitur, ſeu agitur, oſtendit quam breuiſſime 327
definitio reprehenſo uno uerbo, aut addito ſaepe extorquetur e manibus 74
definitionis diſceptationes 143
defixus in cogitatione 125
deformata ciuitas 122
defugere aliquid 97
defugere diſputationem 21
degredi ab eo, quod propoſueris, permouendorum animorum cauſſa 109
digrediendi locus ad commouendos animos re narrata, &c. ibid.
digreſſio a re 158
deguſtare auditorum mentes, & ſenſus 42
deijcere de ſtatu 330
de induſtria 352
Deiotari cauſſa ornatiſſime a Bruto defenſa 83
delabi in ſermonem 20
delapſi in fraudem 163
delectare honorarium eſt 362
delectus, & dilectus militum pro eodem 103
delegare quippiam ad aliquem 77
deliberatio omnis inciditur, ſi intelligitur non poſſe fieri 111
delibutus multis medicamentis. pag. 258
delumbare ſententias 352
Demades praeter ceteros facetus pag. 310
Demadis nulla exſtant ſcripta 192
Demetrius Phalereus 72.270
Demetrius Phalereus, eruditiſſimus oratorum 192
Demetrius Phalereus in dicendi genere mediocri ceteris praeſtitit 32
Demetrius Phalereus primus inflexit orationem, & eam mollem, teneramq. reddidit 194
Demetrius Phalereus tranſlationes frequentat maxime 322
Demetrius Syrus dicendi magiſter pag. 287
Demochares 72
Demochares Demoſthenis ſororis filius 279
Democritus phyſicus 11
Democritus ſcripſit, neminem bonum eſſe poetam ſine quodam afflatu furoris 90
Democritus 98.134
Democriti locutio quibuſdam poema uiſa eſt. 2
Democriti 7
Demotari 95
Demoſthenes 11.64.& 72
Demoſthenes oratorum Graecorum princeps 374
Demoſthenes Athenis exagitatur ut putidus 305
Demoſthenes balbus 50
Demoſthenes coniectis in os calculis ſumma uoce uerſus multos uno ſpiritu pronunciare conſueſcebat 50
Demoſthenes curator muris reficiendis fuit 378
Demoſthenis eius artis, cui ſtudebat, litteram non poterat dicere 50
Demoſthenes frequens Platonis auditor 302
Demoſthenes fugit uitioſam uocalium concurſionem 335
Demoſthenes minus facetus habetur: dicax potius fuit 321
Demoſthenes multa perficit: Cicero multa conatur 324
Demoſthenes nihil Aeſchini lenitate cedit, & ſplendore uerborum 325
Demoſthenes nihil Hyperidi argutijs, & acumine cedit 325
Demoſthenes nihil Lyſiae ſubtilitate cedit ibidem
Demoſthenes pleniſſime locutus eſt 50
Demoſthenes Platonem lectitauit, & audiuit 231
Demoſthenes quantum tribuerit actioni 238
Demoſthenes quia frequentiſſime ſententiarum ornamentis utitur, iccirco putatur eius eloquentia maxime laudabilis 331
Demoſthenes ſummiſſime poteſt dicere 372
Demoſthenes uim habuit 126
Demoſthenes unus inter omnes oratores Graecos excellit 301
Demoſthenis fulmina non ita uibrarent, niſi numeris contorta ferrentur 352
Demoſthenis imago ex aere inter ceteras imagines in Tuſculano Bruti poſita 325
Demoſthenis laus 197
Demoſthenis quaedam orationes totae ſubtiles 325
Demoſthenis Philippicae quaedam graues ibid.
Demoſthenis ſtudium, & labor. 150
Demoſtheni nihil admodum deeſt. 191
Demoſthenem oratoribus omnibus anteponit in Bruto Cicero. 304
Demoſthenem ſummam prudentiã, ſummamq. uim habuiſſe dicendi 18
Demoſthene ne Athenae quidem ipſae magis fuerunt Atticae. 304
Demoſthene dicturo concurſus ex tota Graecia fiebant audiendi cauſſa 281
Demoſthene nemo nec grauior, nec callidior, net temperatior. 304
demouere a ſe odium 91
demulcere uoluptate 276
deplorare aliquid 121
deprauatio oris non eſt digna oratore

tore 101
depulſus a conatu 307
depulſi de poſſeſſione 142
deſcendere ad omnem animi remiſſionem, ludumque 58
deſiderium triſte ſuae uirtutis reliquit 173
deſperatione debilitati 300
deſpiciens ſui 116
detrahere de picturae ueteris colore 289
deterrere, exacuere —— oppon. 24
detexta retexere 83
detrudere aliquem ab eo, quod non poteſt, ad id, quod poteſt 24
deuerſorium ſermonis 104
deuincire una complexione, multa 320
deuinctus faſcijs 258
deum——pro deum fidem, non pro deorum fidem 335
deuorãdae ſunt inertiae hominum 264
deuortia doctrinarum 135
deus in aliqua re 151
deus in dicendo 21
dialectica, quae doceat 326
dialecticae munus 240
dialectica quaſi contracta, & adſtricta eloquentia eſt 286
dialectica ſimilis pugno 326
dialectica Stoicorum in excogitandis argumentis muta, in iudicãdis loquax 317
dialectica Stoicorum nihil oratorũ adiuuat 317
dialectica uicina, & finitima rhetoricae 324
dialectici ambigua melius norunt. 305
dialectici qui dicuntur, ſpinoſiora multa quam Ariſtoteles, pepererunt 326
dialectici quid ſuſcipiant 83
dialecticorum eſt diſputare, & loqui 326
dicebat parum 248
dicendi artem eſſe non poſſe 70
dicendi cupiditas in quibus non ſit 197
dicendi, & eloquendi uis ſoli oratori conceditur 314
dicendi faces adhibendae 91
dicendi facultas non debet eſſe ieiuna, atque nuda 42
dicendi genus opidanum, & inconditum 266
dicendi genus ſubtile in probando 316
dicendi genus uehemens in flectendo, & perturbando 316
dicendi modus optimus 128
dicendi opus ex quinque partibus conſtat 262
dicere—— omnis ratio dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa 76
dicendi ratio in medio poſita eſt. 2
dicendi tria genera 303. & 316
dicendi ubertas non ſatis inſtructa ad forenſes caußas 302
dicendi uirtus niſi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, praecepta ſint, exſtare non poteſt 11
dicendo, homines ut dicant, efficere ſolent 26
in dicendo nihil eſt maius, quam ut faueat oratori, qui audiet 89
in dicente uitia acrius uidentur, quam recta 23
dicere atrociter uoce contenta. 313
dicere cauſſam nullo apparatu. 42
dicere cauſſam pro aliquo 218
dicere in utramque partem 136
dicere nemo bene poteſt, niſi qui prudenter intelligit 184
dicere nihil aliud eſt, quam omnes, aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias 331
dicere numquam non eſt ineptum, niſi cum eſt neceßarium 22
dicere probabiliter 111
dicere pulchre, & oratorie, quid ſit 351
dicere quod alienum ſit, improbi eſſe hominis 108
dicere quod opus ſit, non dicere quod non opus ſit 108
dicere ſolute, & ſuauiter 227
dicere.— ſpecies, & quaſi figura dicendi optima 299
dicere ſuſpicioſe, & criminoſe. 234
dicere tranquille, leniter, partite, definite, diſtincte, facete 321
ditere——ut quiſque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, uarioſq. euentus orationis, hominumq. exſpectationem pertimeſcit 23
dicunt melius, quam ſcribunt, peringenioſi homines 224
dichoreus in clauſulis 347
dichoreo clamor concionis maximus excitatus 348
dicta breuia 95
dicta ex ambiguo, argutiſſima. 90
dicta, proprio nomine ſalſa appellantur 96
diducta oratio riuis, non fontibus 125
dies optatus 24
dij genitales 151
difficillimum, ea, quae ſalſe dici poßunt, tenere 96
diffluens extra ripas 287
diffluentes otio 98
difficultas artis rhetoricae 68
digerere in genera 32
digitos ad fontes intendere 33
dignentur res conſimili laude, patheticos 125
dignitas, in ſuadendo finis 111
dignitas——qui ad dignitatem impellit, quid agere debeat 99
diiudicare plurimorum controuerſias 307
dilatare litteras 271
dilectus uerborum elegans 275
diligentia ingenium etiam ex tarditate incitat 82
diligentiae laus 82
diloricare tunicam 77
diluere argumentis res odioſas. 98
dimittere e manibus 324
Dinarchus 72
Dinarchus orator 192
dinumerare, & dimetiri ſyllabas 328
Dio Syracuſius a Platone doctrinis omnibus expolitus 99
Dionem Syracuſium Plato ad liberandam patriam impulit 99
Diodorus Peripateticus 10
Diodotus Stoicus domi Ciceronis mortuus 286
Diogenes Stoicus artem bene diſſerendi tradidit 83
Dionyſius Magnes rhetor, Aeſchylus Cnidius rhetor 67
Diophanes Mitylenaeus, Ti. Gracchi magiſter 224
dirigere artem & manum ad aliquam ſpeciem eximiam 301
diſcentes uita defecit 139
diſcere ——niſi quod quiſque cito potuerit, numquam omnino poterit perdiſcere 139
diſceſſit a ſeſe 275
diſcidium quaſi linguae, atque cordis 132
diſciplina dicendi 244
diſciplina eadem debet eße intelligendi, & dicendi 303
diſciplina uitae, morum, officiorum, uirtutum oratori dicendi facultatem ſuppeditat 303
diſcipuli inter ſe diſſimiles, attamen laudandi, ex eodem ludo exierunt 126
diſcum audire, quam philoſophum malunt 58

INDEX

diſerte dicere, totum eſt oratoris 61
diſerti a Socrate, diſſociati a doctis 135
diſertus quis 18
diſertus eſſe in eo nemo poteſt, quod neſciat 12
diſertos eſſe multos, eloquentem neminem 45
diſertos multos, eloquentem omnino neminem uidit Antonius 303
diſpondeus 300
diſtributio 160
diſputandum de omni re in contrarias partes 29
diſputare, & loqui, eſt dialecticorum 326
in omnibus diſputationibus id, de quo diſputatur, & de quo agitur, debet explanari 40
dißerendi ſubtilitas 12
diſſerere in utramque partem. 311
diſſipata ſententia alicuius ſcriptoris inconditi 337
diſſipatus in inſtruendo 258
diſſoluere crimen. —— argumentando criminari. opp. 376
dißoluta aptis contraria 352
diſtinguere ambigua 303
diſtricta uita ambitionis labore. 121
diſtrictus orbis terrae procuratione, ac ſummi imperij gubernatione 98
diuidere in partes 332
diuortium in uxore 151
docendi ratio acumen requirit. 77
docere alios non eſt turpe, quod tibi diſcere fuit honeſtiſſimum. 333
docere debitum eſt 362
dochimus e quinque ſyllabis conſtat 349
docilis fieri iudex facilius poteſt, cum docet, & explanat orator, quam cum pollicetur ſe demonſtraturum 70
docere non habet dignitatem maxime in ludo 333
dociles magis eſſe poſſunt auditores in principiis, quam in reliquis partibus 111
doctus ab indocto, & rudi non multum differt in iudicando 158
docti iudicium de oratore, non diſcrepat a iudicio uulgi 233
doctoris intelligentis eſt, uidere quo ſua quemque natura ferat pag. 255
doctrina elegans diſertis defuit. pag. 302
doctrina habet quaedam quaſi ad commouendum oratorem, quo quidque referat 26
omnis doctrina ingenuarum artiũ uno quodam ſocietatis uinculo continetur 125
doctrina tranſmarina, & aduenticia 146
doctrina rerum ab alijs quaeritur, ab alijs uerborum 303
doctrina una eſt omnium rerum, quae ſint homine erudito dignae pag. 99
doctrina uetus eadem, & recte faciendi, & benedicendi magiſtra pag. 126
doctrina opus eſt: ſine qua etiam ſi quid benedicitur adiuuante natura, tamen id, quia fortuito fit, ſemper paratum eſſe non poteſt pag. 227
doctrinarum conſenſus, & concentus 125
doctrinarum diuortia 135
dolorem ſuſtinere 176
domicilium ſtudiorum 129
domus iuriſconſulti oraculum eſt totius ciuitatis 33
Doryphorus Polycleti 283
Doryphori ſtatua 300
draco, lator legis 32
duae res, quae permulceant aures, ſonus, & numerus 338
dubitatio 160
dubium — omnia, quae in dubium uocantur, non in perſonis hominum innumerabilibus, neque in temporibus infinitis, ſed in cauſſis generum ſita ſunt 80
ducas licet 101
ducere os 321
ducere animam de caelo 325
ducere ex aliquo ſimilitudinem. pag. 301
ductus opinione uulgi 122
Duellius, Bellius dictus, is, qui primus Poenos claße deuicit 335
dum ſe calor frangat 50
duo diligentiſſime oratori conſideranda: alterum, quod habet commendationem eorum, quos defendit: alterum, quod eſt accommodatum ad eorum, qui audiunt, animos commouendos 76
duo genera ad dicendum dantur oratori 67
duo genera caußarum: unum finitum, alterum infinitum 79
duo genera facetiarum 95
duo genera orationis, quorum alterum leue, alterum uehemens pag. 92
duo, quae admirabilem eloquentiam faciunt ibid.
duo quaerenda in cauſſis: primum quid, deinde quo modo 77
duorum uirorum, aut trium uirorum, numquam dicitur 336
duodecim ſcriptis ludere 41
duplex oratori ſubiecta materies ad probandum 76
duras leges imponere alicui 50

E

EDIDIT, *una littera ſublata. pag.* 337
edixit, una littera ſublata ibid.
effecit ibid.
efferre ad caelum 147
efferueſcens in dicendo 266
efficere auditores bene exiſtimantes 110
effluere ex animo 108
effluit mens 258
effrenati populi moderatio 60
egregia, ac praeclara indoles ad dicendum 24
eiuro, as 121
eiuro iudicem 104
eiuſdem ueſtire, & ornare, quem quos procrearit 77
elati e manibus 91
electio uerborum oratori cum poeta communis 316
elegans homo, & ornatus 31
elegantia, & munditia 318
eleuandum lepore magis, quam contentione frangendum 96
elicere aliquem ad diſputandum; aut ad aliquid aliud agendum pag. 57
elicere curioſe ex altero, quid ſentiat 262
elicere uerbum ex aliquo 20
elocutio inanis eſt, & paene puerilis, niſi ſubſit res ab oratore percepta 2
eloquens quis 18. 316. 329 & 324
eloquens omnibus de rebus loquitur 125
eloquens idem, & improbus, furioſus armis inſtructus 132
eloquens nemo factus uictoria 184
eloquens omnibus rebus ita excellat oportet, ut ei turpe ſit quidquam ſpectari, aut audiri libentius 352
eloquens ſine philoſophia effici non poteſt 302
eloquentes uiri plura detrimenta rebuſpub. quam adiumenta importarunt 6

eloquentia

INDEX

eloquentia quo tempore, & ubi nata, & alta 195
eloquentia a ueteribus Graecis ſapientia nominabatur 132
eloquẽtia admirationis habet multum, iucunditatis minus 112
eloquentia conſtat ex uerbis, et ſententijs 365
eloquentia debet populo probari. 249
eloquentia dialectica dilatata. pag. 286
eloquentia diſperſos homines in unum locum congregauit 6
eloquentia epidictici generis nutrimentis educata 79
eloquentia ex bene dicẽdi ſcientia conſtat 17
eloquentia forenſis ornata uerbis, & ſententijs, iactationem habuit in populo 302
eloquentia forenſis, ſpreta, & repudiata a philoſophis ibid.
eloquentia homines a fera, agreſtiq. uita ad hunc humanum cultum deduxit 6
eloquentia, ingenij lumen 205
eloquentia in rebus urbanis, & pacatis Romae primas tenuit. 333
eloquentia maius quiddam eſt, quam homines opinantur 2
eloquentia multis ex rebus conſtat 2
eloquentia multis poſt alias artes ſaeculis elaborata 185
eloquentia obmutuit 184
eloquentia pacis comes, otijque ſocia 197
eloquentia popularis doctis defuit 302
eloquentia quas res tenere debeat 135
eloquentia res omnium difficillima 185
eloquentia, ſeu lingua hominibus ſuſpecta 333
eloquentia ſolius eſt artis rhetoricae 61
eloquentia uirtus eſt una quaedam 17
eloquentia una eſt de ſummis uirtutibus 132
eloquentia una eſt quaſcumque in oras diſputationis delata eſt. 125
eloquentia utrum erudiſſimi hominum artibus contineatur 1
eloquentiae laus ſumma, rem amplificare ornando 141
eloquentiae laudem nemo ſine ſummo labore, & doctrina conſequi poteſt 116
eloquentiae laude qui ducatur, nõ debet eſſe rudis dialecticae 326
eloquentiae partium, quibus ea cõſtare dicitur, unaquaeque ars eſt magna per ſe 189
eloquentiae quaſi membra quinque 69
eloquentiae, ſicut reliquarum rerum, fundamentum ſapientia 317
eloquentiae ſtudia Athenis uehementer uiguerunt 2
eloquentiae uerae qui operam dat, det prudentiae 184
eloquentiae uis 132
eloquentiam docere, glorioſum eſt 333
eloquentiam in clamore, & in uerborum curſu poſitam putãt 99
eloquentiam ueram & abſolutam cur nemo conſequatur 303
elucere in cauſſis, & in foro 64
elucubrare 286
eludat quaſi rudibus eius oratio 377
eluſit cauſſam, & diſputationem 96
emanauit ſermo 262
emblema uermiculatum 155 & 276 & 334
Empedocles phyſicus egregiũ poema fecit 41
eniſi omni ſtudio 2
Ennius non diſceſſit a communi more uerborum 307
Ennius ſummus epicus poeta 362
Ennius uetera contempſit 339
Ennius 126
Ennius multa in Liuio ſumpſit 214
Ennius quo tempore natus 212
Ennius quo tempore mortem obierit 215
enucleate 191
enucleate dicere 305
enucleatum dicendi genus 126 & 322
enunciare dicendi miſteria 4
Epaminondas 40
Epaminondas laudatus 112
Epaminondas Thebanus doctus homo 190
Ephorus 72
Ephorus, & Naucrates, Iſocratis diſcipuli 340
Ephorus calcaribus egebat 126
Ephorus leuis orator, profectus tamen ex optima diſciplina 344
Epica, medica, dithyrambica poemata 358
Epicus poeta Ennius 362
Epicureorum philoſophia, procul abeſt ab eo uiro, qui reipubl. ſit praefuturus 134
ἐπιδεικτικὸν —— in hoc genere placet omnia dici Theopompeo, & Iſocrateo more 346
ἐπιδεικτικὸν quaſi ad inſpiciendum comparatum, aut oratorem. pag. 308
epidicticum genus —— In epidictico genere dulce orationis genus, & ſolutum, &c. 310
epidicticum genus, proprium ſophiſtarum 310
epulones tres 135
erciſcundae familiae cauſſa 46
erectus, & excelſus, alacri, & prompto ore 32
Eretriaci 134
erigere inclinantem 89
eripere alicui uitam ferro 122
eripere ſe ex turba patronorum. pag. 292
error — noſter error nobiſmetipſis riſum mouet 101
erumpit illinc flumen uniuerſum. pag. 85
erutum ex abdito 318
ἠθικὸν 330
euaſerat ſummus 247
euentus dicendi non ſatis ex ſententia interdum procedit 23
euertebant omnem ingenij cõmendationem, uita, mores, uultus. pag. 264
Eupolis de Pericle ſcripſit, aculeos eum in animis auditorum relinquere ſolitum 6
euolauit oratio 30
euolutus integumentis diſſimulationis 115
Euripides 378
Euxinus Pontus 31
exaedificare opus 30
exaggerare aliquid oratione 45
exacuere, deterrere, oppon. 24
exalbeſcere 23
examinare diligenter uerborũ pondera 305
examinare ſtatera aurificis 83
exangui ſermone diſputare. al. exiguo 11
ex animi ſententia uxorem habere 102
exarſerunt eius reſponſo iudices. pag. 43
exarſimus omni genere amplificationis 324
exceptio, cuius pecuniae dies fuiſſet 31
excipere aliquid memoria dignum ex alterius ſermone 20
excipere hominum uoluntates 58

excipere magnos labores 266
excipere uoces 83
excitare afflictos 6
excitare aliquem motum dicendo pag. 90
excitare iacentem 180
excitare iracundiam 91
excitare memoriam alicuius alicui 307
excitare motum in animis hominum 33
excitare odium 91
excitare ſummum hominum admirationem 291
excitare ſuſpicionem 239
excitare teſtes locupletiſſimos ab inferis ex hiſtoria 289
excitaſsent duos lectores 96
exclamatio uel admirationis, uel conqueſtionis 331
excludere pullos 136
excluſi ab opere temporibus 132
excluſum, al. excuſſum patrocinium pacis 177
exedra, ſeu exhedra 125
exegit, edixit, effecit 337
exempla perpetuarum facetiarum pag. 99
exempla praeſentia, atque uiua. pag. 126
exercetur memoria ediſcendis ad uerbum quamplurimis & noſtris ſcriptis, & alienis 29
exercitatio conſuetudinem gignit pag. 116
exercitatio diſserendi in utramque partem propria putatur duarum Academiarum 142
exercitatio, qua Craſsus utebatur, & Carbo 28
exigere a debitore id, quod debet, ipſius commodo 2
exiguis quibuſdam finibus oratoris munus circumdare. 50
eximere ex aerarijs 102
ex inferiore loco, ex aequo, ex ſuperiore 125
exigere ex carceribus 246
exire ex ore. nihil non conſideratum exibat ex ore 273
ex iure manum conſertum uocare. pag. 7
exiſtimator acerrimus alicuius rei pag. 268
exiſtimator doctus, & intelligens pag. 289
exiſtimatores, non magiſtri 325
exordiri ab ipſa re in paruis cauſſis, ſaepe eſt commodum 115
exordiũ. —quae ſint in exordio facienda 328
exordium dicendi non debet eſse uehemens, & pugnax 110
exordium nugatorium, exſile, uulgare, commune ibid.
exordiũ. — quo utendum exordio, poſtremum cogitandum ibid.
exordia ex uiſceribus cauſsae ſumenda ibid.
exordiorum praecepta 328
exorſa, & dextera 83
expectorare 151
expeditus in pronunciando 79
expeditus uerbis 260
expilati ſumus 96
explere exſpectationem deſiderij. 49
explicans expedite quod propoſuerat 274
explicare ordines temporum 180
explicata ueſtis 241
explicate dicere 132
explicatio mira in differendo. 239
exprimere quandam quaſi formã, figuramq. dicendi 72
exprimere ſenſa dicendo 6
exprimere ſpeciem perfecti oratoris 314
exprimit tuum ſtudium hanc rem a me 333
expromere uim eloquentiae 329
expurgandus ſermo 270
ex ſua ui quando argumenta ſumantur 85
exſorbeatur ſanguis alicuius iniquo iudicio 42
exſpectationi eorum, qui audiunt, quamcelerrime occurrendum eſt 109
exſultantem uerborum audacia reprimere 126
extrema pariter terminata 308
extrinſecus quae ſumantur argumenta 85
extrudere 98
extuliſse ſe in poteſtate 112
extulit 337
exulcerare ea, quae ſanare nequis 108
exulcerare gratiam 241
ex uſu.e rep. 337

F

FABRICIVS eloquens, & ſapiens 132
Fabrum, & procum 336
facere aliquid contra quam deceat, hominis eſt ſtultitiae ſuae plurimos teſtes domeſtico praeconio colligentis 71
facere alteri ſatis 183
facere cum aliquo 251
facere de ſe coniecturam 108
faces uerborum admouere 121
faceta rerum genera 102
facete dicta alias in re, alias in uerbo facetias habent 99
facetiae tradi arte non poſſunt 95
facetiarum duo genera 55. & 99
facetiae non ſolum forenſium actionum, ſed omnium ſermonum 103
facetiarum Craſſi exemplum 96
facetum in re poſitum, quod 101
facetum in uerbis poſitum quod ibid.
faciendae, ac poliendae orationis ignarus 12
faciles in ſuum cuique tribuendo 217
facilius reuocantur ea, quae ſeſe nimium profuderunt, quam, ſi nihil ualet materies, noua ſarmenta cultura excitantur 71
facinoroſi maiore quadam ui, quã ridiculi, uulnerari debent 98
facilius eſt apta diſsoluere, quã diſſipata connectere 222
quid factum ſit, aut fiat, &c. 74
factitare accuſationem 234
faenum eſſe 97
faetus grandiores 79
faetus oratorum uberrimus 249
falſae uoculae in cantu 140
famam confecerat bene loquendi ſuauitas uocis, &c. 271
familiae philoſophorum diſsentientes inter ſe ortae a Socrate 132
familiae R. ſua monumenta ſeruabant 207
faſtidioſus litterarum Latinarum C. Memmius L. filius 267
faſtidium audiendi 373
faſtidium in Graecis legendis e Graeco conuerſis 378
faſtidium moroſum, liberum, ingenuum 264
faſtidiũ Capitolij neceſſitatis cauſſa factum 155
fautores laudum mearum 332
felicitas Hortenſium a miſerijs morte uindicauit 291
femur percutere 277
ferae partus ſuos diligunt. 85
feriati ab opere 132
ferre alicui iudicem 104
ferre iudices 102
ferre patienter caſus aduerſos, magna laus 112
fictores non debent eſſe picturae rudes 12
fidem facere unum ex oratoris officijs 252
figura orationis plenioris, tenuioris,

ris, mediocris ad id, quod agimus, accommodata deligatur. 161
ſilum, & genus orationis 141
ſilum uberius 72
fingendus orator oratione noſtra omni laude cumulatus 23
fingere, & conſtruere nidos 58
fugere ſe ad arbitrium, & nutum aliquorum 304
fines ſingularum cauſſarum qui 26
firmiſſima alia prima ponenda, alia poſtrema 312
firmiſſimum quod ineſt in oratione, debet eſſe primum 109
fiſtula Gracchi 163
fiſtulator 163
fixae in animo ſententiae 115
flagrare ſtudio 96. & 259
flagitator aſſiduus, acer, moleſtus 182
flagitatio tacita 115
flagrans bello Italia 121
flagrans ſtudio 291
flamen Carmentalis 203
flectere animos iudicum contentione orationis 255
flexanima oratio 89
flexiones in cantu molliores, & delicatiores 140
flectere mentes hominum oratione 91
flexiones uocis 311
flexus aetatis 11
florere dicendo 190
florere ingenij laude 121
florere rerum geſtarum gloria 1
floreſcere ad ſummam eloquentiae gloriam 122
floridiora in picturis nouis pleraque 140
flos delibatus populi 205
flos ueteris ubertatis exuſtus ſiti exaruit 181
flos uitae 122
fluere a capite 345
flumen grauiſſimorum, optimorumq. uerborum 89
flumen uerborum, & uolubilitas 312
foedus Numantinum 33
forma & ſpecies rei Platonica, ἰδέα 324
forma generis ἐπιδεικτικοῦ, nutrix oratoris 308
formae — in formis, & figuris aliquid eſt perfectum 301
formae quaedam orationis, concinnae, in quibus ſequitur numerus neceſſario 349
formula cauſſarum 74
formula conſuetudinis noſtrae. 379
formula dicendi 375
formulae teſtamentorum 32
fornix Fabij 102
fortitudo, gratiſſima uirtus 112
fortuna fragilis 121
fortunae bona 63
fortunae bona optanda, non laudanda 112
fractus ac debilitatus metu 23
fraus capitalis 43
fraudem hominum ad perniciem uocare 60
frigida 321
frigidiora ridicula 101
frontem percutere 277
frugibus inuentis glande ueſci, peruerſum 306
fucatus nitor 192
fucus puerilis 89
fucati medicamenta candoris, & ruboris 318
Fufius 135
fugere ea, quae ualde cauſſam premant 108
fugere — telum manu fugit. 151
fulmina uibrant 352
fundere ſe latius 329
funus duceretur 104
furere apud ſanos 323
furioſum — quid eſt tam furioſum, quam uerborum uel optimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſcientia, nec ſententia 11
Furius 72
fuſum aequaliter per omnem orationem 140

G

GALBA aſperitatem habuit in dicendo 126
Galba commentatus in teſtudine omnibus excluſis 218
Galba uehemens & incenſus non in agendo ſolum, ſed etiam in meditando 218
gemmant uites 320
geminatio uerborum 160
genitur 80
gente ad aliquem hereditatem redire 32
genus quid 32. & 353
genus, educatio, inſtitutio, ad laudationem ualent 338
genus uniuerſum in ſpecies certas partiri, ut nulla neque praetermittatur, neque redundet 327
genera cauſſarum quattuor ſunt, quae oratori debent eſſe cognita 328
genus dicendi, quod ad uitam, & mores accommodatur 92
genus dicendi quod ſit eligendum 140
genus dicēdi compoſitum, & acre, & expeditum 274
genus dicendi, in quo uis, atque contentio quaeritur 92
genus dicendi non tam ſententijs frequentatum, quam uerbis uolucre, & incitatum 291
genus dicendi praemunitum, & omni ex parte cauſſae ſaeptum 126
genus dicendi purum, & quaſi candidum 312
genus dicendi, quo auditor perturbatur, non cognitionem iudicis, ſed perturbationem requirit. 92
genus dicendi temperatum, & mediocre, quale ſit 322
genera dicendi molliora 72
genera dicendi tria ſunt 303
genus hominum initio in montibus, ac ſiluis diſſipatum, prudentium conſilijs compulſum, ſe opidis, & moenibus ſaepſit 6
genus orationis. — nō unum orationis genus omni cauſſae, aut perſonae conuenit 161
genus orationis Aſiaticum in Hortenſio 290
genus orationis Aſiaticum adoleſcentiae magis conceſſum, quam ſenectuti 290
genus orationis ad delectationem comparatum ἐπιδεικτικόν 346
genus orationis ἐπιδεικτικόν, neque totum ad cauſſas forenſes aſſumendum eſt, neque omnino repudiandum 346
genus orationis fuſum 67
genus orationis opimum, & tamquam adipatum 305
genera ridiculi quae ſint 98
genus ſermonis exſile, aridum, conciſum, ac minutum 83
in geometria lineamenta, formae, interualla, magnitudines. 32
gerendus eſt mos adoleſcentibus. 21
gerere morem alicui 116
germana ironia 283
germanus Atticus 321
germani Thucydidae 307
geſtus in Anton. non uerba exprimens, ſed cum ſententijs congruens 237
geſtus multum oratorem adiuuat. 47
geſtus. — multa de geſtu Antonij. 237
geſtum agere ſpectante Roſcio. 95

gla-

gladiatorium uitae certamen. 110
gladiatorum par nobiliſſimum a Cicerone inducitur 377
gloriae maxime inuideri ſolet. 91
gloria, merces periculi non iniqua 92
Gorgias, Thraſymachus, Iſocrates, dicendi, faciendiq. doctores 132
Gorgias Leontinus 98. & 309
Gorgias Leontinus primus dicere iuſſit in maxima hominum frequentia ſi quis quid quaereret. 21
Gorgias Leontinus dicendi magiſter 188
Gorgias communes locos ſcripſit 197
Gorgias princeps in conſecratione numerorum, & compoſitionis. 342
Gorgias—apud Gorgiam numerum efficit ipſa concinnitas 338
Gorgias ἀντιθέτοις delectabatur. 338
Gorgias primus inuenit contraria contrarijs relata, &c. 341
Gorgiae ſoli ex omnibus ſtatua aurea Delphis ſtatuta eſt 98
Gorgias Platonis 10
Gracchus ſeruum quendam Liciniū habebat, a tergo qui ſtaret, cum eburneola fiſtula, cum concionaretur 163
Gracchi, eloquentia, remp. diſſipauerunt 6
grandior, atque antiquior oratio. 151
gracilitas, & infirmitas corporis in Cicerone 287
gradus aetatis 138
gradus, & quaſi proceſſus diſcendi 263
Graecia — uetus Graecia 158
Graece ſcripta Latine reddere. 29
Graeci laudationes ſcriptitauerunt 112
Graeci nomen non impoſuerunt inepto 58
Graecorum natio cumulata uitio ineptiarum 58
grandes uerbis 187
Granius dicax 99
Granius praeco 242
gratiae cauſſa nihil facere 163
grauis ſine arrogantia 326
grauium, & iocorum una eſt ratio 102
gymnaſia multis ante ſaeculis inuenta, quam in eis philoſophi garrire coeperunt 58

H

HABENAE legum 152
habere maturitatem quandam ſuam 288
habere omnia ſuperiora 90
habere rationem alicuius.—ſi rationem eius haberi licere iudicatum eſſet 260
habere pro derelicto 268
habere ſenatum 258
habiles in aliqua re 23
habitare in roſtris 284
habitare in ſubſellijs 50
habitus animi ad uirtutem quaſi praeculti, & praeparati rectis ſtudijs, & artibus 147
habitus corporis opimi 208
habitus orationis, & quaſi color 160
haerere & habitare in bonis ſuis. 311
haerere in cauſſa 126
haeſitatio, tractuſq. uerborum. 91
haſtae amentatae 46
haud ſcio, an 96
haurire de dolio 305
haurire de faece 266
Hegeſias Lyſiam imitari uolēs ſaltat incidens particulas. 350
Hegeſias orator Atticus, fractus, & minutus 280
Hellanicus hiſtoricus 63
Heluius Mancia 102
Hermagorae diſciplina inops ad ornandum, expedita ad inueniendum 272
Hermagorae praecepta qualia 274
Hermodorus 12
Herodotus, & ſuperior aetas numero caruit, niſi temere, & fortuito 342
Herodotus mirabilis 309
Herodotus princeps hiſtoriam ornauit 285
Herodotus ſine ullis ſalebris quaſi ſedatus amnis fluit 309
herous numerus grandior, quam deſideret ſoluta oratio 344
heroi pedes 156
Heſiodum illud, quod eadem menſura reddere iubet beneficium, qua acceperis, laudatur. 181
Herilli 134
hiare 335
hiatus orationis habet molle quiddam 318
Hierocles Alabandenſis Aſianus 291
Hierocles 72
Hierocles, & Menecles, Aſiatici, fratres 72. & 352
Hieronymus Peripateticus in Iſocrate uerſus deprehendit 343
Hippias Eleus 97
Hippocrates Cous 98
hiſtoria cognoſcenda oratori 327
hiſtoria — nihil eſt in hiſtoria, pura, & illuſtri breuitate dulcius 272
hiſtoria, magnum munus oratoris. 67
hiſtoria nihil erat olim, niſi annalium confectio 63
hiſtoria numquam reperitur inſtructa rhetorum praeceptis 67
hiſtoria ſophiſtarum orationi finitima 44
hiſtoria, teſtis temporum, magiſtra uitae, nuncia uetuſtatis, &c. 60
hiſtoria — prima hiſtoriae lex, ne quid falſi dicere audeat 63
hiſtoriae leges 63
hiſtoriam ſcribere, qualis, & quanti hominis ſit 63
hiſtoricus quid praeſtare debeat. 287
hiſtoricum ſatis eſt, non eſſe mendacem, ut Latini ſunt hiſtorici 63
hiſtoricorum oratio tracta, & fluens 83
hiſtrio non poteſt in geſtu ſatisfacere, niſi palaeſtram didicerit. 138
hiſtriones imitatores ueritatis. 162
hiſtriones agunt res triſtes cum dolore 90
hiſtriones interdum ex animo loquuntur 90
hiulcus 155
Homerus — ante Homerum poetae 212
Homerus 300
Homerus, Ennius, & ceteri poetae crebro mutant, neque ſemper eadem contentione utuntur. 325
Homerus multis annis ante Romulum fuit 195
Homerus, ornatus in dicendo 199
homo de ſchola, atque a magiſtro 60
homo non celeriter omnia, quae ſunt in natura rerum, animo comprehendens 79
homo oratione maxime limatus. 31
in homine alia optanda, alia laudanda 112
homines plura iudicant odio, aut amore, &c. quam ueritate, aut praeſcripto, aut legibus 89
hominum uictus Athenienſium beneficio excultus, & item oratio

tio 306
honos praemium uirtutis, iudicio, ſtudioq. ciuium delatum ad aliquem 277
honores, quam opus conſequi malle debemus 277
Hortenſius —— de Hortenſij progreſſu, & facultate multa. 284
Hortenſius—cauſſae duae uerisſimae, quare adoleſcens magis floruerit dicendo, quam ſenior. 290
Hortenſius Appium defendit quarto, & ſexageſimo aetatis anno 290
Hortenſius Catuli gener 163
Hortenſius melius dicebat, quam ſcribebat 330
Hortenſius non multa grauiter dicebat 325
Hortenſius orator ornatus, acer, & uerborum & actionis genere commotior 288
Hortenſius perpetua felicitate uſus ceſſit e uita 176
Hortenſius primas tenebat adoleſcens 291
Hortenſius pro Meſſalla dixit abſente Cicerone 291
Hortenſius pro rege Bithyniae dixit 175
Hortenſius quo tempore primum cauſſas agere coeperit 288
Hortenſius quot annos floruerit. 291
Hortenſius ſummus orator Ciceroni pro familiari reo non reſpondit 330
Hortenſij memoria maxima. 284
Hortenſij oratio totidem, quot dixit, uerbis ſcripta 291
Hortenſij partitiones quibus de rebus dicturus eſſet 284
Hortenſij uox ſuo fato exſtincta. 291
Hortenſij fortunatus exitus. 191
hoſpes in conſuetudine ciuitatis, &c. 79
hoſpitium liberale 97
Hoſtilianae actiones 46
C. Hoſtilij Mancini controuerſia 46
humi ſtrati 125
Hypallage 322
Hyperbolus Athenienſis improbus 261
Hyperides 11.& 72.227
Hyperides acumen habuit 126
Hyperides ſatis facetus 321

I

IACTARE haſtas 110
iactare ſe inſolentius 6
Ialyſus, qui eſt Rhodi 300
Iambus 348
Iambus, & dactylus in uerſum cadunt maxime 344
Iambum, & trochaeum frequentem ab oratione ſegregat Ariſtoteles 156
Iambus et trochaeus natura in orationem incurrunt 156
Iambus frequentiſſ. in ijs, quae demiſſo & humili genere dicuntur 345
Iambus nimis eſt e uulgari ſermone 344
Iambi — magnam partem ex iambis noſtra conſtat oratio 343
idea, ſeu ſpecies unde aliquid exprimitur, neque oculis, neque ullo ſenſu percipi poteſt 301
ideae ſemper ſunt, ac ratione, & intelligentia continentur 301
ideae —— cetera omnia praeter ideas naſcuntur, occidunt, fluunt, labuntur 301
ideas gigni negat Plato 301
idem pro iſdem in recto 336
ieiuna concertatio uerborum. 67
ieiunae aures alicuius rei 325
ieiune, & exſiliter diſputare 11
ieiunitas, & ſiccitas, & inopia orationis 279
ignoti, ignaui, ignari 337
illigare ita ſententiam uerbis, ut eam numero quodam complectaris 155
illigati anguſtis, & conciſis diſputationibus 67
illuminatus, a, um 257
illuminandus ſententijs 237
illuminatum genere uerborum. 340
illuſio 160
illuſtrare oratione ea, quae ſunt quarumlibet artium propria, oratoris eſt 11
imagines ad memoriam mouendam, quales debeant eſſe 116
imagines uerborum ducebantur in funeribus 96
imbutus aliquo uſu 85
imitanda non ſunt uitia 72
imitari —— tantum quiſque laudat, quantum ſe poſſe ſperat imitari 304
imitari aliquid penicillo 318
imitatio uitae, & naturarum. 340
imitatio plurimum poteſt 71.72
imitatione ex aliquo expreſſum. 129
imitatione ſimulatum 90
imitator debet primum, quem imitetur, deligere, deinde in eo, quae excellent, perſequi 72
imitatores.——natura fingit hoies, & creat imitatores facetos 95
imitatores ſtulti 72.& 340
immigrare in ſuum locum 276
immolauit taurum 102
immutare uerba 152
immutatio in oratione 152
immutatio uerbi 101
immutatione litterae quaeſitae uetuſtate 320
impedimenta naturae ſuperare diligentia 50
impedire curſum orationis alterius, interpellando 61
impellendus iudex in principio leniter 111
impellere in ſermonem 116
impellere ſenſus uoluptate. 140
impendium 181
imperator quid 40
imperioſi populi 327
imperiti homines facilius, quod ſtulte dixeris, reprehendere, quam quod ſapienter tacueris, laudare poſſunt 108
imperium omnium gentium conſtitutum 2
impertias mihi aliquid tuae ſuauitatis 58
impetus populi ſaepe multi non iniuſti 77
implicatus multarũ aetatum oratoribus 246
imponere onus 2
importunum tempus 58
impreſſa ueſtigia Platonis in Academiae ſpatijs 302
improbitas inſignis non ridetur. 98
impudentiae nomen effugitur, non pudendo, ſed non faciendo id, quod non decet 23
impudentiae ludus 140
inambulare in aliquo loco. 33 & 198
incendium concitare 9
incenſus alicuius amore 14
incenſus ſtudio 288
incenſus ſtudio aliquorum nominum 20
incerti ſtudio diſcendi 55
incidere fortuito in ſermonem aliquorum 22
incidere in anguſtias 247
ncisa, & membra 347

inciſe, membratimue dici quo modo oporteat 347
inciſim, & membratim tractata oratio in ueris cauſſis plurimum ualet 350
inclinare, & propendere 89
inclinare ſtantem 89
inclinatio uocis 242
inclinatio in pomeridianum tempus die 132
inclytus, prima littera breui. 337
increbruit, numerus in oratione. 315
increbruit ſermo 373
incorrupta ſanitate eſſe, proprium Atticorum 371
inculcamus ſaepe uerſus, 343
inculcare leuiora 312
inculcare auribus aliorum 58
incumbere inclinato 111
incumbere in ſtudium 6
incunabula puerilis doctrinae 3
incurrere in aliquam rem uſu, aut caſu 89
incurrere in eadem ueſtigia 83
incurrit tranſuerſa fortuna in aliquem 292
incurro in memoriam 266
incurro in memoriam communium miſeriarum 268
incuruiſcere 151
incutitur timor 91
indagare uias inuſitatas, tritas relinquere 302
indecorum 247
indicere bellum 83
indices librorum 67
in diem uiuere 85
indiſerta prudentia, quam ſtultitia loquax, optabilior 187
indoles maior ad uirtutem 309
inducere in errorem 282
inducere muta quaedam, loquentia 332
induſtriam alicuius in plura ſtudia diſtrahere 47
indutus ſoccis 98
ineptus quis, & unde nomen ſit ductum 58
ineptus quomodo Graece dicatur, reperiri non poteſt 58
ineptiarum maxima ibid.
infantes—Itaque qui audiunt ſummiſſimum oratorem, quamuis infantes ſint, illo modo confidunt ſe poſſe dicere 318
infantia eius, qui rem norit, ſed eã explicare dicendo non queat, laudanda eſt 147
infelix, breui prima littera 337
infercire uerba 336
inferiores aetate 293
inferre ſermonem 6
quae infitiatione defendantur 74
inflammare animos audientium. 277
inflammare iudicem utilius, quam docere 18
inflammare eorum, qui audiunt, mentes dicendo 42
inflammauit me ſtudio 213
inflexio laterum fortis, ac uirilis 163
influere in ſenſus hominum 140
informandus nobis orator Atticus 318
informabo oratorem 301
informari—non ſolum arbitrabar a me informari oportere, qualis eſſe poſset is, qui habitaret in ſubſellijs, ſed, &c. 276
informatio totius ſententiae unius uerbi imagine 116
infundere in aures orationem 115
infracta, & amputata loqui 339
infundi in alienum genus 207
infuſcari barbaria domeſtica 270
in manibus—Ecce in manibus uir & praeſtantiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio C. Gracchus, &c. 232
in mente, & cogitatione defixũ. 85
ingenioſi homines melius dicunt, quam ſcribunt 220
ingenium, hominis decus 205
ingenio peracri 163
ingenia diſciplinis exculta, feraciſſima 311
ingreſſio moderata 345
ingreſſio prima 302
ingreſſus in uitam paullo ſerius, tamquam in uiam 292
inhumanus, breui prima littera. pag. 337
iniquum, non inaequum ibid.
inopportunus 125
in procinctu teſtamentũ facere 43
in regno alicuius eſſe 7
in rem praeſentem uenire 47
inſanus, prima littera longa 337
inſcientia dicendi 43
inſcientia illius, cui res non ſuppetat, uerba non deſint, non eſt laudanda 147
inſcribere in animo 115
inſequi acriter 126
inſerere in os omnia minima manſa 85
inſerere nouas opiniones 323
inſeri, aut donari ab arte omnia non poſſunt 22
inſeruire artibus 2
inſidebat in Antonij mente ſpecies eloquentiae, quam cernebat animo 303
inſidebat in ipſius mente ſpecies quaedam eximia pulchritudinis 301
inſidere penitus in memoria 77
inſignia, & lumina quaedam 140
inſignia, quae appellantur in amplo ornatu ſcenae, aut fori 331
inſinuare ſe penitus in cauſsam 82
inſipientem, non, inſapientem 337
inſolens in pecunia 112
inſolentia, ac turba uerborum 129
inſolentia diſputationis, & aliquarum rerum inſcientia 21
in ſpecie poſita 24
inſtituere ſermonem 42
inſtitutio debet accommodari ad cuiuſque naturam 126
inſtitutus de aliquo ſermo 107
inſtitutus Graecis doctrinis 246
inſtructus a doctrina mediocriter, a natura anguſtius 263
inſtructus magnarum artium diſciplina 300
inſtructi ad permouendos, & conuertendos animos 304
inſtruere aliquid proprijs praeceptis 63
inſtruere ſe domeſticis copijs 61
inſtrumentum cauſſarum, & generum uniuerſorum 82
inſtrumentum forenſe 140
in ſua patria eſse peregrinum, atque aduenam 47
in ſuam tutelam uenire 32
integra nobis eſse non poſſunt 122
integra ualetudo 318
integritas Latini ſermonis incorrupta 235
integriratem hominum ad ſalutem uocare 60
intelligens imperito, quare praeſtet in oratore probando 253
intelligens iudicium 373
intelligentia cõmuni contentus 47
intendere litem 7
interdicto cum aliquo cõtendere 7
intereſſe ſermoni 11
inter ingenium, & diligentiam per paullulum loci relictum eſt arti 82
intermittere—non intermittis ſtudia doctrinae in maximis occupationibus 307
internoſcere 115
interpellatorem coercere 332
interpretatio nominis 101
interpretatione diſertorum ſcripta ſimplicium hominum peruertere 252
interpuncta ſermonibus narratio 111

inter-

interuenire moleſtum aliquibus. pag. 57
intrare in ſenſum, & in mentem iudicis 74
intorquere mentum in dicendo. pag. 102
inuehi, maledicere 108
inuehi acerbius, & contumelioſius in homines caros ibid.
inuehi in cauſſam aliquorum 6
inuenire, & iudicare quid dicas, propria magis prudẽtiae, quam eloquentiae 310
inuenire quid dicas, prudentiae eſt mediocris 77
inuentionis praecepta quaedam breuia 311
inuerſa uerba 102
inuideri ſolet gloriae 91
inuidetur commodis hominum. ibid.
inuidetur praeſtanti, florentiq. fortunae 92
inuidi plerique ibid.
inuidis referta ſunt omnia 332
inuidia in quos cadat 91
inuidia maxime commune odium pag. 92
inuitius 116
inuolare—in poſſeſſionem uacuam, et quaſi caducam inuolauerunt 143
iocus—in iocando habẽda eſt ratio hominum, rei, temporis, nequid iocus de grauitate deperdat. 96
iocus arte tradi non poteſt 95
iocus in deformibus ponitur 99
ioco quo modo, quando, & in quos utendum ſit 96
iocus ſcurrilis, aut inimicus oratori uitandus 99
iocus, ſuauis, & uehementer utilis 95
Iouis Olympij ſimulacrum 300
iracundia quid 42
ironia, quae fuit in Socrate, faceta, & elegans 282
ironia tam reprehendenda, eſt in hiſtoria, quam in teſtimonio. ibid.
irrauſerit 50
irrepere in ſenſus 323
irruere in alienas poſſeſſiones 7
irruere in alienum locum 276
irrumpere in alienum patrimoniũ 142
irrupiſſe in alienum locum 152
Iſocrates 132
Iſocrates quo tempore floruerit. 189
Iſocrates adoleſcens in Theſſalia Gorgiam ſenem audiuit 341
Iſocrates cur a Cicerone laudetur 309
Iſocrates cur, & in quo maxime laudetur 340
Iſocrates doctor, ſingularis, in Ephoro calcaribus, in Theopompo frenis utebatur 126
Iſocrates Theopompo frenos, Ephoro calcaria adhibebat 255
Iſocrates, eloquentiae pater 56
Iſocrates, & eius diſcipuli Ephorus, & Naucrates 340
Iſocrates forenſi luce caruit 189
Iſocrates Herodoti, & Thucydidis aetati ſucceſſit 309
Iſocrates magnus orator, & perfectus magiſter 189
Iſocrates omnium magiſter 72
Iſocrates, Platonis aequalis, laudatus a Socrate 377
Iſocrates primus inſtituit dilatare uerbis, & mollioribus numeris explere ſententias 309
Iſocrates primus intellexit, in ſoluta oratione numerum quendam oportere ſeruari 189
Iſocrates princeps inſtituiſſe fertur, ut oratio ſoluta numeris adſtringeretur 155
Iſocrates quibus ſucceſſerit 309
Iſocrates ſcribere alijs orationes ſolitus 197
Iſocrates ſuauitatem habuit 126
Iſocrates Timotheum inſtituit 99
Iſocrates uerbis ſolutis numeros primus adiunxit,—falſum 179
Iſocratis domus habita eſt officina eloquentiae 309
Iſocratis domus, quaſi ludus Graeciae quidam patuit 189
Iſocratis liber ad Philippum Maced. 341
Iſocratis Panathenaicus 309
Iſocratis Panegyricus 308
iubere leges, aut uetare 11
iucunditas uerborum, & numerorum orationem condit 341
iudex quaeſtionis 272
iudicare —— non ſolum inueniet, orator quid dicat, ſed expendet 347
iudicare quae uera, quae falſa ſint 302
iudicium difficile eſt excellẽtis maxime uoluptatis 126
iudicium factum eſt aliquot annis poſt 380
iudicium uulgi utrum congruere debeat cum intelligentium iudicio in oratore probando 249
iudicij finis, ius eſt 132
iudicio minus firmo praediti 304
Iugurthina coniuratio 233
ius applicationis 31
ius ciuile docere, ſemper pulchrum fuit 332
ius ciuile quo modo redigi poſſit ad artem 32
ius ciuile ſummatim percipi ſine doctrina poteſt 47
ius incontrouerſum 46
ius ſtirpis, ac gentilitatis 31
iuris ciuilis cognitio facillima 32
iuris ciuilis cognitio ſuauis ibid.
iuris ciuilis ſcientia auxilium ab eloquentia ſaepe petit, ea uero repugnante uix ſuas regiones, foresq. defendere poteſt 333
iuris ciuilis ſcientia oratori prodeſt 47
iuris ciuilis ſcientia Romae ſecundas tenuit rebus pacatis 333
iuris interpretatio ſenectuti celebrandae honeſtum perfugium eſt 33
iuriſconſultus quid 40
iuriſconſultus utrum etiam orator ſit, & contra 45
iuriſperiti apud Graecos oratorum miniſtri ſunt in cauſſis 47
iura publica, & monumenta rerum geſtarum oratori nota eſſe debent 33
iura uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, &c. 31

K

Κῶλον membrum 350
κῶλα membra 243
κόμματα & κῶλα inciſa, & membra 347
κόμματα inciſa 350
κρινόμενον 329

L

LABANTEM populum ad decus excitare 33
labor, & cura me torquet 126
laceſſiti — probabiliora ſunt, quae laceſſiti dicimus, quam quae priores 96
Lacinia 142
Laelius cauſſam dixit pro publicanis 218
Laelius lenitatem habuit in dicendo 126
Laeliae Caij filiae ſermo 257
laena amictus 203
laeſus efferaris iracundia 108
laetae ſegetes 320
laeuitas coniunctionis 160
languentis populi incitatio 60

langueſcat induſtria 301
lapidatio 90
laqueis diſputationum, atque interrogationum irretitus 7
largiri aliquid inertiae 12
lateris dolore conſumptus 121
latera ualentiora 320
laterum inflexio uirilis 314
laterum magna contentio 287
Latina lingua patitur, ueterem Graecorum prudentiam ad uſum, moremq. Rom. transferri 140
Latine dicendi prima maturitas in qua aetate exſtiterit 243
Latine loqui — Nemo umquam eſt oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus 131
Latine ut loquatur, quo modo quis aßequi poſſit 129
Latine loquendi laus, ſicut innocentiae, certe cuiuſdam eſt aetatis 270
Latine loqui in magna laude ponendum 237
Latine loquendi praecepta puerilis doctrina tradit 129
Latine loqui, ſeu dicere, primum eſt in oratore 129
Latine loquendi ſine moleſtia diligens elegantia 239
Latine ſcire non tam praeclarum, quam turpe neſcire 237
Latini non multa ſcripta reliquerunt 72
latrant oratores 205
laudabilia — quae res laude dignae 112
laudanda — quae ſint in homine laudanda 63
laudanda in homine quae 112
laudare — grauis in laudando. 209
laudare bonos ornatiſſime 60
laudare, & uituperare poße, ad exaggerandam, & amplificandam orationem accommodatiſſimum eſt 142
laudationes falſae, quibus hiſtoria facta eſt mendoſior 207
laudationes, genus tertium caußarum 63
laudationes, tertium genus 112
laudationes, quibus Romani utuntur in foro, ubi habeant locum 112
laudationes utrum ſint in oratoris officio ibid.
laudationes mortuorum 207
laus communis 271
laus praecipua ibid.
laus ſeneſcens 56
laus uera uirtuti debetur 112
laxare iudicum animos 289
laxare modos 47
lenis appellatio litterarum 271
lenitas uocis 89
lenitas ſine neruis 348
lente ferre 90
lentus in dicendo, & paene frigidus 248
Lepidi orationes 282
lepos non ſcurrilis, ſed oratorius 239
lepore facetiarum, tamquam ſale, omnis oratio perſpergenda 29
leuare cura 1
leuare ignominia 102
leuare maerorem 60
leuatus errore 116
lex Appuleia 91
lex Athenis, nequis populi ſcitum faceret, ut quiſquam corona donaretur in magiſtratu prius, quam rationes retuliſſet 378
lex Athenis, ut, qui a populo corona donarentur, in contione donarentur 378
lex Menia. al. Gabinia 203
lex Mucia 208
lex Pompeia ternas horas dat ad dicendum 290
lex Seruilia 243
legis Seruiliae ſuaſio 283
lex tabellaria 222
lex Thoria 104
lex Varia 284
lege agere 31
leges iubere, aut uetare 11
leguleius quidam cautus, & acutus, praeco actionum, cantor formularum 45
libaße ut aliena 42
liber non uidetur, qui non aliquando nihil agit 58
liberum, non liberorum 336
libertatem impunitam omnium rerum tenere 42
libertini in urbanas tribus tranſlati a patre Gracchorum 6
libri carent ſpiritu illo, propter quem maiora uideri ſolent cum aguntur, quam cum leguntur 330
limare aliquid de aliquo 129
limare arte naturam 264
limatius dicendi genus conſectari 220
linguae ſolutio 22
linguae haeſitantes 23
litem perdere 31
litem ſuam facere 108
litterae quo modo pronunciandae. 129
litterae reconditae, & exquiſitae pag. 268
litteras neſciebat T. Flaminius. 271
litteris fons perfectae eloquentiae continetur 289
Liuianae fabulae 212
Liuius primus fabulam docuit 212
locupletare ipſam eloquentiam grauiorum artium inſtrumento 292
locus ex quarto lib. accuſationis 338
locus ex Miloniana 338
locus opacus, & frigidus 125
loci argumentorum, & rationum oratori cognoſcendi 310
loci duplices 328
loci communes 311
loci communes cur appellati 142
loci communes unde dicti 329
loci communes de amore, de tormentis, de rumore, &c. 229
loci memoriae quales debeant eße 116
loci pro cera 115
loci pro tabulis & contra tabulas: pro teſtib. & contra teſtes, &c. meditati oratori eſſe debent. 77
loci ridiculorum 165
loci, qui ad fidem faciendam adhibentur 142
loci, ut litterae ad uerbum ſcribendum, ſic ad caußam explicandam ſtatim occurrere debent. 79
locorum, & ſimulacrorum ratio ad memoriam utilis 29
locorum explicatio 85
locos, quibus in iudicijs, deliberationibus, laudationibus utamur, eße certos 26
locos tradidit Ariſtoteles, quaſi argumentorum notas 311
locis communibus quando utendum 142
locutio omnis, oratio eſt 315
λογοδαίδαλοι 309
longiſſime diſiunctum ab imperitorum intelligentia 2
longitudo obtundit aures 349
longo interuallo 182
loqui e lintre 258
loquendi elegantia quibus rebus augeatur 126
loqui non eſt idem, quod dicere pag. 326
loqui pure & emendate, quod eſt Latine 365
loqui uaſte, aſpere, ruſtice, hiulce, preße, aequabiliter, leniter 129

INDEX

lubricum —— uerſari in lubrico. 323
lucebat quaedam ingenij forma. 291
L. Accius poeta, D. Bruti familiaris 226
L. Aelius Stoicus eſſe uoluit, idemq. orationes ſcribebat, quas alij dicerent 255
L. Aelius, uir egregius, idemq. Graecis litteris, & Latinis eruditiſſimus 255
L. Afranius poeta 244
L. Appuleius Saturninus eloquentiſſimus 260
L. Beſtia P. Popillium, ui Gracchi expulſum, ſua rogatione reſtituit 233
L. Brutus 96
L. Brutus mente, non lingua, reges eiecit 6
L. Coelius Antipater, ſcriptor ſuis temporibus luculentus. 224
L. Coelius Antipater hiſtoricus. 351
L. Caeſulanus de plebe, accuſator 234
L. Caßius non liberalitate, ſed ipſa triſtitia & ſeueritate popularis 222
L. Cicero patruus M. Tullij Ciceronis 55
L. Cotta 90
L. Cotta. de quo multa 255
L. Cotta praetorius 235
L. Cotta, ueterator habitus 216
L. Craßo, Q. Scaeuola coſ. 262
L. Craßus accuſauit C. Carbonem 242
L. Craſſus defendit Liciniam uirginem ibid.
L. Craſſus elegantium parciſſimus pag. 240
L. Craßus eloquentium iuriſperitiß. 239
L. Craßus. hic de L. Craſſo multa. 242
L. Craßus in M'. Curij cauſſa Q. Scaeuolam uicit 239
L. Craßus orator, de quo hic multa 239
L. Craſſus quibus coſ. natus 243
L. Craßus ſic Graece loquebatur, nullam ut noſſe aliam linguam uideretur 55
L. Craſſus uolebat exiſtimari non didiciſſe Graecorum diſciplinas, atque adeo deſpicere 55
L. Craßi, & Q. Scaeuolae comparatio 256
L. Domitius nulla quidem arte, ſed Latine tamen dicebat 274
L. & C. Aurelij Oreſtae 221
L. Fufidius in aliquo numero patronorum fuit 228
L. Fufius 31. & 249
L. Fufius M'. Aquillium accuſauit 259
L. Fufius orator 249
L. Furius laudatur 83
L. Furius Philus 226
L. Gellius 246
L. Heluius Lamia 102
L. Iunius Brutus ingenio praeſtans de matre ſuauianda ex Apollinis oraculo coniecit 201
L. Iunij Bruti facta laudabilia. 201
L. Lentulus 215
L. Lentulus, ſatis fortis orator, ſi modo orator 274
L. Lucilius Balbus 240
L. Lucullus acutus 259
L. Octauius Reatinus 265
L. Opimius, Gracchi interfector. 233
L. Opimij cauſſa 74
L. Papirius Fregellanus 245
L. Paullus, Africani pater 215
L. Paullo, C. Marcello coſ. mortuus Hortenſius 262
L. Philippus, proximus Craſſo, & Antonio 246
L. Philippus qualis orator ibid.
L. Quinctius turbulentis concionibus aptus 260
L. Sabellius 234
L. Scribonius Libo 102
L. Scribonius quaeſtionem tulit in Ser. Galbam 42
L. Siſenna, doctus uir, & ſtudijs optimis deditus, hiſtoriam ſcripſit 261
L. Torquatus. de L. Torquato multa 273
L. Torquatus elegans in dicendo 265
L. Torquatus πολιτικός 273
L. Valerius Potitus 202
L. & Sp. Mummij fratres 220
L. Piſonis annales 225
luculentus patronus 220
ludus impudentiae 140
ludus—e ludo Iſocratis, tamquam ex equo Troiano, meri principes exierunt 72
ludi Iuuentatis 212
ludi ſcenici 121
ludorum Ro. dies 6
ludos facere 11
lumina dicendi 77
lumina orationis.— de ornamentis nerborum 331
lumina, quae ſumuntur ex collatione uerborum magnum afferunt ornatum orationi 331
lumina ſententiarum, quibus oratio illuſtratur 158
lumina uerborum, et ſententiarum, σχήματα 276
luminoſae, & quaſi actuoſae partes duae 329
locutio emendata, fundamentum oratoris 270
lumina ſingulorum uerborum & collocatorum 331
luna acceßu, & receßu ſuo ſolis lumen accipit 155
luſtrum condere 102
luſtrum conditum 32
luxuries, auaritiae mater 85
luxuries orationis 72
luxuries orationis ſtylo depaſcenda ibid.
luxuriam eße in herbis 151
luxurioſa frumenta 320
Lycurgus, aut Solon 11
Lycurgus, & Draco 33
Lycurgus, Aeſchines 72
Lycurgus, Pittacus 132
Lycurgus orator 192
Lycurgus Macedaem. 195
Lycurgus accuſationem Athenis factitauit 234
λογικοὶ, quos ſi cantu ſpoliaueris, nuda paene remanebit oratio. 342
Lyſias cauſſidicus quidam 306
Lyſias elate non poteſt fortaſſe dicere 372
Lyſias ſatis facetus 321
Lyſias in cauſsis forenſibus non uerſatus 191
Lyſias orationem ſcriptam Socrati attulit, quam ediſceret, &c. 43
Lyſias ſubtilitatem habuit 125
Lyſias, ſubtilis ſcriptor 257
Lyſias, cur Attice dicere exiſtimetur 305
Lyſias paruarum rerum clauſulas ſcripſit 371
Lyſias primo profeßus eſt artem dicendi 199
Lyſias ſtrigoſior 208
Lyſias tenuis 371
Lyſias uenuſtiß. & politiß. ſcriptor 306
Lyſias uidetur eſſe ieiunior, quoniam ſe ipſe conſulto ad minutarum genera cauſſarum limauerit 371
Lyſippus 283
Lyſippus fictor 126
Lyſis Pythagoreus Epaminondam Thebanum inſtituit 99

Magiſtri

M

MAGISTRI uidere debent, quo ſua quemque diſcipulum natura ferat 126
magna Graecia 83
magni intereſt, quos quiſque audiat quotidie domi 257
magni laboris eſt quamplurimum ſcribere 29
magnum eſt onus & munus ſuſcipere, atque profiteri, ſe eſſe omnibus ſilentibus unum audiendum 23
Mago Karthaginienſis de agricultura ſcripſit 47
maieſtas quid 83
male audire 103.& 108
malle, pro magis uelle 335
malum cauſſae obruendum non defugiendo, ſed bono ornando 107
Mancinus 79
mancipium 31
mancipi lex ibid.
mandare aliquid litteris 55
M'. Aquillius 90
M'. Curius 31.& 203
M'. Curij cauſſa 239.& 251 & 46
M'. Glabrio natura ſocors 265
Manlianae uenalium uendēdorum leges. al. Mamilianae 46
manus extrema 232
manus minus arguta 163
manu tenere 277
M. Aemilius Lepidus Porcina. 221
M. Aemilius Porcina 7
M. Aemilius princeps ſenatus, & ciuitatis 90
M. Antiſtius Pirgenſis 104
M. Antius Briſo, trib. pl. 222
M. Antonius 284
M. Antonius, uir natura peracutus, & prudens 303
M. Antonius crudeliſsime interfectus 285
M. Antonij caput in roſtris poſitum 122
M. Aurelius Scaurus polite dicebat 235
M. Bibulus ſcriptitauit accurate 273
M. Brutus accuſator dictus 234
M. Brutus iuriſconſultus 247
M. Bucculeius 31
M. Cincius 37
M. Coelius. de quo multa 275
M. Calidius orator non unus e multis 276
M. Calidius non permouebat, neque incitabat animos 276
M. Calidij actio lenta, & languida, & ſine contentione, & ſine animi dolore 277
M. Cato Galbae inimicus 42
M. Cato pater 259
M. Cato eloquens, & iuriſperitus 31
M. Cato eloquens fuit 41
M. Catonis doctrina 99
M. Coponij cauſſa a Q. Scaeuola defenſa 252
M. Cornelius Cethegus 205
M. Craſſus 262.& ſeq.
M. Druſus Bruti magnus auunculus 259
M. Druſus C. Filius 233
M. Druſus orator 249
M. Duronius 103
M. Flaccus 104
M. Fuluius Flaccus 226
M. Gratidius, Ciceronis propinquus 244
M. Herennius in mediocribus oratoribus numeratus eſt ibid.
M. Lepidus 104
M. Manilius 99.& 226
M. Manilius iuriſconſ. 40
M. Marcellus, Aeſernini pater 235
M. Marcellus, qualis orator 268
M. Marius Gratidianus 31
M. Meßalla, non nimis ornatus genere uerborum, prudens, acutus, &c. 267
M. Octauius Cn. fil. legem Semproniam frumentariam abrogauit 259
M. Octauius, qui Ti. Gracchum patientia fregit 221
M. Pennus 220
M. Perperna 102
M. Pinnatius ibid.
M. Piſo, quidquid habuit, ex diſciplina habuit 264
M. Pontidius Arpinas 266
M. Popillius 203
M. Scaurus 227
M. Seruilius 102
M. Silanus 231
M. Tuditanus 212
M. Tull. ann. ſuo conſul factus 290
M. Tullius collega Ser. Sulpicij anno x. poſt reges exactos 207
M. Tullius fatetur ſe, oratorem, quicumque ſit, ex Academiae ſpatijs exſtitiſse 302
M. Tull. iuris ciuilis ſtudio operam dedit Q. Scaeuolae, P. F. 285
M. Tullius, magno ſemper uſus impetu, ſaepe aduerſarios de ſtatu omni deiecit. al. animi. 330
M. Tull. Moloni Rhodio Romae operam dedit 285
M. Tullius praetor primus incredibili uolūtate populi factus. 280
M. Tull. Cicero quaeſtor in Sicilia 288
M. Tull. quo primum tempore ad cauſſas priuatas & publicas adire coeperit 286
M. Tull. reſpondet reprehenſoribus 332
M. Tullius ſemper praeſe tulit, ſe didiciſſe 333
M. Tullius Cicero, teſtimonio C. Caeſaris paene princeps, atque inuentor copiae uerborum, quibus quis praeclare cogitata eloqui poſſit 268
M. Tullius —— in M. Tullio ſumma gracilitas, & infirmitas corporis, procerum & tenue collum 287
M. Tullij, & Ser. Sulpicij comparatio 240
M. Tullij ſtudium, & induſtria. 246
M. Tullium Quaeſtorem Siciliēſis excepit annus 288
M. Tullium nimis redundātem Molo repreſsit 287
M. Valerius dictator 201
M. Vigellius Stoicus 135
M. Virginius, qui tribunus pl. Q. Sullae imperatori diem dixit 248
mare inferum Tuſcū, ſcopuloſum 135
mare Ionium, ſuperum, portuoſum ibid.
mathematici in magna rerum obſcuritate uerſantur 2
materia ineſt in uerbis 342
materies, quantumuis ad exardeſcendū facilis ſit, non niſi admoto igni tamen ignem concipere poteſt 90
mecum, tecum, nō, cum me, cum te 335
medico diligenti morbus eius, cui mederi uolet, et conſuetudo ualētis; & natura corporis cognoſcenda eſt 89
medici ijdem fuerunt olim uulnerum, & morborum, oculorum, & aurium 98
Megarici 134
mehercule, non mehercules 336
membra numeris uincienda 158
membra, κῶλα. 244
Memmius 102
memoria, cuſtos ceterarum ingenij partium 258
memoria iuriſconſultorum 32

memoria mouetur, atque excitatur formis, ſeu imaginibus 116
memoria, omnium rerum oratoriarium eſt fundamentum 162
memoria, rerum omnium theſaurus 2
memoria rerum, propria eſt oratoris 116
memoriae fructus 115
memoriam rerum Ro. tenere. 289
memoria cuſtodire 23
memoria tenere 55
Menecles Alabandenſis 72
Menecles Hieroclis Alabandenſis frater 291
Menelaus dulcis orator 199
Menelaus Marathenus 223
Menippus Strotonicenſis, orator Aſiaticus 287
merſura cumulatiore 181
meridies, non medidies 336
Metelli duo, Celer, & Nepos. 267
metiri omnia uoluptate 134
metiri rem aliquam ipſius uiribus, non ſua imbecillitate 304
metiri ſcientiam rerum geſtarum utilitate, & magnitudine 1
metonymia 322
Metrodorus 135
Metrodorus Acad. Carneadis auditor 10
Metrodorus memoriae artem tenebat, eaq. utebatur 116
mihi cane & Muſis 250
militis, de cuius morte falſus ab exercitu domum nuncius uenerat cauſa 31
mimi ethologi 69
mimicum ridiculum 321
minima cauſa in os inſerere 85
miniſtrator 108
minuere auctoritatem ſuam apud homines 83
minutus animus pro paruo 322
mirari ſumma, inferiora tamen probare 301
mirum quantum 321
miſcere, atque agitare animorum motus 42
miſcere omnia odio, inuidia, miſericordia 91
miſerationes —— in miſerationibus excellebat Cicero 330
miſeria inſignis non ridetur 98
miſericordia captus 90
miſericordiam commouere ibid.
mitigare extenuando 108
Mneſarchus, Panaetij auditor. 10
Mneſarchus 17
mobilitas linguae 23
moderabor ipſe mihi 22
moderator reip. quid 40
moderator temporum, & perſonarum 91
modus nullus florentior in ſingulis uerbis, tranſlatione 152
moles 163
moles moleſtiarum 1
moleſta, & putida 131
moliri oratione amorem, odium, iracundiam, &c. 91
mollitudo humanitatis 152
Molo — Cicero ad Molonẽ Rhodi ſe applicat, quem iam Romae audierat 287
Molo legatus Romam uenit dictatore Sulla 286
Molo Rhodius doctor 266
Molo Rhodius Romae docuit Ciceronem 285
monere prudenter 179
monita tradere 85
mons ſacer a plebe occupatus. 201
moralis oratio ad beneuolentiam conciliandam parata 330
morem gerere 151
mores oratoris effingere debet oratio 89
mortuos ab inferis excitare. 320
mortuorum uoluntates tutari. 252
morum, & uitae cognitio debet eſſe cognita oratori 12
mos hominũ, ut nolint eundem pluribus rebus excellere 217
motus animorum debent eſſe permediocres, ac potius leues. 42
motus animorum oratori pernoſcendi 2
motus animorum inflammari, aut exſtingui non poſſunt ſine diligentiſſ. perueſtigatione naturae, & morum generis humani 11
motus in animis nulli eſſe debent. 42
motus inuidiae acerrimus 91
motus omnis animi ſuum quendam a natura habet uultum, ſonum, geſtum 162
mouere approbationes, admirationes, clamores, plauſus 352
mouere clamores 325
mouere coniecturam 239
mouere fletum populo 42
mouere tribu 103
Mucius augur 223
mulieres bene Latine loquentes. 257
mulieres facilius incorruptam antiquitatem obſeruant 125
mulieres inornatae nõnullae, quas id ipſum deceat 318
multam petere 234
multi ſunt, qui neminem imitentur 72
multifariam 85
multitudo facillime a triſtitia, & ab acerbitate commode, & acute dicto deducitur 112
multitudo oratori eſt, quod tibia tibicini ibid.
multitudo pedes non nouit, nec ullos numeros tenet 340
multitudinis eſt iudicium, ſit aliquis bonus orator, nec ne. 250
munditia, & elegantia 318
munire ſibi uiam ad audiendum. 91
munus iuris reſpondendi ſuſtinebat Rutilius 228
muſae agreſtiores 302
muſici ijdem quondam poetae 155
muſica —— in muſicis numeri, & uoces, & modi 32
muſtum —— quaſi de muſto, ac lacu feruida oratio 280
mutata uerba, quae 322
mutila quaedam & hiantia loqui 306
myro fictor 126
Myronis opus 213
Myronis ſigna nondum ſatis ad ueritatem adducta 211
Myſia minime polita, minimeq. elegans 305

N

NAEVIVS 212
Naeuius hiat 335
Naeuius quibus cos. mortuus 207
naeuo, aut crepundijs aliquem cognoſcere 288
narratio diſtincta perſonis 111
narratio fons omnis reliquae orationis ibid.
narratio maiore periculo obſcura eſt, quam ceterae partes ibid.
narratio obſcura totam excaecat orationem ibid.
narratio, quae debeat habere ibid.
narratio. —— quae in narratione facienda 328
narratio quo modo ſit perſpicua. 111
narrationis non eſt proprium, eſſe uerìſimilem, apertam, breuem 70
narrationis unus eſt in cauſa locus 111
narratione quando utendum, aut non utendum ibid.

narra-

narrationes quales debeant eſſe 329
natura ad dicendum uim affert maximam 22
natura prudentiae, & grauitatis domina eſt 99
natura in pleriſque rebus utilitatem cum uoluptate coniunxit 155
natura, memoriae, & aliarum rerum oratoriarum princeps 115
natura — omnia, quae fiunt, lenioribus principijs natura praetexuit 110
natura in omni uerbo poſuit acutam uocem 314
natura omnium acutarum, grauiumq. uocum iudicium in auribus noſtris collocauit 340
natura orationis, quae ſuſcipitur ad aliorum animos permouendos, oratorem ipſum magis, quam auditores, permouet 89
naturae bona 63
naturae hominum, & perturbationum animi, & uirtutum cognitio, philoſophorum propria eſt 11
naturae notatio, & animaduerſio peperit artem 342
naturae obſcuritas 12
naturae rerum cognitio magnam oratori ſuppeditat copiam 303
naturae uis magna in alijs rebus, & maxime in numeris & uocibus 158
natura factus 276
naturae uariae, & uoluntates effecerunt uaria genera dicendi 312
natus malo genere 104
nauare operam 58.& 278
Naucrates 72
Naucrates, Iſocratis diſcipulus. 155
nauicula duorum ſcalmorum 31
nauigandi difficultas 17
nauium partes habent in ſpecie uenuſtatem cum uoluptate coniunctam 155
ne primoribus quidem labris attigiſſe 18
neceſſaria ſemper ante cognoſcuntur, quam uoluptaria 342
neceſſitatis inuenta, antiquiora ſunt, quam uoluptatis 342
neceſſitatis excuſatio non eſt probanda 351
negligentia non ingrata 318
negligentia quaedam eſt diligens. ibid.
negligere alicuius auctoritatem. pag. 21
nemo eloquentia praeſtare poteſt ſine omni ſapientia 55
nemo facultatem dicendi aſſequi poteſt, niſi qui philoſophorum inuenta didicerit 18
nemo in eo diſertus eſſe poteſt, quod neſciat 13
nemo, niſi orator, dicitur formare orationem 60
nemo poteſt de ea re, quam non nouit, non turpiſſime dicere 74
Neoptolemus apud Ennium 83
nequire, pro non quire 335
nerui forenſes 136
neſciebat litteras 271
neſcire dulcius, quam non ſcire 336
neſcire, quid antequam natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum 330
Neſtor eloquens 195
nexum, quod per libram agitur. 151
Nicander Colophonius de rebus ruſticis ſcripſit 12
Nicomachus pictor 211
nihil admodum 56.& 256
nihil eſt in natura rerum, quod ſe uniuerſum profundat 110
nihil eſt tam inſigne, nec tam ad diuturnitatem memoriae ſtabile, quam id, in quo aliquid offenderis 23
nihil in cauſſa male facere, maximum, Antonij iudicio 108
nihil in hominũ genere rarius perfecto oratore inueniri poteſt 23
nihil ineptius, quam de dicendo dicere 22
nihil praeſtabilius, quam poſſe dicendo tenere hominum coetus 6
nimium magis offendit, quam parum 317
nimium quod eſt, plus offendit, quã parum 341
nimis inſidiarum 339
nocere cauſſae 108
nocere cauſſae turpius, quam non prodeſſe 107
nodi, quaſi nodi continuationis. 349
Nola — proelium ad Nolam 179
nolle, pro non uelle 335
nomina rebus ignotis nota eſſe non poſſunt 332
non eſt ſatis reperire quid dicas, niſi id inuentum tractare poſſis 85
non poteſt fieri, ut doleat, ut oderit, &c. is, qui audiet, niſi ijdem motus erunt in eo, qui dicet, impreſſi 89
non poteſt in eo ſuccus eſſe diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum 71
non ſcire, barbarum eſt 336
non tam, quae recta ſunt, probantur, quam, quae praua, faſtidijs adhaereſcunt 50
noras, & noueras 336
Norbanus quo modo ab Antonio fuerit defenſus, & ereptus. 19
noſſe, iudicaſſe 336
nota Aniciana 280
notae argumentorum 85
notae doctrinarum in ſermone inſunt 333
notae optimae 280
notandum, & animaduertendum aliquid in Hortenſio 288
notatio temporum 213
noti, naui, nari 337
notitia rei inuolutae definiendo aperienda eſt 327
nouatus ager, & iteratus 79
nuces legere 102
nullus cantus moderatae orationis pronunciatione dulcior inueniri poteſt 60
nulla res non propria oratoris, quae quidem ornate dici, grauiterq. debeat 60
Numa Pompilius 6
Numa Pompilius Pythagoreus habitus 83
numerari in uulgo patronorum. 292
Numerius Furius cantor 132
numerus — quibus potiſſimum numeris ſit utendum 347
numerus adhibendus non ſolum ne infinite feratur, ut flumen, oratio, uerum etiam quia multo maiorem uim habent apta, quam ſoluta 351
numerus adhibetur ad delectationem 346
numerus cognitus ſatiat, & cognita facilitate contemnitur 348
numerus, & numeroſum, quid inter ſe differant 346
numerus etiam apud oratores increbruit 315
numerus, Graece ῥυθμὸς 315
numerus Latine, Graece ῥυθμὸς, habet inuidiam cum in oratione iudiciali, & forenſi ineſſe dicitur 339
numerus in continuatione nullus eſt 156
numerus orationis omnis quidem eſt, ſed alius alio melior, atque aptior

aptior 346
numerus in oratione 190
numerus in oratione ſoluta —— de hoc numero quaeſtiones multae 341
numerus in oratione qualis ſit. 341
numerus in oratione uitium 315
numerus inuidioſus 339
numerus non erat apud antiquos, neque ambitus uerborum completus 339
numerus nullus extra poeticos. 343
numerus oratorius debet fugere poeticum 351
numerus quaſi quandam palaeſtram, & extrema lineamenta orationi attulit 342
numerus ſerius aliquanto notatus, & cognitus 342
numeri in oratione ſoluta quae natura 341
numerum conficit diſtinctio, & aequalium, & ſaepe uariorum interuallorum percuſſio 156
numerum eſſe in oratione iudicat ſenſus 342
numerum in cadentibus guttis notare poßumus 156
numeri, ac uoces —— nihil eſt tam cognatum mentibus noſtris, quam numeri, atque uoces. 188
numeri adhibendi in oratione ſoluta 155
numeri ijdem ſunt omnium, quae metiri auribus poßumus 351
numeri ijdem ſunt oratorij, qui poetici 269
numeri inſunt etiam in ſolutis uerbis 344
numeri oratorij toto ne in ambitu uerborum ſint tenendi, an in primis partibus, atque extremis 345
numeri qui cum quibus miſceri debeant tamquam purpura. ibid.
numeri qui maxime in orationem cadant 343
numerorum genera ſunt definita. ibid.
numerorum orationis curſus ne nimius eſto 345
numerorum origo in oratione ſoluta 341
numeros incidere, & confringere 351
numeroſa oratio fit non ſolum numero, ſed & compoſitione, & genere concinnitatis 273
numeroſa oratio quando adhibenda 347
numeroſa oratio — quas aures habeant, quid in his hominis ſimile ſit, qui non ſentiunt orationem numeroſam, neſcio 339
numeroſa oratio ſit ne aliqua 341
numeroſa ſit, an e numeris conſtet oratio, multum intereſt 349
numeroſae orationis cauſſa efficiens 341
numeroſae orationis origo, cauſſa, natura, uſus 340
numeroſum quod dicitur in oratione, non ſemper numero fit, ſed aut concinnitate, aut conſtructione uerborum 346
numeroſum eſt id in omnibus ſonis, ac uocibus, quod habet quaſdam impreſſiones 156
numeroſum in oratione id eſſe putandum, quod ad numeros proxime accedit 345
numeroſum in oratione utrum numero ſolum efficiatur, an etiam uel compoſitione quadam, uel genere uerborum 341
numeroſe cadere oportere, terminariq. ſententiam 345
nuncium remittere uxori 32
nutu legum domitas habere libidines 33

O

OBOEDIRE tempori multorũ, honori, uel periculo ſeruire 266
obeſſe ei, quem defendas, & non obeße 108
obire iudicia priuata 31
obire ſuos fundos 47
oblectatio animi libera 23
oblinere ſe externis moribus 200
obruere obliuione 205
obrui ambitione, & foro 18
obſeruatio eſt earum rerum, quae in dicendo ualent, non ars 96
obſeſſus ab oratore iudex tenetur. 347
obſoletior oratio 126
obſoleuerunt 99
obſtringere religione 102
obſtruere luminibus 210
obtinere aliquem numerum 247
obtinere locum illuſtrem in re aliqua 264
obtinere perpetuum, & eundem ſpiritum in ijſdem cauſſis 325
obtrectatio, & inuidia exulcerare ſolent gratiam aequalium. 240
obtundere uocem in dieendo. 103
obtundi ingenia 104
obtutus oculorum 125
occlamitare 286
occurrit animo 74
otij fructus eſt non contentio animi, ſed relaxatio 58
oculi, animi indices 163
oculorum intentione, remiſſione, coniectu, hilaritate motus animorum ſignificantur 163
oculorum magna eſt moderatio. 314
oculorum omnis eſt dominatus in agendo 163
oculorum ſenſus acerrimus. 152
oculos nobis natura, ut equo, aut leoni iubas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit 163
odor urbanitatis 192
odorare quam ſagaciſſime 89
Odyßea Latina 212
ofella 248
offendere ad eundem ſcopulũ. 152
officiebatur caeli parti alicui. 31
officium oratoris quod 26
ominare melius 291
omnes controuerſiae ad uniuerſi generis uim, & naturam referuntur 79
omnes in eo, qui ſciunt, ſatis eße eloquentes probabile eſt, neque tamen uerum 12
omnes, qui probari uolunt, eorum, qui audiunt, uoluntatem intuentur 304
omnia, quae ab oratoribus tractantur, dubta ſunt, & incerta. 18
omnia, quae ad uſum ciuium, morem hominum, &c. pertinent, cognoſcenda ſunt oratori 67
omnia — non omnia, quae cadunt in orationem, ſuis praeceptis inſtrui debent 63
omnia, quae in dubium uocantur, non in perſonis hominum innumerabilibus, neque in temporibus infinitis, ſed in cauſſis generum ſita ſunt 80
omnia, quae ſunt ſuper, & ſubter, unum eſſe 125
omnia, quaecumque in hominum diſceptationem cadere poſſunt, bene ſunt oratori dicenda. 55
omnis doctrina ingenuarum artium uno quodam ſocietatis uinculo continetur 125
omnis ratio dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa 76
onus iniuſtum 307
opem ferre ſupplicibus, regium pag. 6
operam multam, & utilem prae-

buit amicis 246
operarius quidam 50
opere prohiberi tēpeſtatis caußa. 132
Opimius Gracchum interfecit 79
opinio ſtudiorum, & ſuſpicio artificij apud eos, qui res iudicant, oratori aduerſaria eſt 83
opinionem facere 263
oportere, & decere, differunt. 317
opponuntur duo genera reprehenſorum huic labori noſtro. 378
oppreſſus ruina 115
oppreſſi opinionibus uulgi 125
opprimi memoriam imaginum pondere, falſum 116
optanda quae 112
optimum aliquid eſt in omnibus rebus 307
optimum, quod omnes laudes habet 162
optimum unum: & proximum, quod eſt ei ſimillimum 365
optimi formam exp[?]nere in omni re difficillimum 307
optimis proxima, in praeſtantibus rebus, magna ſunt 72
optio eligendi patroni datur. 250
oratio a ſenſibus abhorrens 18
oratio accurata, & facta quodammodo 188
oratio acris, & contorta 315
oratio adhibere lumen rebus debet 129
oratio alia anguſta, atque conciſa: alia dilatata, & diffuſa 342
oratio aliud eſt, aliud diſputatio. 320
oratio alte repetita 139
oratio altius exaggerata 207
oratio Calui nimia religione attenuata 278
oratio caneſcens 177
oratio claudicat, aut inſiſtit. 176
oratio compoſita, & ornata, & artificio quodam, & expolitione diſtincta, oratoris propria 11
oratio conſperſa uerborum floribus 140
oratio debet ad auditorem ardens peruenire, ſi futurum eſt, ut is incendatur 331
oratio debet cadere numeroſe, & quadrare, &c. 155
oratio debet eſſe numeris adſtricta, carere uerſibus 342
oratio debet eſſe rebus par, & aequalis 329
oratio debet eße remiſſius numeroſa 156
oratio Demoſthenis contra Aeſchinem falſae legationis, uaria eſt 325
oratio Demoſthenis contra Leptinem, ſubtilis ibid.
oratio pro Cteſiphonte longe optima 305
oratio Demoſthenis pro caußa Cteſiphontis 325
oratio Demoſthenis pro Cteſiphonte in formam maxime eloquentiae includi poteſt 331
oratio Demoſthenis pro Cteſiphonte 362
oratio —— efficiendum, ne fluat oratio, ne uagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius, &c. 158
oratio ex rerum cognitione debet efflorеſcere 2
oratio expida, & perfacile currens 261
oratio flacceſcent 220
oratio flexanima, atque omnium regina rerum 89
oratio Graeca plura ornamenta ſuppeditat 286
oratio grandior 151
oratio grandis, ſplendida 275
oratio grauis, & ornata, & hominum ſenſibus, ac mentibus accommodata, proprium quiddam eſt oratoris 11
oratio Hortenſij incitata, & uibrans 291
oratio Hortenſij non probabatur ſenibus 291
oratio inciſim, & membratim tractata, al. tracta 350
oratio incitata, & uolubilis 255
oratio.—in longa oratione difficile eſt, non aliquando aliquid ita dicere, ut ſibi ipſum non conueniat 256
oratio — in omnibus orationis partibus hoc euenit, ut utilitatem, ac prope neceſſitatem ſuauitas quaedam conſequatur 155
oratio —— in oratione effugimus poematis ſimilitudinem. 345
oratio.——in oratione, prima pauci cernunt, poſtrema plerique. 158
oratio ita libere fluens, ut nuſquam adhaereſceret 276
oratio Laelij de collegijs 217
oratio liberior eſt, quam uerſus 156
oratio L. Craſſi in legem Caepionis magiſtra Ciceroni fuit a pueritia 244
oratio mollis, & pellucens ueſtiebat ſententias reconditas. 276
oratio mollis, & tenera, & ita flexibilis, ut ſequatur, quocumque torqueas 80
oratio nec numeroſa eße debet, ut poema; nec extra numerum, ut ſermo uulgi 344
oratio —— nihil eſt tam tenerum, neque tam flexibile, quam oratio 155
oratio non ualde nitens, nec plane horrida 264
oratio nuda, ac rudis, ad ſolos animorum ſenſus exprimendos reperta 342
oratio numeroſa eße debet 190
oratio omni rerum genere cumulata 60
oratio omnis ciuilis in alterutro duorum genere uerſatur, &c. 142
oratio omnis conſtat ex re, & uerbis 125
oratio omnis ex uerbis conficitur. 151
oratio omnis conceßu funditur numeroſe, & uolubiliter in amplificanda re 347
oratio oratorum multitudinis, eſt auribus accommodanda 83
oratio ornata, & illuminata ſententijs 125
oratio ornata, & polita ſapientibus ſententijs, grauibuſq. uerbis. al. grandibuſq. 3
oratio pacata 231
oratio plagam grauem non facit, niſi petitio fuit apta, &c. 351
oratio plena animi, & terroris. 274
oratio popularis aſſenſum uulgi debet mouere 251
oratio praeceps 272
oratio pro Cluentio. — locus ex ea in Saſiam 325
oratio pro Cornelio ſecunda. 350
oratio pro lege Manilia: in qua ornatur Pompeius 324
oratio pro Rabirio perduellionis reo 324
oratio pro Roſcio Amer. & ex ea locus de ſupplicio patricidarum 325
oratio propria oratoris 11
oratio pugnax 231.
oratio quo modo fiat numeroſa 155

oratio rapida, & celeritate caecata: —— al. citata 272
oratio redundans, & circumfluens 255
oratio regnat in perturbandis animis 330
oratio ſenior, (ut ita dicam) quam aetas ferat 242
oratio, ſeu cauſſa pro Caecina. 324
oratio ſpinoſa, & exſilis. 17
oratio ſubtilis, & preſſa, & limata 304
oratio tum ſtabilis eſt, tum uolubilis 342
oratio uincta numeris 315
oratio una L. Craſſi potior, quam caſtellani triumphi duo 269
orationis compoſitae genus detrahit actionis dolorem, aufert humanum ſenſum actoris, tollit funditus ueritatem, & fidem. 347
orationis compoſitae inſidijs fidem auditoris attentare 347
orationis compoſitae res ab oratore cognita ſubeße debet 11
orationis curſus admirabilis. pagina 291
orationis genus exquiſitius, & minime uulgare 283
orationis genus inſigne, florens, pictum, & expolitum 323
orationis genus quodnam ſit optimum 312
orationis materia 327
orationis nitor 326
orationis ornamentorum praecepta 26
orationis pars omnis debet eſſe laudabilis 325
orationis partes quot 26. 69
in ſingulis orationis partibus quid maxime faciendum ibid.
orationis quaſi formae, & lumina 341
orationis quaſi maeſtitia 312
orationis ueſtitus 291
orationis uitia, inane, inconditum, curtum, claudicans, redundans 340
orationi nihil inimicius, quam uerſus 344
orationem duo ſunt, quae condiant 342
orationem neque humelem, neque nimis altam, & exaggeratam probat Ariſt. 344
oratione uti difficilius, quam uerſibus 345
orationes delectationis cauſſa ſcriptae multa recipiunt ornamenta, quae non ſunt conceßa in cauſſis 308
orationes duorum eloquentiſſimorum ex Atticis inter ſe contrariae, Aeſchinis, & Demoſthenis, a Cicerone conuerſae 375
orationes Hortenſij 290
orationes ornatiſſimae quae 143
orationes ad uniuerſi generis uim explicandam ſe conferentes. ibid.
orationum plura genera, & diuerſa 308
orationum quot genera, tot oratorum 312
orator quid 50
orator quis 12. & 40
orator—id eſt ſummi oratoris, ſummum oratorem populo uideri. 250
orator a gubernaculis ciuitatum repellitur a philoſophis 10
orator a philoſophorum, ſophiſtarum, hiſtoricorum, poetarum eloquentia ſeiunctus 316
orator ad ornatius dicendi genus excitatus in concione 112
orator admirandus, & in quo homines exhorreſcant, quis 131
orator amplus, copioſus, grauis ornatus 323
orator cognoſcat rerum geſtarum, & memoriae ueteris ordinem. 327
orator debet rem definire non tam preſſe, quam philoſophus, ſed cum explanatius, tum uberius, &c. 327
orator debet uidere quid deceat. 329
orator —— de bono oratore, aut non bono, doctis hominibus cum populo numquam diſſenſio fuit 250
orator de ijs rebus, quae ſunt ceterarum artium, ſi modo eas cognorit, optime poteſt dicere pag. 60
orator de re quaque, quam didicerit, melius dicet, quam eius rei artifex 11
orator.—diſſimilitudo maxima eſt inter bonos oratores 299
orator. —— duae ſummae in oratore laudes: una ſubtiliter diſputandi, altera grauiter agendi pag. 219
orator eſſe non poteſt, in quacumque quis parte officij oratorij claudicet 257
orator exagitatus, & adiutus philoſophorum diſputationibus pag. 302
orator excellens auocat a proprijs perſonis, & temporibus contro uerſiam 310
oratorum fetus uberrimus 249
orator grauis, acer, ardens, ſuam copiam duobus alijs generibus debet temperare 323
orator in iudicia, & conciunculas tamquam in aliquod piſtrinum compingitur 10
orator. —— in oratore probando utrum uulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruere debeat 249
orator interiectus inter grandiloquum, & tenuem 304
orator intermedius, temperatus. ibid.
orator ius ciuile teneat 327
orator mediocris eße poßit 71
orator medius, modicus, temperatus 321
orator melius dicet de re qualibet, cum ab ijs cognouerit, qui quamque rem tenent, quam illi ipſi, quorum eae ſunt artes 12
orator. —— utrum orator mentes auditorum permouere poſſit, niſi rerum omnium naturam, & mores hominum penitus perſpexerit 42
orator nemo eſt, qui ſe Demoſthenis ſimilem eße nolit 162
orator nemo habendus, qui non ſit omnibus ijs artibus, quae ſunt libero dignae, perpolitus 12
orator non debet eße phyſicorum ignarus 327
orator non ſolum inueniet, quid dicat, ſed etiam expendet 311
orator nulla in re tiro, ac rudis, nec peregrinus eſſe debet 42
orator nulla alia re magis, quam uerborum ſplendore, & copia commendatur 279
orator nullius ornamenti expers eſſe debet 50
orator omnes debet habere philoſophiae notos, & tractatos locos 321
orator omni laude cumulatus 2
orator omnia maiora uerbis facit pag. 42
orator optimus primus dicat 109
orator optimus quis 362
orator perfectus quis eſſe poßit. pag. 70
orator perfectiſſimus mediocris, deterrimus 162
oratoris perfecti moderatione ſapientia, & ipſius dignitas, & reip.

reip.ſalus continetur 6
oratoris perfecti eſt poſſe in utramque partem de omnibus rebus dicere,&c. 135
orator perſpectam,& cognitam habere debet omnium rerum naturam, uitam, mores, affectus hominum 42
oratore perfecto nihil praeclarius pag. 60
orator plenus, atque perfectus, quis 11
orator praeſtat minutis imperatoribus 269
orator prius rem habeat oportet, de qua dicat, quam cogitet, quibus quidque uerbis dicat, aut quo modo 327
orator quamcumque rem a quoque cognorit, de ea multo dicet ornatius, quam ille ipſe, unde cognorit 12
orator —— quae debeant eſſe nota oratori praeter ea, quae ſunt communia,& peruagata 30
orator, qui Latine non loquatur, irridetur 131
orator, quo modo inſtituendus 71
orator relictus a corona dicere non poteſt 251
orator ſapiens, philoſophus dici poteſt 99
orator, ſeu eloquens debet dialecticorum ſcientiam aſſumere 326
orator ſine Academicorum doctrina, & conſuetudine diſputandi perfici non poteſt 230
orator tragicus 255
orator tria debet efficere 276
orator ubi copioſe loqui poſſit 11
orator uel mediocris tenet aures. 251
oratoris omnis actio opinionibus, non ſcientia, continetur 60
oratoris boni opera 250
oratoris caput, ut talis uideatur ijs, apud quos agat, qualem ſe eſſe optet, & ut eorum, qui audiunt, ſic afficiantur animi, ut eos ipſe affici uelit orator 18
oratoris eſt mouere riſum 98
oratoris incunabula, orationes generis epidictici 310
oratoris inſtrumentum 31
oratoris locutio ſola, oratio nominatur 215
oratoris opera, ſeu officia 289
oratoris officia tria,& totidem genera dicendi 316
oratorum propria opera quae ſint 217
oratoris maxime proprium rem augere poſſe laudando, & contra,&c. 197
oratoris maxime proprium quaecumque cauſſa poſtulet, ad ea animum iudicis impellere 289
oratoris proprium ornate dicere de re qualibet 61
oratoris propria ſunt, quae de uirtutibus, de officio, de inſtituendis ciuitatibus, de omni uiuendi, etiam de naturae ratione dicuntur 96
oratori debet eſſe cognita ſcientia naturae humanae,& morum, et uirtutum 12
oratori debent eſſe naturae hominum, uis humanitatis, & cauſſae, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur penitus perſpectae 11
oratoris ſolum,& quaſi fundamentum, locutio emendata 270
oratoris ſubtilis qualis actio debeat eſſe 321
oratoris ſummi eſt ſummum oratorem populo uideri 250
oratoris uis inflammandis auditorum mentibus, aut inflammatis reſtinguendis maxime cernitur 42
oratoris uis in quinque partes diſtributa 26
oratoris uis maxima exſiſtit in hominum mentibus permouendis, &c. 11
oratori amplo cauēdum inflatum, & corruptum orationis genus. 254
oratori quid faciendum 312
oratori quae res notae, & pertractatae eſſe debeant 11
oratori docto palma danda 147
oratori faciendum eſt, ut iudex omni affectuum genere concitetur. 330
oratori multa tribuenda 11
oratori non ſunt ſatis ea, quae ex uſu forenſi comparantur 11
oratori omnia, quae ſunt in hominum uita, tenenda 132
oratori perfecto nota eſſe debet omnis loquendi, & diſſerendi ratio 326
oratori populi aures, tamquam tibiae ſunt 251
oratori preſſo inopia, & ieiunitas cauenda 254
oratori ſubtili quae fugienda. 320
oratori quidam ſunt numeri ratione quadam obſeruandi 318
oratori tria efficienda 316
oratori tria uidenda, quid dicat, quo qnidque loco, quo modo. 310
oratori uirtutum cognitio neceſſaria 112
oratorem acrem, incenſum, & agentem, & canorum concurſus hominum, foriq. ſtrepitus deſiderat 288
oratorem eſſe, niſi ſapiens ſit, neminem 17
oratorem eſſe ſummum, difficillimum, & maximum quiddam. 138
oratorem quid diſtinguat a ſcurra 99
oratore bono ſurgente ad dicendum, quae fieri ſoleant. 281
oratores etiam ij, qui optime dicunt, niſi initio dicendi perturbentur, paene ſunt impudentes 23
oratores grandiloqui 303
oratores grandiloqui non uno orationis genere fiunt 304
oratores pauci fuerunt in ciuitate Ro. non plurimi auſi ſunt dicere,&c. 249
oratores poſſunt eſſe ſummi, qui ſint inter ſe diſſimiles 255
oratores, ſi uiri boni haberi uolunt, eos, quos defendunt, alienos exiſtimare non poſſunt. 90
oratores ſtatarij 229
oratores tenues, & acuti, qui. 304
oratores, ueritatis, actores 162
oratorum alij grandes, alij tenues, alij mediij 361
oratorum bonorum duo genera ſunt 254
oratorum eloquentiae ſemper moderatrix fuit auditorum prudentia 304
oratorum eſt dicere,& ornare. 326
oratorum facultas quibus in rebus uerſetur 18
oratorum genera eſſe dicuntur, tamquam poetarum, ſed id ſecus eſt 358
oratorum Graeciae partus 199
oratorum propriae quaedam ſententiae cauſſae ſunt 11
oratorum trium interitus 246
oratores, operarios eſſe quoſdam lingua celeri, & excitata 17
oratoris dictio magis aſſidue uerſatur in foro 11
orbis orationis 352
orbis uerborum 158
ordiri orationem 328
ordo, & ornatus orationis apud animos hominum plurimum ualet

let 251
ordo eſt, qui memoriae maxime lumen affert 115
ordo multum poteſt in dicendo. 89
ordo, ſeu collocatio rerum, ac locorum duplex 108
ordo uerborum efficit numerum. 349
origines Catonis 209.& 282
os acceſſit ad artem 60
os illius patroni quodnam eſt, qui, &c. 31
oris non eſt nimium mutanda ſpecies 205.14
oris preſſus 129
ornamenta orationis 152
ornamenta ſententiarum 331
ornamenta uerborum,& ſententiarum,& eorum nomina 160
ornate, copioſeq. dicere, oratoris perfecti proprium 77
ornati naturae muneribus 23
ornatur oratio colore quodam, & ſucco ſuo 140
ornatus duplex unus ſimplicium, alter collocatorum 319
ornatus oratoris duplex 329
ornatus uerborum oratoris proprius eſt 11
ornatus uerborum tribus exſiſtit ex rebus 155
oſcitans, & dormitans ſapientia. 80
oſcitans iudex 253
otij fructus 1
ouantem in Capitolium adſcendiſſe 90

P

PAcis diuturnitas otium confirmauit 2
Pacuuius 90.126
Pacuuius male locutus Latine 270
Pacuuius tragicus 362
Pacuuij uerſus omnes ſunt ornati, & elaborati 307
Paean. al Paeon 158
Paean, ſeu Paeon 448
Paean duplex 156 348
Paean frequens eſſe debet in amplo genere dicendi 345
Paean habet tres breues 344
Paean maxime probatur ab Ariſtotele 156
Paean minime aptus ad uerſum 344
Paean molliſſimus numerus ibid.
Paean prior, a paeane priore ordiendum 158
Paean poſterior ibid.
Paean poſterior. in paeana poſteriorem optime cadere cenſent ueteres 348
Paean, quod plures habeat ſyllabas, quam tres, numerus a quibuſdam, non pes habetur. 349
Paean probat Ariſtoteles 344
Paeanem, aut minuritionem citare 47
Palicanus aptus auribus imperitorum 260
palmam accipere 246
Pammenes, Bruti doctor, Demoſthenis ſtudioſiſſ. 324
Pamphilus rhetor 136
par gladiatorum nobiliſſimum. 377
par pari relatum 349
paria paribus adiuncta 341
paria paribus relata 320
paribus paria redduntur 338
paria paribus referre 315
parcendum dignitati aduerſarij. 95
parcendum eſt caritati hominum 98
parendum conſuetudini, & auribus 155
parere gloriam 92
παρονομασία 101
pars, quam ſe cumque in partem dediſſet 132
partes generis 32
partiretur cauſſas 251
partiri cum aliquo 116
partite dicere 324
parua magnis ſaepe recte conferuntur 302
patent, in promptuq. ſunt omnibus 3
patefacere aditum aliquarum rerum 20
pater patratus 32.& 79
παθητικὸν 330
patiens,ac lentus 103.& 108
patienter carere fortunae, aut naturae bonis 63
patriae uis,ac natura 33
patrocinia controuerſiarum ciuilium ſuſcipere 327
patronus optimus primus debet dicere 109
patroni cauſſarum impudentes, qui 46
paucitas oratorum 2
πειθώ, ſuadela 205
pellicere partem ſententiarum ſale,& lepore 46
penetrare in animos 238
penicillo quippiam imitari 318
penitus cognorat remp. 248
penſum 143
percipere animo 23
percipere auribus, aut cogitatione 115
percipere multa auribus 125
percurriſſe multa animo, & cogitatione 42
percuſſionum modi 345
perducere ad eandem ſimilitudinem 91
perducta ad ſummum 243
perfecti unum genus eſt 362
perfunctio honorum 121
perfunctus honoribus, & reip. muneribus 33
perfundi uoluptate 32
Pericles, Alcibiades, Thucydides quorum ſcripta exſtent, antiquiſſimi Graecorum 72
Pericles Anaxagorae phyſici auditor, eoq. ceteris praeſtitit oratoribus 302
Pericles ab Anaxagora didicit quibus orationis modis quaeq. animorum partes pellerentur 302
Pericles ab Anaxagora phyſico eruditus 196
Pericles ab Ariſtophane poeta fulgurare, tonare, permiſcere Graeciam dictus 305
Pericles eloquentiae laude clariſſimus 187
Pericles eloquentiſſ. Athenis, & princeps conſilij publici 41
Pericles,& Thucydides Athenis iam adultis fuerunt 185
Pericles quadraginta annos praefuit Athenis 99
Pericles relinquere ſolitus aculeos in animis auditorum 194
Pericles Xanthippi filius 196
Pericles phyſicorum cognitionem habuit 327
Periclis eloquentiam Athenae admiratae ſunt 196
Pericles.—in Periclis labris Suada ſeſſitauit 205
Periclis in labris ueteres comici leporem habitaſſe dixerunt 99
Periclis quaedam ſcripta feruntur 185
Pericli primae ſine controuerſia deferebantur in dicendo 305
periodus, ambitus, comprehenſio. 243
περίοδος: ambitus, circuitus, comprehenſio, continuatio, circumſcriptio 346
periodus uerborum 156
Peripatetici 7
Peripatetici, & Academici. 135
peripatetici unde dicti 142
peripatetici, & Academici ueteres

res diſſerendi rationē cum ſuauitate,& copia dicendi coniungunt 230
peripateticorum inſtitutis commodius fingitur oratio, quam Stoicorum 230
peripateticorum mos 48
permotio,et conciliatio animorum debet eſſe fuſae in perpetuis orationibus,ſicut ſanguis in corporibus 109
permouere iudicum mentes 89
permouere, neceßarium eſt 362
perorandi locum Ciceroni ſemper relinquebat Hortenſius 251
perorationem Ciceroni oratores omnes relinquebant, cum plures dicebant 330
perpetrare uerba 155
perpugnax in diſputando 18
per tranſennam aſpicere 30
peragrare animos hominum 42
perſequi alicuius ueſtigia 21
perſequi ordinem inſtitutum 241
Perſius doctiſſimus 58
perſonarum ficta inductio 160
perſpicere aliquid per quaedam inuolucra,atque integumenta 30
perſtringere leuiter 290
perterricrepam 338
pertiſum non dicimus, ſed pertaeſum 337
pertractare animos hominum 58
perturbare animos —— in perturbandis animis regnat oratio. 330
peruenire ad exitum 327
peruenire in diſputationem alicuius rei paene intimam 20
peruenire in numerum patronorum 266
peruerſe dicendo homines, peruerſe ut dicant, facillime conſequuntur 26
perueſtigare ſagaciter 42
peruertit omnem ſpem, & uitae conſilia 121
pes in naui 151
pes, qui adhibetur ad numerum, partitur in tria 343
pedis pars, aut aequalis eſt alteri parti, aut altero tantum, aut ſeſqui maior ibid.
pedes duo, aut tres extremi ſeruandi,& notandi 158
pedes omnes in oratione ſunt permixti ex ſententia Ciceronis. 344
peto. — quantum res petet 333
petere blandius, eſt eſſe ineptum pag. 22
petere miniſtratorem non aduerſarium 108
petere multam ab aliquo — hanc multam Aeſchines a Cteſiphonte petijt,&c. 380
Phaedrus Platonis 6
Phalereus Demetr. 194
Pherecydes hiſtoricus 63
Phidiae clypeum diſſoluere 352
Phidiae ſignum. — Hortenſij ingenium,ut Phidiae ſignum 262
Phidiae ſimulacris cogitare poſſumus pulchriora 301
Phidiam me eſſe malim, quam uel optimum fabrum tignarium. 269
Phidias Mineruae ſignum effecit. pag. 68
Philippus laudatus 112
Philippus orator dicebat, ſe, cum brachium concalefeciſſet, tum ſe ſolere pugnare 110
Philippus ſaepe irridebat orationem Hortenſij,& ſtomachabatur eo dicente 291
Philiſtus Syracuſius Dionyſij familiaris 64
Philiſtus Syracuſius 209
Philo Academiae princeps domo profugit bello Mithridatico. 285
Philo Academicus in Academia maxime uiget 142
Philo architectus, Athenienſibus armamentarium fecit 11
philoſophari paucis 83
Philoſophia in tres partes diſtributa 12
Philoſophia mater omnium benefactorum, beneq. dictorum 289
philoſophia, omnium laudatarum artium procreatrix 2
philoſophia quae oratori maxime coniuncta 134
philoſophia praepotens, & glorioſa 32
philoſophia ſic eloquentiae ſtudiū adiuuat, ut palaeſtra hiſtrionem 302
philoſophia ſine cognitione philoſophiae non poteſt grauiter,ample, copioſe, dici de uirtutibus, de religione,&c. 327
philoſophia. — ſine philoſophia nemo de magnis, uarijsq. rebus latius, aut copioſius dicere poteſt 302
philoſophus quid 40
philoſophus eloquens orator dici poteſt 99
philoſophi doctorum animos ſedare,quam incitare malunt 315
philoſophi —— omnis ubertas, & quaſi ſilua dicendi a philoſophis ducta 302
philoſophi politici 142
philoſophi quidam ornate locuti ſunt 314
philoſophorum libri inſcripti ſunt de rebus notis, & illuſtribus pag. 67
philoſophorum oratio mollis eſt, & umbratilis 315
philoſophorum oratio qualis ibid.
philoſophorum oratio neque neruos, neque aculeos oratorios & forenſes habet ibid.
Phoenix 132
Phormio delirus ab Hannibale iudicatus 69
Phormio Peripateticus 69
Phormiones multi 69
Phryges,& Pyrrhum aurium cauſſa dicimus 337
Phrygia minime polita, minimeq. elegans 305
picta oratio, ſeu poeſis, claris coloribus 140
pictor hiſtoriam ſcripſit 63
pictor prudens,qui uidit, Agamemnoni caput eſſe obuoluendum, cum immolaretur Iphigenia. pag. 317
pictura antiqua paucorum colorum 339
pictura. — in picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca: contra alios nitida,laeta,colluſtrata delectant 307
pigmenta 89
pigmentorum flos,& color 283
pila —— qui pila ludunt, non debent eſſe palaeſtrae ignari 12
Pindarus 300
pingendis uerbis. —— in pingendis uerbis habent pondus σχήματα 237
Piſiſtrati uis in dicendo 195
Piſiſtratus dicendo ualuit 185
Piſiſtratus eloquentia floruit 99
Piſiſtratus Homeri libros confuſos antea ſic diſpoſuiſſe dicitur, ut nunc habemus ibid.
Piſo hiſtoriam ſcripſit 63
piſtrinum —— in piſtrino uiuere 80
Placideianus. —— cum Placideiano Aeſerninus componitur, &c. 377
plane loqui,ſeu dicere 132
platanus ad opacandum locum patulis diffuſa ramis 6
Plato Antimacho inſtar multorū millium 251
Plato de rebus a controuerſijs ciuilibus remotiſſimus diuinitus

eſt

eſt locutus 11
Plato diuinus auctor 377
Plato exagitator omnium rhetorum unum Iſocratem miratur 309
Plato in dicendo uberrimus 231
Plato in geometria, & muſica praeſtantiß. 42
Plato. —— in libris Platonis Socrates exprimitur 122
Plato. — Iouem ſic aiunt loqui, ut Plato, ſi Graece loquatur 231
Plato longe omnium, quicumque ſcripſerunt, aut locuti ſunt, princeps & ſuauitate, & grauitate 314
Plato non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi grauißimus auctor, & magiſter 301
Plato nouam finxit in libris ciuitatem 42
Plato ſcripſit, bonum poetam eſſe neminem ſine inflammatione animorum, & ſine quodam afflatu furoris 90
Platonis amplitudo Ariſtotelem non deterruit a ſcribendo 300
Platonis ciuitas commenticia 42
Plato Iſocratem laudari fecit a Socrate 377
Platonis de Iſocrate teſtimonium 309
Platonis locutio quibuſdam poema uidetur 315
Platonis oratio popularis, in qua laudantur, qui in proelio interfecti ſunt 334
Plautus 212
Plautus quibus coſ. mortuus 207
plenum uerbum 336
plus petere 31
plus uidiße 125
poema reconditum paucorum approbatione debet mouere 251
poema tragicum, epicum, melicum, dithyrambicum 358
poeta bonus nemo ſine inflammatione animorum 90
poeta fugit dedecere, ut maximum uitium 317
poeta oratori finitimus, numeris adſtrictior paullo, &c. 12
poeta uerſu adſtrictior, quam orator 316
poetae. —— in poetis non Homero ſoli locus eſt, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro 300
poetae quid differant ab oratoribus 315
poetae dißimiles inter ſe, ſiue Latini, ſiue Graeci, pari tamen laude digni 126
poetae Graeci, etiam Latini facti leguntur 378
poetae legendi oratori 29
poetae non omnibus locis eadem contentione utuntur 325
poetae ſuorum aequalium mortem doluerunt 175
poetae transferunt uerba cum crebrius, tum etiam audacius, & priſcis libentius utuntur, & liberius nouis 346
poetae uoluptati inſeruiunt uocibus magis, quam rebus 316
poetarum egregiorum minima eſt copia 2
poetarum licentia maior, quam oratorum, in faciendis, & iungendis uerbis 316
poetarum tragicorum uerſus, niſi cum tibicen acceßit, orationi ſolutae ſunt ſimillimi 342
poetis cum oratoribus proxima cognatio eſt 126
poetica, & uerſus inuentus eſt terminatione aurium, & obſeruatione prudentium 341
Polemo Xenocratis auditor 135
Polycleti ſigna plane perfecta. 211
Polycletus, cum Herculem fingebat, quo modo pellem, aut hydrã fingeret, non quaerebat. 67
Polycletus fictor 126
Polygnotus pictor 211
pomeridianas quadrigas 336
pompae, quam pugnae aptius epidicticum genus 310
Pomponius orator Sulpicio, et Cottae proximus 256
ponere ſtudium in re aliqua 11
ponere tempus in acerrima, & attentiſſima cogitatione 126
pondus in uerbis 273
pondus in uita 108
populi ſcitũ facere de aliquo. 378
populi ſumma dignitas 112
porrigere, atque tendere lucem ingenij, & conſilij ſui 32
portenta quaerit ab ipſo, utrum illa uerba, an portenta ſint. 305
porticus cur inuẽtae a Graecis. 58
portum conſpicere 121
poſita ante oculos 32
poſſeſſio caduca, & quaſi uacua 143
poſſeſſio prudentiae, & doctrinae eſt oratorum 143
poſt homines natos improbiſſimus Glaucia 260
poſt homines natos optimus gladiator 377
poſtliminium 79
poſtliminio redire 32
poſtliminium ei nullum eſſe, quem aut pater ſuus uendidißet, &c. 32
poſtulatus de ambitu 103
praecepta principorum, & narrationum in totis orationibus ſunt conſeruanda 70
praecepta quaedam dari poßunt peracuta ad pertractandos hominum animos 58
praeceptorum quae uis ſit, aut quae utilitas 96
praeceptores ijdem uiuendi, atque dicendi 132
praeciſa mihi dubitatio 59
praeciſio 160
praecurrentia 85
praeclare intelligo 249
praediti minus firmo iudicio 304
πραγματικοί 33
praecluſio. al. proluſio 111
praemunitio 160
praemunitio — ſine praemunitione orationis inuehi in aliquos. 108
praeponere muneri 63
praeſidia ſua confirmare 108
praeſtamus hoc feris, quod colloquimur inter nos, &c. 6
praeſtare culpam 22
praeſtare incommodum 31
praeſtare ingenuitatem, & ruborem 68
praeſtare pietatem patriae 232
praeſtare reliquis tantum, quantum pueris 309
praefectorum recordatio acerba, exſpectatio reliquorum acerbior 273
precario 152
prehendere manu 89
prehendere ſtylum 220
premi inuidia, & odio hominũ. 260
premit ingenij curſum importuna clades 292
πρέπον, decorum 316
prenſare 22
preßa oratio 72
preße loqui 129
primas agere 286
primas haſtas iactare leniter 110
prima ſequentem honeſtum eſt in ſecundis conſiſtere 300
primum praeceptum oratori dandum, non tam acutum, quam neceßarium 21
princeps conſilio, linguaq. ibid.
princeps ſermonis ordiendi 20
principium debet eße connexum conſequenti orationi 111
principium prima eſt cognitio, & commendatio orationis in principio 109

principiũ quid habere debeat. 110
principium unde ducatur 110
a principio uidendum quemadmodum uelis uenire ad extremum 245
principia qualia eſſe debeant. 110 & 328
principia praeponenda orationi pro portione rerum 110
probari mores, & facta, eorum, qui agent cauſſas, et eorum, pro quibus; & improbari aduerſariorum, multum ualet ad uincendum 321
probat is, qui dicit, duobus modis 76
probationum duo genera 76
procedere aetate 309
procedere honoribus longius. 248
procedere in ſolem, & puluerem 194
procedens longius 289
proceßus—tantos proceſſus efficiebat, ut &c. 275
procudenda lingua 143
procurator uoluntarius 182
prodeſſe cauſſis.— non tam elaborandum, ut cauſſis proſis, quam ut ne quid obſis 24
prodeße.— non quantum quiſque proſit, ſed quanti quiſque ſit, ponderandum eſt 269
Prodicus Chius 98. & 188
proditum memoriae 32
producere ſermonem aliquem longius 268
proferre in lucem 30
proferre in medium 74
profeſſio bene dicendi quid ſuſcipiat 2
prooemium citharoedi afflictum. 111
propoſiti ad imitandum 374
propoſitum eſt huic omni ſermoni, ut, &c. 288
propoſitum argentum 30
proſequi miſericordia, beneuolentia 176
Protagoras Abderita 98
Protagoras Abderites 188
Protagoras diſputationes rerum illuſtrium ſcripſit 197
Protogenes, pictor 12
prouerbium—mihi cane, & muſis 250
prouocatio patrona ciuitatis 90
proximus longo interuallo 246
proximus primo non eſt ſecundus 246
prudens in exiſtimando 265
prudentia hominis grata eſt 333
prudentia intelligendi 18
prudentia numquam deficit oratorem 220
puberes filij cum patribus non lauabantur. al. non lauabant 96
P. Africanus 40
P. Africanus eloquens fuit 41
P. Africanus, Laelius, Furius ſecum eruditiß. homines ex Graecia palam ſemper habuerũt. 83
P. Africanus laudatur ibid.
P. Antiſtius 249
P. Antiſtius, rabula probabilis 261
P. Autronius uoce peracuta, & magna 265
P. Cethegus, C. Iulij aequalis 248
P. Cominius Spoletinus, qui accuſauit P. Cornelium 274
P. Cornelius homo auarus, & furax 102
P. Craſſus 213
P. Craßus Diues 31
P. Craßus idem eloquens, & iuris peritus 40
P. Craſſus M. fil. de quo multa 278
P. Craſſus ſuapte manu interfectus 122
P. Decius 79
P. Decius Flacci aemulus 226
P. Galba primus poſt Romam conditam iudicio publ. eſt condemnatus 233
P. Galba Seruij illius eloquentiß. fil. al. C. Galba 248
P. Lentulus 214
P. Lentulus iniuriarum Cicer. ultor, auctor ſalutis 274
P. Lentulus Sura 262
P. Lentulus, princeps ille 40
P. Licinius Varus 99
P. Magius, tribunus pl. 248
P. Mucius 104
P. Mucius iuriſc. ibid.
P. Mucius XII. ſcrupis optime ludebat, idemq. optimus erat iuriſconſultus 41
P. Murena mediocri ingenio, ſed magno ſtudio rerum ueterum. 264
P. Orbius 248
P. Popillius 220. & 233
P. Rutilius 32. & 227
P. Rutilius cauſſam ornatius, aut liberius agi ſuam noluit, quam ueritatis oratio ſimplex ferebat 42
P. Rutilius Rufus, homo doctus, & philoſophiae deditus ibid.
P. Rutilius, exemplum innocentiae ibid.
P. Scaeuola 225
P. Scipio, bis conſul, Corculum dictus 257
P. Scipio Naſica Corculum 215
P. Scipio priuatus ex dominatu Ti. Gracchi remp. in libertatem uindicauit 257
P. Scipio, qui in conſulatu mortuus, omnes ſale, facetijsq. ſuperabat 233
P. Sextius, pr. deſignatus damnatus ambitus 248
P. Sulpicius orator 39
P. Sulpicius 2. & 249
P. Sulpicij concionantis totum dicẽdi genus cognouit Cicero 285
P. Tubero Africanum laudauit oratione a Laelio ſcripta 112
primas ferre 249
pugiles inexercitati pugnos, & plagas ferre poßunt, ſolem non poſſunt 266
pulchrius eſt id, unde pulchrum aliquid, tamquam ex ore aliquo, quaſi imago exprimitur, quam id, quod exprimitur 301
pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem dicebant ueteres, ſine h. 337
putatio arborum, ac uitium 47
putidus 305
Pyrrhonei 132
Pythagoras ibid.
Pythagoras magnam Graeciam erudijt 99
Pythagorei 7

Q

QVA de re agitur 276
quadrandae orationis induſtria 345
quadrigis uolare per medias laudes 292
quadrat 6
quando conſiderandum ſit, quo principio ſit utendum 110
quae bona ſunt, doctrina fieri meliora poſſunt 23
quae non ſunt optima, arte acui poſſunt, & corrigi 23
quae ſint in quoque imitanda 72
quae res adiuuent in oratione
quaeſita, nec ex tempore ficta, ſed domo allata 321
quaeſtio a proprijs perſonis, & temporibus ad uniuerſi generis orationem traducta, theſis 310
quaeſtio de re certis in perſonis, ac temporibus locata 26
quaeſtio finita uel in lite ordinanda, uel in conſilio dando poſita eſt 63
quaeſtio infinita, conſultatio nominatur

natur 142
quaeſtio infinita eſt de uniuerſo genere 79.& 142
quaeſtio infinitae rei 26
quaeſtio infinita ſine perſonis, & temporibus 67
quaeſtio perpetua de uniuerſo genere 329
quaeſtionis controuerſia, quid. 69
quaeſtiones perpetuae quo tempore primum conſtitutae 225
quaeſtiones, quae ad agendum referuntur, aut in officij diſceptatione uerſantur, aut in animorum aliqua permotione, aut gignenda, aut ſedanda, aut tollenda tractantur 143
quaeſtionum duo genera, in quibus eloquentia uerſatur 63
quaeſtiunculam, ſeu quaeſtionem alicui ponere 21
quale ſit 75
quamobrem optimus quiſque orator maxime pertimeſcat initio dicendi 23
quatenus 317
quemadmodum tibicen ſine tibijs canere, ſic orator ſine multitudine audiente eloquens eſſe non poteſt 112
qui breuiter, aut ſummiſſe dicunt, docere iudicem poſſunt, commouere non poſſunt 92
qui primarum, & certarum rerum genera ipſa didicerunt, reliqua per ſe non incommode perſequuntur 67
quid multa? 129
quid ſuſcipiant dialectici 83
quis imitandus 72
quibus inuideant homines. 91. & 89
quibus rebus animi concilientur. 89
quibus rebus animi hominum moueantur 91
quinque membra eloquentiae. 69
quinquennalis celebritas ludorum 97
Q. Aelius Tubero L. Paulli nepos, uita & oratione durus, incultus, horridus 229
Q. Arrius M. Craſſi quaſi ſecundarius 266
Q. Catulus filius 259
Q. Catulus crudeliſſime interfectus 285
Q. Catulus litteratus 234
Q. Catulus ſe ipſe uita priuauit. 122
Q. Caepio nimis equeſtri ordini deditus 260
Q. Caepio, uir acer, & fortis. 235
Q. Ennius 205
Q. Fabius Labeo 216
Q. Fabius Maximus Verrucoſ. 203
Q. Granius praeco dicax: de quo multa Lucilius 246
Q. Hortenſius in patronorum numero annos XL. fuit 262
Q. Hortenſius quibus cos. mortuus ibid.
Q. Hortenſius quibus cos. primum in foro dixerit ibid.
Q. Hortenſij aequalis M. Piſo. &c. ibid.
Q. Hortenſij adoleſcentis ingenium ſimul adſpectum, & probatum eſt ibid.
Q. Hortenſij mors 214
Q. Maximus ibid.
Q. Metellus 40.& 214
Q. Metellus, eloquens fuit 41
Q. Metellus Numidicus 235
Q. Metellus is, cuius quattuor filij conſulares fuerunt 216
Q. Metellus Celer 284
Q. Metellus L. Veturij Philonis collega 203
Q. Minucius cos. 212
Q. Mucius 6
Q. Nobilior 215
Q. Opimius conſularis 103
Q. Pompeius 284
Q. Pompeius A. fil. Bithynicus 265
Q. Pompeius non contemptus orator 222
Q. Rubrius Varro a ſenatu cum C. Mario hoſtis iudicatus 244
Q. Scaeuola 3
Q. Scaeuola augur, percomis habitus 257
Q. Scaeuola iuriſperitorum eloquentiſs. 239
Q. Scaeuola parcorum elegantiſs. ibid.
Q. Scaeuola pro M. Coponio dixit 252
Q. Sertorius ſenator ſolutiſſimus in dicendo 248
Q. Tubero philoſophiae ſtudioſus 139
Q. Varius 23.249.& 284
Q. Varius orator 253
Q. Varius acutus rebus inueniendis 259
Q. Varius ſua lege damnatus 64
Q. Velocius 139
Q. Vettius Vettianus, e Marſis pag. 245
qui unam uirtutem habeat, omnes habet 17
quiuis unus ex populo 289
quomodo aſſequi poſſimus, ut, qnae dicamus, intelligantur. 129
quo modo dicas, multum intereſt etiam in philoſophia 312
quo modo dicatur, eſt in agendo, & in eloquendo 313
quo modo ſit imitandum 72
quonam modo dicas uidere, maximum 312
quorſum ſpectat? 139
quot oratores, tot fere genera dicendi 126
quoties dicimus, toties de nobis iudicatur 23

R

RABVLA — cauſſidicus, proclamator, rabula 33
rabula de foro 310
rape lumen poſtremum oculis. 152
rationes totius Antonij facultatis in dicendo, & orationis, tres 79
recepit lumina in mācipio, uti tum erant 31
recepiſſe ſolium paternum in rutis, & caeſis 96
recipere onus 307
recipere uocem ab acutiſſimo ſono uſque ad grauiſſimum 47
recidant omnia ad nihilum 352
recinit, & reſonat quiddam urbanius in uocibus oratorum noſtrorum 246
recte ne factum ſit 75
rector reip. & conſilij publici auctor quis habendus 40
recuſare 31
reddere uerbum uerbo 375
redeamus ad inſtituta 139
redire ad inſtituta 259
reditus ad propoſitum 160
redigere ad artem 83
redigere aliquid ad artem quis poſſit 32
redigere id, de quo diſputatur, ad ultimam ſui generis formam. 302
redigere in quadrum ſententiam diſſipatam 352
redigere omnes in quadrum, numerumq. ſententias 346
redolere uidentur Athenae ex Demetrij Phalerei orationibus. 279

e redun-

redundantia iuuenilis 325
referre. —— nihil referre ad utilitatem ſuam 91
referre eundem in cadendo ſenſum. 308
referre imitando ea, quae ſub oculos ipſa cadunt, ad ſpeciem perfecti excogitatam 301
referre in album 63
reficere ſeipſum 333
refricare dolorem 91
refugere in re aliqua 20
refugere a re aliqua agenda pudore, & tumiditate quadam ingenua 56
regnum. —— in regno alicuius eſſe. 12
regula, ad quam diriguntur eorum orationes, qui Attice uolunt dicere 380
regula, qua uera, & falſa inducentur 240
rei, qui 89. & 110
relaxare animos ex priſtino ſermone 6
relaxare animum 183
relictis rebus 131
relinquere ſui deſiderium 175
rem explicare proprijs, aptiſq. uerbis 126
remetiri uoluntatem 181
remex unius operis 61
remiges ſuſtinuerunt 28
remiſerunt dolores pedum 233
remiſſiores cantus 47
remittere ſuum ſtudium ſummum 288
remunerari alterum, ſi non pari, at grato tamen munere 181
renouare animi curam, & moleſtiam 121
repetere memoriae recordationem pag. 1
reponere in numero 377
reprehenſorum duo genera opponuntur labori noſtro 378
repromittere 182
repueraſcere 57
repugnantia uidere 302
res, & ſcientiae ui ſua uerba pariunt 79
res implicatae 131
rerum copia uerborum copiam gignit 96
rerum, & uerborum indicium, prudentiae eſt 338
res ſplendore illuſtratae uerborum 60
reſederat nimia uocis contentio. 288
reſperſum ſanguine 122
reſponſum uerum magis, quam ad ſuam rem accommodatum auferre 46
reſp. —— ad conſilium de rep. dandum caput eſt noſſe rempubl. 111
reſtinguere auditorum mentes inflammatas 42
retexere exorſa, & detexta 83
retinere homines in ciuitate 6
retulit ad ſenatum 121
uereri aſſentandi ſuſpicionem. 77
reuertamur ad inſtitutam diſputationem 334
reuocare Atticos ad certam dicendi formulam 375
reuocare, quae ab altero deplorentur ad ſuas res 92
reuocare a uitijs acriter 60
reuocare ſe ad ſuum munus, et penſum 143
reuocare ſe ad induſtriam 290
reuocare ſeipſum 332
rhetor, & eloquens non inuentor, aut compoſitor, aut actor, dicitur 314
rhetoribus conceſſum eſt ementiri in hiſtorijs 196
rhetorica altera ex parte dialecticae reſpondet 326
rhetorica ſimilis manui dilatatae, ſeu palmae. 326
Rhodij non probauerunt genus dicendi optimum, & tamquam adipatum 305
Rhodij oratores Aſiaticis ſaniores 200
Rhodij ſalſi 95
ridentur quae notant, & deſignant aliquam turpitudinem non turpiter 98
ridiculum praeter exſpectationem 104
ridiculi locus, & quaſi regio 98
ridiculo quomodo utatur orator. 321
ridicula quatenus ſint oratori tractanda 98
ridiculorum materies, quibus in uitijs ſit 335
rimas explere 352
riſus. —— de riſu quinque ſunt, quae quaeruntur 98
riſus omnium aliquem obruit. 104
riſus, tenuiſſimus ingenij fructus. 99
riſum mouere, leue eſt 95
riſum mouere ſit ne oratoris 98
riſum uix tenebam 282
Romani ueteres omnibus de rebus conſulebantur 99
Romulus paſtores, et conuenas congregauit, &c. 6
Romulus ſapientia, non eloquentia res geſſit 6
Roſcius in quaque arte, ideſt perfectus, & excellens 23
Roſcius in ſcena eſt 281
Roſcius perſonatus non magnopere laudabatur 163
Roſcius, ſi quando aliquid minus bene fecit, aut noluiſſe, aut crudior fuiſſe dicitur 23
Roſcij geſtus, & uenuſtas 47
Roſcio ſpectante geſtum agere. 97
roſtra manubijs ornata 122
rudis. — quaſi rudibus eius eludit oratio 377
ruſticari 57
ruta, & caeſa 96
Rutilius cauſſam ipſe pro ſe dixit: Craſſum, & Antonium patronos adhibere noluit 229
Rutilius prope perfectus in Stoicis 228

S

S litteram poſtremam, antecedente u ſequente conſonante detrahebant ueteres 337
ſacramento contendere 7
ſales in dicendo mirum, quantum ualent 89
ſaliorum uerſus 158
ſalſorum duo genera ſunt 321
Samnis 139
Samnitum magiſter 139
Samnites uibrant haſtas ante pugnam 111
ſanitas incorrupta 371
ſanguis incorruptus 192
ſannio 100
ſanum quod eſt in oratione, id proprium Atticorum eſt 321
ſapiens, ſi algebis, tremes. 104
ſapientis eſt, conſilium explicare ſuum de maximis rebus 111
ſapientia faciendi, ac dicendi. 132
ſapor uernaculus 246
ſatis. —— ſatis quid ſit, iudicandum 317
ſatis eſt ſimilem eſſe hominis ceteris artificijs percipiendis 23
ſatis eſſe incitatum ad ſtudium cognoſcendae, percipiendaeq. uirtutis, magnum eſt 33
Scaurus accuſauit Rutilium 103
Σχήματα 110. & 275
Σχήματα, conformationes ſententiarum 237
Σχήματα, quaſi geſtus 85
ſcientia ciuilis tota xij. tab. continetur 32

ſcientia,

ſcientia & cognitione comprehendere 2
ſcientia iuris eloquentiae tamquã ancillula 46
ſcientia rerum certarnm forenſibus cancellis circumſcripta. 11
ſcientia rerum terreſtrium, aut maritimarum ibid.
ſcientiae ſuauitas 27
ſcientiae omnes oratori proſunt. 47
Scipio Tib. Gracchum perculit. 104
ſcitum eſt 312
ſcitum eſt conferre cauſſam in tẽpus, cum afferre, &c. 163
ſcitum populi facere 378
ſcopas diſſoluere 352
Scopas, homo fortunatus, & nobilis 115
ſcopulus libidinis 315
ſcopulus patrimonij 152
ſcribendo adeſſe 121
ſcripſere, & ſcripſerunt 336
ſcripti interpretatio 75
ſcriptio plurimum ad dicendum proficit 120
ſcurra qua re ab oratore diſtinguatur 99
ſcurrilia quae 99
ſecundarius 266
ſecundus, & proximus primo, differunt 246
ſedare iracundiam 91
ſedare ſeditionem 203
ſedare ſuſpicionem 239
ſeditio conflata 77
ſeditiones multas e rep. eſſe factas 77
ſeditiones nonnullae iuſtae, & neceſſariae 90
ſegetes fecundae, & uberes, non ſolum fruges, uerum etiam herbas effundunt inimiciſſ. frugibus 311
ſenarios & Hipponacteos effugere uix poſſumus 343
ſenatus — in ſenatu minore apparatu dicendum 111
ſenectus in aetatibus auctoritatem habet 339
ſenſus uidendi ex omnibus noſtris ſenſibus acerrimus 115
ſenſus unuſquiſque uarias habet uoluptates 125
ſenſa mentis, & conſilia explicare 132
ſententia mente ante circumſcribitur, confeſtimq. uerba concurrunt 345
ſententia niſi apte expoſita, atque abſoluta fructum non fert oratori 351
ſententiae concinnae, & uenuſtae 290
ſententiae graues, & ſeuerae. ibid.
ſententiae quamuis ſuaues, grauesq. tamen ſi incondite poſitis uerbis efferuntur, offendunt aures 334
ſententiae uerbis finiantur 158
ſententiarum lumina 320
ſententiarum ornamenta 247
ſententiarum ornamenta, & conformationes 237
ſententiarum totidem genera ſunt, quot oratorum gradus 365
ſententioſe ſine uerborum ordine & modo dicere, infantia eſt. 352
ſepire cogitatione 82
ſepire memoria 26
ſeptus liberali cuſtodia 292
ſeponere ſibi tempus ad rem aliquam 139
ſepoſitum tempus ad diſcendum. 333
ſeptem ſapientes omnes praer Mileſium Thalem ciuitatibus ſuis praefuerunt 99
Septimulcius Anagninus 103
ſepulcrum, lacrymas, coronas, ſine h. dicimus 337
ſeries diſputationum 67
ſermo ab hoc initio tractus 183
ſermo emanauit 262
ſermo facetus, ac nulla in re rudis 6
ſermo increbruit 373
ſermo intentior 47
ſermo planus quibus rebus fiat. 129
ſermo purus, & dilucidus 129
ſermonem alio transferre 24
ſermo hinc ductus 183
ſermo Latinus, laus eſt in dicendo non mediocris 235
ſermonis genus non liquidum, non fuſum, ac profluens 83
ſerpere longius 140
ſerpere occulte 91
ſeruire hominum periculo, aut honori 266
ſeruit pars quaedam aedium. 31
Ser. Fabius Pictor 216
Ser. Fuluius 218
Ser. Galba 6. & 11. & 102. & 215
Ser. Galba abſolutus miſericordia commota 219
Ser. Galba eloquentia praeſtans 216
Ser. Galba Laelio ſucceſſit in defendenda publicanorum cauſſa. 218
Ser. Galba princeps ex Latinis opera oratorum propria tractauit 216
Ser. Galbae orationes exſiliores. ibid.
Ser. Sulpicius Galba populi miſericordiam concitauit 42
Ser. Sulpicius — In Sulpicio uno ars fuit iuris ciuilis 240
Ser. Sulpicius maluit eſſe in ſecunda arte primus, quam in prima ſecundus 240
Ser. Sulpicij iuriſconſ. ſtudium dicendi. 240
Ser. Tullius 6
ſeſtertium nummum, non ſeſtertiorum nummorum 336
Sex. Aelius 99
Sex. Aelius, iuris ciuilis omnium peritiſſ. 214
Sex. Aelius iuriſconſ. 40
Sex. Pompeius 135
Sex. Pompeius in philoſophia eruditus 12
Sex. Titius 102
Sextus Titius, homo loquax, mollis in geſtu: a quo ſaltatio, Titius nomine, nata 258
ſi forte 129
Siculi ſalibus excellunt 95
ſiet, plenum eſt: ſit, imminutum. 336
ſignificatio maior, quam oratio. 332
ſigna ingenij immemoris 263
D. Silanus aequalis Ciceronis non multum ſtudij habuit 263
ſilua Scantia: al. ſilua Sita. al Sila. 218
ſilua rerum, ac ſententiarum comparanda eſt 141
ſimile —— ut ſimile duci poteſt, inde uerbum unum transferri, quod ſimilitudinem contineat. 152
ſimile a neruorum ſono in fidibus ad motum animorum 253
ſimiliter definita 341
ſimiliter uerba cadentia 349
Simonides a Caſtore, & Polluce ſeruatus 115
Simonides Ceus artem memoriae primus protulit ibid.
Simonides quo modo artem memoriae inuenerit ibid.
ſimulacra pro litteris ibid.
ſine oculis, & ſine mente uiuere 47
ſine ſtudio, & ardore amoris nihil

quidquam in uita egregium eſt 24
ſingulos ſenſus ſingulae uoluptates oblectant diſpares 126
Siſenna uerbis inuſitatis utebatur 271
ſitiunt agri 320
ſocietas intelligendi, & dicendi. 135
Socrates, εἴρων 103. & 283
Socrates interrogatus, quam poenae aeſtimationem meruiſſet, reſpondit ſeſe meruiſſe, ut ampliſſimis honoribus, & praemijs decoraretur 43
Socrates omnium eruditorum teſtimonio prudentia, & acumine, &c. omnium facile princeps 132
Socrates, omnium ſapientiſſimus, & ſanctiſſimae uitae, in iudicio capitis ita pro ſe dixit, ut non reus, ſed iudicum dominus uideretur 43
Socrates oppoſuit ſe ſophiſtis. 188
Socrates oratione Lyſiae uti noluit 43
Socrates quid de Iſocrate auguretur 309
Socrates ſapienter ſentiendi, & ornate dicendi ſcientiam re cohaerentes diſputationibus ſuis ſeparauit 132
Socrates ſcriptam litteram nullam reliquit ibid.
Socrates ſibi ipſe ſapientiam detrahit, alijs, qui eam ſibi arrogant, tribuit 282
Socratis ex uberrimis ſermonibus exſtiterunt doctiſſimi uiri. 188
Socratis ironia faceta & elegans 282
Socrates in Gorgia oratores irridens cauillatur 96
Socratici 132
ſol accedit ad brumale ſignum. 155
ſol circumfertur ibid.
ſolitudo ab oratoribus 261
ſolium, — ſedentes in ſolio. 99
Solon, eloquens 11
Solon, lator legum 33
Solon, ſapiens 132
ſolum incultum, & derelictum 181
ſolutus, & expeditus ad dicendum 266
ſolutus in explicandis ſententijs 245
ſolutiſſimus in dicendo 248
ſollertia iudicandi 373
ſonare & olere peregrinum. 129
ſonare ſubagreſte quiddam, planeq. ſubruſticum 271
ſonitus uerborum inanis, nulla ſubiecta ſententia, furioſum quiddam eſt 10
ſonorum gradus tum intendere, tū remittere 314
ſonus totius orationis unus eſt, & idem ſtylus 223
ſonus uocis 235
ſonus uocis rectus, et ſimplex 129
ſonus uocis urbis proprius ibid.
ſoni — e tribus ſonis ſuauis uarietas perfecta eſt in cantibus 313
ſophiſtae 319
ſophiſtae, quid ab oratore differant 315
ſophiſtarum oratio ibid.
ſophiſtis propoſitum non perturbare animos, ſed placare, & delectare 315
Sophocles, Aeſchylus, Euripides, diſſimiles 126
Sophocles 300
ſpatiari in Xyſto 368
ſpecies. — ad ſpeciem ualere 110
ſpecies — quidquid eſt, de quo diſputetur, id eſt ad ultimam ſui generis formam, ſpeciemq. redigendum 302
ſpeciem cuiuſque rei cernere. 302
ſpeciem, & formam excellentis eloquentiae adumbrabimus. 310
ſpecimen ingenij tranſilire ante pedes poſita 151
ſpecimen popularis iudicij 250
ſpes hominum fallax 121
ſpes infringatur 301
ſpes utilitatis futurae plus ualet apud homines, quam beneficij praeteriti commemoratio 91
ſpe uberiore commoueri 2
Speuſippus Platonis ſororis filius 135
ſpiritus anguſtior 50
ſpiritus non in iiſdē cauſſis unus et idem ſpiritus ſine ulla commutatione eſt obtinendus 325
ſpiſſe, & uix 236
ſpiſſi exitus, & producti 92
ſpiſſius 147
ſpoliare alios dignitate 122
ſpondeus 348
ſpondeus conſtat ex longis 344
Sp. Carulius 99
Sp. Memmius 103
Sp. Thorius ualuit in populari genere dicendi 235
ſputatilica crimina. — ſputatilica nomen irriſum a Roſcio. 271
ſtadium eiuſdem laudis 262
ſtare a ſenatu, & a bonorum cauſſa 275
ſtare ſuo iudicio 353
Staſeas Peripateticus 21
ſtatarij oratores 229
ſtatera aurificis 83
ſtatuere aliquem ante oculos. 46
ſtatus erectus, & celſus 314
ſtatus — non eſſe diutius uno, & eodem ſtatu 301
ſtipulatiuncula 31
ſtirps generoſa 257
ſtirpe ad aliquam hereditatem uenire 31
Stoici 7
Stoici ab Antiſthene 134
Stoici eloquentiam uirtutem eſſe dicunt ibid.
Stoici in diſſerendo prudentiſſimi, in dicendo uerborum inopes 230
Stoici iraſci neſciunt 134
Stoicorū adſtrictior oratio eſt, aliquanto contractior, quam populi aures requirunt 230
Stoicorum decreta 134
Stoicorum omnis cura in dialecticis conſumitur 230
Stoicorum orationis genus ſubtile quidem, ſed exſile, inuſitatum, abhorrens ab auribus uulgi. 134
ſtomachoſa, ac ſubmoroſa ridicula 103
ſtructa, & nexa uerbis 332
ſtructura quaedam fiat, non tamen operoſe 334
ſtruere odium in alios 91
ſtruere, & illuminare uerba 96
ſtruere uerba 96. 155
ſtudere patrimonio augendo, non eſt nobilitatis 96
ſtudium armis perterritum conticuit ſubito, & obmutuit. 290
ſtudium dicendi proprium Athenarum 199
ſtudium diſcendi 80. 315
ſtudium diſcendi acerrimum 12
ſtudio eloquentiae maxima propoſita praemia 2
ſtudio incenſus 185
ſtudio quodam admirabili ad philoſophiam concitatus 285
ſtudia perueniendi aliquo nihil proſunt, niſi illud, quod eo, quo intendas, ferat, cognoris 24

ſtultitia

INDEX

ſtultitia excuſationem non habet 23
ſtupefactus 131
ſtylus exercitatus 334
ſtylus multi ſudoris eſt 50
ſtylus optimus dicendi magiſter. 27
ſuadere, aut diſſuadere, grauiſſimae perſonae 111
ſuadae medulla 205
ſuauitas appellandarum litterarum 235
ſuauitas auſtera, & ſolida, non dulcis, & decocta 141
ſuauitas, quae exit ex ore 129
ſuauitatis cauſſa peccare licet, in uſu uocabulorum 336
ſubactum ingenium 79
ſubegit 337
ſubijcere ſcelus, fraudemq. nocentis odio ciuium 33
ſubire ferri ciuilis crudelitatem. 122
ſubitae dictiones 27
ſubiungere omnes artes oratori. 42
ſubſeciuae operae, al. ſubſiciuae 116
ſubſellia grandiorem, & pleniorem uocem deſiderant 281
ſubſidium ſenectutis in otio, & ſolitudine ponendum 47
ſubſidium ſibi comparare 33
ſubtile genus dicendi quale eſſe oporteat 318
ſubtilis orator numeros adhibere non debet ibid.
ſubtilis, ſeu tenuis orator qualis eſſe debeat 320
ſubtilitas orationis imitabilis uidetur exiſtimari: ſed nihil eſt experienti minus 318
ſubtilitas orationis non eſt plurimi ſanguinis 318
ſuccreſcit ueſtrae aetati 163
ſuggerere firmamenta 110
Sulpicius accuſauit C. Norbanum 71
Sulpicius grandis orator. de eodem hic plura 255
Sulpicius nihil leniter dicebat. 325
Sulpicius, quo anno occiderit. 285
Sulpicij nulla oratio eſt 255
Sulpicij fortiſſimus quidam animi impetus 126
ſumere in manus 122
ſumere ſibi tempus ad cogitandum 74
ſumma animi aequitas 74
ſummittere 184
ſummum bonum utrum ſit in animo, an in corpore 42
ſummutauit 337
ſupellex oratoria 318
ſuperari a ſeipſo 121
ſuperlatio ueritatis 160
ſuppeditare, abſolute 96
ſuppeditauiſſet uita 232
ſupplodere pedem 43
ſupploſio pedis 129
ſupra ferre rem, quam fieri poſſit 102
ſurculo defringeudo uſurpare poſſeſſionem amiſſam 142
ſurripiat imitationem orator. 99
ſus Mineruam 97
ſuſcipere laborem utilem ſtudioſis 375
ſuſcipere patrocinium uoluptatis 134
ſuſcipere perſonam 31
ſuſpendiſſe ſe de ficu 103
ſuſpenſo animo, & occupato 46
ſuſpenſi oratione, ut auis cantu aliquo 253
ſuſpicere 125
ſuſpicionem ſedare 239
ſuſtentor ea conſolatione 292
ſuſtineo tres perſonas 74
ſuſtuliſſes litteram 99
ſyllaba poſtrema breuis ſit, an longa, ne in uerſu quidem refert. 110
ſyllabas dinumerare 96
Syri uenales 102
ſyrtis patrimonij 152

T

TABERNACVLVM *uitae collocare in aliqua re* 135
tabulas bene pictas collocare in bono lumine 271
tabulae —— in XII. *tabulis plurima antiquitatis effigies* 32
tacitum tamquam myſterium tenere 134
tactus dulcitudine praeter ceteros ſenſus commouetur 140
talis ludere 139
tamquam ignotum hominem aliquid praeterire 89
tantum ſibi de facultate detraxit, quantum imminuit induſtriae Hortenſ. 267
tardare ſtudia aliorum 300
tardi ingenij eſt riuulos conſectari 77
tardiores tibicinis modi 47
tardus ad excogitandum 34
tardus in cogitando 246
Tauriſcus quidã actor auerſus dicere ſolebat 130
tectiſſimus in dicendo 167
tectus armis 6
tela texitur 163
Telamon 90
tempeſtas—— qua tempeſtate Paris Helenam, &c. 163
tempeſtates turbulentiſſimae 1
tempore alieno 175
tempora inimica uirtuti 307
tenebat plebem 260
tenere —— Alexandro iam Aſiam tenente 380
tenere animo 324
tenere curſum 300
tenere narratione auditorem 376
tentare aliquem omni ratione 57
tenue filum argumentandi 329
tenuis uenia excuſationis daretur 90
Terentius ab Attio differt genere 362
Terentius, Caecilius, Menander 378
terere omnem aetatem in diſcendo 96
terra media eſt 155
teſſerulae 334
teſtamentum facere in procinctu 42
teſtificor me a te rogatum, & recuſantem haec ſcribere eſſe auſum 77
Teucer Pacuuij 46
Themiſtocles 132
Themiſtocles Athen. 108
Themiſtocles eloquens 187
Themiſtocles laudatus 112
Themiſtocles malebat doceri obliuiſci, quam meminiſſe 108
Themiſtocles obliuionis artem, quam memoriae, malebat 115
Themiſtocles quo tempore floruerit 196
Themiſtoclis, et Coriolani caſus, ſimiles ibid.
Themiſtoclis mors ibid.
Theodectes Ariſtotelis auditor, in primis politus ſcriptor, atque artifex, de numeris praecepit 340
Theodorus Byzantius 309
Theodorus, in arte ſubtilior, in orationibus ieiunior 199
Theophraſtus 205
Theophraſtus de numeris accurate praecipit 340
Theophraſtus diuinitate loquendi nomen inuenit 314
Theophraſtus dulcis 231
Theophraſto quid reſponderit anicula, percunctanti, quanti aliquid

quid uenderet 246
Theopompus 64. 72
Theopompus, & Ephorus 255
Theopompus elatione ſua officit Thucydidis, & Philiſti ſententijs conciſis 209
Theopompus frenis egebat 126
Theopompus reprehenditur, quod uocalium concurſum nimis fugerit 334
Theramenes 72. & 132. & 187
theſis 311
θέσις 329
Thraſymachus 132
Thraſymachus Chalcedonius 188 & 309
Thraſymachus primus numeros inuenit in oratione ſoluta 341
Thraſymachus conciſus minutis numeris, & Gorgias. 309
Thraſymachus, & Gorgias primi traduntur arte quadam uerba iunxiſſe, ſeu uinxiſſe 309
Thucydides —— de quo multa. 306
Thucydides. In Thucydide transferri poteſt ad uſum forenſem 306
Thucydides concurſum uocalium non admodum ſugit 334
Thucydides, creber rerum frequentia, &c. 64
Thucydides dicendi arrificio omnes facile uicit ibid.
Thucydides imitandus hiſtoriam ſcribere cogitantibus 280
Thucydides in exſulium pulſus eſt 64
Thucydides incitatus fertur. 309
Thucydides mirabilis ibid.
Thucydides, praefractior, nec ſatis (ut ita dicam) rotundus 309
Thucydides rerum geſtarum pronunciator ſincerus, & granais 280
Thucydides res geſtas, et bella narrat, & proelia 306
Thucydidis conciones quales 306
Thucydidis orationes, quas is interpoſuit, imitandae non ſunt oratori 280
Thucydidium dicendi genus. 376
Ti. Gracchus 104. & 223
Ti. Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus 224
Ti. Gracchus pater 40
Ti. Gracchus P. fil. 215
tibiae inflatae, niſi referant ſonum, abijciendae tibicini. 251
Timaeus hiſtoricus 208
Timaeus hiſtoricus, omnium eruditiſſ. 64
Timaeus in hiſtora qualis 290
Timantes pictor 211
tincta Laelia elegantia patris. 257
tinctus litteris 71
Tiſias, & Corax 197
Tiſias, & Corax, inuentores artis rhetoricae 18
Titius pila delectabatur 139
Titius Poſtumius non contemnendus in dicendo 274
T. Accius Piſaurenſis, qui accuſauit A. Cluentium ibid.
T. Albucius, paene Graecus, Epicureus 254
T. Annius Luſcus 215
T. Annius Velina 248
T. Aufidius ibid.
T. Betucius Barrus Aſculanus. 245
T. Coruncanus 203
T. Didius 90
T. & C. Sempronij eloquentiſſ. 6
T. Flaminius 227
T. Flaminius exiſtimabatur bene Latine loqui 271
T. Iunius L.F. tribunicius 248
T. Iuuentius 226
T. Libo tribunus pl. rogationem in Ser. Galbam tulit 219
T. Tinca Placentinus, homo facetiſſ. 246
T. Torquatus T. Fil. doctus uir. 266
tolerabiles oratores 2
tolleretur opinio 55
tori in corona 304
torquet me labor, & cura 126
tracta, & fluens oratio hiſtoricorum 315
tractare animos 323
tractatio uaria eſſe debet 85
tradere alicui habenas regendi. 42
tradere in tutelam 90
tradere ſtudioſis dicendi praecepta, & quaſi uias, quae ad eloquentiam ferant 332
traducere a ſeueritate ad hilaritatem, uiſumq. 289
traducere animos a ſeueritate ad hilaritatem 252
tragica & diuina ex oratione Craſſi 96
tragoedorum mos in uoce exercenda 47
traiectio uerborum 351
traijcere uerba 352
tranſactis ſuis partibus 58
tranſilire ante pedes, poſita ingenij ſpecimen eſt 151
tranſitiones a plebe 207
tranſlata, quae ſint 332
tranſlatum uerbum debet ſenſum ferire 152
tranſlata uerba ſic, ut non irruiſſe in alienum locum, ſed immigraſſe in ſuum diceres 276
tranſlatis omnes magis delectantur uerbis, quam proprijs. 151
tranſlatio—— uerecunda debet eſſe tranſlatio 152
tranſlatio durior, mollienda eſt praepoſito uerbo ibid.
tranſlatio —— in uerbis tranſlatis perficiendum eſt, ut ſimilitudinem ſecuti uerecunde utamur alienis 365
tranſlatio inſtituta inopiae cauſſa 151
translatio ne ſit deformis 152
translatio omnis ad ſenſus admouetur, quae quidem ſumpta ratione eſt 151
translatio omnis ſimilitudinis eſt ad uerbum unum contracta breuitas 155
translatio tamquam ſtellis quibuſdam notat, & illuminat orationem ibid.
translatio uel clariorem rem facere debet, uel magis ſignificare, uel breuius exponere 151
translationes utetur orator ſummiſſus paullo liberius, quam ceteris ornamentis 320
translationes audaciores 151
translationes primo neceſſitas genuit: poſt delectatio celebrauit ibid.
translationes molliſſimae 320
translationes plures continuae, allegoriam efficiunt 322
translatio —— allegoria ex pluribus translatis uerbis connectitur 152
translationes omnes utuntur, urbani, & ruſtici 320
translationes, quaſi mutuationes ſunt 151
translationes propter ſimilitudinem transferunt animos 331
tranſmarina, & aduenticia doctrina 146
tres figurae dicendi 160
triarij oratio plena litteratae ſenectutis 237
tria efficere debet orator 276
tria genera, quae in diſceptationem, & controuerſiam cadere poſſunt

poſſunt 75
tria illa, quae Graeci commonent, ut in principijs fiant, non magis eſſe principij propria, quam reliquarum partium 110
tria, quae ſint efficienda dicendo 250
tribus rebus homines ad noſtram ſententiam perducimus 108
tribuere rem in partes 302
tribunatus infringi iam, ac debilitari uidetur 6
tricipitem, non tricapitem 337
trochaeus e breuibus fit 344
trochaeus eodem ſpatio, quo choreus cordax ibid.
trochaeus & iambus 156
trochaeus habet tres breues. 348
trochaeus temporibus, & interuallis eſt par iambo 344
τρόποι 310
trutina popularis 83
tundere eandem incudem diem, noctemq. 85
Turius paruo ingenio, ſed multo labore 264
tutela, iudicium turpe 31
tutor fidelis 121
tutor mimus 102

V

VACARE —— nullum tempus illi uacabat a forenſi dictione 275
uacationem habere 229
uacuo animo 181
uagabitur oratio longius 122
ualere ad ſpeciem 110
Valerius cantor, & ſcenicus. 139
ualetudini operam dare 50
ualetudine incommoda 156
Vargula dicax 99
Varro cur ingenio praeſtans, omniq. doctrina 255
Varro diligentiſſimus inueſtigator antiquitatis 207
uaſte loqui 129
uaſti, atque agreſtes uultu, motuq. corporis 23
uaſtior littera x. —— hanc e certis nominibus euellit conſuetudo Latini ſermonis 335
uaſtitas iudiciorum, & fori. 183
uaſtitas homo, atque foedus. pag. 23
ubertas omnis dicendi a philoſophis ducta 302
uela dare ad id, unde aliquis flatus oſtenditur 89
uelitibus haſtae amentatae traduntur 274
uenditores liberales quid facere ſoleant 135
uenia excuſationis daretur 90
uenire in arbitrium exiſtimantium 220
uenire in ſpem 95
uenire in certamen 288
uenire in controuerſiam 111
uenire in iudicium 79
uenire in ſuam tutelam 252
uenire ſub adſpectum 116
uenuſtati ſeruire 110
uerberare —— hac exercitatione communi iſtos uerberabit. pag. 136
uerbum aliquod ardens, facile eſt notare, idque reſtinctis iam animorum incendijs irridere 305
uerbum, durum, inſolens, humile, longius ductum 276
uerbum —— eadem res, aut probatur, aut reijcitur alio, atque alio elata uerbo 317
uerbum inſolens, odioſum 305
uerba —— in uerbo ſimplici tria uidenda, quae orator afferat ad illuſtrandam orationem. 151
uerbum —— quo uerbo quid appellandum ſit 74
uerba a ſententijs ſeiungi non poſſunt, ut nec ab animo corpus 125
uerba aut ſuauitatis, aut inopiae cauſſa transferuntur 347
uerba collocata 320
uerba eligenda ſunt bene ſonantia 338
uerba, & componenda ratione, & finienda ibid.
uerba copulando iungebant ueteres, ut inſodes, pro ſi audes 335
uerba exſiliter examinata exire 129
uerba componere, ſyllabas dinumerare 333
uerba inflata, & quaſi anhelata grauius 129
uerba inuſitata quae 151
uerba intermiſſa ab uſu quotidiani ſermonis ibid.
uerba lecta 339
uerba melius in ſyllabas longiores cadunt 344
uerba neminem mouent, niſi eum, qui eiuſdem linguae ſocietate coniunctus eſt 163
uerba non propria, ſed aliena, quae 319
uerba non ſoluta, nec diffluentia, ſed adſtricta numeris 276
uerba nouata 104
uerba propria 151
uerba propria ſint, uel optime ſonantia, uel rem maxime explanantia 319
uerba, quae quaſi articuli conuertunt membra orationis 116
uerba relata contrarie ornant in primis orationem 102
uerba ſedem habere non poſſunt, ſi rem ſubtraxeris: neque res lumen, ſi uerba ſemoueris. 122
uerba ſimiliter cadentia, uel deſinentia 331
uerba ſimplicia quae 319
uerba translata, aut facta, aut iuncta facile ſunt cognita. 342
uerba translata, noua, priſca. 346
uerba translata 365
uerba uerbis quaſi coagmentare 318
uerba, ut cera finguntur 155
uerborum apparatus 115
uerborum bonitas 259
uerborum bonorum uſus, & copia fundamentum oratoris. pag. 151
uerborum complexio longiſſima, quae uno ſpiritu uolui poteſt. 156
uerborum concluſio 155
uerborum delectus, origo eloquentiae 268
uerborum immutationes 210
uerborum lumen non apparet, niſi diligenter collocatorum. 351
uerborum lumina omnia in dicendi genus temperatum, & multa ſententiarum 322
uerborum maieſtas 303
uerborum ornatus duplex 319
uerborum periodus 156
uerborum priſca uetuſtas cognoſcitur ex XII. tab. 32
uerborum ſtructura quaedam numerum, & laeuitatem efficiens 162
uerborum uel optimorum ſonitus inanis nulla ſubiecta ſententia, furioſum quiddam 11
uerbis utendum, aut proprijs, aut translatis, aut nouatis. 151
uerbis utendum, non eſſe uſita-
tis

tis 129
uere dicam 58
uere loquar 20
uerecundari 99
uerecundus ſine ſegnitia 278
uerecundus uſus oratoriae ſupellectilis eſſe debet oratori ſubtili 319
ueritas in omni re imitationem uincit 162
uermiculatum emblema 155. & 276. & 334
uernaculae res 140
uerſicoloria, nimiumq. depicta. 309
uerſus. —— uulgus, ſi quid eſt in uerſu peccatum, uidet 158
uerſus in oratione ſi efficitur, uitium eſt 155
uerſus natura primum eſt cognitus, non ratione 342
uerſutiloquae malitiae 151
uerſutiloqua malitia 338
uerſus, atque cantus ad uoluptatem comparatus 155
uertebat in bonum 237
uerum in occulto latet 353
ueſtibula honeſta, aditusq. ad cauſſam facere illuſtres 312
ueſtibula aedibus de templis pro portione praeponenda 110
ueſtigijs inſiſtere 126
ueſtire, atque ornare orationem 26
ueſtis frigoris depellendi cauſſa primo reperta, poſt adhiberi coepta ad ornatum corporis. 151
uetera uidentur noua, quae ſunt inaudita pleriſque 302
uia laudis, trita a maioribus, relicta 274
uibrare —— haſtas 111
uiae inuſitatae 302
uiae non patientes errare in dicendo 272
uicinitas finitima artium, & ſtudiorum 241
uictus quotidianus in Prytaneo, praebebatur uiris fortiſſ. optimeq. de rep. meritis 53
uidere omnia uno in conſpectu. 181
uidiſſe plus 125
uigere memoria 115
uincire ſententias, aut explere parum 339
uindicare ab atrocitate mortis. 122
uindicare a miſerijs, morte 291
uindicare ab obliuione hominum, & a ſilentio 56
uindicare domum ſuam a ſolitudine 33
uindicare in libertatem 80
uinum Falernum 280
uinum Opimio, aut Anicio conſule natum ibid.
uinum proximis conſulibus natum ibid.
uir fortis in miſerijs eſſe non poteſt 42
uirtus alia eſt alia laudabilior, & ad laudem aptior 112
uirtus hominibus iuſtituendo, & perſuadendo, non minis, & ui, ac motu tradi debet 46
uirtus omnis eſt mediocritas. 240
uirtus proſtrata, et afflicta, maxime luctuoſa eſt 92
uirtus ſemper, & ſola libera eſt. 42
uirtus ſeruire uon poteſt auctoribus philoſophis 42
uirtus uiri praeſtantis, quae eſt fructuoſa alijs, ipſi laborioſa, aut certe gratuita 112
uirtutis partes plures ibid.
uirtutes aliae in moribus hominum, in comitate, & beneficentia poſitae, aliae, &c. ibid.
uirtutes aliae in ingenij aliqua facultate, uel animi quodam robore ſitae ibid.
uirtutes omnes inter ſe eſſe pares 17
uirtutes omnes ſunt aequales. 132
uirtutes ſpecie diſpares, prudentia coniunguntur 307
uirtutum cognitio oratori neceſſaria eſt 112
uirtutum ſingularum certa quaedam ſunt officia ibid.
uiſendum. —— quid tam uiſendum, aut tam audiendum, quam ſummorum oratorum in grauiſſima cauſſa, accurata, & inimicitijs incenſa oratio 380
uitanda eſt ingenij oſtentationis ſuſpicio 111
uitioſum in ſententia 162
uitioſum in uerbis 368
uitioſum cauſſas ſingulas defendi a pluribus 256
uitium in dicendo maximam, ab uulgari genere orationis abhorrere 2
uita orationis, inane, inconditum, curſum, claudicans, redundans 340
uitia, quae uitanda ſint ei, qui numeroſe dicere, aut ſcribere uelit 352
uituperandi praecepta ex uitijs ſumenda 112
uituperare improbos aſpere 60
uituperare. —— acerbius in uituperando 209
uiuere beatius, certe remiſſius. 288
Vlyſſes patriam immortalitati antepoſuit 33
Vlyſſi laudem dicendi tribuit Homerus 195
umbra aliqua, & receſſus 140
umbratilis oratio 315
unctior, & ſplendidior conſuetudo loquendi 214
unguenta magis delectant, quae terram, quam quae crocum olent 140
unguentis minus diu delectamur ſumma, & acerrima ſuauitate conditis ibid.
unumquodque cauſſae genus ſuam habet conſtitutionem 74
unus e multis 276
unus e populo 289
uno tenore fluens 304
uocales diſtrahere 335
uocales coniungere ne ruſtici quidem uolunt 338
uocare in diſceptationem, & quaeſtionem 98
uocari in dicendi diſceptationem, aut controuerſiam 107
uolitare in foro 31
uolitare toto foro 74
uoluiſſe hoc eum, qui teſtamentum feciſſet 252
uolubilitas uerborum 312
uolubilitas uerborum ſine rerum ſcientia, inanis eſt 2
noluntatem diſcendi ſimul, cum ſpe perdiſcendi abijcere. 80
uoluptas nimia celerrime abalienat faſtidio quodam, & ſatietate 140
uoluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt ibid.
uorago bonorum 152
uox accommodanda ad res, & affectus, quos miſcere ueliis. 313
uox accommodanda ad eum affectum, quem in animis auditorum gignere uelis ibid.
uox acuta, grauis: cita, tarda: magna, parua 162
uox. —— ad actionis laudem maximam partem uox obtinet

INDEX

net 163
uox canora 274
uox canora, & ſuauis Hortenſij 284
uox mollis, atque muliebris, fugienda 129
uox mutanda pro eo motu, quem gignere in animis auditorum uelis 162
uox optanda nobis 163
uox oratori maxime neceſſaria. 47
uox ruſtica, & agreſtis 129
uox tragoedorum 23
uox una maxime eloquentiam uel commendat, uel ſuſtinet. 47
uocis bonitas optanda eſt: non eſt enim in nobis 314
uocis genus flexibile, plenum, interruptum 162
uocis genus quodnam ira ſibi ſumat, & ceteri affectus 162
uocis moderatio 155
uocis mutationes totidem ſunt, quot animorum 313
uocis natura mira ibid.
uocis tractatio eſt in nobis 314
uocis tres ſoni, inflexus, grauis, acutus 313
uoce inclinata, & ululanti 305
uocem tueri quae res maxime poſſint 163
uoces maxime cognatae mentibus noſtris 158
uoces omnes hominum, ut nerui in fidibus, ita ſonant, ut a motu animi ſunt pulſae 162
uocibus, ut chordae ſunt intentae ibid.
uocibus mouemur 163
urbs, domus habita doctrinae. 292
urgere interrogando 332
uſus dicendi in omni pacata, & libera ciuitate dominatur 6
uſus numeri oratorij 346
uſus omnium magiſtrorum praecepta ſuperat 2
uſum aetas denique affert 79
uſum loquendi populo conceſſi: ſcientiam mihi reſeruaui. 337
uſum rerum percallere 82
uſus —— ut ipſorum uſus ferebat 57
ut eo reuocetur, unde huc declinauit oratio 83
ut ſementem feceris, ita & metes 102
ut temporibus illis 246
uti lingua nuncupaſſit 46
utilitas cum decoro, & dignitate coniuncta plerumque eſſe ſolet 163
utilitas in pleriſque rebus cum uoluptate coniuncta natura. 155
utilitas plerumque uincit dignitatem 111
utilitas — qui utilitatem defendit, in deliberatione, quid agere debeat ibid.
utilius eſt ſumpto ſpatio ad cogitandum paratius, atque accuratius dicere, quam ſubito 26
utrum, qui ſit iuriſconſultus, idem ſit orator, & qui orator iuriſconſultus 45
uulgus interdum non probandum oratorem probat, ſed probat ſine comparatione 251
uulgi aßenſus, & aurium uoluptas, duo ad iudicandum leuiſſima 353
uultus, animi imago 314
uultus oculis gubernatur 163
uultus ſecundum uocem plurimum poteſt 314
uultus ſenſus animi, plerumque indicant 82
uultuoſum 314

X

XENOCLES Adramitenus rhetor 287
Xenocrates a Platone 134
Xenocrates Platonem audiuit. 135
Xenophon Ageſilaum inſtituit. 99
Xenophon Socraticus 64
Xenophontis ſermo melle dulcior, ſed a forenſi ſtrepitu remotiſſimus 307
Xenophontis uoce muſas quaſi locutas ferunt 314
Xenophonteum ſermonis genus: molle 232

Z

ZENO, a quo diſciplina Stoicorum eſt, manu oſtendere ſolebat, quid inter rhetoricam, & dialecticam interſit 326
Zethus Pacuuianus philoſophiae bellum indixit 83
Zeuxis pictor 126
Zeuxis pictor laudatur 211

FINIS.

INDEX
RERVM. ET. VERBORVM LOCVPLETISSIMVS,
Quae in his Commentarijs continentur.

ACademia uetus. Media, Noua. pag. 231
Academia, uillula non longe ab Athenis diſtans 302
Academicorum alij noui, alij ueteres. 137
addere oleum camino 179
Aemilij, unde dicti 222
Aeſchines, unus ex decem oratoribus 192
affectus: & quid in horum doctrina interfuit inter Ariſtotelem, & Cic. 93
affectus, quando non mouendi. 94
affectuum doctrina 92
affectuum grauiorum genera. 93
affectuum mouendorum praecepta 94. & 95
agere aſellum, prouerbium. 107
agendi, modi praecipui duo. 229
Alabanda, Cariae opidum. 25
allegoria, quid 154.323
allegoria, ex quibus fiat 78
alluuio, quid 35
amplificatio, cur adhibeatur. 143
amare, quid 176
amicitia, quid 176
amicitiae cauſſae praecipuae, uirtus, & utilitas 94
Antiſthenes, Cynicae ſectae inſtitutor 136
Apellis pictor 212
Apenninus mons, ubi 137
Apollo, a Graecis Paean cognominatus 49
Apollonius Molo Rhodius 16
Apollonius, Rhetor Alabandenſis 25
apoſiopeſis, quid 293
Appius Claudius Craſſus, cur Caecus appellatus 203
argumenta aſſumpta, quae dicantur 87
Aratus Solenſis 15
argumenta, quae rem attingunt, affecta dicuntur 87
argumenta ex coniunctis 88
argumenta quae reiicienda, & quae ſumenda. 110
argumenti aſſumpti exempla. 87
argumentum ex partitione. pag. 87
argumentum iuſtum, & eius ſpecies 87
Argiua oratio, prouerbium. 200
Ariſtippus Cyreniacus, in quo ſummum bonum poneret 136
Ariſtippus iuſſit ſuis ciuibus renunciari, ut eas opes ſibi pararent, quae naufragio non perirent. 175
Ariſtoteles, cur Peripateticus dictus 136
Ariſtoteles, quibus horis artem Rhetoricam docere ſolitus eſſet 9
arma, cuiuſcumque generis inſtrumenta 177
ars, quid 186.273
ars Iuris ciuilis, cur indotata, & incompta dicatur 47
artes omnes ſuis propris praeceptis tradi debere 5
Attica fides 197
Attice dicere, quid 320.374
Atticus teſtis, prouerbiaiiter dict. 197
Attius, Poeta tragicus 363
Aſclepiades, ex Rhetore medicus factus, & eius interitus 15
Aſculum, qui locus 245
Aſia minor, nunc Natolia 179
auditorum genus, triplex 8
auli, qui 216
Aurelij, unde dicti 221
aurum Toloſanum 236. prouerb.

B

BEatus, uir bonus eſſe non poterit, ſi uel in Priami calamitates incidat, uel uitae dignitate careat 3
bona animi uere laudabilia; & quo modo quis a ceteris bonis laudetur 114
Brutus, unde ſic appellatus 202
Brutus Cice. liber cur ita inſcriptus 171

C

CADVCVM quid 38
Caecilius Statius, poeta comicus 363
calamiſtrus, quid 319
Calliſthenes ab Ariſt. Alexandro magno comes datus 66
carminis, & orationis ſolutae differentia 157
Carneades, patronus Academiae nouae 19
Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, & Diogenes Stoicus, legati Romani miſſi, & cur. 82
Cato, & eius opera 145
Cato, & eius orationes 208
Catonis laudes 209
Catonis lex, Porcia dicta ibid.
characteres ſimplices, quot, & qui 304
Chryſippus, omnium philoſophorum infantiſſimus 326

Cicero, quando ſtipendia meruerit 3
cincinni, crines intorti 141
Cilicia ubi ſita, & unde dicta. 173
Cilicia, nunc Caramania ibid.
Cilicium, ueſtimenti genus, a Cilicibus populis inuentum. ibidem
circumluuio, quid 35
coemptio, quid 48
collocationis leges 156
comitium, qui locus 281
Colophonius, grammaticus, medicus, & poeta: eiusq. opera. pag. 16
comoedia, unde dicta 359
comoediae dictio qualis ibid.
comoediae definitio ibid.
comoediae materia ibid.
comperendinatio quid 219
coniuncta uerba, qualia eſſe debeant 365
contubernales, qui 225
cothurnus, calciamenti genus. 359
Craſſus, & eius orationes 57
Curiones, unde dicti 232
C. Curio Scribonius 277
Curius, cur Dentatus cognominatus 204
cignea cantio 123

D

DECORVM ex Dialectico iudicio deducitur 133
definitio, quid 327
definitionum genera quot 327
Deiotarus Gallograeciae res bis ad Caeſarem accuſatus 183
Demades, Athenienſis orator 193
Demoſthenes ob linguae haeſitantiam, ſpiritusq. anguſtias in Pyraeeum ſeceſſit 51
Demoſthenes oratorum longe princeps 377
dialogi inuentor 172
dialogi partes ibid.
dialogus, quid ibid.
dialogus, quibus rebus inſtructus eſſe debeat ibid.
dialogus: & genus dicendi proprium in eo ibid.
Dias in patriae ruina dixit cuidam, omnia mea mecum porto 175
Dialectica quid 241
dicendi genera tria 361
dicere Attice, quid 320
dictionis genera tria 172
differentia, quae propriae dicatur 363
difficultas ignauos deterret 195
dignitas, quid 174
Dinarchus, ex x. oratorum numero 193
diſcus, quid 59
diuiſio, & partitio, quo modo inter ſe differant 363
diuortium, quid 153
decemuiri, quibus comitijs creati 15
declamatores, qui 377
diſpoſitio forenſis in duo genera diuiditur 110
diſpoſitionis doctrina 109
diſpoſitionis praecepta ibid.
dithyrambicum poema, & eius materia 360
doctrina certior dux, quam natura 228
doryphorus unde dictus 301

E

ELOCVTIO quid: & eius partes 130
elocutionis decorum, & eius regulae 162
eloquentia in omni re exercenda. 28
eloquentia eſt inſtrumentum, quo quis uel bene, uel male uti poteſt 9
eloquentia, quomodo admirabilis efficiatur 374
eloquentiae exercendae duplex modus 28
eloquentiae genus perfectum, unum tantummodo 369
eloquentiae partes quinque 367
eloquentiae una tantum ſpecies perfecta 363
Empedocles philoſophus, & poeta 43
Ennii opera 363
Ennius Rudiis opido Calabriae natus ibid.
Epaminundas, Thebanorum imperator 200
epopoeiae materia 360
epopoeia cur hexametrum carmen eligat 359
epopoeia unde dicta ibid.
epulones qui, & quando inſtituti 138
exercitatio quid 186
exercitationum genera 285
exordium unde ſumendum, ſi auditores erunt defeſſi 253
exordium orationis in cauſſis ciuilibus cogitatione poſtremum, & tractatione primum eſſe debet. 113

F

FACETI, unde dicti 208
facetiarum genera. 100. & 104
facetiarum modi 104. & 105
facetiarum loca 104
facies, & uultus, quid inter ſe differant 264
facultas, quid 300
Falernum uinum, hodie Graecum dictum 280
Fauni, unde dicti 212
Fides Attica 197
finis oratoris 364
flagitare, & petere, quid inter ſe differant 183
Cn. Flauius, qui 36
forma quadrata, maxime ſtabilis. 345
fucus, quid 319

G

GALLIA citerior, nunc Longobardia 246
Gentilitas, quid 35
genus pro ſpecie a Cic. accipi ſolitum. 358
geſtus totius corporis; & quid in eo cauendum 164
Gorgias, Rhetor Empedoclis diſcipulus 188

H

HERCISCERE familiam, quid. 48
Hippocrates Cous, Heraclidae filius 148
Hipponactaeum carmen, unde dictum 343
hiſtoriae leges 68
Hortenſij, unde dicti 174
Hyperbolus, lucernarum faber. 260
Hyperides, Platonis, & Iſocratis auditor 192

I

IMitatio, oratoriae exercitationis pars 73
imitationis partes praecipuae. 73
impendium, quid 182
inaugurandi forma. 174
induſtria, unde dicta 184
inhibere, quod uerbum 29
infitiari, quid 299
interrex, unde dictus 204
inuentio triplex 77
inueniendi facultas, tribus rebus cōſtat, & perficitur 84

in

in iocando, quis modus tenendus. 100
iocorum leges 98
Iſocrates, primus numeris uſus eſt in oratione 156
Iſocratis domus eloquentiae officina 190
Iſocrates, quot orationes ſcripſerit. 190
Ius ciuile, quid 328
Iuſtitia, quid 218

L

C. Laelius dicendi gloria floruit pag. 8
Latinitas: & quid in ea fugiendum 150
laudare; ex quibus aliquis laudari poſſit 65
laus, quibus modis tractetur. 115
leges tabellariae 222
lex, quid 328
liber, aliquando oratio forenſis dicitur 171
loci communes ciuilium cauſſarũ. 84
logodaedali, unde dicti 309
locutionis uirtutes 365
Lycurgus, cuius numinis auctoritate leges a ſe latas Lacedaemoniis confirmarit 4
Lycurgi duo. —— ambo Lacedaemonij 196
Lycurgus eandem ueſtem hieme, & aeſtate gerebat 193
Lycurgus, Lycophronis filius, unus ex decem oratoribus 193
Lyſias, quis fuerit 45
Lyſias, Chephali Siracuſani filius. 191
Lyſias, & eius orationes 208
ludi Megalenſes, quando, & a quib. darentur 10
ludi Romani, cur ſcenici dicti. 122
lumen, & proſpectus, quo modo inter ſe differant 35
luſtrum, quo temporis ſpatio, & a quibus fieret 36

M

MAgo Carthaginienſis, & libri ab eodem compoſiti. 49
mancipia, unde dicta 35
L. Marcius Philippus conſul cum Iulio Caeſare, quando fuerit 7
C. Marius: & populi ab eo bello uicti 15
Mathematicae artes, a quibus inuentae 4
maturitas, quid 288
memoria, quid 117.367
memoria artificioſa, ex quibus conſtet 367
memoria, quibus rebus adiuuetur. 117
memoria ad animum refertur. 178
memoria, mentis uis, & facultas. 259
metaphota, & ſimilitudo, quo modo inter ſe differant 223
metaphorae uenuſtas 154
metaphorae uitia 153
metonymia quid 154
Mitylenis, urbs in Lesbo 268
L. Mummius, ex nouis hominibus cognomen uirtute partum uindicauit. 221

N

NArrandi perſpicue loci 114
narratio quid 113
narratio quando praetermittenda 114
narratio; & quae in ea ſint attendenda 329
narrationi propoſitio annexa 114
nexi apud ueteres qui 35
nexum, quid 153
Nola, urbs Campaniae 180
nomion, hymnns in honorem Apollinis celebratus 49
numeri, ex pedibus conſtant 345
numerus in oratione quid. 156. 366

O

OFficina, quid 302
officium, unde dictum 206
officium oratoris ibid.
officium oratoris triplex 77
Olympia, ludi in honorem Iouis inſtituti 370
Oratio numeroſa, qualis eſſe debeat 366
oratio omnis ex rebus, & uerbis conſtat 365
oratio tantum ualet in rep. quantum in bello ferrum 8
orationis numeroſae auctor 341
orationis ornatus duplex ibid.
orator, Graece ῥήτωρ 375
orator non modo qui dicit, ſed qui orationes ſcribit praeclare. pagina 190
orator perfectus, qui 5
oratores, qui 375
oratores primae aetatis 73
oratores ſecundae aetatis ibid.
oratores tertiae aetatis ibid.
oratores quartae aetatis ibid.
oratores quinctae aetatis ibid.
oratori, quae propoſita eſſe debeant 364
oratoris finis ibid.
oratoris officia tria, docere, delectare, & mouere ibid.
oratoris officium 206
oratoris officium triplex 77
oratorum tria genera apud Graecos ex locorum diuerſitate 201
oſtraciſmus, id eſt exſulium decennale 66

P

M. PAcuuij tragoedia 48
Pacuuius Brundiſinus, poeta tragicus 363
paean, hymnus in honorem Apollinis celebratus 89
pecuaria, quae loca 218
pedes, qui apte in ſolutam orationem cadant 157
periodus, quid 191
Perſae, populi, unde dicti 196
perſpicuitas in narratione praecipue commendatur 113
perſuadere, quid 364
Phalereus, philoſophus Peripateticus 194
philoſophia in tres partes diſtributa 68
philoſophiae totius diuiſio 327
Phidias ſculptor 69
Phidias ſtatuarius 301
Philippus Macedonum rex 150
philoſophandi ratio triplex 189
phyſis, id eſt natura, unde phyſici 303
Phormio Peripateticus de re militari apud Hannibalem uerba faciens ab eod. irriſus 70
pictura, poema tacitum 212
piraeeus portus: hodie Portus Leonis 201
platanus, unde dicta 7
Plato a quibus philoſophiam, Mathematicamq. diſciplinam didicerit 44
poema dithyrambicum, unde dictum: & eius materia 360
poema, loquens pictura 212
poema, nomen, unde deductum 358
poeticae ſpecies plures 358
poetae factores, & fictores tum rerum, tum uerborum dicti ibid.
poetae omnes primum melici appellati 360
probationum diuiſio, ex Ariſt. 78
proci, unde dicti 212

pronun-

INDEX

pronunciatio,quid 164
pronunciare quid, & quo modo Demoſthenes illi primas,ſecundas,& tertias adſcripſit 367
pronunciationis partes 164
Protagoras, Democriti diſcipulus 188
prudentiae uaria genera 224
Publius Murena, unde ſic cognominatus 264
Prytaneum,qui locus,& ubi 45
Pythagoras ubi, & quando floruerit 84

Q

QVINCTI, Sexti, &c. cur ita dicti. 174
quaeſtio tripartita 27
quaeſtio finita, in quot partes diuiditur 27

R

RECORDATIO ad ſermonem refertur 138
reges Romani,& quae quiſque geſſerit 8
religio, unde dicta 308
reus,qui 92
Rhetores,qui 302
Rhetorica,quid 186
Rhetoricae,& Dialecticae differentia, ex Ariſt. 286
Rhetorica ciuilis diſciplinae pars. 241
Rhetoricam artem eſſe, quo modo Ariſt.probarit 62
Rhetorica,quando Romae prohibita 4
Rhodus,unde dicta 174
Rhodus urbs,& inſula; & cur clara ab Horatio uocetur ibid.
rhythmus,quid 190
riſus,quid 100
riſus, & eius ſedes ibid.
riſus cauſſae ibid.

S

SALVBRITAS, quid 201
Sergius Aurata,unde ita dictus 36
ſapientia quid 144
ſapientia perfecta,in humano genere nulla ibid.
ſcalmum quid 253
Scipio, quomodo in Sullae poteſtatem uenerit. 123
Sicyon,urbs,non procul a Cyrintho 45
ſimplicia uerba,qualia eſſe debeant 365
ſimplicia uerba,multiplicia 360
ſoccus,quid 359
Socrates, ab Apolline omnium ſapientiſſimus iudicatus 189
Socrates, a quibus falſo impietatis crimine accuſatus 45
Socrates, quo modo quattuor ciuilibus ſcientiis totidem uitioſas,& fallaces earum imitationes apponit 13
Socrates, Ethicorum philoſophorum caput 9
ſodalitas, quid 245
Solon cuius numinis auctoritate leges ſuas Athenienſibus confirmarit 14
ſonus in delectu ſingulorum uerborum eſt numerus in uerborum copula 338
ſperare, & timere, quo modo inter ſe differant 370
ſpurii, qui 221
Staſeas Neapolitanus 22
Statius Caecilius, poeta comicus 62
ſtatus ſpecies tres 75
ſtillicidium,quid 35
Stoici omnem affectum uitioſum eſſe aſſerunt 44
Stoici quo modo philoſophiam diuiſerint 303
Stoici philoſophi ,qui 9
ſtylus quid 28
ſtyli exercendi ratio duplex 29
ſuccus, quid 193
Sulpicius,excellens orator 72
ſumere,& ſurripere, quo modo inter ſe differant 214
ſurripere,& ſumere, quo modo inter ſe differant ibid.
ſus Mineruam, prouerbium 98
ſyllaba,quot modis, uel breuis, ut longa dicatur 337
ſynecdoche 154
ſyxtum,& ſyſtus quid, & quo modo inter ſe differant 179

T

TABVLAE,quid 74
teſtamentum,quid 35
teſtamentum,quot caſibus rumpatur 35
Themiſtocles,omnium Graecorum imperatorum praeſtantiſſimus. 187
Theophraſtus,Melanti filius. 194
Theopompus,Chius,Rhetor 66
Theopompus Chius, Damaſiſtrati filius, & eius opera 210
Thucydides Athenienſis, Peloponneſiaci belli ſcriptor 66
Thucydides Hiſtoricus 306
Titus,unde dictus 203
Toloſanum aurum, prouerb. 236
tragoedia,unde dicta 359
tragoediae definitio ibid.
tragoediae dictio, qualis ibid.
tranſitus, quid 114
translata uerba,quae 365
tranſlationes a rebus pulchris ducendae,ſecundum Ariſt. 153
tribuni pl.ius 123
tropus,quid 211
tudites,quid 206
tutela,quid 35
tutores,qui 35

V

VASTITAS, quid 184
Veles, leuis armaturae miles. 275
uerba coniuncta, qualia eſſe debeant 365
uerba ſimplicia,qualia eſſe debeant ibid.
uerba translata,quae ibid.
uerborum ornatus, in tria genera diſtributus 346
uertex,quid 319
ueteratores,qui 324
Vinum Falernum, hodie Graecum dictum 280
uirtus ſemper,& ſola libera 44
uirtutis tradendae nulli praeceptores 48
uirtutum diuiſio 115
uocis diſtinctiones 163
uox,proprie animalis 235
uſucapio quid 34
uultus,unde dictus 314

X

XYSTVM, & Xyſtus, quid ſignificent 370
Xenophon, primus, qui philoſophorum uitas ſcripſerit 66

Z

ZETHVS, Iouis, & Antiopes filius 84

FINIS

Aldine
583
C568m
2-SIZE
V. 2